Musæum Kircherianum, sive Musæum a P. Athanasio Kirchero in Collegio Romano Societatis Jesu jam pridem incœptum nuper restitutum, auctum, descriptum, & iconibus illustratum / A p. Philippo Bonanni.

Contributors

Collegio romano. Museo.
Buonanni, Filippo, 1638-1725.

Publication/Creation

Romæ : Typis Georgii Plachi, 1709.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/f4bta9g5

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

12 H 2799

MUSAEUM KIRCHERIANUM

SIVE

MUSÆUM A P. ATHANASIO KIRCHERO

In Collegio Romano Societatis Jesu

JAM PRIDEM INCŒPTUM

Nuper restitutum, auctum, descriptum, & Iconibus illustratum

EXCELLENTISSIMO DOMINO

FRANCISCO MARIÆ RUSPOLO

ANTIQUÆ URBIS AGYLLINÆ PRINCIPI

OBLATUM

A P. PHILIPPO BONANNI

SOCIETATIS JESU.

Buonanni, F.

ROMÆ, MDCCIX.

Typis Georgii Plachi Cælaturam Profitentis, & Characterum Fusoriam propè S. MARCUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EXCELLENTISSIMVS FRANCISCVS MARIA VSPOLVS
PRINCEPS ANTIQVÆ VRBIS AGYLLINÆ Italic. CERVETERI
Antonius Daniel ad Vivum pinxit Romæ
Arnoldus Van Westerhout Antuerp. Ferdinando Magn. Princ. Etruriæ
Dicatior Vocat. Romæ Super. perm. Anno 1718.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

UM publicæ luci vellem exponere paginas, quas TIBI *offero* EXCELLENTISSIME PRINCEPS, *non diu animus hæsit, in Viro eligendo, cui illas inscriberem, juxta morem cum Priscorum, tum recentiorum Scriptorum, ut ab eo illum sibi splendorem conquirerent, quem nec res descriptæ, nec calamus, qui descripsit, potuit illis impertiri. Ratio me impulit, ut* EXCELLENTIÆ TUÆ *eas offerrem, cum in Romano Cœlo tanquam splendidissimum Sydus micantes radios effundas, illos inquam, quos à Nobilissima Stirpe acceptas Tuis præclaris moribus splendidiores reddidisti, Solis instar, qui & si conspicuus fiat à Summo Supernorum Orbium fastigio, in quo nascitur, magis tamen ab*

ea, quam à seipso diffundit, luce, spectabilis redditur. Verùm qui nam, quamvis egregius Pictor, lucem coloribus exprimet, seù qùibusnam verbis describet Orator, licet eloquentissimus? Duplicatam lucem tuam, qua splendes PRINCEPS EXCELLENTISSIME *oculi tantùm agnoscent, si ad Nobilissimam Stirpem Marescottam, ex qua originem ducis, convertantur, deinde ad tui animi dotes, quibus Avitum generis tui decus in ampliorem lucem explicasti.*

Si Temporum Annales percurramus, in memoriam revocabimus innumeros pene Heroes, qui per annos jam plus nongentos floruerunt vel militaribus laureis redimitti, vel bellicis Trophæis onusti, vel Senatoria clamyde conspicui, vel Purpura exornati, postquam Marius ex Illustri in Regno Scotiæ Comitum Galveorum Progenie in Italiam profectus fuerat simul cum Guillelmo Regis Acatii fratre, qui pro Carolo Magno Imperatore armatas Scotorum Acies ducebat. Fixerat ille Stationes suas Bononiæ, ubi per id tempus Reipublicæ leges servabantur, atque in ea Urbe ex Mario Scoto Familiam Marescottam nomen accepisse præclari illius ævi Scriptores tradiderunt.

Triumphalibus deinde palmitibus ex hac nobili Stirpe in diversas Italiæ Regiones translatis, Romæ demum ducentorum annorum curriculo plura nobilitatis insignia, quàm dies illa numeravit. Oculorum, & mentis acies perstringitur, hæretque loquendi facultas, cum intendere sese conatur ad duo maxima sydera, ad celeberrimos (inquam) Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Purpuratos Principes, idest Rainerum, quem fuisse Virum omni Doctrina, & Sapientia peritum Annalium Scriptores affirmant, & plura quidem de illo commemorarent, nisi eodem anno quo Purpura insignitus fuit, mors illum abstulisset. deinde Galeazzum Excellentiæ Tuæ Patruum, qui adhuc inter Mortales Virtutis magnitudine Romanum Cœlum illustrat; Si cæterorum Familiæ Tuæ præfulgentium Heroum illustria facinora perpendamus, videbitur fortasse alicui, in iis partem aliquam habuisse vel Principum benevolentia, vel Populorum Amor, vel favor ejus, quam Vulgus ineptè Fortunam existimat. Verùm in Eminentissimo Tuo Patruo laureas, quibus effulget, sola Virtus contexit, ipseque sibi lucem, qua ob Sacram Purpuram splendet, heroicis moribus adauxit, dum

diver-

diversis, jisque amplissimis muneribus, duplicique ad Reges Hyspaniarum, & Poloniæ legatione egregiè perfunctus est, adeo ut & ejus Virtus honestamentis illis, ex ejus itidem virtute videri possint fuisse honestamenta illa exornata.

Quis autem non miretur invictum in eo Animi robur, nullo unquam fatigatum labore, in infringendis Infidelitatis jaculis, in propugnandis Catholicæ Ecclesiæ juribus, in expediendis rerum gravissimarum negotiis, in propulsandis malis, in maximis bonis promovendis? Nullis ille alternantibus Temporum vicibus agitatur, nulla vertitur rerum adversitate, acsi cælestis cujusdam Naturæ, quæ nullam extrinsecùs vim, aut commotionem sibi minus consentaneam admittit, admirabili virtute compactus consistat. Prudentia, qua regitur, Consilia sapientissima, & judicia rectissima, quibus in rebus vel dignoscendis, vel expediendis continenter utitur, hoc apertissimè ostendunt. Sapientiam demum, omnium rerum Moderatricem, *ut Cicero ait, toto mentis ardore prosequitur, laboris patiens, somni modicus, in animi laxamentis solatiisque vel exiguis planè infrequens, publico bono ubique & semper deditissimus, Posteris omnibus exemplum relinquens, quod imitentur, si æquare satis non valeant. Hæc & alia plura sunt, ob quæ ejus nominis claritatem nulla non suspiciet, nulla non recolet Annalium ac monumentorum Perennitas. At quid hic dicendum esset de celebri Hyacintha Marescotta inter Sanctimoniales Ordinis S. Francisci adscripta, cujus excelsæ virtutes, atque in primis Vitæ rigor, quo in corpus suum flagris, jejuniis, vigiliisque frequenter sæviebat, spem faciunt, illi quamprimùm decernendos esse Beatorum honores?*

Quodsi ad Te PRINCEPS EXCELLENTISSIME *oculos convertam, nova luce, qua splendes, mirificè oblector. Majoribus Tuis, si superessent adhuc, libenti animo gratularer, quòd ipsis Tu nepos successisti, quo meliorem concipere ipsi votis suis non possent. Splendor, quem Tibi Proavi Tui impertiuntur, lux est aliena, non Tua; Tua verò, quam* TIBI *Tui met Animi Dotes pararunt. Hæc suo se profert nitore, & in hoc Romano Theatro latissimè splendet. Inde Tu ipse ob morum tuorum comitatem, ob Majestatem humanitati conjunctam, ob oris Dignitatem, ob festinatam judicii Maturitatem, plurimasque id genus Virtutes eximiis laudi-*

bus celebraris, ut in Te meritiſſimò conveniat illud Plinii de Trajano præconium: Quanta Principi noſtro concordia, quantuſque concentus omnium laudum, omniſque gloriæ contingit, ut nihil ſeveritati ejus Hilaritate nihil Majeſtati humanitate detrahatur.

Novimus Te amabilem, laudabilemque omnibus, Magnificentia, Benignitate, Generoſitateque, ac iis demum honeſtamentis cumulatum, quæ Supremo ſuſpiciuntur in Principe, quæque ſunt Originis Splendor, Bonorum copia, Optimatum benevolentia, Populorum amor, Conſanguineorum multitudo, mentis Amplitudo; dotes quidem ſunt hæ, quibus exornaris. Sed quid memorem hic Religionem, amorem ac Studium Pietatis, morumque Probitatem, quibus illæ ſuperantur?

Has enim verò Virtutes in Te cæteris Tuis dotibus prælucentes potiſſimùm admiror, ac veneror; Verumtamen has, cæteraſque cum recenſere ſatis non poſſim, tacitus præteribo. At præterire ſanè non poſſum ſtudioſiſſimum, atque acerrimum illum erga Patriam amorem, quo præſtas in primis, Teque præſtantiſſimum, ubicunque res, aut opportunitas poſtulat, palam oſtendis, & luculentiſſimè probas.

Vidimus Urbem hanc Mundi Reginam in communi hac temporum calamitate, ipſam quoque mœrore metuque affectam, quem Tu PRINCEPS EXCELLENTISSIME aut avertere, aut imminuere adeo ſolerter meditatus, conatuſque es, ut Tuam effundi opulentiam demandaveris in ſubſidiaria Legione militum conſcribenda, cui moderandæ tuum met Filium præfeciſti, quantumvis militaribus incommodis adhuc imparem illum agnoſceres; in eo tamen Tuum erga ſe amorem ampliori ſignificatione compertum habuit Roma, cum ob ejus incolumitatem non tantùm Filium, ſed Te ipſum in Filio tot diſcriminibus fieri obnoxium voluiſti. Equidem illud de Catone Uticenſi à Velleio pronunciatum, de Te ab eodem pronunciatum iri, ſi ſuperſtes nunc foret, non ambigo: Heroem nempe illum ingenio Diis, quàm Hominibus per omnia eſſe propiorem.

Illius enim Principis celſitudinem veram eſſe dixit Seneca, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt, cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum, atque univerſorum quotidie experiuntur. *Monitum profectò eximium, quo monſtratur, quid cuicunque principatui deſtinatum eſſe in primis*

debeat

debeat; ſcilicet: Non præeſſe ſolùm Principem, ſed prodeſſe debere. *Solis inſtar, qui non lucet modò, ſed fovet, ac vegetat Univerſa, atque animat.*

Tuarum igitur virtutum fulgore illectus, meos hoſce litterarios labores offerre TIBI *non dubitavi, ut ſub Tui præclari nominis auſpiciis prodirent, & per eruditorum manus tranſcurrere poſſent feliciùs. Illos ut benigno animo, tuoque planè vultu excipias precor; nam & in hoc magnos Principes imitaberis, nominatimque magnum Pompejum*, qui è bello Mithridatico Victor Rhodum veniens, ſingillatim omnium Profeſſorum ædes circumivit, & faſces ſuos laureatos Privatorum januis ſubmiſit; *nec non Tiberium illum Imperatorem, cæterà reprehendendum, in hoc apprime laudandum, qui in hac Urbe* circa Scholas, & Auditoria Profeſſorum (*Suetonii verbis utor*) aſſiduus fuit. *Quibus moribus id Principes illi conſequebantur, ut omnes in ſui admirationem converterent. Tenue quidem & humile munus a me* TIBI *oblatum; at è luce tua (tanta nimirum cum ſit) aliquod nomen decuſque accepturum eſſe confido. Excipe igitur* EXCELLENTISSIME PRINCEPS, *dum* TIBI, *nobiliſſimæque Familiæ Tuæ à Summo bonorum omnium Largitore diuturnam exopto atque oro ſupplex Felicitatem.*

E. T.

Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus Servus
Philippus Bonanni Soc. J.

MICHAEL

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui Titulus: *Muſæum Kircherianum in Collegio Romano Societatis Jeſu reſtitutum, & auctum, eiuſque Deſcriptio facta à P. Philippo Bonanni*, noſtræ Societatis Sacerdote, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, ſi jis ad quos pertinet ita videbitur. Cujus rei gratiâ has Litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus Romæ 3. Auguſti 1708.

Michael Angelus Tamburinus.

Imprimatur

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſg.

OPUS curioſum, & elegans, cui Titulus: *Muſæum Kircherianum, ſive Muſæum a P. Athanaſio Kirchero in Collegio Romano Societatis Jeſu jam pridem inceptum, nuper reſtitutum, & auctum, deſcriptum, & iconibus illuſtratum à P. Philippo Bonanni Societatis Jeſu.* De mandato Reverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apoſt. Magiſtri attentè, ac cum maxima animi oblectatione perlegi; & in eo nedùm aliquid Orthodoxæ fidei, boniſque moribus repugnans non comperii, ſed omnia, quæ in eo proponuntur, tùm antiqua tùm moderna, magna, variáque eruditione referta, Reipublicæ literariæ grata fore, ac fructuoſa cenſeo. Quapropter illud prælo digniſſimum arbitror.

Romæ hac die 16. Septembris 1709.

Eques Michael Angelus Cauſeus dela Chauſſe.

Imprimatur.

Fr. Joannes Baptiſta Carus Magiſter, & Reverendiſſimi P. Paulini Bernardinii Sacri Apoſt. Palatii Magiſtri Socius Ord. Prædic.

INDEX CLASSIUM.

PROEMIUM.

CLASSIS PRIMA

Continens Idola, & Instrumenta ad Sacrificia Ethnicorum spectantia, inter quæ.

Tripus Apollini Sacer 4
Candelabrum marmoreum 7
Cultri, secespitæ, & Gladius. 8
Ligulæ. 9
Cochleare. 10
Simpuli. 11
Patera. 12
Sacerdos. 15
Camillus. 18
Satyrus Sacrificans. 19
Idola, idest Jupiter. 21
Bacchus Bifrons, 23
Bacchus Puer. 24
Bacchans, 24
Hercules. 24
Mercurius. 25
Serapis. 26
Æsculapius. 27
Fortuna. 27
Diana Venatrix. 28
Pallas. 29
Cupido. 30
Janus. 30
Terminus. 30
Isis Multimammia. 31
Canopus. 33
Bacchus alter. 33
Idola Ægyptia. 34
Horus. 35
Amuleta, idest Canis, Piscis, Mus, Jupiter, Equus, Accipiter. 37
Simia Bulla. 37
Idola diversa. 38

CLASSIS SECUNDA

Continens Tabellas Votivas, & Anathematha. 61

Neptuno. 62
Silvano. 63
Vulcano. 64
Apollini. 66
Puerperę. 67
Æsculapio. 68
Marti seù Herculi, 70
Junoni. 71
Oraculum. 75
Oculus Apollini Sacer. 77
Basis Jovi Sacra. 77
Tabula votiva Uraniæ. 78

CLASSIS TERTIA.

Continens Sepulchra, & Inscriptiones Sepulchrales. a pag. 84. usque ad 128.

CLASSIS QUARTA

Continens Lucernas Sepulchrales. à pag. 128. ad 161.

Prima exhibet Lucernam Archimedeam
2 Leonem, & Bovem. 130
3 Puerum alatum. 131
4 Coronam Lauream. 131
5 Canem contra Taurum. 132
6 Larvas Scenicas. 132
7
8 Delphinum. 132
9 Jovis Imaginem. 133
10 Dianam. *ibid.*
11 Dianam. *ibid.*
12 Leonem. *ibid.*
13 Lauream, *ibid.*
14 Flores, *ibid.*
15 Palmas. 134
16 Apollinem. 135
17 Aurigam. *ibid.*
18 Sphingem. 136
19 Milites, *ibid.*
20
21 Equum alatum. 137
22 Coronam foliatam, *ibid.*
23 Pellicanum. 138
24 Armillas, *ibid.*
25 Insignia Militaria. *ibid.*
26 Christi Signum. 139
27 Crucis Signum. 140
28 Cornucopiæ. 141
29 Signum Pantheum. 142
30 Caligam cum clavis. 143
31 Apollinem radiatum, 144
32 Passerem. 144
33 Caligam, 145
34 Elephantem. 145
35 Atlantem. 145
36 Satirum, 145
37 Quinque lucernas sine Emblemate, 146

CLAS-

CLASSIS QUINTA.

Fragmenta Eruditæ Antiquitatis, ideſt.

TUbus ex argilla. 161
Canales Plumbei. 161
Lunula Calceorum. 164
Stili ad ſcribendum. 165
Acus crinalis. 166
Inaures. 167
Armillæ. 167
Fibulæ. 168
Annuli. 169
Sigilla. 170
Pondera. 172
Talus. 174
Fibula, & Bulla Equeſtris. 176
Puer Gymnicus in Paleſtra. 176
Tintinnabula. 178
Miles fundibularius. 178
Siſtrum. 179
Lancea Ænea. 180
Numiſma antiquum. 180
Caliga. 181

CLASSIS SEXTA.

Continens Lapides, Foſſilia, aliaſque glebas, à Natura effigie aliqua donatas, inter quas ſunt.

EBur Foſſile. 199
Res in lapidem converſæ. 200
Cadaver humanum. 201
Coriandri Semina. *ibid.*
Piſa Carolina. *ibid.*
Echini Marini. *ibid.*
Cornu Ammonis. *ibid.*
Gloſſopetræ. *ibid.*
Ligna petrefacta. *ibid.*
Lapides judaici. 202
Lapides cum Piſcibus. *ibid.*
Oſtrea diverſa. *ibid.*
Cancer petrefactus. *ibid.*
Magnes. 203
Ætites. 204
Crucifer. *ibid.*
Lapis Stellarius. *ibid.*
Galactites. 205
Nephriticus. *ibid.*
Bononienſis Phoſphorus. *ibid.*
Amianthus. 205
Lapis Violas redolens. 207
Armenus. *ibid.*
Oſtreocolla. *ibid.*
Fungifer. *ibid.*
Lapis cum Arborum figuris. 208
Dendrites. *ibid.*
Lapides cubici ut tali. *ibid.*
Lapides diverſi ex Animalibus extracti. *ibid.*
Inter metalla verò numerantur Aurum, Argentum, Ferrum, Cuprum, Plumbum, Antimonium, Marcheſitę, 201. & ſeq.
Inter Foſſilia Talcus, lapis ſpecularis, carbones diverſi, Terræ bituminoſæ ſuccinum, Argillæ diverſæ.
Salia ſequuntur, ſcilicet Ammoniacum, Gemma, Alumen, Calcanthus, ſulphur, pag. 214. & ſeq.
His adduntur Cryſtalla.

CLASSIS SEPTIMA.

Apparatum habet Rerum Peregrinarum, ex variis Orbis Plagis collectum. à pag. 225. ad 248.

INter eas præcipuæ ſunt. 225
Cingulum Barbarorum Braſiliæ. *ibid.*
Cingulum Mandarinorum Sinenſium. *ibid.*
Cingulum ex nova Francia. *ibid.*
Torques ex viſceribus Bombycis. *ibid.*
Monile Puellarum Braſiliæ. *ibid.*
Umbella ex pennis Avium. *ibid.*
Aviculæ ex Mexico. 226
Aves diverſæ Braſiliæ. *ibid.*
Avis dicta Paradiſi. *ibid.*
Roſtra diverſorum Avium. 228
Nidi Avium Concincinæ. *ibid.*
Nidi inſtar ſacculi. *ibid.*
Indumenta incolarum Conadenſium. 229
Exemplar cymbæ qua iidem utuntur. *ibid.*
Cyathi e cortice Arborum. *ibid.*
Retè quo ſarcinas deferunt Fœminæ Braſilienſes. *ibid.*
Liber Malabaricus ex foliis Palmæ. 230
Charta Sinenſis. 231
Pileus Sinenſis. 232
Panni e foliis arborum contexti. 232
Artefacta Turcarum, Sinenſium, Perſarum. 233
Statera Sinenſis. 234
Artefacta minimæ molis. 234
Arma Barbarorum. 235
Fructus diverſi, ex Indiarum Regionibus. 236. & ſeq.
Succi pingues peregrini. 243. & ſeq.
Mumia. 245

CLASSIS OCTAVA.

Exponuntur Plantæ Marinæ, frutices, & Animalia tum Marina, tum Terreſtria.

COralia. 264. & ſeq.
Millepora. *ibid.*
Retepora. *ibid.*
Porum Cervinum. *ibid.*
Spongiæ. *ibid.*
Alcionia. *ibid.*
Frondipora. *ibid.*
Tubularia. *ibid.*
Piſcis Canis. 268
Piſcis Libella. 269
Piſcis Serra. *ibid.*

Xipia. *ibid.*
Tiburo. *ibid.*
Paſtinaca. *ibid.*
Raja. 270
Hirundo. *ibid.*
Phoca. *ibid.*
Araneus. *ibid.*
Aſtacus. 271
Cancer varius. *ibid.*
Capitolium. 272
Stellæ. *ibid.*
Crocodilus. 273
Serpens Indicus. *ibid.*
Lacerta major Braſiliæ. *ibid.*
Armadillus. 274
Vipera, & Aſpis. *ibid.*
Vipera Caudiſona. *ibid.*
Camæleon. 275
Scincus. *ibid.*
Lacerta cum duplici cauda. *ibid.*
Stellio. *ibid.*
Aranea Tarentina. *ibid.*
Scorpio Tunetanus. 276
Hypopotamus. *ibid.*
Dens Apri Africani. 277
Cornu Alcis. *ibid.*
Cornu Rhinocerotis. *ibid.*
Dens Elephantis. 278
Cornua Cervorum. *ibid.*
Cornua Rupicapræ. 279
Bovis Americani. *ibid.*
Arietum. *ibid.*
Sterpſicerotis. *ibid.*
Damæ. *ibid.*
Biſontis. *ibid.*
Ibicis. 280
Oſſa Gigantum. 281
Canis monſtroſus. 282
Ova monſtroſa.
Sceletha diverſorum Animalium, & varii fœtus humani.

CLASSIS NONA.

Inſtrumenta Mathematica. 302.

Machinæ Hydrahulicæ. 305.306. & 307
Motus perpetuus adumbratus. 308
Inſtrumenta muſica, & Authomata. 309
Machinæ Catoptricæ. 310

CLASSIS DECIMA.

Indicantur Tabulæ pictæ, ſigna marmorea, & Numiſmata diverſi Generis.
pag. 316 *ad* 321

CLASSIS UNDECIMA.

Continet obſervationes rerum minimarum ope Microſcopii factas à pag. 322 *ad* 392 *& præcipuè.*

Culicis. 335
Papilionum. 339
Muſcæ. 341
Pediculi, Pulicis, & Cimicis. 345
Aculeorum, Spinarum, Dentium diverſorum. 347
Florum. 352
Sanguinis, & lactis. 357
Vermiculorum Aceti. 358
Squamarum Piſcium et Pilorum. 360

CLASSIS DUODECIMA.

Continens Animalia Teſtacea. à pag. 392 *uſque ad finem.*

Primo loco eſt Præfatio. 393
Deinde ſequuntur Caput I. in quo quæritur qua ratione mens & oculi poſſint cochleis delectari. 396

CAPUT II.

Qua ratione à cochlearum contemplatione mentis oblectatio augeatur. 398

CAPUT III.

Referuntur Proprietates aliquorum Teſtaceorum, in quibus elucet Providentia Divina. 400

CAPUT IV.

Referuntur Muſæa in quibus Cochlearum Teſtæ conſervantur. 403

CAPUT V.

Animalium Teſtaceorum Diviſio inqua eorum origo indicatur. 406

CAPUT VI.

Quæritur an cochleæ generentur propagatione ſpecierum aut potius ſponte. 408

CAPUT VII.

Exponitur Generatio Balanorum, & confirmatur Caput præcedens. 412

CAPUT VIII.

De materia apta ad Productionem Teſtaceorum. 415

CAPUT IX.

An Cochleæ quæ in Terra effodiuntur Lapides ſint, an potiùs in mare generatæ. 417

CAPUT X.

Earum varietas in formis, & coloribus obſervatur. 423

CAPUT XI.

Unde nam oriatur diverſitas colorum in Cochleis. 425

CAPUT XII.

Experimentis comprobatur, quæ in ſuperiori capite dicta ſunt de coloribus. 428

CAPUT XIII.

De vario Teſtaceorum uſu. 429

PARS SECUNDA.

Deſcribuntur Teſtacea in parte quarta delineata. 434 *& ſeq.*

CLASSIS I.

Continens Teſtacea Univalvia non Turbinata. 435.

CLASSIS II.

Continet Teſtacea Bivalvia. 440

CLAS-

CLASSIS III.
Continet Testacea Turbinata. 449

PARS TERTIA.

Continet varia Problemata menti proposita in Observatione Testaceorum.

PROBLEMA I.
Quæritur in qua concha fiat unio. 479
PROBLEMA II.
An materia ex qua fit Unio sit Ros. 480
PROBLEMA III.
An Uniones nascantur ex Concharum valvis, an in visceribus Ostreorum. 482
PROBLEMA IV.
Cur Testacea oriantur potius in Mari, quàm in Lacubus, aut Fluminibus. 483
PROBLEMA V.
Cur nascantur in mari potiùs, quam in Terra. 485
PROBLEMA VI.
Cur multa nascantur in Terra nunquam in metallis. 485
PROBLEMA VII.
Cur in Maribus Indiarum generentur abundantius & coloribus magis picturata. 486
PROBLEMA VIII.
Cur aliqua Testacea supra ligna facilius nascantur, quàm supra lapides. 487
PROBLEMA IX.
Cur ita Testæ obdurescant, cum ex molli aqua generentur. 488
PROBLEMA X.
Cur vivant plurima saxis affixa. 489
PROBLEMA XI.
Cur nonnulla sint certo ordine striata, aliis non striatis. 490
PROBLEMA XII.
Cur ut plurimùm in extima superficie sint coloribus picturata. 491
PROBLEMA XIII.
Cur multa sint Turbinata. 492
PROBLEMA XIV.
Cur ex Turbinatis pleraque figuram sphæricam induant. 496
PROBLEMA XV.
Cur Turbinata ut plurimum habeant Orificium Testæ ad dexteram partem conversum. 498
PROBLEMA XVI.
Cur vix aliqua membrorum varietas in illis appareat. 499
PROBLEMA XVII.
Cur careant ossibus. 500
PROBLEMA XVIII.
Cur sint corde orbata. 501
PROBLEMA XIX.
Cur sint edentula. 502
PROBLEMA XX.
Cur Fel, Jecur, & Lienem Testaceis negaverit Natura. 503
PROBLEMA XXI.
Cur nutriantur, cum os non habeant. 503
PROBLEMA XXII.
Cur Turbinata habeant operculum. 503
PROBLEMA XXIII.
Cur multa sint cornibus munita. 504
PROBLEMA XXIV.
Cur vocem non edant. 507
PROBLEMA XXV.
Cur careant auditu. 507
PROBLEMA XXVI.
Cur Testæ animatæ nullo sensu sint prædiræ. 508
PROBLEMA XXVII.
Cur Testacea terræ Vegetabilibus non dissimilia, nec viva, nec mortua odorem diffundant, ut plurima vegetabilia. 509
PROBLEMA XXVIII.
Cur diutius quàm Pisces extra aquam vivant. 510
PROBLEMA XXIX.
Cur Echini dentes habeant, & ova numero quinario disparia. 510
PROBLEMA XXX.
Cur Turbinatis Cochleis auri admotis, videatur sibi quisque maris susurrum excipere. 511
PROBLEMA XXXI.
Cur in Plenilunio sint Pinguiores. 512
PROBLEMA XXXII.
Cur pigra stolidaque Animalia sint Testacea. 513
PROBLEMA XXXIII.
Cur Cochleæ non exuantur ut Crustata. 514
PROBLEMA XXXIV.
Cur Balanus splendeat. 514
PROBLEMA XXXV.
Cur in tanta colorum varietate quibus Conchæ pinguntur, Cæruleus nunquam appareat. 516
PROBLEMA XXXVI.
An Cochlea Venerea, quam Remoram aliqui dicunt possit Navium cursus retineri. 519

PROE-

PROEMIUM.

MUSÆUM Collegii Romani, quod P. Athanasius Kircherus, vir linguarum præsertim peritia celeberrimus, instruxerat, prælo impressum publico Orbis Theatro Georgius de Sepibus ejusdem Musæi custos, & in machinis elaborandis opifex exposuit, ne pares instabilis fortunæ vices subire posset, quibus paucorum annorum spatio quinque aut sex nobilissima Romanæ Urbis Musæa deperierunt, videlicet Equitis Gualdi, Bellorii, Stephanoni, P. Joannis Baptistæ Romani Ordinis S. Augustini, & Francisci Angeloni, *cujus præclari viri domus* (utar verbis Ferrarii in Esperidis) *naturæ atque artis erudita supellectile prædives Romanum Musæum erat, cum civium tum exterorum concursu, & admiratione celebratissimum*. His omnibus communi fato sublatis, hæredes eorum, nullam antiquarum rerum, quibus instruebantur, rationem habentes, earum congeriem in publicis locis pro libito emptorum dispersim vendiderunt. Verùm haud satis provisum hoc modo fuit, ne Kirchero idem contingeret: nam quæ tanto studio, & labore ad divini Numinis gloriam, & Reipublicæ litterariæ emolumentum ille congesserat, post obitum ejus pene omnia interierunt. Multa enim edaci temporis dente consumpta sunt, multa quia sine multis impensis conservari non poterant, quamplurima verò, quæ invisentium oculis absque custodia erant exposita, evanuerunt; ita ut ob non modicam rerum jacturam, quæ in Musæo antea fuerant, nomine tantùm retento, Musæum ipsum desideraretur.

Verùm quidem est illud à præfato Georgio ita fuisse descriptum, ut non omnia in ejus narratione singillatim recognosci possent, quæ in Musæo numerabantur, vel longè plura, quàm verè in eodem extitissent, quæ tamen P. Kircherus ponere destinaverat; quamobrem Exterorum qui Musæum invisebant, querelas persæpè audiebat quilibet eos excipiens, dum non imperitiæ tantùm, & ignaviæ omnium è nostra Societate, sed & injuriæ Athanasio Alumno ejus benemerenti illatæ tribuerent, quidquid humanarum rerum, communi dicam fato, evenerat, in Reipublicæ litterariæ detrimentum.

Quamobrem ne magis magisque in dies contra Collegium Romanum omnium bonarum artium amantissimum, convicia jactarentur, & ne solum ingrati animi vitio damnaretur, sed & infidelitatis, utpotè quod promissam fidem potius violaverit, quàm exoluerit Alphonso Donnino civi Tuscanellensi, Senatus Populique Romani olim à secretis, qui anno 1651. quamplurima eruditæ antiquitatis fragmenta Collegio Romano suo testamento reliquerat, ut omnia publicæ utilitati, & eruditorum oblectamento extarent; prudenti solertia decretum est, ut quidquid residuum erat ex Kircheriano Musæo ad eum finem colligeretur, ut in studiosorum cederet profectum, facta ex Naturæ thesauris & bonorum artium documentis selectarum rerum non modica acquisitione.

Cum igitur hæc mihi provincia fuerit demandata, aptum Conclave delectum est, in quo rerum omnium classes in seriem distributæ servarentur, quod quidem ad palmos ferè trecentos extenditur, tribus cubiculis insuper illi conjunctis, deindè pro rebus selectioribus tutandis Armaria Pluteique adjecta, ut Artis, & Naturæ Ergasterium, Disciplinarum Mathematicarum Gazophilacium, & Philosophiæ practicæ Epitomen evaderet. Vix manu operi admota, animos ad hæc peragenda addidere Viri præstantes doctrina, tum Romani tum Exteri, Magnates, Principes, & Aulæ hujus præclari, qui novi Musæi rudimenta sui præsentia condecorarunt, & incæptum rerum ordinem comprobantes, illum uno ore ajebant maxime decere Collegii Romani Ædes, à Summo Pontifice Gregorio XIII. bonis Artibus erectas; In ipsis enim, cum ampliſſima Bibliotheca servetur, quæ sexaginta ferè millium voluminum delectorum copia, animos pascit, oppidò Musæum convenit, in quo eruditorum mentes recreentur, possintque oculis recognoscere, quidquid Scriptores in suis paginis retulerunt. Etenim non adeo facile dictu est, quanto bonarum artium incremento augeri possit speculativarum disciplinarum cognitio, si naturalium rerum studio conjungatur; quanto oblectamento Philosophorum mentes affici, si à laboriosis functioni-

ctionibus, si ab assiduo studio respirare possint, & inter fodinas quodammodo otiari, intuendo varias terrarum Glebas, Nitra, Lapides Alumina, Metalla, Sulphura, Gemmas, vel sub marinis undis Alcionia, Pisces; seu per dissitas Orbis Regiones Indicos Fructus, lignorum Cortices, Animalia, hominumque barbarorum Vestes; si ethnicæ superstitionis reliquias, ære, argilla, seu ligno conflatas, inspiciat; si quamplurimis instrumentis, machinisque uti possit, quibus tum physica experimenta, tum mathematicæ demonstrationes perficiuntur; si varia Imperatorum, Virorumque insignium Numismata, quibus nostra hæc ætas adeo perfruitur, recognoscat; Si denique quidquid vel Ars, vel Natura è suo sinu inexausto effluxu producit, in promptu habeat, quo delectetur.

Hujusmodi rerum copioso apparatu Musæum instruendi (& si vires deficerent) animo fuit; pro comperto enim mihi erat, res plurimas veluti ingentia flumina, ut plurimum ab exiguo fonte suam originem trahere, at deinde frequenti aquarum accessione vehementer excrescere. Cum igitur vix primordia veluti fundamenta jecissem, non defuit liberalitas Amicorum, quorum ope brevi temporis decursu moles excrevit, & utinam plures Mœcenates habuisset, ut eorum beneficio eidem corona potuisset imponi; si tamen perfici posse putamus id, cui Natura, vel Ars, vel Hominum ingenia novas semper opes subministrant.

Itaque cum hæc peragerem, jussis parens Moderatorum meorum, & Studiosorum voluptatibus obsecundans, ne id mihi contingeret, quod olim Kirchero aliisque accidit, placuit Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTI UNDECIMO, omnigena eruditione prædito, & studiorum omnium semper amantissimo, suo Diplomate temporum injurias repellere; & sicuti Gregorius XIII. contra audaces Bibliothecæ nostræ incolumitati consuluit anathemate illis decreto, sic ille cuilibet, qui vel rapaci manu, vel animo contemptore hoc Musæum violaverit, pœnas indixit. Cum ergo illud quatuor annorum spatio haud modica rerum accessione facta, ad hoc usque tempus habuerit incrementum, quamvis perfectum dici minime possit, illarum descriptionem paginis tradere decrevi, & veluti Catalogum texere, (ne deinde aut communi fato mihi occupato, aut ingenti rerum mole oppresso impossibilis redderetur) ut scilicet rerum omnium notitiam, quas ex antiquo Musæo superstites habuerim, & recenti addiderim, absentibus etiam communicarem, & Musæum Kircherianum restitutum quodammodo revivisceret, sed nobiliori partium dispositione, & uberrima cujuscumque classis rerum accessione locupletatum, ad eruditorum accedentium oblectamentum, & studiosorum utilitatem.

Meo igitur labore, qualiscumque ille sit, fruaris Lector benevole, non ad inanem pompam exhibito, & veluti ad divitiarum jactantiam. Hæc enim Magnatum, & Principum Gazophilacia decent; sed ad virorum in litterariis occupationibus rerum naturalium rimatorum, ut dixi, oblectamentum ac utilitatem, vestigiis plurimorum insistens, qui sua Musæa conscripserunt. In hac Classe fuit Franciscus Calceolarius senior, vir honesta litteratura clarus, fuit Olaus Wormius rerum naturalium rimator egregius, fuit Benedictus Cerutus, & Andreas Chiocchus ambo medicinæ excellentissimi Doctores, Paulus Maria Terzagus, qui Musæi Septaliani Catalogum recensuit. Illos imitatus est Marchio Ferdinandus Cospius, qui suum Musæum exponi in paginis jussit, P. Claudius Molinettus à quo Musæum in Æde S. Genuefæ Parisiis servatũ, typis editum fuit; Eques Michael Angelus Causeus (de la Chausse) qui sub titulo Romani Musæi Thesaurum eruditæ antiquitatis descripsit, & septuaginta supra centum tabulis æneis incisa refert, multorum Idola, Gemmas, Insignia sacerdotalia, Instrumenta in sacrificiis adhibita, Lucernas, Vasa, Bullas, Armillas, Fibulas, Claves, Annulos, Signa militaria &c. Nuper Oligerus Jacobæus Philosophiæ professor Hafniæ Musæum in Basilica Bibliothecæ Regis Daniæ servatum descripsit. Etiam an. 1705. editum est Amstelodami Musæum Amboinicum amplo volumine, in quo Georgius Everardus Dumphius Consiliarius Amboinicus, Plinius indicus appellatus, descriptiones exposuit variorum piscium cum crustaceorum tum testaceorum maris Amboinici, mineralium nonnullorum, & lapidũ, qui in Insula Amboino effodiuntur. Demum Londini sub titulo Musæi Petiveriani multorum Insectorum, & Plantarum Icones Londini expressit D. Jacobus Pettiver, in Regno Anglicano celeberrimus Regiæ Accademiæ adscriptus.

In rebus recensendis earum classes percurram, in quarum singulis eximium aliquid occurret, quo intime animus reficiatur, & extime oblectentur oculi, ordine tamen non servato, quo in ipso conclavi dispositæ visuntur. Multa enim visu facilius usurpari possunt, quàm calamo describi, atque ideo earum Catalogum in fine subjiciam. Interim conclave ipsum in brevi descriptione primo loco perlustra.

Ea in parte, quæ Orientem Solem respicit supra tertium Collegii Romani fornicem seu ambulacrum, in quo cubicula sunt dispositа, ostium patet amplum cancellis hinc inde affabre exsciss, per quod Conclave ingredimur quindecim

palmo-

palmorum latum, & ad ducentos ſeptuaginta productum, ſed media fere parte ad angulum rectum inflexum. In ejus veſtigio, quod triginta palmos occupat longitudine, hinc inde per parietes à pavimento ad fornicem uſque marmoreæ tabulæ pendent ſepulchralibus inſcriptionibus exornatæ; ſupra pavimentum quamplurimæ oſſuariæ urnæ tum fictiles tum marmoreæ ex antiquis ſepulchris erutæ, aliaque eruditæ antiquitatis lapidea monimenta. Reliquum conclavis ſpatium, quod in ſiniſtra parte extenditur, Armaria occupant, partim lapidum inſtar, partim folioſis encarpis diverſimode colorata, & quidem clauſa, in quibus omnigena tum Naturæ tum Artis opera cuſtodiuntur. In oppoſita verò parte plurimæ feneſtræ patent, per quas totum conclave lumen irradiat, paraſtatis interdiſtinctæ, quas Pictura eruditis tabulis exornavit. Laqueare totum, quod in fornicem molliter flectitur, quadratis, & æqualibus areolis diviſum, in campo cianeo totidem expanſas roſas oſtentat, ex albo, & nigro colore perbelle temperato expreſſas, quas bullæ aureæ alternatim diſpoſitæ comitantur. In parietis ſpatio, quod ſupra Armaria ad fornicem uſque extenditur, pictæ tabulæ dependent, in quibus inſignium virorum imagines repræſentantur, & præſertim ultra quinquaginta Pictorum inſigniorum effigies ad vivum expreſſæ, & ferè ducenta marmorea ſigna, quorum omnium ſuo loco catalogum ſubiiciemus.

Tria inſuper huic longo conclavi adiecta ſunt cubicula, quorum primum machinas continet, & experimenta, quæ Artes mechanica, & hydraulica ſubminiſtrarunt. In ſecundo codices manuſcripti diſpoſiti ſunt antiqui, & diverſarum linguarum volumina Siriacæ, Hebrææ Græcæ atque Sinenſis; libri etiam permulti, qui Statuas, Numiſmata, Gemmas oſtendunt, imò in eodem viſuntur numiſmata Imperatorum, Summorum Pontificum, & Virorum illuſtrium, quibus Hiſtoria illuſtratur. In tertio denique Automata diverſa, inter quæ Organum, cujus triplex ſymphonia ex plumbeis calamis redditur nullius manus ope, ſed ſponte concepta, admoto pondere rotiſque inter ſe artificioſe diſpoſitis ab ingenioſo Auctore D. Philippo Teſta Romano, qui in hac arte peritiſſimus cæteris Romæ degentibus antecellit.

Sic unico veluti intuitu Muſæo perluſtrato, jam ſeriem totius in claſſes diſtributam recenſebo.

MUSÆI KIRCHERIANI
CLASSIS PRIMA
Continens Idola, & Inſtrumenta, ad Sacrificia Ethnicorum ſpectantia.

REBUS omnibus ea, quæ antiquorum Ethnicorum Religionem indicant, anteponimus, & primo loco marmoreum Tripodem in Tabula ænea I. expreſſimus, quem Illuſtriſſimi Fratres Dom. Cæſar Lateranenſis Baſilicæ Canonicus, & Abbas Bernardus Cincii dono contulerunt. Triplicem faciem ille oſtentat floribus foliiſque exornatam, in quibus totidem pueruli ſunt exculpti, ſeu genii, alis in aere ſeſe librantes: primus navis temonem manibus ſuſtentat, galeam ſecundus, clypeum rotundum tertius. In angulis, quibus tripodis vertex abſolvitur, arietis capita eminent, qui verò in baſi ſubjiciuntur, alis pedibuſque Griphorum muniuntur. In ſummitate demum cavitas rotunda patet, in cujus centro profundus umbylicus.

Antequam Muſæum hoc Tripode ditaretur, ſibi perſuaſerat neſcio quis, inſtrumentum fuiſſe ad ignem ſuſtinendum qui apud Romanos aſſiduo alimento antiquitus nutriebatur tanquam ſacer; dubitavit inſuper, an ornamenta, quæ ſcalprum ſaxo addidit, ad libitum Artificis fuerint expreſſa, an potius ad peculiare aliquid indicandum, quod Ethnicorum ritus redoleret. Rogatus propterea ab amicis, ut meam opinionem ipſis communicarem, epiſtolam dedi, quam ſubjicio.

Nunquam mihi perſuadere quilibet poterit tripodem hunc ad ignem ſacrum ſuſtinendum inſerviſſe, quem Scriptores æternum vocant, ut Virgilius 2. Æneid.

——— *Veſtamque potentem*
Æternumque aditis effert penetralibus ignem.

Illum in Templo Veſtæ, quam Romani, ut Deam colebant, virgines aliquot, Veſtales dictæ, novo ſemper pabulo parato diu noctuque cuſtodiebant, ne extingueretur, ut inter multos Roſinus refert in Antiquit. Roman. lib. 2. cap. 12. inquiens. *Perpetuus æternuſque ignis in templo ejus (Veſtæ) tamquam imperii certiſſimum pignus aſſervabatur*, quare Tit. Livius. *Quid de æternis Veſtæ ignibus quos imperii pignus cuſtodia ejus templi tuetur?* In eadem ſententia me confirmat idem Roſinus, qui loco citato ait. *Illud notatu digniſſimum, ignem hunc non in focis aut altaribus, ſuſpenſum in vaſculis quibuſdam fictilibus*, argumento deducto è jure jurando antiquiſſimi Ethnici relato à Valerio Maximo in fine capitis 4. lib. 4. his verbis. *Namque per Romuli caſum, perque veteris Capitolii humilia tuta, & æternos Veſtæ focos, fictilibus etiamnum vaſis contentos juro*. His addo narrationem Plutarchi apud Fortunium Licetum, de reconditis antiquorum lucernis lib. 1. c. 30. *Romani* (inquit ille) *à Gallis victi, reliqua deſerta Urbe, Capitolium telis & munitionibus firmaverunt. Sacrorum prima cura fuit, quorum partem in Capitolium comportaverunt: Sacrum ignem Veſtæ Virgines eum ſacris rapientes profugerunt*. Deindè Licetus. *Ex quo modo* (ait) *comportandi conſtat ignem Virginum Veſtalium non in lignorum ſtrue accenſum, ſed in lucernis, & lampadibus exarſiſſe. Quomodo enim fugientes raptam igneam pyram comportare potuiſſent? Quomodo non multam rogi favillam, prunamque ſacram hoſtibus reliquiſſent?* Ex his profecto clare deduco in tripode noſtro ignem ſacrum nunquam exarſiſſe; ſed illum altare fuiſſe Apollini dicatum, quem ut Deum Romani venerabantur, & quidem non unica ratione ſuffultus.

Quod fuerit altare, ipſa ejus moles ac forma indicat, iis omninò reſpondens, quæ in quamplurimis numiſmatibus lapideiſque monimentis exprimuntur, licet aliqua rotundam figuram habeant, ut oſtenditur in nummo Auguſti, quadratam alia, ut apparet in nummis Antonini Pii, Conſtantini, Domitiani, & Getæ Imperatorum, quos Guilielmus Choul recenſet in tractatu de Antiquorum Religione pag. 61. & 213. Multa etiam triangularem, quam idem Choul oſtendit ex antiqua tabula, ludos ſæculares referente, ſub Auguſto Cæſare celebratos; omnia tamen eandem altitudinem referentia, & baſi, coronide, variiſque foliatis cælaturis exornata. Quod verò Apollini fuerit ſacrum, ex his, quæ ſubjiciam ſine ullo opinionis metu deduxi.

Scriptorum omnium authoritate comprobatum eſt Aram, ſupra quam Sacra Apollini offereban-

rebantur, fuiſſe Tripodem, quamvis non unicam ſimilemque rationē illi tradiderint. Fuiſse dicatum, ait Apollodorus, lib.1. poſtquam vaticinandi arte, ex Pane, Jovis, & Tymbris Nimphæ filio, percepta, Delphos ſe contulit, quo tempore Themis dabat reſponſa, quæ Luciano referente, in Dial. de Aſtrol. *virgo erat hoc nomine dicta, & reſponſa dabat in Tripode ſedens, cum tamen Draco eſſet ſub Tripode qui vocem emitteret.* At ubi (ſubdit Apollodorus) Pitho ſerpens impediret, quo minus penetraret ad hiatum, eo cæſo, Apollo loco oraculi ipſe poſitus eſt; qua de cauſa in æde Tripus Apollini ſacer fuit, quem aureum fuiſſe referunt hiſtorici, & ad ejus ſimilitudinem deinceps Tripodes ex quocumque metallo efficti ſunt, ad ſacrificia in ejuſdem honorem peragenda. Fuit autem Tripus, ut ex Iliade Homeri refert Natalis Comes in 4. lib. Mytolog. pag. 349. *Vas vel æneum vel aureum quod tribus pedibus fulciebatur, anſaſque, ſive aures haberet, quibus capiebatur, quorum vaſorum uſus erat in Sacrificiis.* Talem indicat expreſſum in antiquo marmore, in æde D. Caſſiani de Puteo collocatum Jo: Baptiſta Caſalius de Rit. Prophanis cap. 15. pag. 162. agens, in quo marmore repræſentari ait ſacrificium factum *Apollini, ut deducitur ex plectro, quod præcedit ſacrificium, & etiam ex Tripode, ſupra quem peragitur, quæ duo propriè Apollini dicata ſunt.* Fuiſſe autem Tripodum formas multiplices, & nummi, & lapides antiqui demonſtrant; plicabiles nimirum, & non plicabiles, altiores, & minus altos. Explicabilis ſervabatur olim Romæ in Muſæo Franciſci Gualdi Equitis S. Stephani, quem exhibuit delineatum Scacchus Myroth. 2. cap. 64. pag. 640. Alius conſpiciendus exhibetur ex ære Romæ in Gazophilacio Excell. Principis Auguſti Ghiſii, apud S. Mariam Majorem, ſimilem in arcu Conſtantini videmus exculptum.

Docet etiam Natalis in eadem Mythologia aliquos fuiſſe Tripodes, qui ſervabantur ab igne intacti, & dicebantur *intacti*, ſivè *depoſiti*; aliquos verò qui imponebantur igni, & his utebantur in ſacris, & dicebantur *igni impoſiti*. Hæc tamen (& ſi vera ſint documenta) uſum non negant Tripodis ex marmore fabrefacti, quo tribus æqualibus angulis, triplex virtus indicaretur, quam Deo Apollini Ethnici falsò tribuebant. Triplex enim erat poteſtas juxta eorum ſententiam, idemque eſſe dicebatur Sol in Cælo, Liber pater in terra, & Apollo in inferis, ideoque cum tribus hiſce rebus plerumque pingebatur (ut docet P. Franciſcus Pomey in Panth. Mytic. pag. 31. ſcilicet Lyra, Clypeo, & Sagitta. Lyra cæleſtem poteſtatem ob concentum rerum cæleſtium, Clypeo terreſtrem, ob conſervationem, ac ſalutem, quam affert terrenis corporibus; Sagittis infernum quaſi Regem indicantibus, quòd Sagittis, quas fert, mittat ad inferos: Et cum Pater publicæ felicitatis haberetur, quam creditur ſol animantibus præſtare temperie (ait Giraldus de Diis Gentium pag. 195.) *ideo ejus ſimulacra gratias manu geſtant.*

Cum igitur Aram hanc fuiſſe Apollini ſacram ex triplici facie clare deducatur, illam exiſtimo unam ex illis fuiſſe, quibus ſine igne ad ſacrificia incruenta perficienda Ethnici utebantur; notiſſimum enim eſt inter plurimos ſacrorum Ritus non ſemper ignem adhibitum fuiſſe, quo victimarum membra abſumerentur in aris, ſed non rarò fructus, flores, & legumina Diis offerri. Hujuſmodi autem erant ſacrificia, quæ extra publica templa in domeſticis ædibus peragebantur. *Aras privatas Laribus conſecrabant Romani, ſicut & cæteris, quos ut Deos colebant*, ait Roſinus de Antiq. Rom. pag. 120. lib. 2. cap. 2. ubi multas inſcriptiones refert in iis exculptas. Imò Eugraphius Grammaticus apud eundem Roſinum in Terrentii Andriam act. 4. ſcen. 3. pag. 200. refert, in quacumque Romanorum æde fuiſſe imaginem Veſtæ à qua *veſtibulum* dicebatur, cuique ſingulis diebus ædium habitatores aliquid litabant. *Romanis omnibus* (inquit ille) *mos eſt in atrio, hoc eſt in veſtibulo, habere Veſtam, quippe cum inde veſtibulum nominarint, cui ſacrificium quotidie facerent, illic fuerat collocata ara, idcirco dictum eſt ex ara ſume hinc verbenas tibi.* Neque verò hujus ſacrificii idem ritus, qui in aliis ſacris, ſubdit idem Roſinus ex Giraldi Syntagmate Deorum 17. *Nam ſal rufum* tantùm offerebatur, quod in calicibus fictilibus aſſervabatur; ſed Roſinum erraſſe mihi ſuadeo ex vitiata lectione; nam Giraldus in eo Syntagmate loquens de Veſtalibus ſacra peragentibus hæc habet. *Tum caſta mola ex ſale tuſo in ollam fictilem miſſo, mox in aquam injecto, ſacra faciebant, calicibuſque fictilibus quos Cululas dicebant, Veſtæ & Deis libabant.* Simili pariter ritu ſacrificia oblata fuiſſe ſcimus ex *Libo* quod erat placentæ genus, item ex *mola*, quæ farina horna, & ſale miſcebatur, interdum verò thure, & mero, quare Ovidius cecinit.

Iane tibi primùm Thura merumque fero.

Verùm ſive rufo juxtà Roſinum, ſivè tuſo juxtà Giraldum, ſacra perficerentur, quis prohibet affirmare Tripodem noſtrum exculptum fuiſſe ad ſuſtentanda vaſa illa fictilia, quæ ſupra ſphæricam cavitatem deponerentur. Cum enim lapis iſte undecumque ſit albus, nec macula ulla deturpatus, clare demonſtrat, nunquam ignem ſupra ipſum arſiſſe, nunquam oleo ad flammam enutriendam madefactum, vel victimarum ſanguine aſperſum, quibus facile marmora maculas contrahunt indelebiles.

A veritate me haud aberrare opinabor, si dicam, in vacuitate illa cineres repositos fuisse ex solemnioribus sacrificiis collectos, ritu non absimili, quo Christifideles sua Altaria consecrant, illis imponendo sacros cineres,& reliquias Martyrum, qui pro divino cultu victimarum instar, sanguinem effuderunt. Hæc suspicandi argumentum præbuit Pausanias in Bæot. citatus à Giraldo Syntag.7. pag.195. Refert hic author altare Apollinis, quem ut deum Thebani colebant, ex cineribus sacrificiorum constructum fuisse supra lapidem *Sophronestera* nuncupatum, undè nomen illi ibidem, & oracula reddi.

Verùm ut ut sit, negari non potuit fuisse hunc Tripodem Appollini dicatum, si cæteræ ejus partes exacte perpendantur. Et primò prostant singulis angulis superioribus Arietum capita, quod animal Apollini sacrũ fuisse scimus.Refert Porphyrius antiquissimus Scriptor relatus à Cartari p.32.ubi imagines Deorum describit:Ægyptios Apollini tribuisse Griphum, Accipitrem, Scarabæum, Crocodilum, & Arietem. Ægyptios deinde imitatæ cæteræ Nationes, optime exprimi Apollinem cum Ariete sibi suaserunt, quia Pecudum custos vixit, à Jove cœlo expulsus ob Cyclopes in vitam revocatos, quare Cartarus Homeri carmina Italice scripsit.

Quando tu Febo a guisa di Pastore
Guardavi alla Campagna i vaghi Armenti.

Sed fabulas rejicientes alii, Pastorem cum Ariete illum expressérunt, quia, ut refert Macrobius, Sol in Apolline indicatus *pascit omnia*; quæ terra progenerat, ob id *Arnocomis* a Græcis vocatus, idest Agnorum custos juxta explicationem Giraldi pag.197.

Celeberrima etiam est Ara in Insula Delo Apollini dicata, de qua Rosinus pag. 153. loquens ait, *Ara hæc cornea seu ut aliis placet cornuta erat, idest e cornibus compacta* quæ referente Plutarco apud Angelum Politianum Miscellan. tom. 1. cap.52. Inter septem orbis miracula celebrata, & a poetis plurimis descripta, inter quos dixit Martialis Epigr. primo.

Dissimulatque Deum cornibus Ara frequens

& Ovidius Epist. 20.

Miror & innumeris structã de cornibus Aram.

quamvis Callimachus in Apollinis hymno referat,non ex Arietum,sed Caprarum cornibus constitisse, quas Diana Apollinis soror in Venatu transfixerat.

Si verò pedes, & Alæ Gryphorum observantur, quibus anguli in extrema basi nostri Tripodis exornãtur,mea opinio fulcitur; Gryphum enim etiam Apollini fuisse sacrum inter cæteros docet Rosinus lib.2. Antiquit. pag.155. recitans Claudiani carmina.

At si Phœbus adest, & Frænis Grypha jugalem.
Riphæo Tripodes repetens detersit ab Arce.

deinde ait, Gryphes ergo hyperboreo Apollini dicatos insinuat, & puto propter sagacitatem, miramque in prospiciendis futuris providentiam, quos collocat Lucius Apulejus in Mysteriis Isidis. lib.2. Milesior. *Hinc Dracones indici, inde Gryphes hyperborei, quos in speciem pinnatæ alitis generat mundus alter.* Illos Servius ita describit in Egloga 8. *Gryphus genus terrarum in hyperboreis nascitur montibus, omni parte Leones sunt, alis, & facie Aquilis similes, sunt Apollini consecrati.* Ubi autem sint montes hyperborei, diversimodè opinantur Geographi. In alba Russia seu Moscovia Michael Antonius Baudrand,in Sarmatia verò asiatica eos indicat Ptolemæus.

Ultimo loco perlustranda sunt tria hujus latera, in quorum singulis puer, seu genius exprimitur. Alter eorum scutum perfectè rotundum sustinet, illi non absimile, quod antiqui apponebant Apollini, ut (referente Cartaro de imaginibus Deorum pag.28.) Emisphærium in eo explicarent, in quo sol sub Apolline indicatus, suos radios, & influxus circumquaque diffundit, ob id mundi cor appellatus, cujus motu moventur omnia, sicuti Musarum chorus choreas ducebat ad sonitum lyræ, quam Apollo, inter eas collocatus ab antiquis, perita manu tangebat.

Alter verò supra humeros navis temonem præfert, quo procul dubio virtus solis indicatur. Eam innuebant antiqui cum Apollinem tanquam nauclerum in navi, vel in eadem solem depingebant; Sed hæc, etsi vera sint, omittamus, ut nobiliori hujus sculpturæ indagini animus acquiescat, quam Galea suggerit cum tertio Aligero infante in ultimo latere exculpta.

Si igitur in mentem revocentur nomina, quibus Apollo insignitus fuit, *Palatinum*, & *Navalem* dictum fuisse, pro comperto erit, ob templum illi dicatum ab Augusto in Monte Palatino post victoriam, eo favente, relatam, Antonio,& Cleopatra devictis in mari, ut narrat Dio Coccejanus in actis anni 724. lib.51. his verbis. *Navalis dictus,quòd navali prælio victor, Antonio profligato ad Actium Promontorium, & Fanum ei Augustus erexit*, & Svetonius cap.2. *Extruxit forum cum æde Martis Victoris, Templum Apollinis in Palatio.* Illud descripsit Propertius ubi ait Elegia 51.

Musa Palatini referamus Apollinis Edem &c.

De hoc Templo fuse egit Famianus Nardinus in sua Roma lib.6. cap.14. Victoriam autem ab Augusto relatam prope Epirum belle depinxit Virgilius in Clypeo Æneæ hoc carmine lib. 8. Æneid.

Actius hoc cernens arcum intendebat Apollo
Desu-

Deſuper, omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.

His poſitis quis me redarguet, ſi dicam lapidem noſtrum juſſum fuiſſe exculpi ab aliquo non infimo Auguſti Duce, ut in propria domo, & in honorem Apollinis frequentiſſimè litando gratias illi redderet, & perenne ſervaret triumphi monimentum? quod longa annorum ſerie in domo DD. de Cinciis ſervatum eorum antiquiſſimam proſapiam conteſtatur, eorumque generoſam liberalitatem, qua tali lapide Muſæum nobilitarunt, ob id ſumma in æſtimatione habendum, licèt Ethnicam ſuperſtitionem redoleat, qua veteres Romani ad veræ fidei lumen cecutientes, Deos plurimos falsò excogitarunt.

CANDELABRUM MARMOREUM.

ARæ Apollini ſacræ pedem Candelabri ex marmore albo exculptum adnectimus, qui anno præterito repertum eſt inter rudera propè Templum S. Sixto II. Pontifici Maximo dicatum in via Appia, in Regione, quæ duodecima erat, & vocabatur ab Antiquis Piſcina publica, in qua, & ſi cæteris anguſtiore, ſeptem ſupra decem ædes diis ſacræ numerabantur, ut refert Philippus Labbe in Opuſculis antiquis ab ipſo collectis pag. 140. licèt Publius Victor in deſcriptione Romæ duodecim tantũ numeraverit. Tripodis figuram habet, quam in Tab. Ænea II. exprimi curavimus; ille pedibus leoninis in angulis exculptis, & columellæ particulâ centro ſubjecta ſuſtentatur. In triplici facie tres figuræ anaglyptico labore eleganter exculptæ inſunt, quarum prima Mercurium refert, ſecunda Fœminam Bacchantem, tertia Dianam Luciferam, face, arcu, & ſagitta armatam. Ethnicorum ſacrificiis hujuſmodi candelabrum deſerviſſe dubitari non poteſt; cur autem talibus iconibus inſignitum fuerit, latet omnino. Dicam tamen illud in variis ſacrificiis promiſcuè adhibitum, & pro libito artificum, vel ejus qui Templo illud dicaverit, iis imaginibus decoratum. Videmus enim in Templis Chriſtifidelium quamplurima argentea vel ænea candelabra, quorum pedes triplicem faciem habentes diverſas Sanctorum imagines ſæpè referunt expreſſas juxtà oblatorum pietatem erga eos, vel in honorem eorum conflatos, qui peculiarem cultum in eo Templo obtinuerunt.

Imagines autem expreſſas explicare ſuperfluum exiſtimo, cum alibi aptior danda ſit occaſio alias ſimiles exponendi, quærendum tamen eſt cur cornu mulier bacchans dextra manu oſtẽtet. An quia cornua Baccho ſunt attributa? ut Diodorus in quinto tradit, qui primus Boves jugo junxit, vel quia ejus ſimulacro junguntur, ſicuti Phurnutus docet, ut audacia indicetur, quam ingerit vinum, cujus inventorem Liberum fuiſſe referunt? Dicam potius cornu geri, quòd cornibus antiqui biberent. Talem morem aperte indicant antiquæ imagines pocillatorum, ſeu puerorum, qui pincernas agebant in conviviis, expoſitæ in tractatu de ſervis pag. 144. ab eruditiſſimo Laurentio Pignorio. Gerunt enim manibus cornua, in quibus vinum aſſidentibus convivio porrigebant. Cur autem mulieres hujuſmodi bacchantes Liberi fuerint aſſeclæ, rationem affert D. Auguſtinus lib. 6. cap. 9. de Civit. Dei, dicens: *Mulieres, & vinum attributas Libero propter libidinem concitandam, ideo Bacchum Liberum vocant, quòd bibentibus libertatis cauſa ſit; fiunt enim plerique potu licentiores; & ſicut Bacchus Liber eſt appellatus, ita Venerem liberam Ream dixerunt.*

Siniſtra autem haſtam gerit, in cujus vertice Pini fructus eminet, non alia quidem de cauſa, niſi quia fœminæ hujuſmodi furentes Deorum matri Cybeli dicatæ fuerunt, in cujus ſacris pinus arbor colebatur, ſub qua jacuit Atys Deorum matri dilectus; undè Servius ad illa Virgilii 9. Æneid.

Pinea ſilva mihi multos dilecta per annos,

ait: *Scripſit congrue*, nam pinus in tutela matris Deum eſt, ideſt Cybeles, quare Phædrus lib. 3. Fabular. 17.

——— *Quercus Iovi*
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celſa Herculi.

Fiebant autem antiquitus candelabra, ut etiam hac ætate mos eſt, ex auro, argento, ære, & lapide, & forma quidem varia ſicut & mole. Aureum fuiſſe illud ſcimus, quod in Tabernaculo Dei ex præſcripto ejus ſeptem lucernas habebat, deſcriptum à Philone Judæo lib. 3. de vita Moyſi, Æneum illud quod Ethnici habuerunt, relatum à Fortunato Scaccho Myroth. 2. cap. 45. ex parietinis, præſertim è lapide in Vaticanis hortis aſſervato, quod etiam habet Guillelmus Coul, ubi de antiquorum Religione ſermonem inſtituit. Extant in Muſæo noſtro duo fragmenta metallica candelabrorum, quæ cacumina eorumdem ſunt, quibus faces vel lucernæ inſerebantur, illa in Tabula III. indicantur numeris 1. & 2. Uſum autem hujuſmodi candelabrorum apud Ethnicos ſupracitatus Scacchus affirmat fuiſſe ſuſtinendi ſacrum ignem, quo ſolum veteres ſacrificia concremare audebant. An hic ignis oleo vel cæra, vel ligno ſupra candelabrum foveretur non ſatis in aperto eſt. Idem Scacchus cap. 45. affirmat candelabrum proprie tam græce quam latine illud inſtrumentum dici, ſupra quod lucerna vel candela ponitur ut ab eodem ſuſtentetur. Sic enim

de

de eo Pollux lib. 10. cap. 26. *Candelabrum quidem dicitur super quod imponitur candela, quæ dicitur lucerna*, & Varro de lingua latina 4. *Candelabrum a candela; in his enim funiculi ardentes figebantur*. Eruditissimus Gregorius Giraldus in historia Deorum Syntagm. 17. loquens de sacrificiis Ethnicorũ refert verba Plutarchi in Problem. ubi ait: *Sed in capiendis auguriis Sacerdotes prius, & Aruspices, qui nunc Augures, luminaria semper aperta habere voluerunt, nec operculo imposito claudi*. Rationem pluribus affert. Ex his verbis Plutarchi facile coniicere possumus lucernas supra candelabra arsisse; Lucernæ enim solent operculo imposito claudi, & extingui; sed paulò post idem Giraldus loquens de inferorum sacrificiis ex Festo hęc habet. *Per duodecim dies Februa celebrabantur, hisque diebus pro impetranda mortuorum animabus quiete, omnis populus piaculis, sacrificiisque circa sepulchra accensis facibus, cæreisque intentus erat*. Igitur ex Plutarcho lucernas, ex Festo faces cæreas in usu fuisse discimus. Quamobrem non video qua auctoritatè fultus supra laudatus Scacchus cap. 45. Myrot. 2. affirmet nullum fuisse in sacris Ethnicorum atque Hebræorum usum candelæ è cæra vel alia re non liquabili compactæ. Ut plurimum quidem lucernas adhiberi solitas non dubito. Ita Homerus lib. 7. Odyss. usum plurium lucernarum in sacris Ethnicorum ostendens Regiam Alcinoi describit, in qua juxta usum illius ætatis sacra convivia habebantur, meminitque centum puerorum aureorum, vel mavis dicere centum statuarum aurearum, quæ totidem sustentabant lampades, ut constat ex interpretatione carminum illius

Aurei autem pueruli bene ædificatis in aris
Stabant, ardentes lãpades in manibus habentes
Prælucentes per noctes in domibus convivis.

Adeat Lector Ioannem Baptistam Casalium qui cap. 15. de ritibus Ethnicorum Romanorum exponit figuram marmoris antiquissimi sibi communicatam ab Equite Cassiano à Puteo ex sua Bibliotheca, in quo solemne sacrificium repræsentatur, cum duobus candelabris à duobus camillis seu ingenuis pueris sustentatis, aitque illa fuisse adhibita ad *suffumigandum odoramenta sacrificii*. Atque hæc de forma, & usu expositi candelabri dicta sint satis. Non enim omnia persequi ad nostrum Institutum attinet.

CULTRI, SECESPITÆ, ET GLADIUS.

CUM Ethnicorum Sacrificia indicata sint, in quibus candelabri erat usus, non abs re erit hoc in loco exponere aliqua instrumenta in iisdem sacrificiis adhibita, quæ in Musæo magno eruditorum oblectamento visuntur, & primo tres cultros ferreos expono, licet rubigine, longo annorum spatio sub ruderibus contracta, exesos, quos in sacrificiis victimarum adhibitos fuisse, nullus dubitare potest, cum inter antiquorum Templorum rudera reperti fuerint. Diversam illi formam habent ad diversum usum compacti, prout in lamina III. expressimus sub numeris 3. 4. 5. sciunt autem eruditi varium fuisse apud Ethnicos ritum imolandi victimas. Indi quidem non jugulare, sed præcluso spiritu victimã necare consueverunt; ne quid de sacro deperiret, neve quid mancũ Diis afferre viderentur, Persæ, & Cappadoces non gladio sed stipite hostias mactabant. Romani etiam interdum malleo, & porcam in fœderali sacrificio silice ferire consueverunt, ut post Livium tradidit Fenestella lib. 2. de Sacerdotibus Romanis cap. 9. Adeo fuit varia sacrificandi religio gentibus. Cum autem victimarum sanguinem ferro inflicto spargebant, non vulgari, sed sacro aliquo gladio ad sacrificandum destinato usos fuisse Græcos ostendit Scacchus Myroth. 3. cap. 60. *Qui gladius* (ait) *non ferreus sed æneus erat. Machæra enim ferrea erat, & ideo hostiam mactare in sacris cavebant, ne sacra prophanis miscerentur, si eodem gladio victimas jugulassent, quo sanguinem humanum in pugna fundebant. Quod si prophanæ religionis cultores ista cavebant, quid veri ac summi Dei cultores fuisse dixerimus?* In scripturis tamen sacris nõ legitur qualis fuerit gladius, quo ad mactandas victimas Hebræi uterentur, sed æneum fuisse dici ab Aria Montano, refert idẽ Scacchus. Giraldus autem antiquitatum omnium indagator solertissimus p. 442. Syntag. 17. affirmat *apud Delphos in more fuisse, ut cultro, quo Deis immolabant de nocentibus etiam supplicium sumerent*.

Ut ut hæc se habeant, poterant sine superstitiosæ religionis detrimento uti gladio vel cultro illi simili, quo in pugna, vel in Reis puniendis utebantur. Quale autem fuerit ejusmodi instrumentum ambigitur. *Dolabram* multi nominant apud Rosinum lib. 3. de Antiq. Roman. alii *Secespitam*, ut Festus; alii *Securim*, alii *Cultellum* putant & *Gladium*. Est autem *Secespita* (inquit Giraldus ex eodem Festo) *Gladius manubrio eburneo, rotundo, solido, juncto ad capulum auro argentoque, fixus clavis æneis, ære cyprio, quo Flamines Flaminisque Virgines, Pontificesque ad sacrificia utebantur*. Ejus iconem hic damus ex tabula 7. sect. 3. Romani Musæi Michaelis Angeli Causei mutuatam sub numero 6. qui gladius olim servabatur in Musæo Jo: Petri Bellori. Dici autem Secespitam à secando docet idem Festus. Ea tamen usos esse Pontifices ad jugulandam victimam apud nullum reperi, sed alium usum in sacris habuisse docet idem Giraldus Syntag. 17.

tag.17.pag.441. his verbis: *Sacra facturus vinum antequam ſacrificulus ſimpulo circumferret, ut aſtantes pariter libarent, tum ſetas inter cornua victimæ manu excerptas tanquam prima libamina in ignem mittebat, id quod & Virgilius non ignoravit, cum cecinit in 6. Æneid.*

Et ſummas carpens media inter cornua ſetas
Ignibus imponit ſacris ——————

Mox victimarius obliquum cultrum ferreum oblongum ideſt Seceſpitam à fronte ad caudam victimæ ducere, & ſe ad orientem vertere ſolebat, quod in ſacrificio habebatur primùm, ideo idem Virgilius in 12.

Illi ad ſurgentis converſi lumina Solis
Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro
Summa notant pecudũ pateriſq; altaria libant.

Deindè Sacerdos cæteris imperabat, ut victimas jugularent. Erant hi Adminiſtri Sacrorum, qui *Victimarii*, & *Cultrarii* ac *Popæ*, à nonnullis dicti ſunt. *Agones* etiam Lactantius illos nominavit, quibus, niſi juſſi eſſent, mactare non licebat, ideo ſuccincti, & habitu, qui inferius apparebit, & Propertius innuit, cum ait

Succinctique calent ad nova ſacra Popæ

nutum imperiumque expectabant. Sic Ovidius primo Faſtorum;

Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros
Semper, agat ne, rogat, nec niſi juſſus agit.

Quamobrem Joannes Gutherus de veteri Pontif. jure lib.4. cap.24. ſcripſit Dolabram vel Seceſpitam ad Pontificem pertinuiſſe; malleos cultroſque fuiſſe Popæ, qua voce indicat plures, ac diverſos cultros in Sacris adhibitos. Adeat curioſus imaginem lapidis antiquiſſimi exhibitum à Joanne Baptiſta Caſalio de veteri Romanorum Religione, in qua repræſentatur ſolemne ſacrificium, & inter Popas, unus ſuſtinens capite caniſtrum repletum cultris ad ſacrificium neceſſariis. Quis autem dicat unico eodemque cultro omnia perfici potuiſſe, quæ in ſacrificiis peragebantur. Poterat quidem Popa acuto, & tereti cultro victimam jugulare, non autem in fruſta dividere ut mos erat etiam in Sacris antiquis Hebræorum. Singulis enim qui ſacrificio intererant hoſtiæ mactatæ pars aliqua deſtinabatur, ut in primo Regum cap.1. habetur in ſacrificio Elcanæ, & in Sacris Ethnicorum teſtatur Dio lib.5. num.31. In ædificatione Thebarum de Cadmo, dicens, qui ſacrificium inſtituerat in natali Cadmeæ Urbis:

—— *Et Cadmus ſumens diſtribuit cuique*
Diviſi præbens æquilibrem partem cibi.

Idcircò ſupralaudatus Gutherus inter inſtrumenta ſacrificii, quæ ad Popas pertinebant *Clunaculum* numerat, ideſt cultrum, quo carnes hoſtiarum incidebant, à clunibus illarum parte potiore. Hujus generis fuiſſe autumo cultrum delineatum in noſtra lamina ſub numero 3. craſſum, & ponderoſum, & ad incidendum etiam oſſa fabrefactum. Duos alios optimè jugulare victimam potuiſſe non dubito, ut ex eorum forma clariſſimè deducitur:

LIGULÆ.

EXhibitis cultris alia inſtrumenta producimus etiam in Sacris Ethnicorum adhibita. Pelle enim à victima ablata, mox Aruſpex, Flamen, aut Sacerdos viſcera, & exta animalium rimabatur, & extiſpicium fiebat; hoc eſt per exta Deos conſulebat, & an perlitatum eſſet attente explorabat, & tunc exta reddi dicebantur, cum probata Aræ ſupponebantur, ut notat Servius ex Virg.2.Georg.

Lancibus, & pandis fumantia reddimus exta.

Exta dicuntur, quæ in victimis interiora extant, ut cor, pulmo, lien, & jecur, quoniam ſuper interiora extent. Plinius vero nomine præcordia dici exta affirmat lib.30.Nat.hiſt.

Ab extis divinationem factam fuiſſe oſtendit M.Cicero lib.11.de Nat. Deor. hinc vocati Exticipes divinatores per exta, ſicut & Aruſpices. Hi ne quid Sacris mancum vel monſtroſum intereſſet, cavebant; nam ſi viſcera pallore, tetriſque maculis ſuffuſa apparuiſſent, ſi jecur tabidum, ſi pulmonum fibræ defuiſſent, ſi ſine præcordiis victima, non litandum Sacerdos exiſtimabat. Idem obſervabat etiam flammas, quæ in crematis victimis edebantur, ut ſcribit Didymus: Item bilem, veſicam præterea, ore lana colligato, igni imponebat, & quo pacto illa diſrumperetur adnotare conſueverat. Colligebantur etiam vaticinia ex cauda hoſtiarum, nam igni inflexa difficultatem rei indicabat, vel extenſa, & deorſum corruens cladem futuram; ſi verò in altum erecta fuiſſet, victoriæ indicia præſeferabat. Ob quos ridiculos ritus enumeratos à Giraldo Syntag.17.pag.444. Ethnicis irridet Arnobius.

Ad hæc attente peragenda inſtrumentis ex ære, & ferro utebantur iis ferè ſimilia, quibus Chirurgi utuntur invulneribus, & morbis variis perſcrutandis. Multa olim ejuſmodi fuiſſe in ſuo Muſæo affirmat Jo: Baptiſta Caſalius de vet. Rom. ritibus eorumque formas exhibet in pagina 159. Michael Angelus Cauſæus Tab. 7. ſectionis 3. Muſæi Romani unicum expreſſit, quod Ligulam appellavit. Nos hic plura producimus in Tab.IV. quæ ex ære conflata in Muſæo ſunt, inter quæ ſub num.1.2.3.4.5.6. binas ligulas recognoſcet Lector, inſuper Spiculum Vulnerarium, Ungulam, Scalprum Chirurgicum, Sagittam, ſive Vulſellam, & duplicem ſpatulam.

COCHLEARE.

PArvum ex ære Cochleare sequitur Scalpro expressum sub nu.7. quod pariter in Sacrificiis instrumentũ fuit. Aliud huic simile exhibuit Tabula 7. sectionis 3. supra laudatus Causæus cum titulo, *Cochlear, quo thus ex Acerra sumebatur*. Acerra autem erat arcula, in qua thus servabatur. Sicut enim thus, inquit Jacobus Gutherus de Jure Pontif. lib.4. cap.24. primum locum obtinet in Sacrificiis, sic in supellectile Thuribulum sive Acerra thuraria, quibus vocibus non idem significari inferius videbimus Apulejus tamen relatus à Giraldo Sintag.17. & à P.Cornelio à Lapide in Levit. cap.2. nu.1. pag.614. probare contendit thus in Sacris non esse rem vetustam. Nam ait Cornelius neque hæroibus Hetruscis Romulo, & Numæ thurificationem ignoratam legimus. Quòd Mosi imò Deo ipsi præcipienti sit adscribendum inventum thuris docet Cornelius; versabatur enim Moses cum Hebræis in Arabia. Ita etiam Hieronymus Prado in Ezechiel.8.pag.119. Romani autem longè distabant ab Arabia, quæ sola thuris erat ferax, idcirco Extis tantùm inspectis, ex omni membro primitias partesque desectas farina farris involuebant, & in calathis sacrificanti offerebant, & tunc hostia perfecta dicebatur.

Attamen quo tempore usus thuris apud Ethnicos incæperit non quærimus, & illum antiquissimum fuisse ex quamplurimis monumentis asserimus. Sacra enim Jano fiebant ex Libo, quod ab eo *Ianual* antiqui dicebant, eratque placentæ genus; item ex mola, quæ farina horna, & sale miscebatur; interdum etiam thure, & mero, hinc Ovidius:

Iane tibi primùm thura merumque fero.

Et apud eundem Cydippe scribens *Acontio* in epistola quæ est vigesima,

Protinus egressæ superis quibus insula sacra est
Flava salutatis thura merumque damus.

Itaque thuris, & vini meminit statim ubi de religioso cultu agitur, item de Tristibus lib.5. Eleg.5. quæ est in natali uxoris suæ.

Da mihi thura puer, pingues facientia flammas
Quodque pio fusum stridet in igne merum.

Celebre etiam erat Sacrum, in quo Fortunæ virili mense Aprili thura adolebant, & cum melle & lacte etiam papavera; quod Sacrum etiam Veneri commune fuit, ut narrat Giraldus Syntag.17. pag.463. Addit Rosinus lib.3. cap.33. quòd post libationem vini Sacerdos sacrum ab immolatione inchoabat, fruges, aut molam salsam in caput victimæ deponens addito thure masculo juxta illud Ovidii Fastorum num.357.

Thura Sacerdotes pacalibus addite flammis
Albaque persusa victima fronte cadat.

Est igitur manifestus ex auctoritate Antiquorum usus thuris in sacrificiis, at non æque probari potest fuisse adhibita parva Cochlearia, de quibus sermonem instituimus. Acerram quidem seu Arculam thurariam, in qua thus servabatur, auctores omnes, plurescque lapides antiqui referunt, in quibus sacrificia insculpta cernuntur. Ejus Iconem affert Scacchus pag.472. sicut & vas in quo thus incendebatur supra ignem, quod à thure thuribulum in sacris paginis appellatur, ut in lib. num. cap.16. *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper* apud septuaginta autem legitur, *accipe receptaculum ignium*. At cujus formæ fuerit non est ita clarum. Scacchus putat fuisse instar pateræ sive patellæ cum manubrio, exhibetque unam ex Musæo Franciscì Angeloni Æneam, aitque etiam Antiquos Hebræos simili usos, & præditam esse Manubrio, ut commodius sine læsione manuum Sacerdotis tractaretur, & in ea poni possent carbones de altari sumpti, & superimponi thus. Rosinus verò inter instrumenta ad Sacrificia spectantia exhibet vas hinc inde ansatum potius hidriæ simile, quo thura, ut ipse putat, adolebantur.

Ut ut illud se habuerit, Fateor quidem nullum ex antiquis Auctoribus meminisse Cochlearis ad thus ex arcula suscipiendum. Imo Scacchus Myrot.2. cap.48. enarrans utensilia in ministerium altaris aurei in lege Moysi ait, Cochlearia ab hoc altari arcenda sunt, solius enim manus ministerio, & nunquam aliter thymiama thuribulis imponebatur, nec aliter licebat (ut dicunt Rabini) & subodorari potest, ex Levit. cap.2. ubi de oblatione sermo sic est: *Deferet ad filios Aaron Sacerdotes, quorum unus tollet pugillum plenum similæ, & olei, ac totum thus, ac ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino. Quemadmodum igitur* (sumit Scacchus) *pugillo similam oleo commassatam in Altare super ignem Sacerdos imponebat, pariter etiam thus ministrasse dicendum videtur, atque etiam thymiama*, cum etiam cap.16. Levit. ab usu thymiamatis Cochlearia omnino arcentur; ubi enim dicitur num.12. Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thiamiama &c. Capite etiam eodem Scacchus affirmat, Ethnicos quoque manibus thus assumpsisse, quod vetusti lapides (ut ille loquitur) ostendunt, sed nullum in medium profert, aut nominat; verùm cum ibidem hæc verba addiderit, *saniora ac doctiora alii si dixerint acquiescam*; tanto viro meam sententiam opponi, ac sine ulla injuria affirmari potuisse opinor, etiam Cochlearia in usu incensi

adhi-

adhibita, etiamsi aliquando *sola manu* thymiama sumendum esset, ut Deus præcipiebat. Attamen nunquam hoc sacræ paginæ affirmant, sed solùm, ut manu sumeretur non quidem incensum sed thymiama, de quo etiam dubitari potest. Sicuti enim cum dicitur *Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit*, vel cum dicitur, *tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper*, non interdicitur usus alicujus instrumenti, puta forcipis aptæ ad carbones de altari excipiendos, ita pariter cum dicitur, *mitte incensum desuper* vel, *hauries manu compositum thyamiama*, poterat hoc apto instrumento hauriri à manu, ac præsertim tali instrumento manus indigebat, ne manus fædaretur thymiamate, quod ex aromatibus in pulverem redactis componebatur, ut notum est sacrarum paginarum peritis; & clare probatur cap. 30. Exodi, ubi dicitur *faciesque thymiama compositum &c. cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis pones ex eo &c.* Sciunt etiam periti fuisse in templo (ut dicitur 3. Reg. 6.) Vas aquæ magnum, in quo Sacerdotes ministraturi incensum, sive lucernas ordinaturi, manus, & pedes abluere, & purgare tenebantur, sicque abluti, & purgati sacrum Dei tabernaculum ingrediebantur, ita dicitur. Exodi 30. ubi de fabrica ejus labri scribitur. *Et missa aqua lavabunt in ea Aaron, & filii ejus manus suas, & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum Testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino*. Quomodo ergo manus mundas habere potuissent, & non potius sordidatas, si manu, nullo instrumento munita, thymiama ex vase thurario accepissent in tenuissimum pulverem redactum?

His adde Antiquorum ritum, qui sæpè pauca grana thuris accensis prunis imponebant: id quod Ovidius videtur indicasse lib. 3. de Trist. Eleg. 13. quæ est de suo natali dicens.

Tumida cingetur florentibus ara coronis
Micaque solemni thuris in igne sonet.

Scio Poetam per Sinedochen loqui potuisse offerens partem pro toto, at manifestum est sæpius Aruspices in oblatione thuris ipsius motus attente observasse, ex quibus auguria captabant. At hi melius ex paucis thuris granis, imò unico fieri potuisse quis neget? Quæ dubio procul parvo Cochleari facilius, & decentius sumebantur, ex acerra. Quod tamen Jo: Stephanus Duranti lib. 1. cap. 9. num. 3. de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ ait, Antiquos Christianos summis digitis perficere solitos. At si Catholicæ Ecclesiæ antiquissimo statuto sive consuetudine, (cujus tamen originem invenire non potui) Sacerdos utitur Cochleari ad sumendum thus ex thuribulo; talem ritum ex Gentium ritibus originem habuisse nos posse credere, quis neget? ut nonnulli alii ritus originem habuerunt.

SIMPULI.

DUM de Sacrificiis sermo est, aliud instrumenti genus sese offert, cujus in illis frequentissimus erat, scilicet ad vinum libandum. Usus enim libationum in quocumque Sacrorum genere erat etiam apud Ethnicos, qui antiquos, & Divinos imitabantur. In Sac. Script. Exodi cap. 25. ita præcipitur. *Parabis, & acetabula ac Phialas, Thuribula, & Cyathos, in quibus offerenda sunt libamina*. Ut verò à nomine exordiamur *Libare* est aliquid leviter degustare, vel *Labiare* idest supremis labiis aliquid attrectare, ut alii dicunt, ac propterea de liquoribus tantùm degustatio verè dicitur. Hæc autem libatio adeo necessaria in Sacris censebatur, ut ab ea Sacrificium exordium sumeret, etiam antequam hostia mactaretur. Primò enim quotquot ad sacrificium conveniebant, vinum degustabant. Ita Rosinus lib. 3. cap. 33. ait: *Deinde Sacerdos vinum aspergebat, sed priusquam id effunderet Simpulo, seu Simpuvio ligneo vel fictili admodum parvo, & ipse leviter delibabat, & astantibus degustaudum deferebat, ut pariter libarent*. Quare Juvenalis Satira 6.

Simpuvium ridere Numæ nigrumque catinum.

Hinc Simpulatrices mulieres Sacris deditæ, ut Festus ait. Ejus instrumenti meminit Cicero in 3. de Legib. & Plinius lib. 35. vocatur etiam *Simpinium*. Arnobius agens de vino in Sacrificiis; *Date quæso* (inquit) *Deis immortalibus, ut bibant scyphos, brios, pateras sympiniaque depromite*. Apud antiquos Scriptores Græcos est poculi genus *Depastron* appellatum, quòd vinum minutatim effunderet: à Guttis guttum appellarunt, à minutatim sumendo, Simpulum nominavere. In ejus locum in conviviis è Græcia successit Epichysis, & Cyathus, in Sacrificiis remansit Guttus, & Simpulum. Hæc Varro apud Giraldum Syntag. 17. pag. 435.

Cujus fuerint formæ vasa libaminum in lege Moysi, quæ Cyathos facer textus appellat, ignotum esse omnino, docet Scacchus Myroth. 2. cap. 43. At ne sinonymorum copia, quibus Scriptores vasa libaminum, & alia, quorum usus frequens erat in Sacris, confusionem pariat, notandum est, triplex præcipue vasorum genus adhibitum fuisse in usu vini, quo fere nullum sacrum carebat, ut patet in quamplurimis vetustissimis lapidibus ac nummis. Primò enim vas erat *Præfericulum* dictum, idest vas ansatum, cujus forma exhibetur in nummis præcipue Marci Antonii, & Pompeji apud Choul de Relig. pag. 190. & fortasse ante Sacrificium vinum

ex hoc vase sumebant ut probarent, an aptum sacrificio esset. Secundò erant vasa libatoria, quibus libamen fiebat summis labiis vinum electum degustando, quod erat proprium in Sacrificio. Tertiò vas erat, quo vinum effundebatur inter cornua victimæ. Hoc apparet in nummo expresso apud Choul pag. 226. Longini Triumviri, in quo Sacerdos vinum supra aram effundit vase seu cyato concavo. Vas autem libatorium manu præfert alius Sacerdos in marmore antiquo ab eodem Auctore relato pag. 193. sicuti etiam simile perhibet Rosinus, Casalius, & Scacchus pag. 416. Myroth. 2. & à nobis est expressum hoc loco sub num. 8.

De hujusmodi vase nunc sermo est: alia suo loco indicabimus. Illud his verbis describit Scacchus. *Hæc vasa certum est has medias fistulas habuisse non solùm à tergo, ubi Manubrio satis longo fulciuntur uno altero majus, quod veluti quoddam canale excavatum habent, sed etiam in anteriori parte, unde liquor degustabatur, medio canale vas excavatur ad vinum fundendum, degustandum atque libandum; sicque extra protenditur, ut ori cum adjungitur, vini tantillum exorbere liceat, quod constat ex ejus forma.* Marcus Varro scribit Simpula fuisse calices fictiles, & vascula quibus vinum dabant, ut minutatim funderent, à Guttis Guttum appellarunt, & quo sumebant minutatim, à sumendo Simpulum nominavere.

Hæc omnia, & si vera sint, non tamen affirmandum puto ejusmodi Simpula, seu Simpuvia eandem semper, invariatamque formam habuisse, ita tamen fabrefacta, ut guttatim vinum possent effundere, quod ad libandum necessariò requirebatur. Sunt in nostro Musæo duo vasa fictilia ex atra argilla compacta, ut in lamina IV. expressimus num. 9. & 10. Manubrio utraque prędita, ore angustissimo in parte quę in conũ porrigitur, ut apparet. Os autem plura foamina intra circulum habet in summitate ad vinum excipiendum, ut impleantur. Unum non valde dissimile exhibuit Petrus Bartoli de Sepulchris agens. Aliud ex ære, & quidem mole parvum, ut in eadem Tabula expressimus num. 11. in Musæo est, forma autem valdè diversum à superiori ut consideranti patebit.

Aliud vas æneum cum longo Manubrio exhibuit in Musæo Romano eruditus Causæus, mutuata appellatione à Bellorio, qui in catalogo suo dixit *Simpolo col manico lungo per le libationi*: quam tamen appellationem improbat ut falsam Cl. Begerus in tomo 3. Thesauri Brandeburgici, eò quòd Simpulum à sumendo dictum Varro affirmet, & Sacerdotes (ut ipse ait) Simpulo minutatim non sumebant, sed fundebant. Indicat insuper marmor antiquum, apud Sponium in Miscellaneis pag. 310. exhibitum in quo Camillus exprimitur gutto in pateram Sacerdotis liquorem fundens, eum scilicet, quem postea Sacerdos aræ aut victimæ superfusurus erat. Habebat igitur Simpulum, ait Begerus, angustum, & acutum collum, quod in acutum canaliculum coarctabatur, ut per eum liquor minutatim effundi posset; illud autem, quod Bellorus exhibuit, Simpulum dici non potest, sed vasculum ad hauriendum ex vase majore, & profundiore liquorem destinatum. Manubrium habet, quod in summitate retortum est, ut vasi majori appendi possit, ita corpori suo adglutinatum, ut æqua lance id pendeat, nec quicquam liquoris ultra superficiem effundatur. Hæc Begerus.

PATERA.

DIximus supra vas adhibitum fuisse in Sacrificiis, quo vinum inter cornua victimæ, sive supra carbones accensos effundebatur, quæ quidem effusio non fiebat simpulo, aut gutto, sed alio vase, quod Græci *Cyathum* dixerunt Latini verò *Pateram*, idest à patendo, ut Varro docet lib. 4. de lingua Latina. Hisce autem nunc in convivio, antiquitatis retinendæ causa, potio circumfertur. Inde fortasse Virgilius lib. 5. Æneid. de Ænea loquens ait:

Stãs procul in puppi paterã tenet, extraq; salsos
Porricit in fluctus ac vina liquentia fundit.

& lib. 4. de Didone

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis Vaccæ media inter cornua fundit.

Aliud vasorum genus erat, quæ labra minus extensa habebant, eorumque usus erat in Sacris. Illa pateras vocant multi scriptores, sed falsò nam teste Varrone, dicenda sunt Patellæ seu patinæ. *Apopheretas* vocat Begerus in thesauro Brandeburgico tom. 3. pag. 424. ex Isidoro, qui lib. 20. cap. 4. de vasis escarum. Apophereta, inquit, à Græcis à ferendo poma vel aliud, nominat, est enim plana; damnatque proinde Causæum, qui talia instrumenta proferens in Musæo Romano illa pateras appellat; licet leve ejus peccatum dicat, cum sequatur Casalium, qui etiam de Rom. Sacrific. pag. 364. Pateras dixit. In his carnem è victima desumptam Diis libabant, ut manifestè probatur ex Manlio apud Honnium cap. 15. ubi ait. *Quo circa bonum civem legibus parere & Deos colere, & in patellam dare parum carnis.* adeoque decipiuntur, qui sibi suadent pateras, patellas, guttos, & cyathos idem fuisse apud veteres in sacris agendis. Antiqua lapidum fragmenta, nummique Veterum hoc clarè demonstrant. Patellæ etiam ut plurimum manubrium habent, oblongum, pateræ vel non habent,

bent, vel parum extenſum, ut apparet in noſtra ænea quam hic exhibemus Tab. V. ſub num. 1. Illa fortaſſe eſt ex poculi genere quod dicebatur Capis teſte Feſto, eò quod anſatum eſſet, ut capi poſſet; Capedines etiam & Capedunculas auctores appellant. Adeat Curioſus paginam 242. libri de Religione à Choul deſcripti, & Muſæum Michaelis Angeli Cauſæi, qui hujuſmodi patellas delinearunt. Ex hoc genere una eſt in noſtro à nu. 2. indicata, Fictilem etiam aliam habemus nō diverſam ab ea, quam Petrus Bartolus in libro ſepulchrorum delineavit, eſtque illa quæ in Tabula V. ſub numero 3. indicatur. Manubrium habet rotundum, & labra hinc inde reflexa. Illam tamen ad carnes libandas, & ſupra ignem imponendas adhibitam fuiſſe, non audeo affirmare, ſed potius ad prunas coacervandas, vel ad evacuanda Victimarum exta, cum Aruſpices Abdomen rimabantur ut auguria captarent.

Hic notandum eſt cum Iſidoro Vaſa & inſtrumenta in Sacris fuiſſe Fictilia, quod teſtantur verba Juvenalis Sat. 6. verſ. 342. ——— Quis

Sympuvium ridere Numæ nigrumque catinum
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Uſus erat.

Quæ verba uſum fictilium in Sacris, quibus & pateræ & patellæ ſerviebant, apertè docent; Pateræ quidem potulentis, patellæ exculentis ſerviebant, Patella labris muniebatur, quæ à Patera abſunt, negari tamen non poteſt ſuccedentem luxum etiam argentea & aurea inveniſſe; ita Virgilius

Pateris libamus & auro

Adhibebatur etiam Patera manubriata patellæ inſtar, uti videtur apud choul in marmore antiquo pag. 242. Vas erat cum profunditate aliqua, ſed pro liquoribus ſpargendis.

Præter inſtrumenta, quibus vinum adhibebatur in Sacrificiis, alia plurima erant ad varios eorum uſus. Illa enumeravit eruditiſſimus Jacobus Gutherus de veteri Jure Pontificio Urbis Romæ lib. 4. cap. 24. agens de varia Sacrarum ſupellectile his verbis. *Aliæ ſupellectilis ſpecies erant, Patera, patella, Anclabrium, Armillum, Atanuvium, Calices, Præfericulum, Subſiles, Capital, Melluvium latum, Culticula, quæ omnia à Feſto explicantur.* Aquiminale vel Aquimanile, Lepiſta, genus vaſis aquarii, Guttus, Gutturnium, Vas vinarium, quo vinum dabant, ut minutatim funderent, & quo ſumebant minutatim. Simpuvium vel Simpulum in Sacris remanſit, ut Capidenæ, Hydriæ, Crateres, Canthari, Scyphi, Briçolla, Vas Futile, quod erat lato ore fundo anguſto, quo utebantur in Sacris Veſtę, quod ſtare non poterat. Irnula ſeu Urnula ab Hiernea fictili. Canephoræ dicebantur, quibus ſacra repoſita in capitibus ſuſtinebant. Menſæ, quæ cum Aris conſecrabantur. Domus nulla erat paulo locupletior, in qua Sacrorum vaſa non eſſent, quibus ad rem divinam uterentur, quæ omnia antiquo opere, & ſummo artificio factu; quare cum auream ſupellectilem Tiberius interdiceret, quæ ad rem divinam parata erat, edicto illam noluit contineri. Hoc narrat Dio lib. 57. Cętera ſupellex Sacrorum ad Pontifices pertinet quorum fuerunt Acerræ, Dolabra vel ſecuris, Seceſpita &c. mallei enim cultrique Popæ fuerunt & Victimarii, ut Clunaculum, quo carnes hoſtiarum dividebant. Aſperſorium quo populus luſtrabatur, Amula Vas luſtrale, quo aqua deportabatur ad luſtrationem: Diſci, in quibus hoſtiarum exta recipiebantur. Inſulæ hoſtiarium ſupellectilis aliam partem conſtituunt, ut Tenſæ, tympana &c. hactenus Gutherius. Horum omnium explicationem afferre haud noſtri Inſtituti eſt; inſuper ea omnia inveſtigare ſatis difficile eſt. Lazarus Bayfius in erudito, quem ſcripſit tractatu de Vaſculis pag. 131. exhibet Urceoli miniſtratorii formam ex antiquis marmoribus deſumptam, & pag. 132. formam Urcei, quo aqua in Aeneum infundebatur. Aliam formam Urceoli affert Caſalius cap. 15. de antiquis Rom. Rit., & ſimilem exhibet Scacchus. Alios & diverſos in lapidibus ſepulchralibus videre eſt, quos recenſuit Boiſardus, dicens fuiſſe Præfericula. Ab ejus ſententia removet nos Feſtus dum ait Præſericulum vas æneum ſine anſa patens ſummum velut pelvis, quo in ſacrificio Opis Conſivæ utebantur, quod penitus contrarium eſt Iconibus ſupradictis; Siquidem vaſa illa anſa prædita ſunt, & eorum ſummitas non patens, ſed ſatis arcta. Igitur hæc omnia ommittimus, non tamen vas illud quod Gutherius *Vas futile* appellavit. Ejuſdem meminit Scacchus pag. 487. cap. 49. & ante illum Guilelmus Choul in libro de Relig. Romana & Giraldus ſyntag. 17. ubi hæc habet. Aqua in Sacris adhibetur nam & expurgari adeuntes ad Sacra ſolitos legimus, quod illius aſperſione non modò corporeas ſordes tolli ſed corporis caſtimoniam præſtari opinarentur, ut tradit Tullius lib. 1. de legibus. Hinc naturali quodam inſtinctu edocti, non niſi puros ad Deum accedere debere, mundoſque Numini ſupplicare, ſæpius ſe aqua mundabant, antequam templa adirent, & Numina precarentur. De Ægyptiis & Græcis id teſtatur Herodotus in Euterpe, de Romanis Tibullus eleg. 1. lib. 2. his verſibus

Caſta placent ſuperis pura cum veſte venite
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Perſius Sat. 2.

Hęc ſanctę ut Paſcas Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terq; & noctem flumine purgas.

Quod ſi quis cæde aliqua pollutus fuiſſet

bis

bis septenis immersionibus se, suasque vestes abluebat aqua, eaque expiatione ab omni macula abstergi arbitrabatur, ut notat Alexander ab Alexand. genial. Dier. lib. 4. cap. 17. Giraldus lib. de Sacrif. syntag. 17. quin etiam antequam aqua se purgasset, sacra tangere nefas ducebat, unde Æneas apud Virg. lib. 2. ita patrem alloquitur

Tu Genitor cape sacra manu, patriosq; Penates.
Me bello ex tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero ———

Utebantur præterea sæpe aqua lustrali ideo dicta, quòd ea Sacerdotes lustrationis, idest purgationis causa aspergerentur, de qua Ovidius 3. de Ponto

Spargit aqua captos lustrali graja Sacerdos.

In ea torrem ex alteri, uti rem divinam fecissent, prius extinxisse etiam legimus. juxta illud Virgilii, *spargens rore levi &c.* Hac autem lustrali aqua in quibusdam Sacrificiis ne dum se ipsos, sed ipsa Idola, eorumque Templa, & Altaria aspergere & expiare consueverant; cujus moris habemus luculentissimum testimonium apud Tertullianum lib. de Bapt. cap. 5. ubi ait. *Sed enim Nationes extraneæ ab omni intellectu spiritalium potestatem eadem efficacia Idolis suis subministrant, sed viduis aquis sibi mentiuntur, nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur Isidis alicujus aut Mithræ: ipsos etiam Deos suos lavationibus efferunt: Cæterum Villas, Domos, Templa, totasque Urbes aspergine circumlatæ aquæ expiant passim.*

Hos, & plures alios consimiles ritus constantior opinio est à Judæorum lege ad Ethnicos Diaboli quadam invidia fuisse traductos: quam sententiam egregiè firmat Tertullianus de Præscript. cap. 40., ubi multis allatis exemplis hæc deinde subdit: Cæterum si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia insignia, & privilegia, si Sacerdotis ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum Sacrificiorum ac piaculorum considerem us, nonne manifestè Diabolus morositatem illam Judaicæ legis imitatus? Moris enim fuit apud Judæos non nisi lotis manibus Divinum adorare numen ut notat Aristæus de septuaginta duobus interpretibus hæc scribens. *Rege consalutato ad consueta loca divertunt, atque (ut mos est Judæis omnibus) manibus prius in mari lotis Deo preces effundunt, & paulo post: interrogavi equidem & illud quoque cujus gratia, cum vota facerent, manus prius lavarent; Quarenti talia demonstrarunt illud testimonium esse, ne quid perperam agant sed pie sanctèque perficiant, quandoquidem universa opera manibus exerceantur, rectè singula ad justitiam & veritatem referentes, qua ratione positum olim erat in templo Hierosolymitano labrum Æneum cum aqua ad emundationem.* Exod. cap. 30.

Multa sane ex Gentilium Judæorumque institutis in Christianam Religionem invecta, & sacris additis precibus, in sanctiorem usum fuisse conversa notant partim Ecclesiastici Scriptores & præ cæteris Hallier de sacris election. tit. de Ritibus sacræ ordinat. art. 3. pag. 953. In his quoque aquæ benedictæ origo, qua in Ecclesiis privatisque ædibus pio sane ritu ad leviorum peccatorim expiationem aspergimur, fluxisse creditur, vel ab aqua lustrali Ethnicorum, vel ut Baronio ad ann. 57. num. 110. magis placet, ab aqua emundationis, qua Sacerdotes Judæi ante ingressum in Sãcta manus pedesque abluebant; plura addit Baronius.

Aqua autem, qua Romani utebantur in Sacrificiis, excipiebatur è fonte Juturnæ, qui juxta numicum amnem labebatur, ut scribit Servius in 12. Eam verò super terram sparsisse piaculum ac triste omen erat, ideo vas lato ore & fundo angusto, quo hauriretur, ne stare posset in sacris adhibebatur, quod Vas Donatus & Servius futile vocant, & de eodem ita Lactantius lib. 8. Theb. *Futile*, inquit, *Vas est quoddam lato ore fundo angusto, quo utebãtur in Sacris Deę Vestę, quia aqua ad Sacra in terra non ponebatur, quod si factum est, piaculum erat, unde excogitatum est Vas, quod stare non posset, sed si positum esset statim funderetur; unde & homo commissa non retinens futilis dicitur, & contra non futilis bonus consiliis.* Hoc etiam Vas quidan eruditi Cadum & scyphum dixerunt, illudque manibus tenere oportebat, quod quidem Flaminicæ Virgines Sacrorum ministræ, aut Vestalium famulæ, & nonnunquam Pueri Flaminum ministri, quos Camillos appellabant coronati tenebant manibus. Ejusdem vasis formam dat Scacchus loco supracitato acceptam ex libro Choul, sed non puto ejusmodi formam semper invariatam fuisse! Pro certo solùm dici potest, forma pyramidali fuisse, ut per se stare nequiret; Sic apud Ægyptios aqua Nili maximi fiebat, ut hydria ad Templum humeris ferretur, ad usum Sacrorum; sic apud Græcos fons Challirheæ tantæ Religionis erat, ut ejus aqua solùm in Sacris adhiberetur. An verò simili futili vase deportaretur, nescimus. Tria nos omnino similia vasa in Museo habemus, quorum unum delineatum vides sub nu. 6. Tab. V. forma pyramidali absolutũ, & hinc inde ansis præditum est, ut Camillus facile illud manibus posset sustentare ne caderet. Duo ex illis reperta sunt inter rudera antiqui Templi Silvano olim dicati prope viam Appiam. Potuisse etiam cineres cadaverum in illis contineri probabile est; nam Urnæ cinerariæ

ferè

ferè iis similes alibi detectæ sunt. Attamen non improbandum quod dixi, cum in lapidibus antiquis similia vasa prope Aras teneant Sacrorum Administri.

Ad eundem cujuscunque liquoris usum referuntur vasa alia, quæ in Musæo visuntur tum Aenea tum fictilia, & primò Amphora, num. 7. delineata, quæ docente Isidoro ita nominatur à Græcis, eo quòd hinc & inde levetur; Ansæ enim ejus geminatæ videntur, quæ aures imitantur, numerus verò 8. indicat Urceum, qui minor est forma itidem rotunda. Vas aliud est quod Guttus appellatur. Hunc tam ansatum quam sine ansa fuisse ostendunt Gutti, complures marmoribus insculpti apud Boissardum. Guttus appellatur à modo fusionis, adeoque angustiore & orificio interdum porrectiore interdum rotundiore. Causæus vocabulo generali Vas æneum appellat, arbitraturque fuisse præmium victoris in musicis aut poeticis ludis, eoquòd non Tripodes tantùm & palmas & coronas, sed & vasa victoribus data fuisse ex nummis constet. Hanc opinionem musæ fulciunt, quas vasculum exhibet exculptas apud Begerum opere elevato. Musæum nostrum plures ejusmodi gutti exornant. Æneus exprimitur sub nu. 1. Tabulæ VI. Fictiles verò indicantur numeris 2. 3. & 4. qui omnes in Sacris potuerunt adhiberi, uti apud Apulejum, ubi in pompa Isidis etiam mulieres memorantur, quæ unguentis & geniali balsamo guttatim excusso conspergebant plateas, & in balneis, de quibus Juvenalis loquens Sat. 3. vers. 263. ait. *Pleno componit lintea gutto.*

Ad talem usum etiam adhibitæ fuerunt ampullæ, atque adeò etiam ampulla guttus vocari potest. Ampulla teste Isidoro quasi ampla bulla dicitur, similis rotunditate bullis, quæ ex spumis aquarum fiunt, atque inflantur vento, ex quibus patet rotunditate fundi ampullam differre à guttis, orificio autem & collo interdum convenire, eadem forma qua pyra absolvuntur.

SACERDOS.

CUM de Sacrorum ministris sermo fuerit, adeamus Tabulam VII. in qua aliqui ex illis repræsentantur ex ære formati, prout in Musæo sunt. Et primò sub numero 1. simulacrum est, quod Virginem refert, eo habitu indutam, cum quo mos erat Romanis fœminis incedere, idest Tunica, quam Vulpianus, & alii apud Rosinum lib. 5. cap. 35. *Stolam* vocarunt, quæ demissa erat ad imos usque pedes, Pallio insuper, quod *Palla* etiam dicebatur, eò quòd foris, & palam gestaretur. *Suffibulum* dixit Festus lib. 17. idest vestimentum album prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales Virgines sacrificantes habebant idque fibula comprehendebatur. Sed de his vestibus fusè egit Aldus Manutius lib. 1. de quæsitis per epistolas epist. 2. sub finem. Aenea hæc facies cum Virgunculam exhibeat, & capillitio orbatam, illa Virginem vestalem repræsentari non dubito; Vestales enim detonderi solitas, ut nunc, quas moniales appellamus, ex eo plerique arbitrati sunt, quod Plinius scripsit lib. 16. nat. hist. Antiquior, inquit, lotos est, quæ capillata dicitur, quoniam Virginum Vestalium ad eam capillus defertur, quem morem ab Aegyptiis ad Romanos deveniſſe affirmant multi, atque hæc sint satis ad Icunculæ explicationem. Si verò de Vestalibus sermo instituendus esset nimis in longum produceretur, sed ut rudioribus fiat satis, aliqua ex Auctorum monumentis delibabimus.

Illas in classe Sacerdotum constitutas fuisse, & senario numero definitas, ut Populus pro sua quisque parte haberet Administrum Sacrorum, quia civitas Romana erat distributa in partes quas postea plures numero fuisse legimus. Hæ Deæ Vestę dicatę, quam nominatam fuisse Berecyntiha à Phrygibus scripsit Strabo lib. 10. Rheā à Trojanis, Matrē Deorum seu Opem, & Cybelem ab aliis. Sacrum ignem in templo custodiebant, & quæ in hoc munere leviter deliquisset, à Pontifice Maximo verberibus plectebatur. Si parum casta fuisset, & convicta, viva sepeliebatur. Nam à sandapila ad portam Collinam, quæ nunc Pinciana vulgo vocatur, ceu mortua efferebatur cum propinquorum suorum luctu, sequentibus cum mæsto silentio Pontificibus, & Sacerdotibus. Prope portam locus fuit subterraneus, in quem solam Virginem demittebant, & deinde occludebatur, sed ne fame necari videretur, in eo panis, lactis, & olei nonnihil apponebatur, & ardens lucerna, quibus peractis, omnes discedebant, & eo die Justitium erat in Urbe, & mæror non exiguus; magnum enim malum Civitati indicari putabant à Vestalium Supplicio.

Sacrum tamen ignem, quem æternum etiam vocabant Romani, eòquòd semper arderet, non modò illos sed aliquot alias Nationes publice custodisse legimus. Nam Athenis in Prytaneo ignis sempiternus asservabatur, non à Virginibus, sed referente Plutarcho, à mulieribus jam matrimonio solutis. Ægyptii quoque ignem servabant, ut testatur Diodorus. Persæ item suprema religione ignem custodiebant, ope Magorum teste Procopio historico, & Strabone lib. 15. Sed hæc de Vestalibus dicta sint satis, &

aliam

aliam fœminã exponamus Sacrificiis addictam.

Habitu nõ dissimili superiori æneum simulacrũ fœminam referens sub num. 2. contẽgitur, idest tunica talari & pallio, quod per siniſtrum humerum demissum, partes inferiores corporis circumtegit, & brachio sustentatur, dextera manu pateram ostendit, sacrificantis instar eo ritu, quem vetera numismata quamplurima exhibent, præsertim apud Augustinum in Tabula 40. num. 14. Sabinæ Augustæ & in Tab. 42. num. 6. Antonini in quibus conspicitur pietas vota faciens ante aram dextera manu elata, & siniſtra pateram habente. Ornamentum capiti impositum gestat; Illis ab artifice non sine consilio factum puto, sed ad indicandam Sacerdotis dignitatem, quæ olim in apice capiti imposito exprimebatur. Cujus autem formæ ille fuerit non adeo clare apud Auctores comprobatum est, ut de ea dubitari non possit. Alii cidarim, alii mytram, pileum alii seu flamen dicunt. *Apud Coos Sacerdos Herculis indutus veste muliebri & capite evincto mitra accedebat ad rem sacram*, inquit Plutarchus apud Paschalium lib. 4. cap. 2. Apud Indos illi qui vocabantur Sapientes coronabantur alba mitra, & majores Sacerdotes non solùm fuerunt coronati, sed & gestarunt pileos insignia Sacerdotii. Hi pilei Romæ vocabantur Flamina, & Flamines erant Sacerdotes, qui gestabant hoc insigne. His nec esse capite nudo nec sine apice prodire fas fuit. Id Plutarchus idem docet. *Vocabant* inquit *priscos Flamines à coronariis sive caput redimentibus pileis, quos gestabant circum capita.*

Hi pilei dicebantur apud Persas Thiarę. Apicum meminit Latinus Pacatus in Panegyrico. *Quid ergo*, inquit, *referam pro mœnibus suis festum liberæ nobilitatis occursum? conspicuos veste nivea Senatores? Reverendos municipali purpura Flamines? insignes apicibus Sacerdotes? Habitus certe fuit multæ venerationis, quem demonstrabat caput ejus, qui & ministerio & sanctitate præcelleret. Hujusmodi est nunc Episcopalis Mitra &c.* Hæc Paschalius. Flamines etiam dictos à gestatione pileorum, docet Giraldus Syntag. 17. quasi Pileamines. *De his etiam S. Augustinus* 11. *de Civit. Dei. Nam etiam* (inquit) *Flamines instituerunt, quòd Sacerdotum genus adeo in romanis Sacris testante apice excelluit, ut tres solum Flamines haberentur.*

Flamines etiam Fœminæ imitabantur aliquibus Sacrificiis addictæ, præsertim illis, quæ in honorem Cybelis magnæ Deorum matris, quam Deam bonam vocabant, instituta erant. De his Alexander in Dieb. genial. lib. 6. cap. 8. Qui verò bonam Deam dicunt, illam tam illibatæ castitatis fuisse opinati sunt, ut extra Gynecæum nunquam egressa, nec virum viderit unquam, nec à viro conspecta fuerit. Hæc quidem Sacra cum mense Majo pro salute populi fierent, quidquid esset masculum Domo expellebatur, ita ut non modò extra conspectum summoverentur viri, sed masculæ quoque picturæ tegerentur, cui simile Sacrum Cereri celebratum dicunt, in quo quum septem insumerentur dies, tertia à templo viris pulsis, etiamque canibus maribus, mulieres celebrabant. Cum in Sacris bonæ Deæ vino libaretur, illud non suo nomine nuncupabant, sed lac esse dicebant, ejusque amphoram mellariam, ad quod Sacrum non nisi castis accedere licebat. Illa in recessu intimo domi Maximi Pontificis nocte fiebant: & licet nocturna Sacra prisco ritu mulieribus interdicta fuerint, in hoc tamen Sacro mulieres noctu interesse non vetabantur. Sacrificiorum deinde ritus ac templa, in quibus peragebantur à Fœminis, idem Author fuse describit. Illud hic omittendum non est, quod si Vir aliquis audactur ejusmodi templum ingressus esset, oculorum illicò orbitàte pœnam lueret, quam Tibullus lib. 1. eleg. 7. ——— *seu visere dicet*

Sacra bonæ maribus non adeunda Deæ,
At mihi si credas, illum sequor unus ad Aram;
Tunc mihi non oculis, sit timuisse meis.

Insuper docente Vossio de Idololatria lib. 2. cap. 15. *quia autem Diana Virgo, eò & Virgunculæ non minores quinquennibus, nec majores decennibus, crocotula indutæ sacra faciebant Dianæ Brauroniæ vel Munichiæ.* Item ex Mythologia Natalis lib. 1. cap. 15. *In Sacris Dianæ Lafriæ oblatis Virgo nobilis, quæ foret omnium pulcherrima & sapientissima judicata, sacerdotio in his perfungebatur, quæ sequebatur pompam postrema omnium bigis juncta, cervis pro equis, currum trahentibus.*

SACERDOS.

CUM verò de muliere Sacrorum ministra sermo fuerit, bina virorum simulacra sese offerunt sacerdotalem dignitatem indicantia; Induta enim sunt Tunica, quàm Pallium ex humero dependens, & siniſtro brachio superimpositum circumtegit. Discalceatos pedes habent ambo, & ambo brachium dextrum nudatum extendunt, quorum alterum manum benedicentis instar elevat, alterum pateram porrigit. Comæ Priscorum more in coronam comptæ utrumque condecorant, ut sub nu. 3. & 4. in Tab. VII. indicantur, his antiquorum Sacerdotes exprimi non dubito, apud quos multos fuisse, variisque nominibus appellatos retulit inter alios eruditissimus Panvinius lib. 2. de Rep. Rom., quorum memoriã

è vetustis Epigrammatibus superstitem in studiosorum gratiam collegit. Eos, cum ad nostrum Institutum nihil faciant epigrammata illa, quæ ipse adducit, & nomina eorum varia omisimus, ut tantùm Icones propositas brevi explicatione illustremus. In illis igitur Sacerdotes Græcorum exprimi aperte probatur ex eo quòd aperto sint capite; Docet enim Varro græcum hunc morem fuisse, Romanorum verò, cum rem divinam facturi erant, capita velare; ita præter Virgilium & Plutarchum Festus. *Saturnii*, inquit, *dicebantur, qui castrum in clivo capitolino incolebant, ubi Ara dicata ei Deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eam supplicant apertis capitibus, nam Italici auctore Ænea velabant capita; quòd is qui rem divinam faceret in littore laurentis agri Veneri matri, ne ab Ulysse cognitus interrumperet Sacrificium, caput adoperuit, atque ita conspectum hostis vitavit, atque inde mos velandi capitis*. Id quod Helenus Aenææ prædicit lib. 3. Aeneid.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Macrobius autem in 3. Saturnal. ait, *Ex Balbi sententia apud Aram maximam observant, ne lectisternium fieret, ubi etiam aperto capite omnes sacra fecisse tradit*. Quod fiebat, ne quis Dei habitum imitaretur, nam ibi ipse operto capite erat. Quare Saturno operto capite sacrificabant, ut veritatis cultori, licet sint, qui scribant, ne Sacerdotis animus à Sacris averteretur.

Vestes verò quibus Sacerdotes induebantur sacras fuisse didicimus ex historia Romana, ut de hebræis nihil dicamus. Audiatur itaque Plutarchus. *In sacrificiis* (inquit) *& celebritatibus, pulchra veste aureisque coronis ornatus Sacerdos rem divinam facit. Qui autem victimam offerebat, pura in veste & candida, plerumque in textili tela; nonnumquam in purpura & auro: triumphales Viri, & qui amplissimos honores adepti fuissent, in triumphi ornatu, aut in prætexta, lotis manibus & fronde coronati, sancti & venerabiles, nudis pedibus tonsa coma ad rem divinam accedebant, idque jam à Pythagora traditum, sed à Iudæis Lacedæmonii observarunt, qui nudis pedibus ad orandum & sacrificandum accedebant*. Pura etiam & religiosa vestis dicebatur, ut Festus scripsit, qua rem divinam facturi festo utebantur die: Ea quidem erat soluta omni vinculo, maculis, nec aliquo Squallore obsita.

Cum autem nudos pedes habeant hæc simulacra, dubitare quis poterit an morem priscorum ostendant nudis pedibus incedendi, vel potius peculiarem sacrificantium ritum. Nudis enim pedibus olim incessisse scimus non solùm barbaras gentes, verùm etiam populos, qui nihil nisi quod honestum & decorum esset, expetebant, & inter ipsos clarissimos quoque. Spartanorum juvenes ex lege Lycurgi nudis pedibus incessisse refert Plutarchus in vita Lycurgi. Apud Athenienses non nisi ad vitandum itinerum asperitates calceis utebantur, & non tantùm Cretensium pueri venatum ibant, verùm etiam Virgines delicatiores, aliique, quos fuse memorat Antonius Binæus lib. 1. cap. 1. de calceis Hebræorum.

Verùm etiamsi morem hunc possint exprimere, non tamen dubito quin hic indicetur ritus sacrificandi sine calceis. Fuisse Pythagoræ effatum ex Jamblico didicimus de Vita Pythag. symb. 3. *Nudis pedibus sacrifica & adora*. Putavit enim Vir ille Deorum observantissimus, id exigi à Religione, ut nudis pedibus fieret res divina. Silius de bello punico lib. 3. Sacerdotes Herculis nudipedes describit eo modo, quo Sacerdotes in antiquis marmoribus observamus, sicuti ad Vestæ templum nisi nudo pede accedere non licebat juxta illud Ovidii Fastor. 6.

Huc pede matronam nudo descendere vidi.

Et in Aede Dianæ apud Cretenses ex Servio. Quod tamen non semper à Sacerdotibus Gentilium observatum fuit, calceati enim plures in antiquis nummis & marmoribus visuntur: Qua de re plura monuerunt Viri eruditissimi & nuperrime multa congessit Joannes Braunius in eximio opere de vestitu Sacerdotum Hebræorum.

Brachium dexterum nudatum habet utrumque simulacrum juxta exemplaria ferè innumera, quæ in numismatibus & lapidibus antiquis exprimuntur, præsertim in sacrificio fructuum expresso à Guilielmo Choul in tractatu de Relig. & in nummo Longini Triumviri apud eundem, & nummis Galbæ, Neronis, Domitiani, Trajani &c. apud Antonium Augustinum.

Alterum ex iisdem simulacris manum elatam habet, quæ non absimili modo repræsentatur in Sacerdote exculpto à Choul pag. 193. fortasse ut gestum dicentis exprimat; Solebant enim Sacerdotes, antequam Sacra facerent, Diis vota effundere solemni precationis carmine, verbis antiquis ex Annalium vetustate erutis, quam precationem plerumque ter repetebant; vel sicuti Aegyptii Sacerdotes immolata victima caput ejus abscindebant, illudque diris & carminibus execrati in flumen deiiciebant, cum solemni precatione.

Alterum verò pateram inclinatam demonstrat, cujus usus in Sacris frequentissimus erat, cum vinum Sacerdos inter cornua victimarum spargebat, ut canit Virgilius lib. 6. Aeneid de Didone

Ipsa tenens pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fudit.

& lib. 6.

Quatuor hic primùm nigrantes terga juvencas
Constituit, frontique invergit vina Sacerdos.

Vel oleum supra ejusdem Victimæ viscera, altari imposita, ut idem Virgilius lib. 6. Aeneid.

Ut solida imponit taurorum viscera flammis
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

In quibus in primis illud observandum esse notat Giraldus in hist. Deor. syntag. 17. Poetam usum esse summo artificio, & verborum proprietate dicentem *Vina invergit* quippe *fundo*, *vergo*, & *invergo* verba sunt Sacrificiorum propria, de quibus sic observant periti, ut *fundere* sit supina manu libare, *Vergere* verò seu *invergere* sit conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur. Sic Statius lib. 6. Theb. *Spumantesque mero patera verguntur*, id quod aperte indicatur exposito simulacro.

Pateram eo modo etiam conversâ habet aliud æneum signum, quod Sacerdotem Aegyptium refert sub num. 1. Tab. VIII. Seminudus enim est & discalceatus, detonsis insuper capillis, ut solebant Ægyptiorum Sacerdotes ad Sacrificia incedere, antequam enim Diis imolarent præcedebat corporis ablutio, quæ erat etiam communis aliis permultis, unde Aenęas Deos contrectaturus ait in 2. Aeneid. *Donec me flumine vivo abluero &c.* At cum non dissimiles imagines è columna Trajani acceptas Guilielmus Choul pag. 239. referat, in quibus Sacrificiorum ministri exprimuntur, qui Popæ seu Victimarii appellabantur, aliquem ex iis posse indicari hoc signo, non ambigo, sicuti ab alio simulacro, quod sub numero 2. propono, quodque oculis in cœlum defixis ambas manus extensas tenet. Notum est eruditis, Sacerdotes Veterum antequam Sacra peragerent, versos ad solem solemni precationis carmine Deos deprecantes Vota effudisse, quam precationem ter repetebant, & quidem Persæ solem orientem respiciebant, Indi meridiem, occidentem autem Hebræi.

Aliam Icunculã æream superioribus addo sub nu. 3. qua Sacerdos repręsentatur manus extensas orantis instar habens: tunica tegitur è collo ad pedes usque producta, quam Zona cingit circa lumbos, pedes habet discalceatos, & brachia omni velamine nudata Caput quodam cydaris genere circumdatur, Ab illo Sacerdotem Isidis repręsentari non dubito; simili enim habitu indutam Isidem exposuit ex antiqua gemma acceptam eruditus Michael Angelus Causeus nu. 52. addito capiti flore loto, manu sistrum tenentem. Sicuti ejus Sacerdotes simili prorsus veste amicti cernuntur in antiqua ærea tabula inciſi, quam explicavit Laurentius Pignorius.

Non omittendum hic est, quod Binæus notat in cap. 3. de calceo, à Sacerdotibus Gentilium non semper nudis pedibus Sacra peracta fuisse, Silius Italicus de bello punico lib. 3. Herculis Sacerdotes nudipedes describit, & ex Floro habemus, ob imminens à Gallis periculum, *Virgines simul ex Sacerdotio Vestæ nudo pede fugientia Sacra comitantur*. Ex quibus verbis Isaacus Casaubonus & alii arguũt, Vestales Virgines nudo pede sacrificasse: Attamen in multis nummis antiquis Sacerdotes calceati visuntur. Qui plura desiderat adeat Joannem Braunium in eximio opere de vestitu Sacerdotum Hebręorum.

CAMILLUS.

ALiud simulacrum æneum in eadẽ Tab. exprimitur nu. 4. quod Juvenem refert, quem Camillum antiqui vocabant, eratque Sacrorum minister, qui Flamini in sacrificiis ministrabat, sicut Camilla erat ministra Dianæ. Variæ Camillorum imagines in antiquis marmoribus reperiuntur, & habitu quidem diverso circumtecti; nudus videtur in Columna Trajani; Clamide indutum ostendit in marmore antiquo Choul pag. 244. in alio tunicâ usque ad tibias extensa. Imago, quam exibemus parum differt ab iis, quæ Pocillatorem seu ministrum Tricliniorum referunt apud Laurentium Pignorium in libro, quem de Servis edidit. Par enim erat utriusque munus, nam hic pocula & lances mensis apponebat; ille verò aquam, Thus, cæteraque instrumenta pro sacrificiis ministrabat, de quibus Horatius Sat. 8. lib. 2.

——— *ut omnes*
Præcincti recte pueri comptique ministrant.

Hi enim pueri erant ingenui, Vitta redimiti & religiose compti sacrificio Pontificis maximi ministrantes, Urceolum ferentes, ex quo vinum vel liquorem alium in Pateram fundebant. Romulus enim instituit, ut qui sine liberis essent, gratissimos sibi ex omnibus singulos pueros, & puellas ex singulis curiis eligerent, qui ad pubertatem usque ministrarent, puellæ verò quoad essent nubiles: Coronis autem dum Sacrificiis adessent, vel Vittis essent redimiti, & Camilli vocarentur, ut narrat Panvinius de Fastis & in secundo de Republica.

Pateram nostra Icuncula sinistra sustentat, dextera Cornucopiæ fructibus & frugibus refertum, quod etiam habet Camilli simulacrum à Michaele Angelo Causeo allatum in Musæo Romano sect. 2. num. 37. eoquòd Prisci Romani solerent Diis primitias offerre, teste Plinio lib. 18. cap. 20. Numerus 5. indicat simulacrum æneum, quo Pocillator repræsentatur, cujus munus erat apud Antiquos vina & cibos convivis porrigere. De hujusmodi servis nemo melius

lius Philone citata à Pignorio lib. de Servis pag. 141. his verbis ille scripsit. Ministrantibus formosis mancipiis non tam ad præsens ministerium quæsitis, quàm ad exhilarandos aspectu convivis oculos; Ex his minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam afferunt loti & nitidi, fucatique, ac cincinnatuli; alunt enim capillitium vel omnino intonsi, vel à fronte tantùm præfectis in orbem crinibus; tenuissimas candidasque præcincti tunicas anteriore parte ad genua demissas, posteriore ad poplites utrinque mollibus tæniis adstricti commissuras tunicæ propendentibus ad latera sinibus. Sic ornati adstant nutus observando, quod quisque postulet.

SATYRUS SACRIFICANS.

DUo se offerunt sacrificia in Tabula IX. marmorea anaglyptico opere expressa, sub glebis in agro Romano reperta, in qua non injucunda ethnicæ Religionis documenta nobis affulgent sub numero 1. Satyrus seu potius Pan exprimitur ante Aram ex acervo lapidum constructam, in ea ignis ardet, supra quem liquorem fundit è cornu, quod manus dextera gerit, sinistra verò flagrum è corio stringit sub num. 2. ara non dissimilis est cum igne, ante quam Vir conspicitur vestibus exutus, summisque pedum digitis inhærens, & sinistra manu canistrum fructibus plenum sustenstans; Quid nam in iis indicare voluerit Artifex, penitus ignotum mihi est; dicam tamen quod sentio; & primùm de Satyro, cujus imaginem noster P. Pomey in Pant. mythic. pag. 198. his verbis describit, qualem etiam nostra tabula repræsentat & à Panis imagine haud dissimilem. *Ille semicaper cornutus, caprinis pedibus, hircina cauda, baculum tenet incurvum ideſt pedum. Satyrus vocatur quòd lasciva corporis agitatione saltitare delectetur.* Hujusmodi homines inter multos Deos, quos ethnica superstitio sibi finxerat, adnumeratos fuisse docet inter alios Giraldus in hist. Deor. Syntag. 15. eosque Deos terrestres & animales dictos fuisse. Tales fuerunt præter Satyros, Panes, Fauni, Silvani, Nymphæ &c. qui tamen post longum tempus moriebantur ut homines, sed præsciendi, incursandi, & nocendi credebantur habere potestatem. Cum autem in Corinthiacis doceat Pausanias à Satyris primò Ethnicos doctos fuisse antiquas Idololatriæ cæremonias in Sacrificiis, & in nostro marmore fructus, & poma videantur oblata, illud in memoriam revocandum est, quod Guilielmus Choul de Rom. Relig. pag. 245. & Licetus de Lucernis antiquorum commemorant, scilicet apud aliquos antiquos, præsertim Aegyptios Sacrificia primùm fuisse inventa sine sanguinis effusione, in quibus non animalia, sed flores & fructus Diis offerre solebant. Quin & Lycurgus teste Giraldo syntag. 17. pag. 429. ex herbis quæ parabiles essent Sacrificia instituisse dicitur, ne quando ex difficultate Sacra omittere, vel differre necesse esset: imò etiam qui angustiores erant patrimonio, & bovem nec victimas alias possent sacrificio inferre, farinacea ex massa hunc conficiebant, & bovis vice imolabant, hinc cum de iis animalibus, quæ inventu difficilia essent, Sacrificium faciendum foret, vel de pane vel de cera effingebantur. Hinc Græci, referente Giraldo, Cyziceni nigram bovem quotannis cum immolare solerent, & obsidione pressi talem invenire non possent, frumentaceum effinxere, ut Sacrum perficerent. Athenienses quoque in honorem Jovis id aliquando effecerunt.

Observatione digna sunt Altaria rudia quidem ex lapideis tabulis ædificata, alterâ alteri superimpositâ non sine religionis arcano. His similia, quæ silvestria vocat Fortunatus Scacchus Myroth. 11. cap. 59. multa ab Israeliticis excitata fuisse idem auctor notat, quoties in locis sylvestribus ob memoriam alicujus beneficii à Deo accepti, eidem Sacrum facere vellent, ab hoc rusticorum Altarium ritu Idololatras nequaquam abstinuisse; quamobrem apud Apollon. Argon. libro 1. cum montanæ Junoni Jason sacrificare deberet ex vaticinio Mopsi sic de altare dicitur vers. 1123. *Aramque hinc de cumulo acervarunt lapillorum, circum autem foliis coronantes quernis, jam Sacrum curabant.* Et hujusmodi altaris exemplum inter monumenta vetera Brixiana habemus, relata ab Octavio Roscio, in quo nudus homo flammas excitat ad offerendos fructus, quos in patera impòsitos manu sustentat modo non absimili, ac in nostra tabula secunda repræsentatur. In ea enim Calathum fructibus plenum habet homo nudus & discalceatus, in quo Sacerdotem Aegyptium exhiberi non sine ratione mihi suadeo. Is enim Diis Sacra facturus prius Nili aqua lavabatur, sicuti & alii Gentium Sacerdotes. Extenuatum & macie consumptum corpus habet, & summis pedum digitis insistit; quæ omnia Sacerdotibus Aegyptiorum apte conveniunt; nam inter plura, quæ de illis refert Porphyrius lib. 4. de Abstinentia, incredibilem abstinentiam narrat. Sic etiam Cælius Rhodiginus lib. 13. lect. antiq. cap. 25. Eorum enim mens contemplationi dedita in stuporem usque degenerabat, carnibus item & vino, imò verò etiam pane rarò vesci solebant, bidui atque etiam tridui inediam sustinebant, & cubile eisdem ex foliis palmarum erat, id opinantibus, quod Porphy-

rius docet, Hominem, ad Deum incorporeum, & intellectualem elevari cupientem, non debere quærere nutrimentum carnium, quo Saginatum corpus pingueſcens menti impedimento eſſe poteſt. Summis pedum digitis inſiſtit eo ritu, quem Romanos ſervaſſe narrat Alexander Sardus de moribus Gentium lib. 3. cap. 15. cum Sacra facturi ab Jano, & Veſta inchoabant preces, cœlum inſpicientes, *ſummiſque pedum digitis inſiſtentes*, quo fortaſſe ritu perutile documentum, etiam Ghriſtifidelibus inſinuabant, ideſt: in Sacris ſummo Deo offerendis totum hominem è terrenis curis quodammodo elevari debere, & mentis cogitationes omnes ad cœleſtia transferri.

Verùm etſi omnia hæc Sacerdoti Ægyptio aptè conveniant, illum tamen referre miniſtrum Panos non dubito; Pan enim, quem inter Deos ſilveſtres, & ruſticos enumerabant antiqui, cultus a Romanis Lupercus dictus fuit, in cujus honorem Templum ad radices Palatini montis erectum eſt, & Lupercalia feſta inſtituta fuiſſe refert Juſtinus lib. 43. in quibus Luperci Panos Sacerdotes nudi per Urbem diſcurrebant. Feſtorum autem Lupercalium varia fertur inſtitutio, ut a Plutarcho in Romulo pluribus traditur. At magis apud aliquos illa recepta ſunt, quæ de Evandro Arcade Rege proditur, qui ex Arcadia profugus in Latio ædem tenuerit, medoſque Juvenes hoc ſacrum per ludum, & laſciviam primum agere inſtituerit. Alii ad Romulum, ac Remum referunt, qui cum Quintiliis, & Fabiis in luctu cum eſſent abactores pecorum, ut erant nudi, inſectati ſunt, & recuperata preda, id ſacrum inſtituerunt, quod idem recitat Ovidius in Faſtis. Sic etiam de nominis inſtitutione varia traduntur, præſertim aliqui dicunt, quòd ludicrum ipſum, ſeu Templum, Lupercal diceretur, in ſpecu ſub monte Palatino, quod Ovidius innuit, cum ait.

Et gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.

De his plurima Giraldus Syntag. 17. Flagra igitur ad feſta Lupercalia referuntur, in Luco Junonis præſertim celebrata ſub monte Eſquilio. Et quæ minus fœcundæ fœminæ haberentur ad Lupercos Sacerdotes confugere ſolebant, qui loris coriiſque occurrentium palmas verberabant, exiſtimantes talia verbera fœcunditatem afferre. De his ita Ovidius lib. 2. Faſt.

Nupta quid expectas, non tu pollentibus herbis
Nec prece nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ
Iam ſocer optati nomen habebis Avi.

Quod innuit etiam Plutarchus in Romulo. *Mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem, & partum ratæ.* Potuerunt etiam his Sacerdotibus ſeu Diis Sylveſtribus aptari flagella, ad indicandam eorum virtutem, domandi, & expellendi contrarios Dœmones, maloſque, & noxios Genios; nam apud Veteres Averruncj Dii dicebantur illi, qui mala imminentia aliò avertebant, & pingebantur manibus geſtantes ſcuticas, ſeu baculos. Talem exhibet in Gemma ex theſauro Barberino accepta Michael Angelus Cauſeus in ſuo Muſæo ſect. 1. pag. 17. num. 33. ideſt Iſidem Loto inſidentem cum flagello.

IDOLA DEORUMQUE SIGNA.

QUibus autem Diis ſua ſacrificia, & Victimas immolabant Ethnici, eorumque numerum recenſere ſi vellem, tempus, & paginæ deficerent. Marmorea fragmenta ex diffractis Idolis tanta Romæ fuerunt, ut Caſſiodorus lib. 7. Variorum in formula ad Præfectum Urbis de Architecto faciendo ſub num. 15. loquens de ſtatuis in Italiam introductis, dixerit. *Has primùm Thuſci in Italiam invexiſſe referuntur, quas amplexa Poſteritas pene parem populum Urbi dedit*; unde Theodoſius Imperator impiiſſimum Idolorum cultum aboliturus anno 395. lege quadam, quæ habetur in codice Theodoſiano ſub titulo de Pag. lib. 16. decrevit, ut templa Idolorum, ſi quæ in agris eſſent, ſuis ædibus evellerentur. Idem confirmat Zoſimus lib. 5. pag. 815. Eruditiſſimus verò Gottofredus in comment. lib. 8. ejuſdem tituli notat. *Theodoſii magni mentem hanc fuiſſe, poſſe Religioni conſuli, ſacrificiis videlicet prohibitis, neque interea voluptatibus, atque ornatui publico quidquam detrahendum. Quo circa ornatus publici tuendi argumento Gentiles, & in his Libanius hoc ipſo tempore Theodoſium dehortatus eſt à templorum ſtrage.* Verùm ubi rerum experimentis contra evenit, eidem neceſſarium viſum ad eradicandam ſuperſtitionem, Templa occludere, vel etiam exſcindere, quod quidem etiam non ſemper Principum auctoritate juſſuve factum, verùm Eccleſiaſticorum, aut Monachorum zelo: ſed hæc omnia omittimus, cum noſtri Inſtituti ſit, ut aliàs dixi, ea tantùm numerare, quæ in Muſæo ſunt: ſcilicet aliquot ſigna Deorum, tum ex marmore, tum ex ære efficta, & antiquæ ſuperſtitionis reliquias, & a veritate miſere aberrantium deliramenta. Sed antequam illa exponamus, notandum eſt, neminem adeo rudem, & belluinis moribus præditum fuiſſe, qui hanc rerum Univerſitatem perluſtrans, aliquem eſſe ejus opificem, gubernatoremque non crediderit, & cum unus ille ſit, nefas eſt plures eſſe Deos putare. Cum tamen ejus immenſam virtutem, quæ ubique ſingula regit, atque exornat, diſquirere, & explicare neſcierint, in

varias

varias superstitiones inciderunt, variaque illi nomina tribuentes, plures sibi Deos confinxere, ita ut usque ad triginta millia excogitarent, ut advertit eruditissimus Giraldus in historia Deorum Syntag. 1.

Hinc ut docet D. Augustinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 11, *Multos Deos Doctores Paganorum unum eumdemque Iovem esse defendunt, ut ipse in Ethere sit Iupiter, ipse in aere Iuno, ipse in mari Neptunus, in inferioribus etiam maris ipse Salacia in terra Pluto, in terra inferiore Proserpina, in focis domesticis Vesta, in fabrorum fornace Vulcanus, in sideribus Sol, Luna, & Stellæ, in divinationibus Apollo, in Merce Mercurius in Iano initiator, in Termino Terminator, Sāturnus in tempore; Mars, & Bellona in Bellis, Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in Silvis. Minerva in ingeniis. Ipse sit postremò etiam illa turba quasi plebejorum Deorum. ipse præsit nomine Liberi virorum seminibus, & nomine Liberæ fœminarum: ipse sit Diespiter, qui partum producet ad Diem; ipse sit Dea Mena, quam præfecerunt menstruis fœminarum, ipse Lucina, quæ a parturientibus invocetur. ipse opem ferat nascentibus excipiens eos sinu terræ, & vocatur Opis; ipse in vagitu os aperiat, & vocatur Dea Levana, ipse cunas tueatur, & vocatur Dea Cuana. Non sit alia sed ipse, in Deabus illis, quæ fata nascentibus canunt, & vocantur Carmentes; prætiofortuitis, voceturque fortuna; in Diva Rumina mammam, in Diva Potina potionem ministret, in Diva Educa escam præbeat: De pavore Infantium Paventia nuncupetur, de spe, quæ venit Venillia, de voluptate Volupia, de Actu Agenoria, strenua Dea sit strenuum faciendo; Numeria, quæ numerare doceat, Camæna, quæ canere. Ipse sit, & Deus Consus præbendo consilia &c. Hæc omnia quæ dixi, & quæcunque non dixi, hi omnes Dii Deaque sit unus Iupiter, sive sint, ut quidam volunt, omnia ista partes ejus, sive virtutes ejus, sicut eis videtur.* Hactenus S. Doctor Augustinus, qui prudenter concludit: Hæc si ita sint, quod quale sit non dum interim quæro, quid perderent; si unum Deum colerent prudentiore compendio?

At cum poetarum parens Homerus serias disciplinas tegumento fabularum involveret, & præclaram animis hominum instillare vellet veritatem, suavi quadam persuasione docens supremum illud numen, quod Deum vocamus, non cœlestes tantùm sibi sedes vindicare, sed & per hanc rerum Universitatem diffusum esse; suaque præsentia complere omnia, quæ aut intellectu percipimus aut oculis metimur, Deos innumeros quibuslibet rebus locisque inseruit, & Etheri Jovem, Junonem Aeri, Mari Neptunum, Terræ Cybelen, atque etiam montibus, Pratis, Silvis, fluminibus, cunctisque propemodum terræ angulis suos tribuit genios. Et quamvis nosset præstantissimus Vates (Justino Martyre teste) unum esse summum rerum moderatorem, & opificem, deliniti tamen homines homericorum carminum suavitate, quo magis ille non credenda de Diis modulabatur, eò majorem ejus fabulis fidem adhibuere, & Apollini aut Mercurio: *cæterisve institutam ab Antiquis venerationem excoluerunt.* Antequam ad alia procedamus censeo declarandum, has & similes interpretationes physicas, seu morales fabularum, arbitrarias esse hominum, qui suorum Deorum ineptias quoquomodo corrigere, ac in meliorem sensum torquere conati sunt, & rationes ibi invenire, ubi nulla ratio est; sed mera pictorum ac Poetarum Figmenta erant, idque ex eo satis apparere, quod omnia coactæ interpretationes sint, ut eruditè docuit Eusebius de Præparatione lib. 3. cap. 3.

IUPITER.

His præmissis primo loco sese offert in Tab. X. tripalmare simulacrum ex marmore, in quo Jovem venerabantur Antiqui, ut cæterorum Deorum Principem. Ejus signa pro varia potestate, quam haberi ab eo falsò putabant, variis etiam modis efformabant. Aliter enim fulgens, & fulgurator Jupiter, aliter Tonans, & Fulminator, & Stator effingebatur, & plerumque pro arbitrio Principum, Vatum, & Pictorum. Aliquando appellatus est Jupiter Custos, cultus in primis a Romanis. Jovis custodis Apulejus meminit in libro de Mundo, & Seneca lib. 2. quæst. de Jove agens, eundem, inquit, quem nos, Jovem intelligunt, Custodem Rectoremque Universi. Sunt qui putant Jovis custodis templum ex Suetonio tranquillo a Domitiano Imperium adepto in Capitolio conditum fuisse. Extant præterea Numismata quædam Neronis in quibus Jupiter est expressus in solio sedens, dextera fulmen habens, & hastam læva cum hac epigraphe: *Jupiter custos.* Calceos gerit pedibus, humero pallium, quo inferiores corporis partes conteguntur, atque in sede hæc verba incisa leguntur. *Jovi sacrum.* Cur hoc modo exprimerent Antiqui, explicat Giraldus Syntag. 2. scribens. *Sedere fingebatur, ut stabilis Virtus & incommutabilis ostenderetur, nuda verò superiora, & aperta habere videbatur, quoniam ipsum conspicuum esse existimabant in intelligentiis, quæ dicuntur, & cœlestibus mundi partibus, Inferiores autem Iovis partes velatas, & obtectas, quia*

minus

minus apparere nec planè videri putabant, ab iis scilicet, qui creati sunt in partibus inferioribus, continebat verò læva sceptrum, quia in sinistra corporis parte, ut volunt physici, princeps, & spiritale subsistit eor. hactenus Giraldus; alii tamen loco sceptri hastam dederunt, quæ pariter imperium denotat, sicuti etiam manus cũ indice elato imperantis instar. Dextra fulmen præfert, quod olim in subjectos gigantes a se devictos intorsisse asserunt Poetæ; solium eburneũ, & aureum fuisse asserit Pausanias in Eliacorum primo, aureos itidem calceos, & Pallium variis distinctum floribus, & animalium figuris, quod ejus simulacro abstuliſſe in Sicilia dicitur Dionysius Tyrannus, & tradidisse pro aureo laneum, illud commodius inquiens, fore quovis tempore, nempe hyeme calidius, æstate verò multo levius. Simulacrum quod numero 1. & 2. ex marmore assabre exculptum producimus non quidem sedentis sed stantis Seminudus pariter est, dextraque fulmen gerit. Duplici nomine hoc habitu expressus dicebatur, ideſt *Stator*, & *Falminator* a fulmine vibrando, quod proprium munus illius erat, si Poetæ credimus, nam sic de illo Horatius 3. carminum.

O qui Res Hominumque Deumque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres.

Orpheus de fulminatore Jove hymnum composuit, & ob eandem rationem dictus est Fulminum Princeps, & Fulminans, ita Horatius;

Nec fulminantis magna Iovis manus.

Cur autem Stator dictus sit, non ita certum est apud Auctores D. Hieronymus Jovem Statorem stare dixit, non quòd ideo Statorem dictum putet, quia rectus stet, sed quia Jupiter tonans, ut docuit Hermolaus Barbarus, sic fingatur in antiquis signis; Stator verò stans tanquam erectus ad feriendum. Docent alii Statorem illum dici, a verbo *stando*, sive *sistendo*, ideoque templum illi Romulum consecrasse, quòd suorum fugam stitisset adversus Sabinos male pugnantium. Illum sic Livius finxit precantem lib. 1. At tu Pater Deum Hominumque hinc saltem arce hostem, deme terrorem, Romanis, fugamque fœdam siste. Hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monumentum sit Posteris tua præsenti ope servatam Urbem esse voveo. Confirmat hanc appellationem M. Cicero in Oratione dicta priusquam in exilium iret his verbis: *Teque Iupiter Stator, quem verè hujus imperii Statorem majores nostri nominaverunt, cujus in templo hostilem impetum Catilinæ repuli a muris, cujus templum a Romulo, victis Sabinis, in palatii radice cum victoria est collocatum, oro atque obsecro, ferre opem pariter Reipublicæ, cunctæque civitati meisque fortunis.* Divus etiam Augustinus in 3. de Civit. Dei, a stando similiter derivavit. *Hic enim* (inquit) *Romulus de suorum virtute desperans Iovem rogavit, ut starent, atque ille hac occasione nomen Statoris invenit.* Seneca verò in 4. de Beneficiis, cur Stator appellaretur altiorem causam attulit: ita ille scribit. Non quemadmodum Historici tradiderunt, ex eo quòd post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, *sed quòd stant beneficio ejus omnia, Stator est*; At non est hujus loci referre quantas turbas Grammatici faciant circa nomen Statoris. Sufficit meminisse Numismatum Antonini Pii, Gordiani, aliorumque Veterum, quorum est imago nuda Jovis Statoris, dextra hastam tenentis, sinistra fulmen, cum hac inscriptione *Iovi Statori*. Nostrum autem simulacrum stat quidem, sed pallio semitectum, quod sinistra sustinet, dextra fulmen ostentat, & arte præclare exculptum.

Aliud Jovis simulacrum, ex ære fictum addimus sub n. 3. Tab. ejusdẽ diverso modo a superiori efformatum. Jovem enim, sicuti & cœteros Deos, pro varia potestate illis attributa variis modis effingebant, & plerumque pro arbitrio Principum, Vatum, & Pictorum. Nudas, & apertas illum habere partes corporis superiores dicebant. (ut hic apparet) quoniam conspicuum esse in cœlestibus rebus existimabant, quas intelligentias mundi vocabant, ut alibi indicavimus cum Giraldo, inferiores autem partes velatas, & obtectas, quia minus apparere putabant iis, qui creati sunt in partibus inferioribus. Ætatem hominis perfectam non efflorescentem, nec deficientem demonstrat, ut Phurnutus ait; Jovem effingi solere, unde & illi adulta ut plurimum sacrificabant. Radiatam coronam habet, quam Martianus lib. 15. de Nuptiis in Senatu Deorum illi appinxit, cum veste candida, nisi credere quis velit, tali corona stellam illam indicari salutiferã, quæ inter errantes secunda est, & Jupiter dicitur, ut docet Giraldus Syntag. 2. Pateram dextra manu sustinentem sacrificantis instar effinxerunt, ut fortasse sacrificium indicarent, ab Jove in litore factum, cum ex insula Naxo contra Titones profectus est, in cujus oblatione Aquilam ad eum advolasse, auspiciumque fuisse Lactantius Firmianus fabulose tradit. Philippus tamen Paræus relatus a Tomasino de Donariis cap. 1. eruditè observavit; pateras apud Gentiles fuisse Divinitatis Symbolum, ideoque in veteribus nummis Deorum effigies sculptas videri dextera pateram gestantes. Quò facit illud Plinii lia. 34. cap. 8. Simulacrum boni eventus dextera pateram, sinistra spicam & papaver tenens.

Sinistra fulmen stringit, quia fulminator Jupiter dictus est a Latinis teste Apulejo. Apud

Or-

Orpheum coruscans fulmine, dicitur etiam apud Græcos Fulminum Princeps.

Quarto loco se offert lapidea pueri imago, cujus caput leonina exuvies condecorat; Solem in ea indicari ex pluribus patet; Adolescentulum enim fingi solitum docent Antiquorum effata, quòd sol (inquit Isidorus 8. origin.) *quotidie oriatur, & nova luce nascatur*: sive ad innuendam, ut Phornuto videtur, formositatem Solis; sicut enim nihil est sole venustius in rerum Universitate, ita adolescentium pulchritudo ætates omnes antecellit; vel quia, ut alii putant apud Alexandrum Juniorem in tabulæ antiquæ explicatione pag. 17. *Vis, & calor Solis, quibus omnium vita alitur, idem semper est, & nunquam senectuti obnoxius juxta illud antiqui poetæ.*

Sol semper Iuvenis rapidum qui dividit Axem.

Semper Juvenis (inquit Fulgentius) primo Mythol. *quia occidendo, & renascendo semper est junior, sive quòd nunquam in sua virtute deficiat, ut luna, quæ crescit, & minuitur.*

Intonsum quoque fingebant Apollinem aureoque capillitio, ut observat Macrobius, significantes longam radiorum emissionem. Pellis autem leonis qua tegitur caput, vim exprimit solarem, quoniam (ait Porphyrius) *vires suas in leone præcipuè ostendit*. Leonem insuper soli dedicarunt, antiqui, & illum solare animal appellavere, teste Plutarcho 4. sympos. Docet etiam Ælianus lib. 12. de nat. Animal. Solis domicilium leonem fuisse constitutum, quòd igneum sit animal, & his verbis confirmatur a Macrobio, in primo Saturnal. cap. 21. *Ægyptii* (inquit) *animal in Zodiaco consecravere ea cœli parte, qua maximè annuo cursu sol valido effervet calore; Leonisque inibi signum domicilium solis appellant, quia id animal videtur ex natura solis substantiam deducere primùmque impetu, & calore præstat Animalia, ut præstat sol sidera, validusque est leo pectore, & priore corporis parte, ac degenerat posterioribus membris, atque Solis vis prima parte diei ad meridiem increscit, vel prima parte anni a vere in æstatem, mox elanguescens deducitur, vel ad occasum, qui diei; vel ad hyemem, quæ anni pars videtur esse inferior, idemque oculis patentibus, atque igneis cernitur semper, ut sol patenti igneoque oculo terram conspectu perpetuo cernit,*

Hæc proprietas Solis in Apolline indicati eleganter significata videtur in alio marmoreo signo, quo juvenis facie decorus, & compta cesarie exprimitur cum oculis, rutilantibus ob pupillas ex rubro lapide additas, non absimili modo, quo statuis romanis oculi aliquando ex alia materiè conficiebantur, veluti argentei æreis statuis, quam artem præcipuè callebat Marcus Rapilius Serapio, qui etiam Aras marmoreas fabricare solebat, cui inscriptio posita fuit, quæ refertur a Sponio sect. 6. accepta Florentiæ ex Villa Strozzi: his verbis

M. RAPILIUS SERAPIO HIC
AB ARA MARMOREA
OCULIS REPOSUIT STATUIS
QUA AD VIXIT BENE.

ideſt quoad vixit. Solem quoque cum Leonino capite effingi solitum docuit Laurentius Pignorius, ex Lutatio, antiquitatum solertissimus indagator in expositione mensæ Isiacæ.

BACCHUS BIFRONS.

SOlem non tantùm in simulacro Apollinis significabant Antiqui, sed sub imagine ac nomine Bacchi exprimebant. Hoc documentum præbet marmoreum caput bifrons, expositum in Tab. XI. num. 1. cujus altera pars senem, altera verò Juvenem, seu fœminam ostendit. Ex Saturnalibus Macrobii lib. 1. cap. 16. accepimus, in Sacris antiquis hanc religiosi arcani observationem habitam, ut cum Sol in supero ideſt in diurno hæmispherio est, vocitetur Apollo, cum autem in infero, ideſt nocturno, dicatur Dionysius, qui & Liber pater habebatur.

Item Liberi patris simulacra ætate passim juvenili finguntur, præterea specie senili; quæ ætates ad solem referuntur, ut veluti parvulus videatur breviſſimo die hyemalis solstitii; exinde autem æquinoctio vernali similiter adolescentis adipiscitur vires, figuraque juvenis ornatur, postea ejus ætas statuitur pleniſſima, effigie barbæ solstitio æstivo, quo tempore summum consequitur incrementum, Bacchus etiam a Romanis vocatus est Liber, quia liber, & vagus, ut ait Nævius, & quidem sol talis est.

Repræsentatur hic prout ab Albrico depingitur facie juvenili, seu potius muliebri, teneroque ac delicato cultu, crinibus more puellarum collectis, & pendentibus, de quo Ovidius Metam. lib. 4.

——— *Tibi cum sine cornibus adstas*
Virgineum caput est ———

& Porphyrius ita loquitur de Baccho apud Eusebium de Præp. Evang. *Muliebriformis est, promiscuam indicans Virtutem generationis plantarum*. Ita Plantis vim ineſſe tam maris, quam fœminæ testatur idem Porphyrius. Aristides quoque orat. in Bacchum. Utroque sexu præditum affirmat; propterea (ait) *& masculus, & fœmina sit Deus.* Vitium frondibus, & Vuis co-

rona-

ronatus exhibetur juxta Ovidii descriptionem metam. lib. 3.

Ipse racemiferis frontem circumdatus Uvis.

Baccho Siquidem saltem vini usum referunt multi. Vincitur etiam ejus caput mithra seu Vitta de qua Properſius lib. 4. eleg. 2.

Cinge caput mithra, speciem furabor Iacchi.

BACCHUS PUER.

PUeri simulacrum ex albo marmore, addimus sub num. 2. indicatum, utrem liquore plenum supra humeros deferentis, sub qua etiam imagine Bacchum venerabantur Antiqui. Scribit Macrobius: *Liberi Patris simulacra Pluribus modis expressa fuisse, ut supra indicatum est. Parvulus igitur videtur hyemali solstitio brevissimo omnium die, exinde autem procedentibus augmentis pleniſſimam veluti ætatem attingens effigie barbata exprimitur. Utrem gerit plenum duplici de causa. Cum enim Uter pellis sit, qua Vinum & Aqua deferri solet, præcipue apud Ægyptios, optime convenit Baccho, à quo vini usum primò inductum fuisse scribunt. Vitisator idcirco appellatus, quia vitem severit, ita Actius: ò Dionyse pater, optime Vitisator Semele genitus.* Ea etiam de causa Jacchi nomine Bacchum vocari refert Hesychius, quod nomen est Viri ebrii & potatoris.

Cum autem aqua etiam utre deferatur, illa convenit huic simulacro. Tempore enim hyemali, quod pueriliis ætas indicat, ut dictum est, copioſius decidunt pluviæ. Quamobrem *Hyes* vocatus est Dionysius, qui idem est ac Bacchus, ut in libro de Iside & Osiride notavit Plutarchus: quòd videlicet Dominus sit humidæ Naturæ. *Hyes Dionysii est Epitheton* (ait Clidemus) *quoniam illi Sacra perficimus per id tempus, quo Deus pluit.* Humida autem Natura indicatur in utre pleno, quem humeris gerit.

BACCHANS.

DUplex simulacrum Baccho addimus, quorum utrumque fœmineum vultum refert sub numeris 3. & 4. Alterum est hædera & vitta redimitum, alterum sparsis capillis veluti vino madidum & furens. Bacchas seu Bacchantes utrumque indicat, quas Liberi patris comites, seu Sorores dixerunt Antiqui. Teste Suida ferebantur illę quodam aflatu divino repletæ, dictæque sunt Bacchæ à verbo *Bacchari*, quod idem est ac furere. Etenim orgia liberi Patris veluti per furorem magnis clamoribus celebrabant, pampineisque & hæderaceis coronis utebantur, & ut verbis utar D. Augustini, *Bacchum apud Indos bellantem sequutæ sunt fœminæ non tàm virtute, quàm furore?* Quatuor Bacchi sorores recenset Fulgentius lib. 2. Mytol. quarum proprietates erudite descripsit his verbis: *Quatuor sunt ebrietatis genera, ideſt prima vinolentia, secunda rerum oblivio, tertia Libido, quarta insania; unde & nomina hæc quatuor Bacchæ acceperunt.*

Præter coronam ex hædera, Bacchantes caput & frontem circumdabant Vitta, quia, ut Ariston scripsit apud Athenæum, Veteres ad curandum dolorem capitis ex vini copia, vinculo aliquo tempora ligare solebant. Fuerunt idcirco appellatæ *Moenades*, quòd significat insanire & furere, & sic incedere capillis sparsis, & non solùm in Bachanalibus, verùm etiam in festo Matris Deorum seu Veneris, in quo mulieres coronabatur hædera & pampinis, & Thyrsum gerebant; de quibus coronis vide Plutarchum in quæstionibus Convivalibus. In sacrificiis & festis Bacchi, quæ Orgia dicebantur, indui solebant pellibus ferarum, ob id vocatæ *Nebrides*, & præcipue exuviis caprarum, quæ Baccho erant Sacræ ut significat Clemens Alexandrinus apud Leonardum Augustinum nu. 98. Tract. de Gemmis antiquis his verbis: *Nebridarum familiam pellicula cohoneſtavit hinnulæ, quæ sacrabat eos, qui seſe ad mysteria parabant hinnuli pelle contecti.* Quæ Sacra cum in omne scelus degenerare cognoscerent Romani, referente Alexand. ab Alexand. Dier. gen. lib. 6. cap. 19. perpetuo Senatus consulto non in Urbe modò sed per omnem Italiam coercita fuere, maximisque pœnis inhibitum, ne Bacchanalia Romæ neve in Italia fierent, cum essent maximorum scelerum causa & seminarium.

HERCULES.

ALiud solis signum pulcherrimum in simulacro marmoreo Herculis extat in Musæo. Nudus repræsentatur, ut in Tabula XII. sub numero 1. vides, & eo vultu quo Græci Latinique illum effingere solebant, ideſt barbato hirsutoque, unde apud Sidonium in Paneg. Aviti Augusti dicitur. *Tirinthius hirsutus.* Alterum signum addidimus sub num. 2. lapideum, quod stans clavam tenet & leoninam pellem sustinet. In his solis proprietates declarat Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 20. *Clava enim indicat inæqualitatem motus solis, pellis verò ejus vires, quas in Leone præcipue ostendit.* Docuit quidem Orpheus in hymnis duodecim labores, qui Herculi tribuuntur, ad solem referri, domicilia circuli percurrentem, & Porphyrius apud Eusebium inquit, *duodecim laboriosa certamina effinxerunt, quasi symbolum assignantes duodecim cœlestium signorum; interfecti tamen*

Leo-

Leonis trophæum ſolùm geſtat, ut vim æſtatis acriorem ex Leone ardentiſſimo ſidere manantem ſignificet; in quo etiam oſtentatur animi fortitudo contra quam nulla vis corporea, quæ ſemper ſpolium Leonis ideſt vim virtutis defert. Firmitatem etiam & vires indicari ex quercu, ex qua clava efformata fuit, docet Pierius Valerianus Hyerogliph.lib.54.& nodoſam fingi clavam propter difficultates, quæ Virtutem indagantibus ſe ſe frequenter objiciunt.

MERCVRIUS.

DUplex Mercurii ſignum ex ære, & aliud marmoreum Muſæum exornant, primum & ſecundum Viri figuram oſtendit, pectore ſeminudo, capite pileato cum duplici ala hinc inde ſupra aures diſpoſita. Dextra crumenam ſtringit, Caducæum ſiniſtra. Illa exprimuntur in Tabula XII.ſub numeris 3.& 4. Tertium in Tabula XIII.num. 1. repræſentat dimidiatam ejuſdem figuram etiam galero exornatam.

Hoc ſigno Solem etiam indicari pluribus docuerunt Mythologi. Inter cætera, quæ de Mercurio dicuntur,prçcipua eſt fabula de Argo multis oculis prædito, ab eodem Mercurio interfecto, dulcedine cantus prius ſopito, quo nocturnum cœlum teſte Macrobio ſignificatur, cujus ſtellæ quaſi innumeri oculi ab exoriente ſole enecari videntur, dum eorum aſpectus hominum oculis eripitur, quæ allegoria elegantiſſimis carminibus decantata eſt à Pontano lib. 1. de Stellis

Quin & Mercurium mutato nomine dicunt
Argum ſomnifero victum ſtraviſſe caduceo
Inſomnem, centumque oculis ac lumina centum
Pendentem,& niveæ ſervantem paſcua Vaccæ.
Argus enim Cœlum eſt vigilantia lumina flammę
Ætheriæ & vario labentia ſydera mundo
Quæ partim multo ſubluſtris noctis in umbra
Collucent,ſed mox Phœbo exoriente perempta
Torpent, luce nova & candenti lampade victa
Emoriuntur, & obſcuro conduntur olympo.

Apollinem in ſole expreſſum eundem eſſe cum Mercurio, docent multi. Primò quòd ſimulacra Mercurii pinnatis alis adornantur, quæ res monſtrat Solis velocitatem, & quia mentis potens Mercurius credebatur, & Sol mens quodammodo mundi dicitur, & ſumma ſit mentis velocitas, ideo pennis Mercurius quaſi natura Solis eſt præditus. Hoc argumentum clarius Ægyptii proponunt, cum ejus alas non unico colore exprimunt; Alteram enim cærulea, alteram clara ſpecie effingunt. Ex his clarum colorem ſuperum,& cæruleum inferum vocant,inferi autē nomen Soli datur,cum inferiore hemiſphęrio ideſt hyemalibus ſignis curſum ſuum peragit; ſuperum,cum Zodiaci partem ambit æſtivam.

In Mercurio Solem etiam coli, patet ex Caducæo, quod Ægyptii ſpecie draconum maris & fœminæ conjunctorum efformarunt Mercurio conſecrandum. Hi ſerpentes parte media voluminis invicem obligantur veluti nodo, primæque partes eorum reflexæ in circulum preſſis oſculis ambitum circuli jungunt, & poſtea caudæ revocantur ad capulum Caducæi, quod ornatur alis ex eadem parte naſcentibus. quæ omnia ad genituram Hominum Ægyptii referunt; Deos enim homini naſcenti quatuor præeſſe exiſtimabant: Duos priores Solem & Lunam; quòd Sol auctor ſit ſpiritus caloris & luminis, atque humanæ vitæ Genitor & Cuſtos; Luna corporum præſul, quæ fortuitorum caſuum varietate jactantur. Amorem oſculo ſignificabant, Neceſſitatem nodo, Draconibus iter utriuſque Syderis flexuoſum. Pinnas verò adjiciebant caducæo ſicuti capiti pedibusque Mercurii, ut velocem Solis excurſionem exprimerent. Eadem virga largitionem bonorum indicabant. Siquidem apud Homerum hymno de Mercurio, Apollo ſpondens Mercurio Caducæum ita loquitur: *Felicitatis & divitiarum dabo pulchram Virgam*: Quæ omnia Solis influxibus conveniunt; ſed de Caducæo ejuſque ſignificatione videndus eſt Macrobius cap.19. lib.1. Saturnal. ubi argumenta adſtruit, quibus Mercurium Solem eſſe probat.

Illum nuncium Veteres dixere, quòd Sol lucis beneficio patefaciat ea, quæ ſecreta ſunt & incognita. Fur creditus eſt; nam Sol raptor videtur, etenim terræ humorem radiis eripit, ideo Cleantus apud Macrobium notat vocatum eſſe Apollinem Lycium, quia inſtar lupi pecora capiat. Tertia autem imago Mercurii ex Ære in Tabula XIII. num. 1. illum refert ætate Juvenem, capillis concinne diſpoſitis, quos diadema circumdat ſub rotundo galero diſpoſitum. Galeri forman Mercurio diverſimode aptarunt antiqui Sculptores; nam in Vaſe marmoreo, quod Cajetæ eſt elegans, pileus quadratus tegit Mercurii caput. Illud expoſuit Sponius in miſcellaneis eruditæ antiquitatis ſect.2. art. 1. Refert etiam Albricus Mercurii Galerum dimidia parte album, nigrum altera fuiſſe, quòd diem ex Solis adventu, noctem ex diſceſſu ejuſdem deſignabat. Inſuper fingebatur modò è Cœlo ad inferos, modò ab Inferis ad ſupera evolare, quia Sol exoriendo in Cœlum quodammodo elevatur, ſub terram verò properat, quando ad occaſum deſcendit.

Juvenis denique & vultu decorus ut Apollo Mercurius pingitur, & ſicuti Mercurium venerabantur mercatores, tanquam navigationis præſidem, ita ruſtici menſe Majo illi Sacrum

faciebant, veluti ferenti vitam campis omnibus, quæ quidem omnia Soli convenire, quis neget? quamobrem Phæbo, & Mercurio communis ara fuit in templo Iovis Olympici, ut tradit Pausanias lib. 5. scribens: *Apud Dydimos (Milesiorum civitas est) ara communis Apollinis, & Mercurii, ob eam præcipuè causam, quòd Lyræ inventū Mercurio, Cytharæ Apollini Græcorum sermo attribuit.*

Cœtera, quæ Mercurio conveniunt, omittimus; non enim institutum nostrum est recensere omnia, quæ Diis ab Ethnicorum superstitione tributa sunt, sed solùm simulacra in Musæo asservata describere, quibus pascatur mens, dum oculi eorum inspectione perfruuntur.

SERAPIS.

ET quoniam in expositis simulacris sub nube fabularum sol effulfit, quem sicuti Planetarum Principem cognoscebant, ita illum tanquam supremum numinum super cœtera venerabantur Antiqui, aliud signum ex lapide exculptum sub num. 2. in Tabula XIII. sese offert non minus, quàm alia conspicuum. Iovis illud speciem præfert, quem nomine Serapidis, vel Osiridis dixerunt Ægyptii. Plato in Timæo. Solem in Cœlo ducem sub appellatione Iovis intelligit, qui in quocunque signo fuerit omnia sidera superat. Ejus vertex insignitus calâtho altitudinem sideris monstrat, & potentiam capacitatis ostendit, quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur. Hujusmodi simulacrum Theodosii magni tempore Theophilus Archiepiscopus sustulit Alexandriæ, quod aliqui Iovem esse dicebant, alii Nilum, eo quòd modium haberet in capite, idest aquæ mensuram. Item Aegyptii ut assererent Solem esse, quoties hyerogliphicis litteris suis exprimere voluerunt, insculpsere sceptrum, & in eo speciem oculi, significantes hoc signo Deum hunc Solem esse, regalique potestate sublimem cuncta respicere, idcircò Solem Iovis oculum appellarunt Antiqui. Ex quibus apparet Serapidi, & Soli unam, & individuam inesse naturam. Libet Rufini verba subnectere, quæ de Serapidis origine leguntur in historia. *Alii*, inquit, *Jovem putant cujus capiti modius suppositus, vel quia eum mensura modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi.* Item Belus Iupiter creditus est ab Assyriis, quod nomen Beli affirmat Servius ratione non carere. *El* quippe apud Asyrios Solem significat, unde aspiratione adjecta græca Helius est vocatus, alii non Assyriorum lingua, sed Phœnicum putant. Hel Solem vocari, unde Helius deducatur, qui postea mutatis litteris Belus dictus fuit.

Insuper non solùm sub humana figura Jupiter celebratur, sed sub animalium specie. En tibi Bos æneus sub numero 3. in quem Jovem mutatum effinxerunt; hæc de illo Arnobius protulit. *Modo*, inquit, *in aurum versus (Jupiter ut sua perficeret furta) modò in Satyrum ludicrum, in Draconem, in Alitem, in Taurum, sub qua specie Europam Agenore Phœnicum Rege oriundam, in Cretam evexisse.* Ovidius refert in 6. Metam.

——— *Sceptri gravitate relicta*
Ille pater Rectorque Deum, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, quæ nutu concutit Orbem,
Induitur faciem Tauri, mistusque juvencis,
Mugit & in teneris formosus obambulat herbis.

Plinius lib. 8. de Api Bove Aegyptiorum ita ait: *Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur. Apin vocant*, varioque honores illi delatos recenset. Diodorus Siculus apud Giraldum Syntag. 6. HonorisBovi impensi causam nonnulli eam tradunt, quòd defuncti Osiridis anima in Bovem transmigrasset, quæ deinceps ad Posteros fuerit transfusa. Cœtera omitto, ne nimius sim, & aliud Iovis symbolum propono.

Aries ille est æneus, sub numero 4. qua figura Iupiter ab Aegyptiis colebatur. Causam non unicam asserunt Auctores. Hyginus in libro fabularum eam esse dixit, quòd Baccho sitienti in fabulosis Arabiæ campis, cum in Indiam proficisceretur, & Iovis opem imploranti, adfuisset Arietis formam præferens, pede fontem indicantis, ideo Ammon a Græcis dictus fuit, idest *Arenarius*. Martianus etiam, *Ammon* (inquit) *apparuit, cum cornibus arietinis, & vestimento laneo, ac sitientibus undam fontis exhibuit.* Ob eandem causam rogatum fuisse Iovem, ut Arietis signum in Cœlo collocaret, affirmat idem Hyginus, quod cum factum fuisset, ibi Iovi templum a Libero constructum, Iovis Ammonis vocatum.

Herodotus tamen lib. 2. ait, quòd Jupiter cum vellet ab Hercule cerni, tandem ab eo exoratus, id commentus est, ut amputato Arietis capite, pelleque ejus indutus, sese ita Herculi ostenderet, atque inde factum est, ut Ægyptii Jovis simulacrum arietina facie confingerent. Ab aliis dicitur, ille usus fuisse in bellis galea, cujus insigne caput fuerit Arietis, sed si plura desideres lege Q. Curtium in 4. & Diodorum Siculum lib. 17. qui de Alexandro Macedone scribentes Ammonis historiam copiosè tradiderunt. Alii verò Arietis simulacra Mercurium significari dicunt, cum sub ejus numinis tutela pecudes augeri, & servari credant: scripsit Artemidorus *Arietem velox esse animal, eique Mercurii speciem inesse.* Tertullianus autem in libro de Pallio, hæc verba recensuit. *Mercurium autumant forte palpati Arietis mollitie delecta.*

lectatum deglubaſſe oveculam, dumque pertentat, quòd facilitas materiæ ſuadebat, tractu proſequente filum eliquaſſe. Quamobrem Numen Lanificii creditum eſt, atque etiam divitiarum. Hæc eadem recenſuit Leonardus Auguſtinus de gemmis part. 2. num. 10.

Hic aliud ſignum æneum expono, in Muſæo aſſervatum, cui nullum aliud ſimile (Romæ ſaltem) inveniri audeo affirmarè, & ideo magni faciendum. Monſtroſum animal ab illo exprimi dicerem, niſi conſilio ab Antiquis conflatum fuiſſet, ad arcana ethnicæ ſuperſtitionis exprimenda. Animal illud oſtendit ſub numero 5. quatuor pedibus præditum, ſed duplici capite, non quidem ſimul conjuncto, ſed in oppoſitis partibus exerto, alterum Bovis eſt, Arietis alterum, quibus profecto quidquid ſupra à nobis indicatum eſt de utroque animali aptiſſimè explicatur, ſcilicet ſub utraque animalis ſpecie Iovem effingi: unumque Deum, quem Antiqui venerabantur, licet falſæ Religionis documentis edocti.

ÆSCULAPIUS.

ÆSculapii ſignum exponimus ſub num. 1. & 2. Tabulæ XIV. cujus imaginem Albricius deſcripſit his verbis: *Æſculapius Deus medicinæ putatur, cujus barba valdè prolixa, indutus habitu medici cujus manus baculum, cum ſerpente geſtat intorto, modium fœcunditatis, & abundantiæ typum habet in capite*. Noſtrum tamen aliquantulum differt. Stans enim baculo innititur, cui ſerpens circumvolvitur, ſed barba non admodum prolixa, pallio circumtegitur media ſui corporis parte, ſuperiori detecta. Aliud in Muſæo ſimile lapideum eſt, præclara arte exculptum tribus fere palmis altum, volumen ſiniſtra gerit. In eo medicinam, ſeu medicinæ Præſidem Antiqui venerabantur. Baculum ejus manibus attribuitur, *quaſi* (ut ait Euſebius) *Ægrotantium ſuſtentaculum*; ſerpentem verò involutum Animæ, & corporis ſalutare ſignum; Theodoretus enim ſerm. 7. ait, quòd morborum malignitatem Ægrotantes deſerant ope medici, ut ſuam veterem pellem ſerpentes.

Macrobius verò lib. 1. cap. 20. Saturnal. *Simulacris Æſculapii, & ſalutis Draco ſubjungitur, quòd hi ad ſolis naturam, lunæque referuntur, & Æſculapius eſt Vis ſalutis de ſubſtantia Solis ſubveniens animis corporibuſque mortalium, ſalus autem lunaris naturæ effectus eſt, quo animantium corpora juvantur ſalutifero firmata temperamento, ideò ſimulacris eorum junguntur figuræ draconum, quæ præſtant, ut humana corpora velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum revireſcant vigorem, ut Dracones per annos ſingulos pelle ſenectutis exuta*. Eſſe autem Draconem inter præcipua ſolis Symbola oſtenditur; nam referunt ſerpentem acie oculorum acutiſſima, & pervigili naturam hujus planetæ imitari, atque adeò oraculorum, & theſaurorum cuſtodiam Draconibus aſſignatam.

Æſculapium etiam eundem eſſe ac Apollinem probant Mythologi, quòd ei & jus divinationis adjungatur. Apollodorus enim ſcripſit illum divinatoribus præeſſe, nec mirum: ſiquidem medicinæ, & divinationis conſociatæ ſunt diſciplinæ; medicus enim commoda, & incommoda in corporibus futura prænoſcit, docente Hipocrate. *Oportet medicum dicere de Ægroto quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura ſequentur*: quæ omnia divinationi conveniunt. Ideò illum ſalutiferum Ovidius dixit lib. 2. Metamorph.

Cum Deus in ſomnis Opifer conſiſtere viſus.

Pluribus in locis cultus fuit Æſculapius, præcipuè Romæ in inſula Tiberina, quæ, & ab aliquibus Lycaonia dicta eſt, quæ biremis formam habere videtur, & formam accepiſſe dicitur ejus navis, qua Aeſculapius Romam eſt adductus. nunc quoque in hortis D. Bartholomæi navis marmorea cernitur, in cujus latere imago ſerpentis reptantis efficta eſt.

Sextus Pompejus ait: *Æſculapio ædes facta fuit in inſula, quòd ægroti à medicis aqua maximè ſuſtentantur*. Ejuſdem eſſe tutelæ draconem, quòd vigilantiſſimum ſit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægrotos maximè juvat. Bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat Artis.

FORTUNA.

SEquitur duplex ſimulacrum ex ære num. 3. & 4. Tab. XIV. mulierem repræſentans, qua Deam Gentes credidere, & Fortunam à *fortuitis caſibus* appellarunt, inquit Iſidorus lib. 8. orig. cap. ultimo, quaſi Deam quamdam res humanas variis caſibus, & fortuitis illudentem; unde, & cœcam etiam dixerunt, eò quòd paſſim in quoſlibet incurrens, *ſine ullo examine meritorum, & ad bonos, & malos veniat*. Quamobrem *bona* invocabatur ut propitia eſſet, altera ut *mala* imminentia averteret. Idcirco ſæpè in nummis eam cum clavo navis depingebant, ſicuti in hoc æneo ſigno videmus, illique globum alligabant, ut Mundi regimen penes illam eſſe dicerent. Fingitur ſiniſtra cornucopiæ ſuſtentare, quo (docente Lactantio lib. 3.) *opes ab illa tribui erudimur*; ſeu potius (ut Antonius Auguſtinus ait num. 123.) omne bonum fœlicitatemque eſſe in manu Fortunæ.

Mirum proinde eſt, quanta veneratione ab Antiquis Fortuna coleretur. Ubique enim Ter-

rarum Templa & Aras habuit. Ptimum, qui sub hoc Symbolo expressit Fortunam, fuisse sculptorem nomine *Bupalum*, qui templa construete, & Animalia optimè effingere noverat, refert Giraldus Syntag. 17. addens, ejus capiti modium, abundantiæ symbolum, superimponi, & gubernaculo Delphinum,& serpentem.hic enim Prudentiam designat, quæ ad stabilitatem Fortunæ requiritur: illud verò innuit Fortunam navigationi præesse, & utrumque elementum ejus nutu gubernari. Pluribus etiam ornamentis Fortunæ vicissitudines significatas invenimus in vetustis numismatibus, & signis marmoreis ex Ethnicorum deliramentis, qui summi ac veri Dei providentiam omnia gubernantem ignorantes,hanc Deam modò comptam, & ornatam, aliquando incomptam sordidamque effinxerunt.

Sed nimius essem si vellem nunc omnia complecti. S. Augustinum satis sit audire, ita in septimo de Civit. Dei scribentem. *Fortunam certè Deam* (inquit) *Antiqui dixere, non rationabili dispositione, sed ut temerè acciderit, suæ cuique dona conferre*. Seneca tamen in Epist.inquit: *Nihil neque boni, neque mali dare potest Fortuna. Valentior enim Fortuna est Animus, qui in utramque partem res suas ducit, beatæque ac miseræ Vitæ sibi causa est*, atque ideò saniùs quàm cæteri de ea Juvenalis opinatus cecinit:

Nullum numen abest, si sit Prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna Deam, cæloque locamus.

DIANA VENATRIX.

EAmdem Deam sub nomine Dianæ venerabantur Antiqui, quod nomen, si Macrobio stamus, dictum est ab *Jana* addita littera D. Jana enim Luna est. Alii verò a Jove derivatum docent, quasi *Joviana*, idest filia Iovis, seu *Deviana*, quoniam venantes per Devia, & Sylvas deviare soleant captantes feras. Ejus imagines vario modo effingebant;nam alii ut Venantium Deam, alii ut quietam, & pacificam, alii ut virginem stantem, alii cervina pelle velatam, altera manu lapidem, altera dracones duos stringentem, cum cane adjacente generis venatici, alii denique Nympham habitu succinctam, arcu, pharetra, & jaculis ornatam, qualem in nostro marmoreo signo expressam vides, sub num.1. Tab. XV. & Ovidius describit lib. 3. Amorum, eleg.2.

Talia pinguntur succinctæ crura Dianæ
Cum sequitur fortes, fortior ipsa feras.

Hac de causa sæpè Venatrix, & Jaculatrix, & Armigera dicitur à Poetis; & venationum Præses fuit habita, id quod Phurnutus in lib. de Deorum natura ostendit. *Cervicidam* etiam aliqui eam nominarunt. quòd cervos venari crederetur, ideò Dianæ canes sacri fuerunt, & in Insula Icaria Templum celebre obtinuit. In illa enim capreis, & leporibus divite, qui feras venari cuperet, impetrata a Sacerdotibus venia, quotquot vellet, capiebat; si verò veniam non impetrasset, vacuus a venatione redibat, & ut audax multabatur, juxta relationem Giraldi Syntag. 12. de Diis Gentium.

Et quia a Jove potestatem in omnia elementa illi concessam fuisse credebant, in Bæotia sub nomine *Hecates* cultam asserit Hesiodus, nam *Ecaton* centum significat apud Græcos, quo numero aliquando infinitum designant. Quamobrem non solùm Venatoribus in silvis,& campis præesse credebatur, sed Piscatoribus in fluviis, & mari favere. Triformis ob id a Poetis dicta. Ita Claudianus.

Tergeminãq; Hecaten tria Virginis ora Dianæ

& Ovidius:

Ora vides Hecates in tres vergentia partes.

idest Terram, Cœlum, & Mare. Hæc omnia Lunæ conveniunt, quæ eadem ac Diana existimatur. Luna enim non solùm triplicem naturam, & formam induit, cum primò falcata, deinde media orbis parte micans, demum plena conspicitur, suosque influxus in aere, terra, & mare diffundit, sed clarius patebit ex his quæ subjicio.

Partheniam cognominatam fuisse Dianam quidam docent, apud Giraldum Syntag. 12. a Fluvio Parthenio, qui mediam perlabitur Urbem Amatriatam, ubi Diana Virgo colitur. Insuper apud Cretenses *Dictynna* dicebatur, hoc est a Piscatorum retibus, quæ græcè *Dictya* dicuntur, eo quòd teste Diodoro Siculo illa retia ad venandum, & piscandum excogitarit, seu, ut vult Lactantius Grammaticus Comment. 9. Theb. quòd ejus corpus fuerit a Retibus Piscatorum extractum, & cum Insula Creta peste laboraret, illam evadere non possent, nisi Templum Dianæ instituissent, eamque *Dictynnam* vocassent a Retibus, & ob id a Piscatoribus græcis ut favorabile Numen haberi affirmat Artemidorus lib. v. ubi de Diis agit.

Omnia hæc indicantur (nisi fallor) marmoreo simulacro nostri Musæi, quod valdè rarum inter antiqua monumenta judico, & a græco artifice exculptum. Virgo sedens in illo exprimitur, ut sub num. 2. Tab. ejusdem facie decora, tunica oblonga induta, sinistra manu calathum sustinens piscibus repletum.

FLORA.

VIrtus verò qua Dianam in Terris dominari sibi suadebant Antiqui, in altero marmo-

reo

reo bipalmari signo nobis indicatur, quod hic expono sub num. 3. Tabulæ XV. Fœminam illud refert longa tunica circumamictam, quam Zona sub pectore stringit, ejusque lacinias manus altera sustinet, altera verò cornucopiæ floribus frugibusque refertum. Illud anno elapso effossum fuit inter ruinas celeberrimæ Villæ, quam Adrianam dicunt, ad radices Collis, ubi antiquum Tibur exurgit; peritissimo quidem scalpro elaboratum, sed temporis injuriâ aliquantulum deforme. Deam illud refert, quam Floram a floribus Latini, & a viriditate Græci Chlorin dixerunt, & Zephyro nuptam, quæ dotis loco, donum accepit a marito, ut haberet omnium florum potestatem. De illa Ovid. 5. Fast.

Est mihi fœcundus dotalibus hortus in agris:
Aura fovet, liquidæ fonte rigatur aquæ.
Hunc meus implevit generoso flore maritus,
Atque ait, arbitrium Tu Dea floris habe.
Sæpe ego digestos volui numerare colores,
Nec potui; numero copia major erat.

Eam, cum Floribus præsidere sibi suaderent, placandam sacro cultu studuerunt, ut Plantæ, & arbores bene floresceret. Ejus natalis diem celebrabant Romani ludis, quos Florales appellavere seu Floralia; quæ res cum probrosa, & flagitiosa fuerit, non decet eam hic pluribus exponere.

PALLAS.

ALiud simulacrum altitudine ferè æquale additum est Musæo inter Rudera Romæ defossum ex albo marmore exculptum, exprimens Fœminam stantem veste ad talos demissa, ut sub num. 4. Tab. XV. vides. Zona circa lumbos ligata, capite galeam cristis exornatam gerit, pectus squamosa lorica tegitur, supra quam caput anguibus horribile. Lanceam dextra vibrat, & læva scutum attollit.

Tali simulacro Deam belli præsidem significari, nullus dubitabit. Illam Palladem dixerunt Græci à vibranda hasta in bello, vel a Pallante quodam Gigante, quem occidit; ut refert Servius, vel quòd in Pallante palude nata sit, ut docuit Festus. Caput illud horrificum, quod gerit in pectore, Medusæ est, quæ una fuit inter Gorgones, de qua ita Virgilius 8. Æneid.

Ægidaque horrificam turbatæ Palladis arma
Certatim squammis serpentum auroque polibat,
Connexosque angues ipsamque in pectore Divæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Hanc Palladem nomine etiam Minervæ appellatam fuisse notum est omnibus: Ajunt illam a Iove natam hoc pacto. Iupiter Iunonem suam videns sterilem esse, sibi frontem a Vulcano aperiri permisit, viditque, puellam armatam è capite prosilientem. Ita Ovidius asseruit, sed fabulosè.

De capitis fertur situ matre paterni
Vertice cum clypeo prosilvisse suo.

Minervam autem inde dictam fuisse ait Cicero, quòd minuit; siquidem cum sit belli Dea, minuit mortalium numerum, vel a *minando* quasi vim minetur, & incutiat metum. Plura recensuit de illa Arnobius, & Gyraldus Syntag. 11.

CUPIDO.

PUerum dormientem in pario lapide expressum damus sub numero 5. Tab. XV. quem Cupidinem seu Amorem vocarunt Latini. M. Cicero in tertio de nat. Deor. tres nomine cupidines enumerat, quorum primus (inquit) Mercurio, & Diana natus dicitur, secundus Mercurio, & Venere, tertius Marte, & Venere genitus. Imò penè infinitos numero habitos fuisse docet Statius Epithal. Stellæ sic:

Fulcra torosq; Deę tenerũ premit agmen amorũ.

& Claudianus de Nuptiis.

Mille pharetrati ludunt in margine fratres
Ore pares, ævo similes, gens mollis amorum.

Multos ideo esse ait Philostratus, quia multa sint ea, quorum amore mortales ducuntur; nihilominus reliquos omnes finxerunt filios esse Nympharum, & duos tantùm Veneris. Primum ex Mercurio natum appellarunt *Cupidinem* Deum Amoris. Secundus dictus est *Anteros*, quem putabant numen esse Amori contrarium, licet aliqui dicant mutui amoris Deum fuisse: unde ab Ovidio in Fastis Venus appellatur geminorum Amorum Mater, & Seneca in Hipp.

Diva non mihi generata Ponto
Quam vocat matrem geminus cupido.

His breviter adnotatis, quæ ad propositum simulacrum pertinent, indicamus. In eo puer expressus est nudus, & somno oppressus. Alas habet, & pharetra sagittis plena ex ejus humero dependet. Ad ejus explicationem Alexander Aphrodiseus in lib. Problemat. ingeniosè viam aperit. Ploblematis ejus hoc est initium, *Cur amantium extremæ partes modò frigidæ sint modo calidæ*: & cum in spem, & desperationem causam retulisset, subdit: Ob hanc ipsam causam Pictores Amorem, nunc tristem pingunt, & quiescentem, nunc volantem, & ridentem; puerum verò quia cupido vehemens quidem est, non tamen diuturna, & perpetua. Item paulò post: facem verò habere fingunt, atque esse pennatum, quia amantium animi suspensi tolluntur, suntque mutabiles ceu volucres. Tenet autem sagittas in Pharetra, quoniam amantes oculis emittunt radios oculorum, ex quibus

ori-

oritur Amor. Nudum autem, quia absque medio desiderium est; neque enim ob aliud quippe amat quicquam, neque quod ignorat. Servius verò in lib. 1. Æneid. hæc scripsit. Puer pingitur, quoniam imperfectus est in Amantibus sermo, sicut in puero: alatus autem ideo, quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius invenitur, sagittas verò idcirco gestare dicitur, quia & ipse, ut illæ incertæ velocesque sint, Cupidinem facem etiam gestare Poetæ tradunt, ac Pictores effingunt, quoniam sicut ignis splendidus est suavissimus; quia verò adustivus, molestissimus.

Sed hæc figmenta sunt Poetarum, atque Ethnicorum deliramenta, qui sibi suadebant Amorem esse Deum omnibus dominantem. Amor tamen est optimus cordis affectus, si feratur in Deum, pessimus autem cum terrena complectitur. Hanc doctrinam nobis suggerit aliud Amoris simulacrum è marmore, sub numero 1. Tabulæ XVI. puerum alatum referens qui manu lilia gerit; Audiatur Plato, qui duos Amores in symposio celebrat, cœlestem unum, vulgarem alterum, inquiens sub Persona Pausaniæ. *Neminem profecto latet absque amorem Venerem esse; quoniam verò duæ sunt Veneres, geminum quoque amorem necesse est, Geminam autem Deam hanc esse quis neget: Nonne una quædam antiquior est, & sine Matre Veuus cœlo nata, quam cœlestem Venerem nuncupamus. Altera verò junior a Iove, & Diana progenita, quam vulgarem communemque vocamus. Necessarium itaque Amorem Veneris illius comitem cœlestem vocari, hujus verò vulgarem.* Sed etiam in Phœdro Socrates duos amores celebrat ajens. *Altera quidem est innata in nobis voluptatum cupiditas, altera verò acquisita opinio optimi effectatrix. Hæc autem in nobis quandoque consentiunt, quandoque in seditione, & discordia sunt, & modò hæc modò altera pervincit, quando igitur opinio ad id quod optimum est, ratione ducit ac superat, hæc ipsa vivendi potestas Temperantia nominatur, quando verò cupiditas absque ratione ad voluptates trahit, nobisque imperat, imperium hoc libido vocatur. Duo igitur amores ponuntur, alter voluptuosus, Rationalis alter, hoc est optimi desiderium*, cujus puritatem indicat Lilium, quod manu ostentat. Potest hic inquiri cur hæc simulacra Amorem referentia, Puerum exprimant non cœcum seu oculis tenia velatis, cum vulgaris opinio sit, Amorem cœcum esse, ut fere innumeræ probant Authorum enarrationes. Hoc ipsum Fortunius Licetus inquirit in explicatione gemmæ, quæ insculptum Amorem repræsentat pag. 28. sibique respondet erudita dissertatione, quam omittimus, ut brevitati consulamus.

IANUS.

PRæter duodecim Deos, quos *præcipuos* esse credebant Ethnici, alios octo venerabantur, quos *selectos* nominabant. Eos recenset Rosinus lib. 1. cap. 3. antiquit. Roman. Inter eos Janus primum locum obtinuit quasi *Eanus* dictus, ab *Eundo*; vel quòd *Ianuis* præsideret. Et ob multa, quæ in bonum humani generis ab eo patrata fuisse credebantur, Aras multas obtinuit, sicuti, & cognomina. Cæteris omissis Iani bifrontis nomen tantùm explico, quod caput hic expressum sub num. 2. Tabulæ XVI. in albo marmore indicat. Tale duplicis frontis simulacrum Iano effecisse Romulum, & T. Tatium ait Servius, cum in fœdera convenirent, quasi ad duorum populorum imaginem; dictusque est propterea *geminus*, quòd & præterita respicere crederetur ita Ovidius

Iane biceps, anni tacitè labentis imago,
Solus de Superis, qui tua terga vides.

Ideò in vetustis etiam Nummis biceps expressus cernitur, præsertim in nummo Antonini apud Augustinum Tab. 41. num. 9. Providentiam indicans, qua tum præsentibus tum futuris rebus prospiciat. Plutarchus autem plures causas adducit, cur biceps effingeretur: ait enim cum Ianus ex genere Græcus in Italiam venisset, linguam & vivendi rationem immutasset, vel quòd Italos cum agrestes, & barbari essent, ad mansuetjorem vitam, & rempublicam administrandam induxisset. D. tamen Augustinus ex Varrone putat Ianum esse Mundum gemina facie, hac ortum spectante, illa Occasum. Cajus Baisus apud Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 9. dicit Ianum bifrontem fingi quasi superum, atque Inferum Ianitorem. Cætera quæ Iano conveniunt, caput biforme propositum non indicat. Qui ea desiderat consulat Macrobium, & Giraldi Syntagmata.

TERMINUS.

SImulacra duo quæ sequuntur sub numeris 3. & 4. capita sunt ex pluribus selecta, quæ olim quadratis lapidibus imposita, eminebant circa campos, seu publicas vias, & vocabantur Termini, & Lapides terminales. Illi teste Varrone a T. Tatio consecrati sunt, & juxta alios a Numa Pompilio: sic enim Dionys. lib. 2. *Ut Romani contenti propriis aliena non concupiscerent, Numa lege cavit de terminandis prædiis. cum enim unumquemque jussisset agrum suum circumscribere, ac in finibus statuere lapides, hos sacros esse Iovi terminali voluit, jussitque ut quotannis stato die res divina in eo loco in Paganorum cœtu fieret,*

fieret, Sacrato cum primis nobili feſto in honorem Deorum, qui terminis tutelares præſident. Hactenus Dionyſius citatus à Roſino antiqu. Rom. lib. 2. cap. 20. Ubi Dempſterus in notis multa addit erudite.

Hos Deos diverſimode expreſſerunt antiqui. Plures enim Deos ſuperſtitio eorum ſtatuit ad Terminorum cuſtodiam, aut Viarum indicium. Primùm quidem Ruſticorum manu afficti fuerunt, qui falce pro ſcalpro uſi ſunt, tantùm coarcervare incœperunt, adaptantes in faſtigio rotundum lapidem ad capitis ſimilitudinem, poſtea uſu invaleſcente, cum Sacri cenſerentur, Mercurio hujuſmodi acervi erigi quoque cœperunt cum ejus ſimilitudine. Mercurium enim Vialem in inſula Paro cultum fuiſſe refert Giraldus Syntag. 9. Ejus ſimulacra quadrato lapide conſtruebantur ſolo capite inſignita, & aliquando virilibus membris juxta relationem Macrobii in Saturn. lib. 1. cap. 19. qua figura ſignificabant Solem, omnemque vim ejus in ſola mente conſiſtere, cujus ſedes in capite eſt. Quatuor verò latera eadem ratione fiebant, qua & Tetrachordum Mercurio credebatur attributum. Quippe hic numerus totidem mundi plagas ſignificabat, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur, vel quòd duobus æquinoctiis, duobuſque ſolſtitiis Zodiacus diſtinguitur.

Sed & Hercules non minus quàm Mercurius vialis erat Deus, ac terminalis cenſebatur. Pluribus id patet argumentis, & abunde teſtantur verſiculi ex Æpigrammate Leonidæ lib. 1. Florileg.

Qui hanc properatis viam, ſive ad agros
Ex oppido, ſive ab agris tenditis ad Urbem
Nos Terminorum Cuſtodes duo Dii, quorum hic quidem Mercurius
Ut vides me, Hic autem Hercules.

Etiam Apollinem terminalem Deum dictum eſſe innuit nummus Auguſti, cujus ectypon exhibet Alexander Junior pag. 4. explicationis antiquæ tabulæ, ſumptum ex Commentariis Levini Torrentii ad Svetonium.

Item apud eos, qui vetera monumenta colligunt, non paucæ referuntur terminales ſtatuæ, hoc eſt quadratæ cum Bacchi capite, ſive etiam Priapi, nec non Panos, Sileni, Satyrorum, qui ejuſdem comites dicuntur. Quamplurimos expreſſit Boiſſartus. Hinc Silvanus tutor finium ab Horatio dicitur, & Bacchi ſimulacra ante fores Aedium ſtatui ſolita teſtatur Suidas; iter enim recte auſpicari credebant ſalutato Deo itineris Præſide.

Jovem demum Latini Terminalem dixerunt, alii Terminorum Præſidem, alii conterminum, quem religioſe colebant ad terminos ipſos conſervandos; adeo ut in octavo legum Plato in Agriculturæ lege Jovem præſidem terminorum eſſe ſtatuerit, & Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. ubi de termino agit, ait *Numam Iovi terminali terminos ſacraſſe.* Hunc Jovem propoſito ſimulacro ſub num. 5. & Silenum ſub num. 4. Tabulæ XVI. repreſentari non ſine ratione putamus.

ISIS MULTIMAMMIA.

QUam hic exhibemus Iconem in Tabula XVII. illa eſt quæ multis nominibus fuit inſignita, & dicta Minerva, Venus, Juno, Proſerpina, Ceres, Diana, Rhea, Bellona, Luna, Hecate, Iſis demum ab Ægyptiis, ſeu magna Deorum Mater: cujus ſimulacrum vario hyerogliphicorum apparatu adornavere, ut paſſim cernitur in Muſæis, in voluminibus Scriptorum, in numiſmatis antiquis. Illud ſemper manus & bracchia extenſa habet, non alia de cauſa, inquit Octavius de Rubeis agens de monumentis Brixianis pag. 99. niſi quia omnia, quæ ſub cœlo ſunt, fovet & amplectitur. Tale eſt quod ſequitur in noſtro Muſæo, & indicatum numero 1. Ejus deſcriptionem hic expono, quam noſter P. Athanaſius Kircherus recenſuit in tomo primo Oedipi pag. 190.

Fœmina eſt (inquit ille) turrito capite veluti triplicis coronæ diademate faſtigiato, capillitio, veloque undatim diffuſo ſpectabilis: Cujus pectus binis ſimulacris corymbo incluſis, quorum utrumque una in manu palmæ ramum altera lauream tenent coronam: Supra quorum capita Cancri & Capricorni figuræ eminent. Porro ſimulacrum manibus extenſis veluti ad benefaciendum profunduntur: bracchia quadruplici leonum accubitu gravantur: venter pectuſque multiplici uberum protuberatione turget. Femora tibiæque conico vaſe triplici animalium ſerie induuntur, prima ſeries hinc inde duo Idola Ægyptia, deinde tria cervina capita binis floribus & apibus ſtipata continet: ſecunda turbinatorum fœmoralium ſeries binos Dracones, quibus intermediant tria bovina capita, exhibet: tertiam ſeriem bina leonina capita, quibus tria pariter vitulina capita intermediant, ſubjunctis binis hinc inde apibus, conſtituunt denique totum ſimulacrum extremorum pedum lineo veſtitu tectorum nuditatem pandit.

Poſt ſymbola ſic exhibita, eorundem ſenſum his verbis ſubdit idem Scriptor. In Iſidis itaque ſimulacro turritus vertex trina turrium contignatione inſignitus indicat tres politices ſpecies, tum politicam vivendi rationem, quam Iſis primùm mundo introduxiſſe, tum præſidium

quo

quo Urbes munire credebatur, juxta illud Lucretii:

Muralesque caput summum cinxere coronæ,
Eximiis munita locis quod sustinet Urbes,
Quo nunc insignis per magnas prædita terras
Horrificè fertur divinæ Matris imago.

In editis enim & excelsis locis Urbes ponere antiquis mos erat, non tam diluvii metu, qui diu mortalium mentibus insedit, quàm ut difficilior hostibus accessus foret.

Atque hoc verum esse symbola pectori insculpta simulacri aperte indicant. Quid enim binæ imagines palmis laureaque insignitæ cum signis Cancri & Capricorni denotant? nisi, uti nos in Astrologia hyeroglifica exposuimus, Herculem, & Apollinem, qui sunt metæ signorum custodes, idest Tropicorum Cancri, & Capricorni, quorum virtute victrice, & solaris caloris æstu totius vegetabilis naturæ per corymbum floribus, & fructibus in circulum dispositum aptè denotatæ, incrementum significatur, cui robur addunt quaterni Leones Mophtæi, quo operatrix magnæ matris potentia veluti roboratur, & suffulcitur: unde ab Antiquis a quatuor leonibus in quadriga vehi fingitur. Atque hinc rerum omnium abundantia, & alimentorum ubertas, quæ aptè sane per mammarum protuberantium congeriem exponuntur; omnia enim ut supra ostendimus magna mater Isis fovet, nutrit, animat, & profusa quadam liberalitate, quæ per manuum extensionem notatur, inferioribus mundi membris communicat necessaria ad vivendum auxilia, uti alibi ex Macrobio ostendimus.

Sequitur Fœmorale in modum turbinis deorsum gracilescens tribus veluti Zonis distinctum, quo tergeminus inferior mundus indicatur; per duas prominentes Ægyptiacas statuas indicatur genialis tutela in omne vegetabilis naturæ penuarium; atque hoc pacto Diana vocatur, cui ideo cervus ab Antiquis dicatus est, & tria cervina capita luculentur docent; unde, & triceps, & tergemina dicitur, & dominium suum exerit in sylvas, prata, hortos influendo. Nam Homero teste, Diana per juga montium vagabunda gaudet telis, & capreis ac fugacibus cervis delectatur. Sunt qui vetustam philosophiam secuti in cervis saggitas, in sagittis hieroglyphice radios solares indicare velint, quorum scilicet repercussu cornua ipsa pro loci, ubi luna est, conditione, & appareant, & obducantur. Nam & Lucretius tela hæc ita interpretatur: *Non radii Solis neque lucida tela diei.* Porrò apes regiæ tutelæ symbolum sunt qua Diana omnia fovet, & protegit vegetabilia, non secus, ac apes lustrando libandoque; Sequuntur deinde tria capita bovina. Dianam siquidem magnam Deorum matrem Taurionem appellatam reperio; tauris enim opitulari putant. Nos verò dicimus secundum Aegyptiorum mentem Isidem hanc sive Dianam Aegyptiam sic vocatam, quòd in bovem transformata, sub eo varia humanum genus beneficia docuerit, uti agriculturam, mellificium, quod & apes adjunctæ satis superque docent, de quibus plura vide lib. 2. Obelisc. Pamph. in hierogrammatisco de Bove. Appingitur hisce tribus bovinis capitibus utrinque Draco symbolum vigilantiæ in res suæ fidei commissas. nam Isis dum gramina, & plantas vitali accubitu fovet, Draconis officium præstare videtur. Non nescio quosdam alios Draconem hortorum custodem pro radicibus arborum accepisse, quòd tortuosæ sint uti Dracones, & in terram adactæ, perinde ac anguium genus in terræ visceribus plurimum delitescant: ita verò Draconis speciem hanc plantis operam præstare; radicibus enim cæsis aut exsiccatis plantas etiam auferi necesse est. Nonnulli a visu, quem acutissimum habent Dracones Plinio teste, Isidis autem prudentiam inde interpretantur; est enim Isis Plutarcho teste, nihil aliud nisi prudens naturæ progressus; utque omnia perspiciat, & ante omnes intelligat. Sequuntur denique alia tria bovina capita, quæ videlicet orationis per boves juxta tripartitum anni spatium factæ summa in re fumentaria commoda declarant. Bos enim labore suo in terra exercendo continuo nos pascit.

Deflexit hic mos ab Aegyptiis, & Græcis ad Romanos, qui bovilla capita exempta pelle purgataque carne, pro labore, & tolerantia monimentis suis insculpere solebant, a Boum laboribus similitudine desumpta: quia verò in laborum tolerantia fortitudo necessaria est, hinc tria capita bovina leoninum urrinque caput stipat. Verùm ut totum hierogrammatismum paucis complectar, indicabant Aegyptii Hieromantæ, per simulacrum Isidis, sive Dianæ Aegyptiæ magnę matris Deorum supremum numen, sive Isidem Archetypam, prout in quadruplicem mundum influit, & capite quidem turrito Mundum Archetypum, per genios pectori impressos Mundum Genialem, per mammarum multitudinem Mundum sidereum, cujus stellæ sunt veluti ubera quædam, quæ fovendi influxum omnibus inferioribus largiuntur; per femorale conicum trizonium, elementarem mundum, tribus veluti zonis inanimatorum, vegetabilium, & sensitivorum distinctum; quibus omnibus vitam, nutrimentum, necessariasque ad se conservandum facultates ac subsidia confert, cum enim idem sit, ac prudens Naturæ progressus, uti Plutarcho placet, quo omnia mundi loca perambulat, id aptè per pedum detectorum nuditatem significatur.

Atque

Atque hæc ſunt quæ de ſimulacro propoſito expoſuit eruditiſſimus Kircherus quibus nihil addo niſi Iſiaci monumenti inſcriptionem, quam Diodorus retulit lib. 1.

Ego Iſis ſum, Aegypti Regina à Mercurio erudita, quæ ſum uxor Oſiridis. Ego ſum mater Ori Regis, quæ ego legibus ſtatui, nullus ſolvere poterit. Ego ſum prima frugum inventrix. Ego ſum in aſtro Canis refulgens. Mihi Bubaſtis Urbs condita eſt; Gaude gaude Aegypte, quæ me nutriſti; Sed ut, plura paucis comprehendam, ſciendum cum eodem Auctore, quòd quemadmodum in Oſiride tota Deorum Genealogia repræſentatur, ſic & in Iſide Dearum. Iſis itaque in legibus ferendis Minerva eſt, à fœcunditate quam præſtat Venus, ab aere cui dominatur Juno; à Dominio in ſubterranea Proſerpina; Ceres ab inventione frugum; à præſidio Sylvarum, & vi, quam in omnes feras obtinet, Diana; denique eò quòd in omnes ſe formas tranſmutat, & quòd Deorum omnium titulos gerat, non immeritò Deorum omnium matris nomen eſt conſequuta.

CANOPUS.

IMago, quam ſubjicimus in Tabula XVII. ſub num. 2. Genium humidi elementi repræſentat, cujus ſimulacrum ſic deſcribit Ruffinus. *Pedibus exiguis, attracto collo, ventre tumido in modum hydriæ cum dorſo æqualiter tereti.* Ille celebrabatur ab Aegyptiis, & habebatur Deorum potentiſſimus, quòd ignem Chaldęorum aqua nilotica in vaſe contenta extinxiſſet; Jucundum hoc miraculum, ex quo originem traxit hic Deus Canopus appellatus, Ruffinus narrat lib. 2. Eccl. hiſt. cap. 26. his verbis. *Ferunt quòd Chaldæi per varias Orbis Regiones, ignem ſuum circumferebant, & cum omnium Nationum Diis contendebant, ut qui Deus viciſſet ab omnibus crederetur, quare cum Dii, qui ex ære auro argento, ligno vel alia quavis materie conſtabant, igne omnino abſumerentur, Chaldæorum Deus locis omnibus præſtabat. Hæc cum Canopi Sacerdos audiſſet, quiddam contra ignem callidum excogitavit. Solebant in Aegypto fictilia vaſa quædam fieri, quæ hydriæ vulgo appellantur, minimis quibuſdam foraminibus pertuſæ, quibus turbida aqua limpidiſſima effluebat. Horum ille unum cæra foraminibus obturatis cœpit variis coloribus undique depictum, aqua repletum, ac ut Deum ſtatuit, & excidens veteris ſimulacri caput, quod Menelai Gubernatoris ferebatur, imponens diligenter ſimulacro aptavit. Adſunt poſt hæc Chaldæi, itur ad conflictum, circa hydriam ignis accenditur, cæra diſſolvitur, qua foramina erant obturata, diffluente aqua ignis extinctus eſt. Arte igitur Sacerdotis Canopus Deus victor Dei Chaldæorum evaſit, & ex eo Deus cultus eſt.*

Ab eo tanquam rerum omnium principio quæcumque Terra gignit emanare juxta Thaletis ſententiam exiſtimabant Aegyptii; unde hæc narrat Cælius Rodiginus lib. 27. lect. Antiq. cap. 5. his verbis. *Cum Aquarum infinitæ propemodùm utilitates ſint gratiſſimæque, qui ſacerdotium gerunt moribus Aegyptiorum oſtendunt res omnes è liquoris poteſtate conſiſtere. Itaque cum hydria ad Templum religione defertur, tunc in terram procumbentes, manibus ad Cœlum ſublatis divinæ gratias agunt bonitati.*

In utraque hydriæ facie, quam propoſita imago exhibet, quamplurimi Aegyptiorum characteres Arcana Aegyptiorum indicant; de quibus erudite diſſeruit P. Athanaſius Kircherius, præſertim ubi agit de Canopo cujus diverſas Icones proponit, ut in Tomo primo Aedipi Syntag. 3. & Tomo 3. Syntag. 14. cap. primo.

BACCHUS.

ALiud Bacchi ſimulacrum expoſitis Deorum ſignis additum Tab. XVIII. oſtendit. Relatus ille fuit in Deorum Senatum ob beneficia, quæ dicebant collata fuiſſe in Genus humanum, ut refert Diodorus lib. 5. Hiſt. & præcipue quòd vini uſum invenerit, & ſerendi vites artem edocuerit. Puerum imberbem exprimit, nudum, comptulum, atque Hilarem juxta illud Ovidii 4. Metam.

——— Tibi inconſumpta juventa
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris Cœlo,

Quia vel ipſi repueraſcunt à vino ſenes, & rationis uſum iis vinum eripit, qui compotationiqus indulgent liberalius. Hilarem autem, quòd vinum cor hominis lætificet, & quo ſumpto, canit Ovidius

Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abeſt.

Nudus etiam eſt, quia ebrius mentem exuit, & nihil tegere, aut diſſimulare poteſt, quippe in *Vino Veritas* juxta Eraſmum in Adag. Hæc omnia indicant etiam corona ex racemis Uvæ & foliis hederæ, quibus ejus caput exornatur, Uuæ bottrus, quem ſiniſtra manu oſtendit, & Patera quam dextera ſuſtinet. Hedera enim illi Sacra fuit, quia ſemper virens & veluti juvenis ut Bacchus eſt, atque nativo frigore ebrietatis æſtum temperat. Demum pelle caprina ſemicinctus apparet, quæ ex humeris dependet; Hircus enim ejus Sacrificiis immolabatur cum animal ſit Vitibus infeſtum.

IDOLA ÆGIPTIA.

SEquitur Tabula XIX. in qua imagines aliquot exponimus simulacrorum, quæ in Musæo sunt, quæque omnes infantis speciem referunt, à pectore ad imos usque pedes involuti, manibus vel in crucem aptatis, vel linteo tectis, & capite obvelato, prout figuræ ipse demonstrant.

De hujusmodi simulacris cum varii varia sentiant, probabiliorem esse eorum opinionem putat P. Pomey in sua Libitina pag. 146. & Jacobus Gutherus de Jure Manium lib. 3. cap. 9. qui credunt, eas fuisse imagines Aegyptiorum Numinum Osiridis & Isidis, quæ Plutarchus in libro, quem de illis scripsit ait esse Plutonem & Proserpinam Deos Inferorum; & quia credebant propitia mortuis in Inferos migraturis, eorum effigies cadaveribus includebant. Illæ enim ut plurimum inveniuntur insertæ in cadaveribus hominum, easque crebro ad nos devehi Alexandria à mercatoribus, qui illic negotiantur, affirmat Boissardus, & quidem ex ære, marmore, ligno, gypso conflatas.

Kircherus verò Privatarum domorum Lares & Penates hujusmodi infantium simulacra fuisse affirmat in tom. 1. Oedypi syntag. de Pantheo Hebræorum, quibus malignæ potestates dispelli credebantut, eisque Horum & Harpocratem significari, scilicet Osiridis & Isidis filium, quem veluti intercessorem apud eos frequentibus votis interpellabant. Varias ejus Icones exhibet Kircherus tom. 3. Oedypi syntag. 18. cap. 2. qui characteres in iis insculptos explicat, in theatro hieroglyphico tomi ejusdem, & in fine libri de Mumiis docet eorum hieroglyphicorum inscriptiones ex obeliscis utplurimùm veluti prototypis axtractas, non historias, non Regum vitas continere, sed altioris doctrinæ dictamina, de quibus idem fusè agit. Jam ad singulorum explicationem procedamus.

ISIS.

PRimum locum tenet simulacrum ligneum longitudinis fere tripalmaris ex Aegypto allatum: faciem mulieris ostentat deauratam, velo capiti impositio spectabilem, instar infantis fasciis involuti, totum ejus corpus in conum coarctatur, & quidem reticulato, & versicolori amictu: ejus pectus septem circularibus limbis ornatur. Totum amictum in anteriori parte à pectore usque ad pedes linea distinguit deaurata cui adhærent hinc inde duæ columnulæ hieroglyphicis symbolis, nigris notis expressis, confertæ, quæ docet Kircherus in Sphynge Mystagoga à summo ad infimum procedere juxta diffusionem Virtutis in Summa, Media, & Infima ordinatam. Similes autem characteres omnibus fere simulacris Aegyptiis appositos videmus, de quibus consule Kircherum eodem in loco pag. 47. hinc singula exponamus.

Figura fœminæ Isidem refert, quæ cum quinque aliis præcipuis Amuletis Aegyptiis numerabatur, idest Harpocrate Horo, Apide, Osiride & Canopo, à quibus, cum varia bona sese accepturos inepte sperarent, ab Isidе, quæ ad Terram & Nilum pertinebant, felices influxus & ubertatem emanare credebant. Eorum simulacra involucris mumiarum etiam assuebant, putantes illa remedia potentia esse ad conservanda corpora contra omnes Typhoniæ potestatis violentiam. Quamobrem dicebantur Dii Averruncii, eò quòd omnes malorum impendentium occursus avertere crederentur, & ipsorum statuæ variis averruncationis symbolis conspicuæ spectantur. Sunt quæ uncinos & harpagones manibus decussatis portant, aliæ flagellis ex animalium caudis instructæ, nonnullæ retia ab humeris dependentia gestant. Utplurimùm velo eorum capita tecta sunt, quod velum dicitur Isiacum, eò quòd fabulam Isidis commemoret Plutarcho teste, nimirum Isidem ob Osiridis mariti mortem hujusmodi velo luctus causa usam fuisse; unde id in Sacrorum symbolorum simulacris utriusque sexus conspicitur. Juxta misticum verò sensum leges statuebantur, ne quisquam loca Sacra visitaturus, vel operam sacram iisdem daturus, sine hujusmodi Sacro velaminis operimento ingrederetur; dedecere enim supremi Nominis majestatem nudo vertice ante eam, teste Porphirio, comparere.

Sub eo velo septem circulares mostrantur ductus, quibus denotantur septem Planetarum Zonæ cœlestes, ultra quas post mortem, si bene animæ operatæ fuissent, intra Hæroum & Numinum consortium transueherentur, semper duraturæ.

Quid verò reticulatus ille habitus, quo involuta spectantur hæc numina, sibi velit? respondet Kircherus in Sphynge Mystagoga pagin. 22. *Hoc occulto quodam & mystico sensu Mystas innuisse, Divinam supremi Numinis naturam abditam esse, & inaccessam, nec ullis corporeorum substantiæ membrorum formis effusam; sed solis idealium rationum notionibus, quæ per puncta reticularibus ductibus inserta spectantur;*

Ejus-

Ejuſmodi faſciæ quibus involuebantur etiam Mumiæ innumeris hzeroglificis ſignatæ ſæpe inventæ ſunt, ſicuti Limbus intermedius illa continet, quæ hymnos ſeu adjurationes ſunt, quibus ad corporum tutelam dicta Numina compellere ſe poſſe credebant.

HORUS.

SUB numero 2. indicatur aliud ex cedrino ligno Idolum, unius pedis longitudinem habens, in quo inſcriptiones ſunt à P. Kircheo explicatæ in Aedipo tom. 3. pag. 419. Ad eundem illud attulit P. Marcus de Luca Ord. S. Franciſci de Obſervantia in Aegypto Miſſionarius, quod ajebat intra Mumiam repertum eſſe. Horum illud repræſentat, unum ex jam dictis Amuletis, quem & Appollinem paſſim ab Aegyptiis vocatum refert Kircherus in tom. 1. Aedipi pag. 214. quod pluribus oſtendit Plutarchus in Iſide & Oſiri unde & eo nomine Sol etiam ab iiſdem vocatus teſte Macrobio, à quo horæ dictæ diei partus & anni tempora. Hunc Diodorus ait Iſidis filium fuiſſe, per Titanum inſidias interfectum, inter aquas repertum à matre, ad vitam revocatum, ac tandem immortalitatem conſecutum eſſe; ſed allegorice conſideratum, nil aliud eſſe, quàm omne id, quod ex Sole & Luna generatur in mundo, idcirco ſub forma pueri ſtantis, vel lactentis, vel faſciis involuti efformabantur ejus effigies, quas tanta in veneratione habebant, ut nulla domus, nullum templum iis vacuum reperiretur. Illum veluti interceſſorem apud Oſiridem & Iſidem frequentibus votis & Sacrificiis interpellabant.

Sunt aliæ icunculæ ſemipalmares ex cocta argilla, & ex lapide ſubnigro, quæ pariter in Mumiis inſertæ inveniuntur, & aliud non ſignificant, quàm Lares, vel aliquod ex ſupradictis Deorum Amuletis, & fere ſemper hyeroglificorum inſcriptiones continent. Duæ ex omnibus ſelectæ ſunt, & quidem ſub numero 3. & 4. repræſentatur ejuſdem Hori imago, quorum altera manibus decuſſatis baculum tenet ſuperius incurvum, & flagellum, quibus ſxmbolis ſignificabant Aeyptii abſolutum Numinum in inferiora influentium dominium, quo dum adverſæ poteſtates diſpellebantur, rerum temperies & harmonia oriebatur. Hinc paſſim hunc baculum, uti & normam manibus Hori, & aliorum Numinum inſertum videmus, ut oſtenderent Horum, ſimetriæ, & Harmoniæ totius Univerſi authorem.

Appendicem etiam ſolent habere ejuſdem Icones ſub mento, qua nil aliud oſtenditur niſi ſolium arboris, quæ *Perſea* dicitur apud Aegyptios, folio perpetuo ſemper virens, Hermeti Iſi & Oſiri Sacra, ut in Obeliſco Pamphilio explicuit Kircherus fol. 364. Quo folio ob ſimilitudinem lingua indicatur foras oſtenſa à gutture, propagata ex imo cordis, cujus Perſeæ fructus ſymbolum eſt, in Oraculorum conſultatione, ad reſponſa quærentibus danda prompta, & fere ſemper hujuſmodi geniis appicta videtur; Cum enim numen ſupremum lingua non utatur materiali, eandem in ſimulacris, quæ à Diis per magicos attractus animati videbantur exertam finxere. Quapropter talia Idola variis ſymbolis ornabant, his adolebant, ab his reſponſa petebant, & frequentes hujuſmodi ſuperſtitiones exercebant, quas S. Epiphanius recitat, & contra quas recte paſſim SS. Patres ſummo rigore invehuntur, & Tertullianus in Apolog. cap. 22. ita inclamat. *Demones lædunt primò deinde remedia præcipiunt, ad miraculum novaſive contraria, quæ poſt deſinunt lædere, & curaſſe creduntur.*

AMULETA.

PRæter Numinum ſimulacra, & Deos, quos Urbium Domorumquæ Lares & Penates vocabant, erant cuique privata quædam Numina in Amuletis ex omni materie expreſſa, quę contra noxiam vim Typhoniam, collo, pectore manibus geſtabantur; erant etiam & Animalium contra luem à contrariis poteſtatibus iis immiſſam, de quibus fuſe Kircherus de Mumiis pag. 42.

Inter Aegyptia nil erant communius Harpocrate, Horo, Apide, Iſide, & Canopo, de quibus ſupra dicta ſint ſatis. Remanent tamen aliqua, quæ in Muſæo ſunt. Adeamus Tabulam XX. ſub primo numero eſt.

CANIS.

AMuletum ille erat ad sagacitatem in scientiis, & vigilem rerum custodiam obtinendam: sculptus ita est ut totus jaceat, porrectus in longum, in quo corporis situ affirmat Leonardus Augustinus in suis gemmis num. 184. Ægyptios sculpere solitos hoc animal positum ad custodiam sepulcrorum, & per hanc quoque custodiam Diis Laribus attributum, & passim a Sacerdotibus in Anubidis honorem gestatum; & quamvis omne fere genus Bestiarum Aegyptii consecrarint, præcipua tamen eorum numina erant Osiris Rex, ejusque Uxor Isis, & Anubis eorum filius, ideo canino capite depictus, quia vel Regem fide custodiebat, vel venator erat, vel ejus quasi canis indagantis opera Isis usa est in investigandis mariti membris a Typhone fratre discerptis. de quo vide Vossium de Idololat. lib. 1. cap. 22.

PISCIS.

AD malorum propulsationem Crocodili, & Piscis efficacissima amuleta portabantur; nam in Magia dicit Kircherus, sicuti numinibus beneficiis, ut variis beneficiis prodessent, varii honores exhibebantur, ita malignis Dœmonibus, ne nocerent, summo fervore Sacra fiebant. Tale Amuletum indicat Piscis expositus sub numero 2. qui è lucidissima Crystallo constat.

MUS.

ATrebitas populos Aegyptiorum murem etiam ut Numen veneratos fuisse ait Herodotus. Triplicem ejus imaginem servat Musæum, binas, ex ære, ex lapide aliam, illas fuisse Amuleta portatilia, apertè demonstrat Ansulæ, quibus singula instructa videntur. ut apparet sub numero 3. Atque ut de mure aliquid innuamus, illum dicatum fuisse Apollini frequenter legimus: Crinis enim Sacerdos Apollinis fuit, qui cum Sacra Dei neglexisset, a terrestribus muribus fructibus agrorum fuit privatus, cujus detrimento commotus Apollo, bubulco cuidam Hordæ nuncupato imperavit, ut Crinin Sacerdotem moneret, illum debere consueta Sacra peragere: quod Sacerdos cum fecisset, Apollo Mures sagittis confecit. Hinc Apollo *Sminthas* cognominatus est. *Smintheos* enim Cretenses mures appellant. Aelianus de Animalibus tradit mures adorari ab his qui Troadem incolunt, Heraclides Ponticus Auctor est mures in Creta circa Templum abundare, & sacros existimari.

Alia quæ sequuntur in Tabula delineata, Ænea sunt, & catenulis appensa, ut è collo puerorum præcipuè, libere penderent.

JUPITER AMMON.

NUm. 4. indicat Numisma rotundum cum effigie Jovis Ammonis, prolixa barba, & cornibus arietinis prædita, cujus expressionis diversas causas referunt Auctores. Osiris, qui idem est ac Jupiter divinitatē aflectans, in varias sese Animalium formas, potissimum in Bovis, & Arietis, sese transformabat. Ita loquitur Kircherus in tomo primo Oedypi pag. 202. & Sextus Pompejus ait: *Hammom cognominatus, quia in Arena putatur inventus*; Sic enim Græci ab *Ammos* dicunt arenam: Ei cornua affiguntur arietis à genere pecoris, inter quod inventus est. Alias fabulas ad hanc expressionem spectantes enarrant alii apud eundem Kircherum pag. 204. & seqq. Aliqui putant radios Solis talibus cornibus indicari. Jovis enim, & Apollinis nomine Solem intellexerunt Antiqui.

EQUUS.

SUb num. 5. est Lamella quadrata, & auro illita, in qua delineatus est equus non quidem Pegaseus Apollini sacer: caret enim alis; Quare signum puto Voti suscepti, vel ante, vel post bellum; scimus enim Antiquos non solùm pro reditu ex bello Vota fudisse, sed etiam antequam irent. Ita Cæsar cum exercitu Romam petens equos consecravit. De quo Suetonius in ejus vita cap. 8. sic: *Proximis diebus Equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumini consecrarat.*

Aliud equi signum addimus prout numer. 6. indicat non in lamella delineatum, sed liquato ære in modulo efformatum. Illum puto signum esse Religionis, qua Antiqui Solem venerabantur, nam Equum à Persis Phœbo immolatum fuisse refert Ovidius Fast. lib. primo dicens:

Pla-

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri Victima tarda Deo.

Marti etiam sacrum feciſſe Romanos tanquam belli ſymbolum dixit Virgilius

Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur, eo quòd (ait Feſtus) per ejus effigiem Trojani capti ſint, vel quòd eo genere animalis Mars delectari credebatur.

ACCIPITER.

AViculam etiam venerabantur Ethnici, quam Muſæum ſervat ex ære formatam, ut ſub num. 7. roſtro adunco, quo Accipitrem ſignificari non dubito, quamvis rudi minerva in cœteris membris expreſſum. Hanc avem ab Aegyptiis præcipue cultam fuiſſe docet Diodorus lib. 2. cap. 4. Illam enim, utpotè vividæ naturæ Animal, & acie oculorum præclara, Oſiridem eſſe putabant, ſeu Solem: quare dixit Plutarchus *in veſtibulo Templi Minervæ accipitris ſculptura Deum prænotari*. His adde quod refert his verbis. Alii Accipitrem priſcis temporibus dicunt librum puniceis inſcriptum litteris, in quo continebatur qui cultus Diis, quive honor deberetur, Thebas ad Sacerdotes detuliſſe. Hiſce de cauſis ejus effigies paſſim in annulis, in ſigillis, & amuletis, tanquam morborum, & malorum remedium expreſſa deferebatur.

SIMIA.

VErùm quid dicam de ſtultitia eorumdem Aegyptiorum quibus, ut verbis utar Alexandri de dieb. Genial. lib. 2. cap. 2. licet templa marmore, & auro eſſent elaborata luxu ingenti, & mira arte; tamen Deorum imago erat ridicula. nam Simia, Ibis, vel Crocodilus aut aliud id genus peſtes Magorum, aut Aegyptiorum pro Diis colebantur? *Mihi quidem* (loquar cum Luciano de Sacrif.) *poſtulare videntur, vel Heraclitum aliquem, vel Democritum, quorum hic amentiam eorum rideat; ille deploret inſcitiam*. Hujus ſignum habet Muſæum in binis æneis ſimulacris, quorum unum indicat numerus 8. Unde autem error iſte ortum habuerit, docet idem Lucianus. Aiunt enim (inquit ille) priores Deos, cum pauci numero eſſent, viribuſque impares, impietatem verò hominum timerent, ſimiles ſe quibuſdam animantibus finxiſſe, eoque modo crudelitatem vimque hominum effugiſſe: parto deinceps orbis imperio, ut redderetur animantibus gratia, quæ ſuæ ſalutis cauſam præbuiſſent, conſecraſſe illa, quorum ſumpſiſſent formam, oſtendiſſeque quo pacto, & viva nutrienda eſſent, & mortua ſepelienda. Cur verò Simiis, Cynocephalis, & hujus generis animalibus talis honor delatus ſit, ob eorundem ingenium id eveniſſe putant aliqui; ſolertia enim, & vividæ naturæ cum ſint, hominum mores adeò bene imitantur, ut in Hominum potius, quàm Brutorum genus connumerari poſſe videantur. Alii tamen ex proclivitate, quam habent ad generationem, Solis naturam participare ſibi ſuaſerunt, a quo producuntur omnia, quamobrem illum ſub nomine Priapi, & ſimilium coluerunt antiqui. De cynocephalis autem narrat Carletonus in ſuo onomaſtico pagina 17. Hujus generis unum in Aula ſua ſervaſſe Carolum ptimum Regem, ſed poſt biennium ſclopeto confici juſſiſſe ob inſignem ſalacitatem.

BVLLA.

DUplicem Bullam demonſtrant num. 8. 9. & 10. quarum altera rotunda, & gibboſa eſt, altera oblonga, & figuram cordis referens, in qua Priapi imago apparet. Utraque vacua eſt, ſicuti ſunt apud nos argenteæ, vel aureæ parvæ thecæ, quibus Sanctorum ſacras reliquias geſtamus incluſas. In iis enim etiam Ethnici caracteres, ſeu alias res inſerebant, quas putabant validiores ad avertendas faſcinationes, & morbos. His ſimiles protulit in Muſæo Romano Michael Angelus Cauſæus ſect. 5. art. 2. in Muſæo Petri Bellori delineatas. Eas inter Amuleta repono, ne quis putet illas ex eo genere Bullarum eſſe, quæ è collo puerorum nobilium olim dependebant. Ejuſmodi bullas fuiſſe aureas dicunt Scriptores, & inſigne puerorum prætextatorum, de quibus ſic Feſtus. Dicta eſt à græco ſermone *Buli*, quod conſilium dicitur latine, vel quia eam partem corporis Bulla contingat, ideſt pectus, in quo naturale manet conſilium. Illam ſignum hetruſcum dixit Juvenalis, eo quòd (ait Joannes Britannicus in notis) Tullus Hoſtilius tertius Romanorum Rex debellatis Hetruſcis ſellam curulem, lictoreſque, & togam pictam, atque prætextam, quæ inſignia Magiſtratuum hetruſcorum erat, primùm ut Romæ haberentur inſtituit, ſed prætextam illo tempore puerilis non uſurpabat ætas, ſed poſtea Tarquinius Priſcus de Sabinis triumphum egit, quo bello filium ſuum annis 14. natum, quòd hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudavit, & bulla aurea prætextaque

dona-

donavit; insigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis, & honoris. Nam sicut Prætexta erat Magistratuum, ita Bulla erat gestamen triumphantium, quam in triumpho gerebant, inclusis in ea remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima. Hinc deductus mos, ut Prætexta, & Bulla in usum puerorum nobilium usurparentur ad omen, & vota conciliandæ virtutis ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt. Sed Bulla hæc aurea cum Prætexta ingenuis tantùm concessa est, & nobilibus, à quibus usque ad quartum decimum ætatis annum gestabatur. Deinde Diis Laribus eam suspendebant, quare Propertius lib. 4. eleg. 1.

Mox ubi Bulla rudi dimissa est aurea collo
Matris, & ante Deos libera sumpta toga.

& Persius Sat. 5.

Cum primùm pavido custos mihi purpura cessit
Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Libertinorum verò filiis Lorum tantùm, & prætexta concedabatur. De iis plura Macrobius in primo Saturnal. cap. 6. & Theodorus Pulmannus in notis selectis ad Juvenalem adhærens Macrobio ait: *Bulla figuram cordis repræsentabat, vel potius Bullæ in indicium humanæ fragilitatis*; sed horum sententiam damnat Jacobus Sponius in Miscellaneis eruditæ antiquitatis sect. 9, Rotundam enim figuram earum Bullarum ille observavit in tribus antiquis lapidibus quòrum icones exhibet. Et Philippus Beroaldus in Comment. Propertii lib. 4. eleg. 1. Asconium refert dicentem. *Bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea, & Plinius* lib. 33. cap. 1. Mos bullæ duravit ut eorum qui equos meruissent filii, id insigne gestarent, ceteri lorum. Unde Satiricus.

Aut Signum de Paupere Loro.

Rara est hujusmodi Bulla in Musæis, & eruditorum Cimeliis; quippe auri sacra fame tabescunt omnia, & destruuntur, præcipue si aurea sint. Unam tamen Romæ apud se habet D. Franciscus Ficoronus Vir pari eruditione ac rerum antiquarum amore præditus; alia fere similis est in Musæo Excellentissimi Principis Augusti Ghisii apud Sanctam Mariam Majorem; Insuper imaginem pueruli antiquam inter duplicem Chrystallum clausam habet supra laudatus Ficoronus, e cujus collo bulla aurea dependet, e ruderibus Romanarum antiquitatum acceptam.

Hinc factum ut hoc nomine censeantur icunculæ æneæ aureæ, vel argenteæ, italice *medaglie* latinè verò sacræ Bullæ, vel Numismata sacra, Agni cœlestis vel alicujus Sancti effigie insignita. Sic in primitiva Ecclesia, mutata superstitione in veram Religionem, ex cereo paschali Agnus Dei dici consuevit, quos Agnos Dei recens baptizati suspensos ferunt è collo, & sicuti Gentiles cordis figuram, quo sic noscerent se esse Viros, si corde præstarent, ita Christiani imaginem Christi agni susceperunt, ut ejus exemplo discerent esse mites, & humiles corde; ita Baronius anno 58. & Spondanus ibi num. 30.

IDOLA DIVERSA.

QUinque Idolorum simulacra expressa sunt in Tab. XXI. ex variis Indiarū Regionibus accepta. Sub n. 1. videtur Animal nudum, & informe lapideum cujus facies humanæ similis, Simiæ potius dicenda videtur. Illud ex Novo Regno americano allatum est à quodam è nostra Societate Missionario, cui Vir idololatra Christi fidem amplexus tradidit, ut suam stultitiam detestaretur, qua monstrum adeo informe coluerat.

Non absimile illi aliud ostenditur numero 2. ex ære formatum. Simiam refert caudatam, quæ humanam figuram fere exprimit; differt tamen ab homine auribus oblongis, unguliſque acutis, quibus manus pedesque muniuntur.

Numerus 3. hominem barbatum æneum demonstrat. Quid nam in eo antiqui Gentiles venerati fuerint ignotum est; Herculem fortasse indicat Pellis Leonina, qua nudum ejus corpus circumtegitur.

Quarto loco ridicula Viri imago lignea se offert, ex Japonia allata: quatuor cornicula in ejus capite exuberant, pedes discalceatos ostendit, & vestem potius Mimi alicujus propriam, quàm Numinis. In illa tamen Deum Infideles Japoniæ venerantur, quem Sciaccam appellant.

Sub numero 5. æneum simulacrum ostenditur corpore gracili, cum indumento singulis membris strictè adhærente; bracchia nudata habet, & pedibus discalceatis insistit, oculis clausis dormientis instar. Quid expressione adeo ridicula indicare voluerit ejus Author, ille tantùm posset enarrare. Fortasse Osiridis figuram, quem fingebant Aegyptii gracili forma, & nulla fere membrorum expressione, ad quandam Divinitatem à corporea humanę substantię massa indicandam. Ab eo bonorum omnium temporalium ubertatem, & fœcunditatem se habituros sperabant.

Verùm decepti ab impiis Sacerdotibus Aegyptii præcipuè, innumera ferè amuleta excogitarunt, & Telesmata, sub quibus varia Numina laterè credebant, quorum ope, & potestate

mala

mala omnia poſſent arceri. Hinc eorum copia, quæ in pretioſis lapidibus annulorum exculpta, manibus, vel pectori alligata, modò in Cimeliis, & Gazophilaciis conſervantur. Aliqua hic poſſem exponere, quæ in Muſæo noſtro numerantur; ſed cum ineptiſſimæ illis tributæ fuerint, & pro libito a cujuſcunque ſuperſtione ſignificationes & Virtutes, in præſentiarum omittimus, tanquam miſeræ Ethnicitatis deliramenta. Adeat Curioſus Lector collectionem eorum uberrimam, quam typis Venetiis vulgavit Excellentiſs. Capella, adeat Gemmas Auguſtini, vel Dactylothecam Gorlæi. Meminit eorum Euſebius lib. 1. Præpar. Evang. Multa expreſſit in Oedipo ſæpè laudatus Kircherus. Atque rectè contra eorum authores paſſim Sancti Patres ſummo rigore invehuntur. Lactantius lib. 1. cap. 14. *Inſinuant ſe corporibus Hominum Demones, & occulte in viſceribus operti, valetudinem vitiant, morbos cient, ſomniis animos terrent, furoribus quatiunt; ut Homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.* Et Origenes contra Celſum. *Quid recenſeam* (ait) *eos, qui luſtrationes docuerunt, & incantationes pellendis morbis, arcendiſque, aut effigies, formaſque Dæmonum varias, & præter hæc in veſtibus, manicis, lapidibus, plantis, radicibus amuleta diverſorum generum?*

Nos interim claſſem hanc claudere meritò poſſumus verbis Divi Athanaſii, dicentis:

TANTOPERE QUIDEM MENTE PROLAPSI SUNT (GENTILES) TANTISQUE TENEBRIS ANIMUM SUUM INVOLUERUNT, UT QUÆ NULLA RATIONE ESSE POTERANT, AUT NUNQUAM CONSPECTA ESSENT, EA EXCOGITARINT, ET NUMINA FECERINT; QUIPPE QUI BRUTA RATIONABILIAQUE ANIMALIA INVICEM PERMISCENTES, ET IN UNAM SPECIEM CONTRAHENTES PRO DIIS COLANT. QUALES SUNT APUD ÆGYPTIOS CANICIPITES, SERPENTICIPITES, ASINICIPITES, ET IN LIBYA JUPITER, ET AMMON VERUECINO CAPITE CONFIGURATUS.

CLAS-

TRIPVS MARMOREVS
ANTIQVVS APOLLINI
SACER

Scala palmi unius

AB ILL.^mo D. BERNARDO
CINCIO MVSÆO COLLEGII
ROMANI DONATVS

An. 1702





Bacchans

Diana Lucifera

Mercurius


1
2
3
4
5
6



Tab. IV
1
43
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11



1
2
3
6
8
7



Tab. VI
45
1
2
3
4



1
2
3
4

Tab. VIII





Tab. X
49
1
2
3
4



Tab. XI
1
2
3
4



1
2
3
4



Tab. XIII



1
2
3
4



Tab. XV



1
2
3
4



2
2





Tab XIX



Tab. XX
8
6
7
59
3
1
4
5
9
9
2



1
2
3
4
5



CLASSIS SECUNDA.

Continens Tabellas Votivas, & Anathemata.

SIcuti cuilibet Nationi communis mos fuit Diis ſuis altaria erigere, atque in iis offerre Sacrificia, ita pariter ſolemne omnibus erat ingenti periculo, metu vel labore preſſis, Vota Diis Præſidibus nuncupare, quę poſtmodum incolumes facti exoluere non ommittebant, atque in Templis ſeu alibi ad eorum honorem Dona Tabulaſque Votivas ſuſpendere, quibus ſuarum miſeriarum, & grati erga eos animi monumenta permanerent: unde Horatius Od. 5. lib. 1.

— *Me tabula ſacer*
Votiva paries indicat Vvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Quidquid igitur Voti cauſa offerebatur, vocabatur Tabella votiva, ſive quòd votæ eſſent, aut ex voto ſuſpenſæ, ſive quòd depicta hominum vota continerent; ſicuti votivas preces appellari, quibus aliquid cum voto poſcitur, notat eruditiſſimus Jacobus Philippus Tomaſinus de Donariis cap. 1.

Has tabellas magna ex parte fuiſſe teſtaceas, quemadmodum hodie apud plebejos cereas, perſuadet numerus ingens earum, quæ etiam hodie plurimis in locis, ubi Deorum Fana extabant, effodiuntur: fuerunt etiam ex marmore, ex ligno, metallo, aliave re conflata, ut fusè exponit idem Tomaſinus cap. 2. Illum adeat curioſus Lector, non enim de Donariis tractatum texere animo eſt, ſed tantùm aliqua hujus generis proponere, quæ in Muſæo aſſervantur.

Primo loco ſe offert Tabella ænea in Tabula XXII. num. 1. expreſſa juxta prototypum: fuit illa reperta in prædio Urſinæ familiæ, cui nomen *Licenza* propè Tibur ſito, cum hac Epigraphe.

FLORÆ
TI. PLAUTIUS DROSUS
MAG. II.
V. S. L. M.

Hanc inſcriptionem ita legi debere me docuit Illuſtriſſimus Blanchinus, Vir omnigena eruditione conſpicuus, & ob eam, morumque candorem CLEMENTI XI. Pontifici maximo acceptiſſimus, & inter nobiles ejus Cubicularios adſcriptus, ideſt.

FLORÆ TIBERIUS PLAUTIUS DROSUS MAGISTER SECUNDUS VOTUM SOLVIT, LIBERO MUNERE, SEU LIBENTI MUNERE.

Ejuſdem Viri expoſitionem addo, ſine ulla, vel ſillabæ additione, ne in tanti Viri meſſem falcem meam videar audacter immittere. Figura tabellæ (inquit ille) ſatis demonſtrat Voti memoriam, quam docet expreſsè titulus. De hujuſmodi tabellis cum eruditè diſſeruerit Jacobus Philippus Tomaſinus, plura hic dicere neceſſe non eſt. Aliqua tamen indicabo, quæ pertinent ad Plautiæ Familiæ hiſtoriam, & ad ætatem ac ſuperſtitionem Tiberii hujus Plautii in Voto perſolvendo.

Plautiam Familiam Tibure oriundam fuiſſe indicat Monumentum inſigne, quod hodieque cernitur apud Pontem Lucanum prope idem oppidum, e quo tres Epigraphas Gruterus exſcripſit pag. 452. 453. & 454. Viros in iis recenſitos obſervat, & illuſtrat Antonius Auguſtinus in hac familia, ex quo colligere licet *Tiberium* hunc *Plautium*, cognomento *Droſum*, licet ab aliis (quod ſciam) non memoretur, facile adſcribi poſſe Cæſarum ſæculo. Indicio eſt prænomen *Tiberii*, quod in hanc Familiam inductum ſuſpicor a *P. Plautio Pulcro Tiberii Cæſaris quintùm Conſulis Quæſtori*, & ab eodem *Tiberio* tot honoribus aucto, quot in eodem monumento exprimuntur apud Gruterum. Hunc ſuſpicor in Familiam ſuam adſciviſſe prænomen *Tiberii*, & cognomen *Droſi*, ſeu *Druſi*, ut gratam Vicem rependeret Auguſto ſuo, tot munerum, ac titulorum erogatori munifico. Siquidem nemo, quem viderim, ante hunc occurrit in Plautia Familia prænomine *Tiberii*, aut cognomento *Droſi* inſignitus. Fortaſſis etiam fuerit idem P. Plautius a Gruteriano lapide memoratus *Pater Tiberii Plautii* iſtius voti perſolutoris, cui *Droſi* ſeu *Druſi* cognomen idcirco *Publius* impoſuerit, ut animum *Tiberii* ſibi arctius devinciret, quando comes additus fuit *Druſo Tiberii filio*, ut lapis ille demonſtrat. Natum per id temporis (ut judico) filium comitis ſui Druſi optime de ſe meriti memoria, & nomine redditurus illuſtrem. Vel etiam factum fuerit in gratiam Claudii Imperatoris affinis Plautiæ Fami-

liæ post matrimonium initum cum Plautia Herculanilla, quæ illi adhuc privato Drusum Pompejum, & Claudiam enixa est. Neque enim fas est *Drosi* cognomentum a *Druso* esse diversum, cum ex Auctoribus, & inscriptionibus illius sæculi constet nondum fuisse antiquatum veterem usum enunciandi, atque scribendi in pluribus dictionibus loco quintæ vocalis V quartam O, ut in vocibus *Aorelius*, *Consoles*, *dederont*, *faciondum* legimus in Grutero, vel etiam quintam loco, quartæ O, ut in vocibus *epistulas*, *subules* &c. & cum aliunde constet *Drusi* cognomen assumptum fuisse a Livio, a quo etiam transmissum in Posteros, deducto vocabulo a Duce *Drauso* per ipsum Livium occiso. Quis verò nesciat ex hac voce *Drausus* rectius formari *Drosum* quàm *Drusum* eadem planè lege, qua *Claudium* in *Clodium*, non in *Cludium* antiqui verterunt.

His itaque conjecturis adducor ut credam circa Cæsarum tempora vixisse *Tiberium Plautium Drosum* hujusce voti persolutorem. Eundem Collegii sui magisterio perfunctum docet, qui sequitur titulus MAG. II. hoc est: *Magister secundus*, vel etiam *Magister secundùm*, quam etiam lectionem constare posse mox indicabo; licet enim in aliquibus Collegiis Sacerdotum Magisterium deferretur perpetuum ei, qui ætate anteibat; attamen in aliis Collegiis annuales fuisse magistros cognoscimus ex antiquo lapide apud Gruterum pag. 33. ubi non solùm quinquennales magistri, sed & magister anni primi recensetur, argumento plane perspicuo, quod ex Sacerdotibus in quinquennium ad magisterium vocatis, annis singulis unus præficeretur.

Hinc etiam illustratur numeralis nota II. quæ in eadem tabella votiva post magistri titulum Plautio nostro tribuitur; facile enim conjecturare possumus, vel è quinquennalibus eum fuisse Plautium, cui secundus annus obtigeret, vel è pluribus ad magisterium designatis eum extitisse, cui vices secundæ fuerint demandatæ, vel denique primo anno aut quinquennio (si fortè annale, vel quinquennale fuit etiam hoc magisterium) absoluto, iterum electum ad id muneris obeundum. Cœterum ad Magistros Collegii spectasse inter plura officia etiam vota persolvere, & Victimas immolare perspicuum est: ex fragmentis Fratrum Arualium ab Ursino, & Grutero editis. Ibi enim *C. Porcius Priscus*, qui etiam magister I. dicitur hæc omnia præstat

IMMOL. IPSO. MAG. PORCAM, ET AGNAM

aliis ministrantibus. Ibi etiam Floræ Sacrificium describitur OV. II. ideſt *Ovibus duabus.*

Quorsum verò Floræ vota conciperentur, narrar, & irridet D. Augustinus de Civit. Dei lib. 4. cap. 8. ubi cum fasciculo illo levium Numinum Volusina, Patellana, Hostilina, Lacturcia, Matuta, & Runcina Floram colligat, quam florentibus frumentis adjutricem invocatam a Romanis nemo vel leviter eruditus ignorat. Neque alio, ut arbitror, consilio Plautius noster Votum Floræ persolvit in agro Tiburtino, ubi Tabella ista reperta est, nisi ut florentes segetes custodiæ ipsius commendaret.

Hæc habui quæ de Tabella ista conscriberem, quam fecit commendatiorem inscriptio Floræ apud antiqua monimenta non admodum frequens, licet ex Authoribus constet, eo perductam fuisse hujusmodi Numinis superstitionem à Romanis, ut illi Flaminem proprium *Floralem* dictum instituerint.

TABULA VOTIVA NEPTUNO.

TAbula marmorea sub numero 2. est, in qua Juvenis ostenditur manibus duobus remis admotis laborans in navi, quæ inter undas maris procellosas fertur, temone, & velis orbata. In eadem hæc verba græcis characteribus ruditer incisa leguntur.

ΠΟΥΦΙΝΑ ΙΟΥΣΤΟΝ ΕΙΣ ΜΝΕΙΑΝ ΧΑΡΙΤΟΣ

ideſt *Ruffina Justum in memoriam beneficii* subintellige *posuit* vel aliquid simile. Illam appensam fuisse in gratiarum actionem à muliere nomine *Ruffina* in memoriam beneficii, quo *Justus* ejus filius, vel maritus, seu affinis incolumis evaserit è maris tempestate, ipsa verba, & sculptura satis indicant.

Tabellas votivas Ethnicis passim in usu fuisse, easque marmoreas parietibus Templorum insertas potius, quàm appensas, pluribus probat Jacobus Philippus Tomasinus lib. de Donar. cap. 1. & præsertim Nautarum soboli, postquam aliquid discriminis evasissent. Ita præter Horatium aliosq; Vates Tullius in Epist. ad Atticum lib. 4. *Nec enim me una ex hoc naufragio Tabula delectat.* Amabant enim illi non modò dona, quæ periclitantes voverant, sed & periculum ipsum in Tabella depictum proponere sive in Templis, sive alibi, ut apertius testarentur, quanto Deorum beneficio servati fuissent. Virgilius Aeneid. 12.

Hic steterat Nautis olim venerabile lignum
Servati ex undis, ubi figere dona solebant
Laurenti Divo, & votas suspendere vestes.

Et quidem in honorem præcipuè Neptuni naufragium pictum in ejus Templo exculptum figebant;

bant; idcirco (referente Lucio Mauro in Antiq. Romanis) Templum Romæ erat Neptuno sacrum, ubi postea Delubrum D. Blasio sacrum fuit. in quo Nautæ Tabellas naufragii pictas suspendebant; quamvis etiam Plutoni Inferorum Deo, qui periculum maris evaserant, Vota posuerint. Quale in Hispania ad castra Vicelliana apud Tomasinum.

PLUTONI
DEO. IN. LOCO.
SUB. TERRA. COND.
PERICULO. OCEANI
LIBER. ARAM. POSU
IT. FAB. VICELLIA
NUS. EX. VOTO.

Etiam Castori Polluci, & Dianæ apud Senecam lib. 1. Quæst. Nunquam enim frequentius, quàm in ipsa jactatione tempestatis Vota fiebant, ut indicat Ovidius lib. 1. Fast. Eglog. 2.

Dii maris, & Cœli (quid enim nisi vota supersunt)
Solvere quassatæ parcite membra ratis.

Cum nuda videatur imago exculpta, arguo illum fuisse è Collegio Urinatorum: erat enim apud Romanos Collegium non vile, qui piscatoria arte vivebant, ut probat vetus inscriptio posita Piscatorum Patrono apud Tomasin. pagina 213.

TIT. CLAUDIO ESQUIL. SEVERO
DECURIALI. LICTORI. PATRONO.
CORPORIS PISCATORUM, &
URINATORUM &c.

nam Nautis, ut monet Tomasinus cap. 25. Habitus erat penula coloris veneti, seu Thalassici aut cærulei, quam induti bracchio dextro exerto, caputio, vel bardocuculla, veluti & nostra ætate tecti incedebant.

LAPIS VOTIVUS SILVANO.

TErtio loco recensenda hic est Basis marmorea nuper reperta prope Viam Appiam in Regione duodecima antiquæ Romæ. Quadratam formam illa habet tribus palmis altam. In anteriori ejus facie hæc verba leguntur tali modo dispositа.

SIGNUM
SILVANI
SANCTISSIMI
CUM BASE
POSUIT C.
FLAMINIUS
THELESPHORUS

In hac inscriptione duo se offerunt notatu digna. & primò quidem in memoriam revocandum est, quod scripsit Servius, scilicet inter rusticos Deos adnumeratum fuisse Silvanum, creditum ut Deum Agrorum, & Pecorum, Silvanum a Silvis appellatum. D. August. lib. 15. cap. 22. de Civit. Dei, docet statuam illi positam fuisse manu protensa, & cupressu armata, cum ejus sationem primus dicatur inveniisse, ita Martian. Capella lib. 5. Nupt.

Tunc primùm posita Silvanus forte cupressu
Percitus, ac trepidans dextrã tendebat inermẽ.

Silvani mentio in vetustis marmoribus inveniri notissimum est, aliquorum fragmenta ponit Thomas Dempsterus in suis Paralip. ad cap. 20. lib. 2. Antiq. Rom. Rosini ideſt. SILVANO SANCTO LARUM PHILEMON P.SCANTI ELEUTHERI DD.

alterius hæc sunt verba

SILVANO SANCTO LARUM CÆSARIS N. & COLLEGI MAGNI CN. TURPILIUS TROPHIMUS VOTO SUSCEPTO ARAM DE SUO DD.

In Aris autem dicatis sacrificia offerebantur. Refert idem Dempesterus illi primitas lac oblatum fuisse, ut rusticum decebat Deum, juxta illud Horatii lib. 2. epist. 1.

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.

Ex voto igitur non tantùm Aræ ponebantur, ut docet supra allata inscriptio, sed ejus simulacrum, quale indicat nostra tabula marmorea, quadrato lapide excisa, qui basis erat simulacri ut docet Inscriptio.

Secundo loco notandus est Titulus *Sanctissimi* Silvano tributus, qui etiam legitur apud Sponium sect. 2. art. 8. Miscellaneorum eruditæ antiquitatis sic. *Mercurio, & Silvano Sanctissimo sacrum*, item, *Silvano Sanctissimo Sacrum P. Iunius Mucianus V. C. Præfect. Urbis*. Aliam hujus generis refert Boissardus lib. 3. Antiq. Roman. exprimens Aram, in Palatio Cardinalis Cæsii positam, in qua hæc verba incisa sunt.

SILVANO & HERCULI SANCTISSIMIS
DIIS SACRUM &c.

Hac voce Cultum significabant Ethnici erga suos Deos, a quibus vel boni aliquid se recepturos sperabant, vel etiam ad evitanda mala, quæ ab eisdem sibi infligi posse timebant. Confirmatur

idem cultus sequenti inscriptione, quam Sponius sect. 1. artic. 1. indicat in basi, in qua est imago Solis seu Apollinis hæc verba habente; SOLI SANCTISSIMO SACRUM T. CLAUDIUS FELIX & CLAUDIA &c. non tamen semper hac voce incorrupta morum integritas significabatur, sed virtutis alicujus ad mores non spectantis excellentia. Fuit enim Romæ inscriptio apud sculptorem Ædium Barberinarum de aquis albulis, quam Sponius etiam refert, sect. 3. his verbis expressa.

AQVIS ALBVLIS SANCTISSIMIS VLPIA ATHENAS CLAVD. AVG.....
LIS UXOR LIBENS.

Quam sanctitatem procul dubio ab utilitate earum affirmatam esse existimat Sponius adducens Strabonem de his aquis sic differentem. *Albulæ etiam profluunt aquæ frigidæ, quæ expluribus fontibus delapsæ variis morbis remedium præbent potæ, aut in balneo usurpatæ.*

Ex his omnibus patet duplicem classem Signorum, quæ *vota* vulgo dicuntur, apud Antiquos fuisse, ut docet Kircherus tom. 2. Oedypi p. 2. pag. 445. idest majora, & minora. Minora quidem portatilia collo, pectore, manibus ad malorum avveruncationem, majora verò immobiliter posita in publicis locis Vrbium, Templorum, Cœmeteriorum, Camporum &c. ad hostium, & contrariorum Deorum insultus arcendos atque etiam post vota concepta, iisdem locis posita. Et etiam nostra ætate vidimus columnas, & piramydes erectas ad sacras imagines sustinendas, quas ex ære seu lapide Pietas Principum, & Populorum in publicis locis in gratiarum actionem magnis expensis dicavit. Steterat procul dubio Silvani signum nostræ basi impositum, ut indicat inscriptio. At inter Rudera, ubi illa latebat, repertum non est. Illud tale fuisse autumo qualem ex antiquis Scriptoribus noster P. Franciscus Pomey descripsit in Pantheo mythico pag. 210. Senem cruribus caprinis humana facie, statura pusillum, porrecta manu cupressum tenentem: sic dictum a Sylvis, quibus præsidere cæca superstitio suadebat Antiquis. Cupressum ille tenebat, eò quòd Cyparissum puerum ab eo summoperè dilectum, post ejus mortem in hanc arborem mutaverit in solamen mœroris, quare illum compellat Virgilius 1. Georg.

Et teneram à radice ferens Sylvane cupressum.

Quare autem potius Signum dicatur, quàm Simulacrum aut statua posita fuisse Sylvani, rationem deduco ex documentis Antonii Augustini viri eruditissimi, qui in Dialogo decimo quærens, an Signum, & Statua differant, respondit: Signum Diis magis convenire, ut in quadam epistola Ciceronis apparet, ubi dixit: *Martis verò signum, quo mihi pacis auctori &c.* & alibi: *Signum Libertatis, & Signum Concordiæ*, quæ pro Diis tum colebatur.

TABULA VULCANO SACRA.

Aliam tabellam votivam ex albo marmore duobus palmis latam, & totidem longam hic ostendo, cum curiosa inscriptione scilicet:

VOLCANO QVIETO AVGVSTO
ET STATÆ MATRI AVGVSTÆ
S A C R V M
P. PINARIVS THIASVS ET
M. RABVLIVS BIRVLIVS
MAG. VIC. ARMILVSTRI ANNO V.

Altare seu Aram, vel tabellam tantùm votivam in honorem Vulcani, & Statæ Deæ fuisse oblatam à P. Pinario, & M. Rabulio inscriptio docet. At quid in votis habuerint, non exprimitur. Illud tamen deduci posse autumo ex ultimis verbis, quibus indicatur fuisse factam oblationem anno quinto Armilustri, quod ut clariùs pateat Verba ipsa sunt explicanda.

Et primo notandum est ex Varrone lib. 4. de lingua latina *Armilustrium*, seu *Armilustrum* Festum fuisse, in quo Romani armati Sacra faciebant, & dum sacrificarent, tubis canebant. monet tamen Nardinus lib. 7. cap. 8. discrimen esse inter *Armilustrium*, & *Armilustrum*. Armilustrium enim Festum quidem erat, (scribente Paulo Diacono in Festi epitome) quo res divinas armati faciebant, & dum sacrificarent tubis canebant; Armilustrum verò locus ille dicebatur, in quo peragebatur Festum. quare idem Varro addidit, *nisi locus potiùs dictus sit ab ludendo, quòd ludentes ancilibus armati circuibant.* Hujusmodi Festum celebratum fuisse singulis annis die 19. Octobris, in veteri Calendario legitur his verbis: ARM. N.P. idest *Armilustrium nefastu primo*, & in honorem Titi Tatii, Dionysius docet in secundo, scribens: *Civitas expensis publicis anno quolibet illi parentat* (idest *Tito*) cujus sepulchrũ milites armati circumeunt.

Aliud insuper Armilustrium singulis quinquenniis celebratum apud Giraldum Syntag. Deor. 17. his verbis describitur. *Milites lauro coronati rem divinam ita peragebant, Suem, Ovem, Taurum, qui puri essent ter circum Aciem instructas, præcedente pompa, ducebant, Martique Deo immolabant.* De quo etiam Livius sic habuit lib. 2. *Omnes Centuriæ, & Equites in campum martium convocati, Sve, Ove, Taure cæsis, immolarunt, quòd lustrum est dictum, atque tale sacrificii, genus* SVOVETAVRILIA dixerunt.

Hunc lustrandi morem Servium Regem primùm

mùm inſtituiſſe ferunt, & Armiluſtrium nuncupaſſe; alii tamen a Numa tradunt ortum habuiſſe. Luſtrum autem dictum fuiſſe ſive Armiluſtrium ex eo quòd ſic in Sacrificiis purgatio fieret ſingulis quinquenniis, ut docet Varro lib. 4. de lingua latina.

Tertium denique Armiluſtrii genus Antonius Auguſtinus refert in ſuo de Antiquit. Dialogo decimo, ubi docet. Armiluſtrium a Luſtro derivatum. Luſtra autem Romæ fuiſſe cum Reges primùm civium romanorum delectum cenſumque facere ſolebant; ſcilicet cum eorum facultates, ætates, ſtatum, & quis cujus eſſet curiæ, vel tribus, cujus Coloniæ aut municipii, quod officium, collegium, Sacerdotiumque gererent, quot liberi eſſent, cujus ætatis, quo cenſu, deſcriberent. Ad hæc civitatis bona apud Quæſtores explorabant, cui rei Magiſtratus inventus Cenſores bini, qui quinto quoque anno Luſtrum conderent, hoc eſt Cenſum agerent, Vniverſorum.

Sicut autem in Luſtro omnes domus, familiæ atque cives, eorumque bona luſtrabantur, ſeu recenſebantur, ita pariter erat Armiluſtrium, in quo milites luſtrabantur, & arma. De tali munere Cenſorum fuſe Roſinus egit antiq. Roman. lib. 7. cap. 10. ex quo aliqua hic ſubjicimus. Cenſores dicti illi ſunt, quòd ad eorum cenſuram ideſt arbitrium cenſeretur populus. *Fuit hic unus de Magiſtratibus majoribus, & Romanæ reipublicæ propter diſciplinæ cuſtodiam, cujus ſevera cura Cenſoribus inter cætera ſine provocatione commiſſa fuit admodum ſalutaris. Ipſorum officium erat, quod præter Livium, Plutarchum, Valerium, & alios Cicero lib. 3. de legibus paucis his verbis plenè deſcribit. Cenſores*, inquit, *populi civitates, ſoboles, familias pecuniaſque cenſento. Vrbis templa, vias, aquas, ærarium, veſtigalia tuentor, populique partes in Tribus diſtribunto, & in decurias, Civitates, Ordines partiunto, Equitum peditumque prolem deſcribunto, cælibes eſſe prohibunto, mores populi regunto, Probrum in ſenatu ne relinquunto, bini ſunto.*

His prænotatis facilè deducitur *Pinarium*, & *Rabulium* binos Cenſores populi fuiſſe, a quibus preces, & Vota fuiſſent oblata, non quidem in Feſtis Armiluſtrii ſingulis annis, vel quinquenniis a militibus celebratis, ſed Armiluſtrii tempore, quo Arma militeſque recenſebantur; opus enim erat arduitate plenum, invidiæque & inſidiis obnoxium, ut conſideranti patebit. Qua de cauſa, referente Auguſtino dial. 2. ad illud exercendum Viri Primarii, & Conſules eligebantur in Vrbe: & hi purpurea veſte induti incedebant, atque eos duobus littoribus uti poſſe (referente Dione) Auguſtus decrevit.

Anno igitur Armiluſtrii quinto, quo illud celebrabatur, preces ſuas Vulcano obtulerunt Cenſores iſti, & quidem *Quinto*. Scilicet, ut ipſis eo tempore faveret, non ignem excitando, nec extruendo arma; quorum fabricam Vulcano, & Cyclopibus Virgilius cum Homero, cœteriſque poetis tribuit ſcribens:

— *Ignipotens cœlo deſcendit ab alto.*
Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro
Bronteſque Steropeſque, & nudus membra Pyracmon.

Una cum Vulcano STATÆ etiam matri preces ſuas effuderunt, nam ejus Deæ cultum, auctore Feſto, apud Gyrald. Syntag. pr. *in ſuos quique vicos retulerunt, colluſtrante populo, lapides non conſumi igne, qui plurimus fiebat in foro, in quo ejus Deæ ſimulacrum antiquitus colebatur.* Cum autem *Pinarius*, & *Rabulius* dicantur in inſcriptione *Magiſtri Vici*, & quolibet in vico Stata Dea coleretur a Romanis, mirum non eſt imploratam ejus opem fuiſſe, tanquam Vicorum præſidis, ubi Votum emittebatur a Pinario, & Rabulio. Utrique autem, nempè Vulcano, & Statæ, titulus *Auguſti* tribuitur, ut ea voce amborum Majeſtas ſignificetur. Ob id etiam (docente Servio) *Sedes Auguſta, & tectum Auguſtum* dicitur, & Ovid. 1. Faſt. 112. ait:

Sancta vocant Auguſta Patres: Auguſta vocantur
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu.

Auguſtus etiam appellatur qui eſt conſecratus ait Cicero de natura Deor. lib. 2. c. 89. uti erant Gentium Dii, ex Hominum Cætu in Deorum chorum adſcripti.

Volcanus denique non *Vulcanus* appellatur, voce ab Antiquis latinis uſurpata. Volcanus enim ab iis dicebatur, ait Servius, quaſi *Volicanus*, & Varro abegnis jam majore vi ac Violentia *Volcanus* dicitur. Ita Martialis lib. 5. epiſt. 7.

Iam precor oblitus noſtræ Volcane querelæ
Parce &c.

Supereſt ut de munere Magiſtri Vicorum, quod a Rabulio, & Pinario exercebatur aliquid inquiramus. Antiquiſſimum illud fuiſſe in Repub. Romana refert Bulengerus lib. 5. cap. 7. de Imperio Romano; nam inter Curatores Urbis, erant Curatores viarum, qui Vicomagiſtri dicebantur, qui tamen ante Auguſtum perpetui non fuere, nec id certum erat munus, ſed earum curam a Cenſoribus geſtam affirmat Cicero de Leg. his verbis. *Cenſores Urbis, Templa, Vias, Aquas, ærarium, vectigal tuentur.* Quamobrem tempore Reipublicæ Pinarium, & Rabulium Magiſtratum hunc geſſiſſe non levi conjectura probatur, cum Cenſores eſſent, qui Armiluſtrium inſtituerent, & Vicorum Magiſtri,

qui

qui curam Viarum haberent. Augustus deinde Curatores viarum, & minores magistratus instituit, quos Varro *Viocures* vocavit. Hi numero quatuor primùm fuere, ut affirmat Pomponius de Origine Juris, postea his quatuor additi duo; Curatores item extra ordinem reperti sunt, qui singulas vias curarent, quare Plutarchus, Cæsarem Curatorem Viæ Appiæ, Cicero Thermum Viæ Flaminiæ fuisse ajunt, & Dio lib. 54. scribit armatos ab Augusto duos, qui vias curabant extra muros, retentis quatuor, qui in Vrbe. Qui verò extra muros vias curabant, quatuor aliis digniores erant, quia in viis illis amplioribus extra Vrbem sumptus major. Eorum meminit Plinius lib. 5. Epist. Anno post Christi nativitatem 222. Alexander Severus, cum ad imperium perveniisset, voluit per singulas Vrbis Regiones Præfectos facere, ut essent quatuordecim.

Inter præcipuas curas, quas exercere tenebantur antiquissimi Vicorum Magistri, ea erat, quæ ludos compitalitios instituebat, eo nomine appellatos a compitis; in quibus fiebant. quos ludos intermissos ad Servium usque Regem, dein per eosdem magistros instaurari curavit Lucius Piso. Tandem sublatis Collegiis, ipsi pariter aboliti sunt, & post novem annos a P. Clodio Tribuno Plebis rursus aperti, hac formula utente precone: *Die nona post Calendas Ianuarii Quiritibus Compitalia erunt*. Compitalia erant quæ in Compitis peragebantur; Compita verò loca erant viæ publicæ, ac diverticula aliquorum confinium, vel loca in Quadriviis, ubi ædiculæ consecrabantur patentes. *Compitalia* (inquit Varro) *dies attributus Laribus ubi viæ competunt, tum in compitis sacrificabatur*. In Triviis, & Quadriviis ædes erant positæ in tres partes si trivium esset, in quatuor, si quadrivium, apertæ, ad quas conveniebant Pagani ex locis vicinis Sacra facturi. Quot annis is dies conciperetur Macrobius refert lib. 1. Saturn. cap. 7. Quo verò ritu celebraretur, apud nullum Auctorem explicatum inveni. In Suetonio tantùm de Cæsare Augusto hæc legi: *Compitalitiis Lares ornari bis anno instituit*, ubi Samuel Pitiscius *ornari explicat Coronari*. Apulejo scribente milesi. 3. *In ipso fere meditullio Eponæ Deæ simulacrum præsidens ædiculæ, quod accuratè corollis roseis recentibus fuerat ornatum*. Sic Tibullus 11.

— *Ut ornatos duceret ante Deos.*

Floribus ornare Lares solebant Veteres ex Plinio 21. cap. 3. *Et jam tunc Coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum privatorumque.*

Ex quibus patet ni fallor, Vota Rabulii, & Pinarii concipi patuisse eo die, quo Compitalia festa celebrabantur in honorem Statæ Deæ, publicorum Vicorum Præsidi, & Titulari, ut supra explicavimus. Inquirendum denique esset, qui nam fuerint Publius Pinarius, Thiasus, & Manlius Rabulius Birulius, ideſt Censores illi, ac Vicorum Magistri, quibus Armilustri instituendi cura commissa erat. *At* ariolari potius, quàm vera deducere in re omnino abdita, possumus.

TABELLA APOLLINI SACRA.

Tabella hic marmorea sese offert explicanda, in qua hæc verba leguntar:

SINDIIS. ATIAIIS
MVNVS. D.
SYNESTOR. GIILATOR.

Eam ex eo Anathematum genere esse, quibus religiosi animi cultum Homines olim testabantur, non est ambigendum. Illa enim (referente Jacobo Philippo Thomasino de Donar. cap. 1.) Tabellæ erant parvæ in quibus aliquid scriptum, vel pictum erat, quarum aliquæ in Deorum venerationem, vel beneficii ab iis accepti memoriam erant parietibus Templorum, vel appensæ, vel insertæ, & ne omnia circa ejusmodi votivas tabellas cum ipso Thomasino exponamus, satis erit animadvertere, aliquando in eis nomen voventis expressum fuisse, ut apparet in tabella, quam ex monumentis Arundelianis Seldenus his verbis exposuit:

SACERDOS ARCHIDIAMUS
PHILÆNETI F. ISIDI
OSIRIDI, ANUBIDI
DONARIUM

Similis huic nostra inscriptio est, in qua *Synestor Giilator munus donat, vel dicat sin Diis Atiaiis; munus* dicitur loco *Donarii*, quæ verba ait Nonius Marcellus consuetudine habentur, quæ aut propitiandis Diis dantur, aut Hominibus pro beneficiis redduntur, ex quo documento parum firma probatur quorumdam non infimæ notæ Grammaticorum distinctio, qui munera Hominum, Dona Deorum tradunt. Innumeri enim ex latinis in eadem significatione hæc verba usurpant. Sic Catullus carmin. 67.

Pristina vota novo munere dissolvo.

& Justinus de Delphico templo lib. 74. *Multa*, ait, *& opulenta ibi Regum populorumque visuntur munera, quæque magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem, & Deorum responsa manifestant*. Igitur ne in voce inutiliter hæreamus, Donum sive Munus *Synestor* donat pro

gra-

gratiarum actione ob aliquod beneficium acceptum, quod tamen non exprimitur.

Inquirendum modò est, qui nam Synestor fuerit, atque quibus Diis munus suum obtulerit; Ut ab hoc ultimo exordiamur, me a veritate non aberrare putabo, si dicam, hæc verba non ea ratione legenda esse, qua incisa visuntur, sed diversa. Scilicet interpunctione facta post Sin. SIN. DIIS ATIAIIS, hoc est SINGULIS DIIS: frequentissimè enim in antiquis inscriptionibus deesse interpunctiones, & continuato cursu verba, vel integra, vel detruncata incisa fuisse sciunt rerum antiquarum periti, sicuti etiam ab imperitia, vel Inciforum, vel Voventium Hominum barbara pronunciatione expressa; ATIAIIS igitur relicto C dixit SYNESTOR addiditque vocales AI, ex quodam malæ pronunciationis vitio; vel usurpatis litteris *AI.* pro *Æ*, quod fuisse frequens in inscriptionibus ostendit Gruterus ut *Agrippinai* pro Agrippinæ *Florai* pro Floræ, & scripsit Atiaiis loco ATIAEIS ut significaret ACTIACIS seu ACTIIS: & nisi hoc pacto talia verba legantur, nullam puto vel apud Latinos vel apud Græcos, alove idiomate peritos, illis tribui posse significationem. Remanet tamen explicandum, qui nam fuerint Dii vel ACTII vel ACTIACI seu ACTIEI, quibus Synestor sua vota persolverit.

Apollini ab Actio denominationem celebrem fuisse ob Victoriam Augusti contra M. Antonium, & Cleopatram Reginam retulit Propertius in Elegia, quæ totam historiam complectens est apud Scriptores celebratissima.

Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.

Actium autem Urbs est, & Promontorium Epiri contra Nicopolim, quam Augustus ædificavit, idest referente Strabone lib. 7. Geograph. Victoriæ Civitatem, in qua victoria M. Antonium ante ostium illius Sinus navali prælio simul & Reginam Cleopatram superaverat: nam & ipsa huic certamini præsens interfuit. Illi Apollinis Actii templum in tumulo ad ostium eminet, cui campus subjacet lucum habens. Igitur quod Apollini Actio munus oblatum sit dubio procul habemus, illudque post relatam ab Augusto Victoriam opinari nos posse docet vox illa, quæ non unicum Deum Apollinem, sed plures Deos, quos Actios appellat, nempe eos omnes, quos Romanorum Superstitio venerabatur, & illos pro Augusto decertasse in ea pugna Virgilius eleganter narravit in octavo Aeneidos carm. 700. dicens

Hæc dum etiam geminos a tergo respicit angues
Omnigenûq; Deum monstra & latrator Anubis
Contra Neptunum & Venerem, contraq; Minervam
Tela tenent; Sævit medio in certamine Mavors
Calatus ferro, tristesque ex æthere Diræ,
Et sciffa gaudens vadit Discordia palla
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper; omnis eo terrore Ægyptus & Indi
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.

Ut igitur Deos diceret omnes, a quibus opem Synestor receperat in navali certamine, in quo Apollo cæteriquę Dii Romanorum pugnaverunt contra omnium Deorum Ægyptiorum monstra, *Actios* appellavit, denominatione desumpta ab Apolline, seu loco, ubi Victoriam retulit Augustus.

Hinc facile argui potest Synestorem vel Militem vel Nautam fuisse in ea Classe maritima superstitem, qui in Urbem redux in Templo Apollinis singulis Diis tabellam hanc votivam obtulerit.

Aliam tamen significationem tribui posse puto si loco ATIÆIS legatur ACIEI. Antiqui enim sæpe litteram T pro C usurpabant, ut in dictione *Sartophagus* loco *Sarcophagus* insuper, docente Grutero, non rarò S vel T apponebant superfluum in fine verborum. Quis igitur prohibet dicere *singulis Diis Aciei* donum dari a Sinestore, hoc est Diis prælii tutelaribus, in quo parta victoria fuit; *Acies* enim interdum pro ipso conflictu & prælio sumi certum est apud Latinos, sic Tacitus lib. 20. *prima acie* (hoc est primo conflictu) *fusum victumque Romanum dixit.*

PUERPERÆ VOTUM.

Sed ad alia procedens figulinum opus huic votivæ tabellæ addo sub nu. 1. Tabulæ XXIII. non absimile illi, quod Thomasinus exhibet cap. 14. ex Musæo Martii Milesii Sarazani acceptum. Exprimitur in eo Obstetrix, quæ infantem jam editum gremio fovens matrem consolari videtur prope ipsam sedentem: in ejus aversa parte foramen inest, ut melius parieti affigeretur. Tabulam illam, quam Thomasinus exponit, affirmat fuisse inventam Nemi, ubi celebre olim Dianæ templum. Ubi nam nostra effossa fuerit, pro comperto mihi non est. Illam ex suo Cimelio in nostrum Musæum transtulit Petrus Bartolus eruditæ antiquitatis cultor eximius, & magni nominis Pictor, sed repertam fuisse in loco, ubi Templum Dianæ seu Lucinæ dicatum erat, dubio procul existimo. Ab ea enim Puerperæ auxilium præcipue expectabant, de qua Horatius lib. 3. od. 22.

Montium custos nemorumque virgo,

Quæ

Quæ laborantes utero puellas,
Ter vocata audis, adimisque letho
Diva triformis.

In quem sensum Scriptor ille, qui sub nomine Abdiæ Babiloniæ Episcopi circumfertur lib. 3. hist. apost. de quadam Calliope inter gravissimos partus dolores ita sororem alloquente, ait; *Vade quæso, & invoca Dianam Deam nostram, ut misereatur mei*: Ipsa enim habet patrocinium obstetricandi. Cum autem Lucina eadem haberetur ac Luna, invocabatur ad partus egerendos, quòd ii plerumque matureſcunt novem Lunæ mensibus, qui eò quòd mensa spatia conficiunt, menses nominantur, ait Cicero de Nat. Deor. ex Timæo, qui cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse, adjunxit, *minime esse mirandum, quòd Diana, cum in partu Olympiadis matris Alexandri adesse voluisset, abfuisset domo*. Quamobrem addit idem Cicero, *a Lucendo nominata est*, diciturque Lucina, & Lucella a luce, quam infantibus dare credebatur, vel a Luco, ut alii docent, in quo templum habuit Romæ: Utramque significationem probat Ovidius hoc disticho:

Gratia Lucinæ dedit hæc tibi nomina Lucus,
Vel quia principium tu Dea lucis habes.

Opigena etiam ob eandem causam dicebatur, quòd matronis, in partu laborantibus opem ferret, seu etiam *Egena*, quia eam partui egerendo opitulari crederent. Ob quam causam Puellam jam gravidam Zonam solito arctiorem in templo Dianæ, quæ a Græcis dicebatur. *Zonam solvens*, deponere Athenienſibus solemne fuisse, Auctor est in Argonauticis Appollonius.

VOTA ÆSCULAPIO.

Inter cętera Votorum signa, eorum frequentissime occurrunt, qui morbis diversis, corporisque vitiis affligebantur. Hi enim non secus ac naufragi opem a Diis implorabant, receptaque valetudine, non modo grati animi indicio vota solvebant, sed qua ratione id contigisset, in tabula significabant, seu signo testaceo, quod Templorum parietibus affigebant, quare Tibullus lib. 1. Eleg. 3.

——— Iam posse mederi
Picta docet Templis multa tabella tuis.

Ex fidis etiam Veterum monumentis accepimus Ægros non solum in Æsculapii Templo, sed in aliis laborantes detentos fuisse, atque ipsorum templorum parietibus sua nomina affixisse: ut videri potest apud Strabonem lib. 8. Aesculapius in Insula Tiberina templum obtinuit authore Livio lib. 10. in quo Aegri vota effundebant. Nec incongruum hic erit commemorare quod ex Plutarcho accepimus, scilicet cum extra Urbem hæc insula olim extaret, in ea Templum dicatum fuisse Aesculapio ob triplicem causam, vel quòd purior & salubrior esset aer, extra, quàm intra Urbem; vel quòd Epidauro peste laborantes Aesculapium accersendum curaverint; Epidauri autem non in Urbe, sed procul Templum habuerunt; vel quòd Romani anguem ab Epidauro, qui se in eorum navem contulerat, in quo ipsum Numen esse putabant, deportavere, eoque in Insula Tiberis egresso arbitrati sunt Deum locum Templi indicare. Quare Claudianus lib. 3. in stilic.

Huc depulsurus morbos Epidaurius hospes
Reptavit placido tractu; vectumque per undas
Insula pœonium texit Tiberina draconem.

Propterea Dionysius Insulam Aesculapio Sacram appellat, quæ nimirum etiam in ejus effigiem navis, qua est adductus anguis, conformata fuerit.

Præter Aesculapii templum aliud etiam obtinuit Dea, quam *Febrem* vocabant, quia nullus hoc morbo frequentior. Illi nunc *Divæ* nunc *Sanctæ* nunc *Magnæ* cognomen Veteres tribuebant, & eandem colebant in Palatio teste Cicerone lib. 3. de Nat. Deor. Alia duo templa eidem dicata Valerius commemorat lib. 2. cap. 1. Hanc Deam Hygiam fuisse ajunt filiam Aesculapii, cujus venerationem Græci instituerunt. Votum illi solutum fictile simulacrum indicat quod sub nu. 2. Tab. XXIII. exhibemus, mulierē referens, non bene valentem, capite demisso, & panno circumtectam. Foramen habet in parte aversa, ut appendi posset prope Aram parieti alicujus templi, ut mos erat.

Pedes etiam subjeci sub numeris 3. & 4. Aeneum alterum & alterum fictilem, cui similes quinque alii in Musæo sunt, sine dubio Vota indicantes, quæ Diis solvebantur, at non ita certum est, qua de causa hi fuerint oblati. Podagra laborantium signa fuisse, & precum effusarum pro valetudine obtinenda opinari possumus, aut etiam peregrinantium. Viam enim inituros sese commendasse Herculi, pluribus monimentis probatur. Festus Pompejus lib. 14. ait. *Propter viam fit Sacrificium, quod erat proficiscendi gratia Herculi*. Stucchius Antiqu. Convival. lib. 1. cap. 29. refert apud Romanos peregrinationis ergo Sacrificia, Cœnas, & Vota simul fuisse facta. Sic reditum sibi varia religionis significatione pollicebantur. Ritum hujusmodi religionis indicat Apulejus initio Floridorum. *Viantium moris est cum aliquis lucus vel aliquis locus Sanctus in via oblatus est, votum apponere, portum postulare*. Pro reditu pariter Herculi vota soluta esse Syetonius narrat cap.

de

de Tiberio. *Vota pro Itu & reditu suo suscipi passus*. In Calligula cap. 14. *Cum paucos post dies in proximas Campaniæ Insulas trajecisset, Vota pro reditu suscepta sunt*.

Hæc omnia etsi vera sint, pedibus, qui in Musæo sunt, ex argilla compactis, Vota potius navigantium indicari mihi suadeo, Illi enim omnes in agro effossi sunt, ubi olim Vejentanam Urbem extitisse antiqua monumenta referunt; atque cum in ea Urbe Templum celebre Diana obtinuerit, ad illud Nautas & Peregrinos iter suscepisse vota soluturos quis dubitabit? Postquam è maris procellis liberati vel Portum Trajani ad ostium Tiberis, vel Centumcellarum tenuissent. Atque ibidem signa peregrinationis reliquisse hos pedes fictiles, quos Figuli ad hunc finem venditabant. Nautas enim adversa tempestate jactatos, auxilium Veneris tanquam Maris Dominæ imploraſſe accepimus ex Tullio lib. 11. de Invent. & quidem voviſſe Dianæ, quæ eadem erat cum Venere, *se Vitulum immolaturos*.

Confirmatur mea opinio a pede hominis ex succino fabrefacto, quem apud Illustrissimum Præsulem Trevisanum servari refert in sua historia universali Eruditissimus Abbas Franciscus Blanchinus decad. 3. cap. 29. pag. 396. cui subjicitur incisa sequens inscriptio, ex qua deduco non fuisse Amuletum, ut ipse vocat, sed pedem Votivum in honorem Veneris alicui Aræ appensum, scilicet D. M. (*DEÆ MAGNÆ*) VENERI SS. (*SANCTISSIMÆ*) FELICI CONSERVATRICI, MATRIQUE DEUM, CUPIDINI COELESTI C. *CÆSTIANUS*. Nunquam enim frequentius quàm in ipsa jactatione tempestatis Vota fiebant, immo tunc locus Voti proprius erat. Quare Ovid. Trist. l. 1. el. 11.

Dii Maris & Cœli (quid enim nisi Vota supersunt)
Solvere quassatæ parcite membra ratis.

Sicuti etiam Aram in littore erigentes Neptuno & Apollini Taurum mactabant (ait Tomasinus) & secundi auspicii loco erat in auguriis Cygnus, qui nunquam undis mergitur. Agamemnonem Dianæ navis clavum dicasse, postquam ventos compescuit, canit hymno Callimachus.

Talem Ethnicorum morem etiamnum ubique imitantur sed veræ Religionis significatione Christifideles, qui marinis undis jactati Deiparæ tamquam propitiæ Maris stellæ opem implorant, ac præsertim in Adriatico, ex quo, cum littus tenuerint, non rarò nudis pedibus ad Sacram Ædem Lauretanam peregrinantur sua Vota soluturi, ibique in tabellis pericula expressa relinquunt.

Alium marmoreum pedem elegantissime exculptum damus sub num. 5. quem Serpens triplici circumvolutione capite erecto, & patulo ore complectitur. Illum Æsculapio dicatum fuisse non est ambigendum. Æsculapium enim sub forma Serpentis cultum fuisse quamplurima monumenta testantur, ut alibi diximus. Sicyonii antiqui dicebant illum in Draconis specie ad se ex Epidauro, urbe antiquissima Peloponnesi in sinu saronico, mulorum bigis vectum, idque factum fuisse a Nicanora fœmina Sicyonia: & ob id Epidaurius dictus est Romanis, qui ad se adductum affirmabant. Q. Serenus Poeta & medicus invocans Aesculapium hæc habet.

Qui quondam placida tectus sub pelle draconis
Tarpejas arces atque inclyta templa petisti
Depellens tetros præsenti numine morbos,
Huc ades ———

Illum tamen cum Luciano vituperat Arnobius his verbis: *Æsculapius iste, quem prædicatis, Deus præstans, Sanctus Deus, salutis dator, valetudinum pessimarum propulsor & extinctor, Serpentis est forma, & circumscriptione finitus per terram reptans, cæno natis ut virmiculis mos est, solum mento radit & pectore, tortuosis voluminibus se trahens, atque ut progredi possit, partem sui postumam conatibus prioris adducit &c.* Verùm non absque ratione id factum dicunt: Tum quòd revalescentes, ut Serpens renoventur, & quasi senectutem exuant, tum etiam quia Serpenti multa insunt remedia saluti acquirendæ & conservandæ opportuna. His adde quòd ægrotis esse tutelæ Draconem putarent; animal enim est vigilantissimum, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxima est.

Eadem de causa Salus Dea, quæ eadem est ac Hygiæa Aesculapii filia, repræsentatur læva Serpentem gerens, dextra pateram, cui cibus impositus est: sive quòd Salus medicamentis acquiratur, sive quòd sola Deorum ope conservetur. Illam cum Patre deprecabantur, ut morbos depelleret, & adesse vellet ægrotantibus. Sic apud Terrentiuum in Hecyra act. 3. scen. 2.

Male metuo ne Philumenæ magis morbus adgravescat.
Quod Te Æsculapi & Te Salus, ne quid sit hujus, oro.

Capita, quæ hic expressa vides fictilia sub numero 6. & 7. puellarum sunt aliqua, aliqua verò Juvenum, in arvis effossa, ubi olim Vejentani Urbem extruxerant celeberrimam, atque in ea Fanum Junoni Reginæ Sacrum, quæ, teste Cicerone de Nat. Deor. lib. 2. eadem erat Romanis ac Lucina, seu Venus, Isis, & Cybeles, fœcunditatis Typus. Vota nuptarum illa indicare dubitandum non est; Puellæ enim, cum jam ætate nubiles fierent, apud Ethnicos Diis nuptialibus vota sua fundebant, inter quos præcipua erat Venus, seu Diana, cui Cupido filius, tanquam matrimonii vinculum addebatur, ut fortunatum conjugium redderent, atque alios

etiam complures enumerabat superstitiosa antiquitas pro diversis nuptiarum ritibus, de quibus Tomasinus fuse agit cap. 13. Pro faustis nuptiis supplicari solitum indicat Plautus in Aulularia, atque Deorum matri nullum Sacrum nisi *Porcâ* fieri quidam prodidere apud Giraldum synt. 17. eò quòd animal sit prolificum quod etiam Prisci Latini & Græci in Italia faciebant, unde sponsam ducturus, postquam omnia apparasset, spe frustratus sponsæ exclamavit: *Periit quidem Sus, & talentum. & Nuptiæ*, ut memorat Licetus de Gemmis cap. 119. Cætera nuptarum vel Puellarum Vota apud Tomasinum exposita invenies cap. 12. & 53. Unum tamen referam, quod non adeo notum est: Scilicet Puellas Veneri dicare solitas marinas Pilas. Id refert idem Tomasinus, verbis Nonnii Marcelli In voce *Strophium*: *Suspendit Laribus marinas molles pilas, reticula, & strophia*, sed causam non docet. Ego quidem non aliam fuisse puto, nisi quòd cum innumeris pilis compacti sint globuli illi, quos mare eructat, prolis fœcunditatem a Dea Maris ejusmodi pilarum oblatione sibi deprecarentur, vel animorum Sponsi, & Sponsę perfectam unionem, iisdem pilis indicatã.

VOTA MARTI SEU HERCULI.

DUo ænea simulacra exprimentia milites armatos subnecto in Tab. XXIV. n. 1. & 2. quibus Pugnantium, seu triumphantium vota declarantur. Veterum Græcorum inventum fuit, clarissimorum Virorum effigies in Templis, & Curia dedicare, auctore Plinio lib. 34. cap. 3. Atque ut Armorum gloria, qua creverat res romana Posteris extaret, Triumphantes trophæa, coronas, & arma, Jovi, Fortunæ, Herculi, & Marti Triumphantes affigebant in Templis: Marti præcipue Arma Viri fortes dicabant. Clypeum Asdrubalis invenit Q. Martius argenteum pondo 138. qui supra fores capitolinæ ædis usque ad incendium fuit, teste Plinio. Ejusmodi etiam longa Avorum serie spectabantur Anathemata; hinc Silius Italicus lib. 1.

——— *Stant marmore mutæ*
Effigies, Beluſque parens, omniſque nepotum
A Bello Series &c.

De his Ovid. lib. 4. Trist. eleg. 7.

Miles, ut emeritis non est satis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.

Et Lucanus lib. 1. vers. 229.

Rupta quies populi, stratisque excita juventus
Diripiunt sacris affixa Penatibus arma.

Milites nostri icunculis expressi eos referunt, qui jam relicto Armorum strepitu, se quieti dederant, & Arma Diis vovebant. Ejus generis fuit Thorax æneus longitudinem digiti vix superans in musæo V. Cl. Joannis Gualvani.

Præter milites qui armati bella gerebant, etiã Gladiatores, erant. Tãta enim erat voluptas, qua afficiebantur Romani ob pugnas Gladiatorum, ut ideo uterentur variis eorũ generibus, quæ congruerent varietati horarum diurnarum. Gladiatores matutini portabant galeam, suctum & alia arma ad arbitrium ejus, qui spectaculum edebat.

Erat etiam genus armorum rudis, è ligno, quæ dabantur Gladiatoribus emeritis, & ab arena liberatis, quasi non amplius tenerentur ad prælium ferro agendum. Licet Grammatici (ut Licetus notat) velint fuisse baculum lanistæ, nihilominus Authoritas Svetonii & Lampridii in Commodo aliud persuadet, ubi dicitur: *Rudibus in arena inter cubicularios gladiatores depugnavit*. Erat igitur genus armorum rude ad pugnandum mimice, & tales gladiatores vocabantur *Rudiarii* ab ipso rudi instrumento, quòd ut donum acceperant, illudque portabant in pignus & laudem fortitudinis & liberationis.

Major autem voluptas in iis videndis erat, qui dicebantur *extraordinarii meridiani*, circa horas meridiei, cum essent gladiatores nudi, seque sine ullo præsidio occiderent. Hi utebantur Sica, quæ dicebatur *gladiatorius mucro*. De illis loquitur Seneca ad Lucilium, damnans adeo crudelis rei inventionem. *Casu in meridianum spectaculum incidi: mera homicidia sunt: nihil habent, quo tegantur ad ictum, totis corporibus expositis, nunquam frustra manum mittunt; Hos plerique ordinariis paribus & postulatitiis præferunt. Quid ni præferunt? non galea, non scuto repellitur ferrum, quò munimenta? quò gladii artes? omnia illa meræ mortes sunt.*

Hujusmodi gladiatores in pluribus æneis & nudis simulacris visuntur expressi, & in iis indicantur Vota, vel ante pugnam concepta, vel post Victoriam soluta. Illa Herculis seu Martis Aræ dicabant, a quibus vires ad pugnam expetebant. Etenim Ethnici non immanitatis, sed fortitudinis, & militaris glorię specimen esse ejusmodi Gladiatorum munera opinabantur, sibi suadentes Virtutem esse, quod Vitium erat & Scelus. Idcirco referente Gellio lib. 7. cap. 3. Gladiatori composito ad pugnandum hęc pugnę proposita sors erat, aut occidere, si occupavisset; aut occumbere, si cessasset. Quin immo Victor vel alius quispiam ex vulnere gladiatoris animam agentis calidum cruorem petere consueverat more prisco, ut Victor hostis gladiatoris a se confossi calentem cruorem è vulnere fugens, illius Viri fortis animum intra se hauriret, quo generosior atque fortior evaderet: opinabantur enim animam in sanguine consistere & in spiritibus.

Illorũ æneas imagines Plutoni etiã voto dicatas judico; putabant enim se Victimas ejus cadere, & proprio cruore ejus iram placaturos, quare

Pru-

Prudentius in Hamertigenia.

Reſpice terrifici ſcelerata ſacraria Ditis,
Cui cadit infeſta fuſus gladiator arena.

Et ob id nefas erat, ſubdit Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 24. *cum gemitu vulnus accipere, juſſos ferrum jugulo non accipere ſanguinem ſuum, eodem, quo hoſtilem, animo inſpectare.* Martem, & Dianam utriuſque ludi ideſt Gladiatorum, & Venatorum præſidem fuiſſe aſſerit Tertullianus, & Caſſiodorus magis diſtinctè: *Sacra Dianæ Tauricæ* (inquit) *ſpectaculum tantùm fabricis clarum, ſed actione teterrimum in honorem ſcythicæ Dianæ repertum, quæ ſanguinis effuſione gaudebat.*

Cœterum hujuſmodi pugnandi morem Divus Cyprianus præclara declamatione ſic improbavit epiſt. 1. ad Donatum. *Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum Sanguis oblectet. Impletur in ſuccum cibis fortioribus, corpus, & aruinetoris membrorum moles robuſta pingueſcit, ut ſaginatus in pœnam carius pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem, & ut quis poſſit occidere peritia eſt, uſus eſt, ars eſt; Scelus non ſolùm geritur, ſed & docetur. Quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici &c.* Plura alia ſubdit Vir Sanctus, in quibus conſtat Gladiatores in theatro, quoſdam contra homines dimicaſſe, quoſdam contra feras, & utrobique crudelis animi vires oſtentaſſe. Hanc crudelitatem exoſus M. Antonius apud Dionem vetuit Gladiatores acuto ferro dimicare, ſed permiſit ludere tantùm obtuſo. Supradicta ſimulacra numeri 3. & 4. indicant.

ANATHEMA JUNONI.

MAnum æneam exhibemus in Tab. XXV. ſub n. 1. & 2. Signis exornatam, prout apparent delineata in duplici ſitu, anno elapſo repertam a quodam ruſtico, dum vomere terræ glebas vertebat in campo propè Caſtrum, quod dicitur *Inſula* in Farneſiorum Ditione duodecim ferè milliariis Roma diſtans, ubi olim Urbem Vejentanam extitiſſe aſſirmat inter alios Lucas Holſtenius, & indicant murorum veſtigia, quæ adhuc ſuperſunt.

Huic ferè ſimilem manum expoſuit P. Athanaſius Kircherus in tomo 3. Oedypi pag. 529. ex Muſæo magni Ducis Hetruriæ, putans fuiſſe Amuletum ad aliquod malum avertendum. Laurentius etiam Pignorius hujus generis manum indicat in ſuis adnotationibus circa imagines Cartari pag. 325. & ait fuiſſe repertam in Belgio, & a ſe explicatam in opuſculo impreſſo primùm Pariſiis, deinde Venetiis cum titulo *M. D. M. I. ET ATTIDIS INITIA.* Illud adeat Curioſus Lector; nos antequam manum expreſſam noſtri Muſæi conemur explicare, eorum veſtigiis inſiſtentes, ubi Veritatis fax verum iter oſtendet. Illud præmittimus, quod eruditus Kircherus docet tom. 2. Oedipi part. 2. pag. 445. hoc eſt apud antiquos Ethnicos tum Aegyptios, tum Romanos Amuleta fuiſſe duplicis generis; Teleſmata dicebantur a Græcis, erantque Amuleta Remedia adverſus mala omnia, & præſertim contra Veneficia, ab *amoliendo* dicta. Erant, inquit ille, majora & minora: majora, & immobili poſitu ſolidata in publicis locis Urbium, Templorum, Cæmeteriorum, item Regionum clauſtris, ad hoſtium arcendos inſultus ponebantur. Minora, & portatilia in domibus, in collo, pectore, manibus hominum, animaliumque ad malorum auveruncationem portata ſerviebant: & hæc omnia fere pretioſis lapidibus exculpta cum anſula dorſo annexa reperiuntur, quod apertum ſignum eſt illa filio ſuſpenſa uſibus privatis ſerviſſe, cum tanto ſuperſtitionis augmento, ut vix eſſet puer, homo, brutum, quod non hujuſmodi deliramenta ſibi appenſa haberet. Quæ ſuperſtitio paulatim ad vicinas Aegypto gentes propagata, Arabiam, Græciam, Babyloniam, deinde totum infecit Latium. Hujus generis unum exponit Kircherus ſibi communicatum a Doctiſſimo Nardio, quod eſt Ammon Numen dextra lituum, ſiniſtra flagellum geſtans, quo adverſas poteſtates diſpelli, & retum temperiem conſiſtere ineptè credebant.

Erant etiam Amuleta terreſtria ad fœcunditatem terræ ordinata, addit Kircherus, ut Serapis ex omnibus mundi materiebus conflatus: erant & Nilotica ut Canopus ad Nili fertilitatem procurandam: erant aerea, ut Accipiter ad peſtis contagionem arcendam, erant & ignea ut Aſpis ad ignis caloriſque ſiccitatem avertendam; erant Urbium, & Privatorum domus Lares, & Penates, infantes faſciis involuti, quibus malignæ poteſtates diſpelli credebantur. Erant & Animalium contra luem, a contrariis poteſtatibus iis immiſſam paſſim uſurpata, unde Origenes contra Celſum: *Quid recenſeam* (ait) *eos qui luſtrationes docuerunt, & incantationes pellendis morbis arcendiſque, aut effigies formaſque Dæmonum varias; & præter hæc in veſtibus, manicis, lapidibus, plantis, radicibus, amuleta diverſorum generum?*

His præmiſſis, ſic ille medicei Muſæi manum explicat in tomo 2. Oedypi pag. 451. Ejus anterior facies continet in medio faciem Jovis, e cujus collo ſacrum periamma iſiacæ crucis dependet, eo digitorum ſitu quo vides, ad carpum verò intra hemicylum figuram Iſidis, jacentis habitu, & filium ſuum. Horum lactantis figura cum aſſiſtente columba ſpectatur. Quo juramenta Jovi Aegyptio per ſacram Iſidis crucem

fieri debere, antequam Isidis rerum mundanarum nutricis invocatio peragatur, indigitatur. In posteriori verò manus parte omnis generis reptilia, uti sunt Rana, Serpens, Lacerta, Testudo, Lituus cum bilance, & vase nilotico exprimuntur, per Ranam elementum humidum, per Testudinem terrestre, per lacertam aereum, eò quòd aere sicut chamæleon vivere videatur; & per serpentem ignis elementum denotatur: quæ omnia vitam, & alimentum a magna Deorum matre Isíde per harmonicam elementorum contemperationem, quam Bilanx, & Lituus exprimit, hauriunt. Adjuratio sic instituebatur. Te, ò Jupiter Osiris per sacram Isidis crucem, per ovum archetypum, per nutrimentum Isidis, quod Horo præstat, per columbam, in quam iram Typhonis fugiens conversa fuit; per Bilancem Omphta, per Serpentem Ophionium, per Ranam, & Lacertam, per Vulcani testitudinem, per vasa nilotica, per manum denique beneficam tuam, omnia continentem, te adjuro ut præstes, quæ jubeo. Hanc denique manum potentissimi Amuleti loco gestabant, hactenus Kircherus.

Duas alias hujus generis manus æneas exhibet Michael Angelus Causeus (de la Chausse) in suo Romano Musæo sect. 5. art. 3. alteram acceptam, e Musæo Jo: Petri Bellori, alteram extantem in nobilissima Pinacotheca Barberina, primâ duplo grandiorem, & plura signa continentem cum inscriptione.

CECROPIUS V. C. VOTUM S. ideſt CECROPIUS VOTI COMPOS VOTUM SOLVIT. Illas hic eruditus Auctor ingeniosè explicat, pro certo habens, signa fuisse Voventium pro alicujus salute, ut clare videtur indicare secundæ manus inscriptio.

Quòd etiam ejus generis sit manus à nobis expressa, nec pro certo assero, nec audeo negare; Cum enim careat inscriptione, non manifeste probatur signum fuisse Voventis; Si verò Amuletum dicatur, illud procul dubio inter ea adnumerandum non est, quæ collo, pectori, & manibus Hominum, sive Animalium ad malorum averruncationem alligata serviebant. Ejus enim moles ac pondus quantæ deferentibus molestiæ fuisset, & impedimento? Potius puto inter illa recensendum, quæ vel in Templis, vel alibi collocabantur. Sciunt eruditi (ut refert Jacobus Philippus Tomasinus de Donariis c. 6.) Donaria, quorum diversæ species erant, modò columnis, modò parietibus, & postibus, modò tholis, modò ædium fastigiis affixa fuisse, sed etiam Imperatorum statuis, Lacunaribus, & publicis in foris, ut refert Livius lib. 8. *Rostrisque earum navium suggestum in foro extructum adornari placuit*. Postibus etiam plerumque apud Virgilium lib. 2. Aeneid.

Barbarico postes auro spoliisque superbi.

& Propertius lib. 8. eleg. 3.

Omnibus heu portis pendent mea noxia Vota.

Palatium quoque Principis spolia exornabant, Limina etiam privata, & campos.

Hæc omnia, etsi vera sint, alium fortasse usum apud Antiquos ejusmodi manus habuisse, suspicari quis vetet? In Pompa Isidis, seu Rerum Naturæ Parentis manum fuisse prælatam narrat Lucius Apulejus lib. 11. Metam. his verbis. *Quartus Antistes Æquitatis ostendebat indicium, deformatam manum sinistram porrecta palmula; quæ genuina pigritia, nulla caliditate, nulla solertia prædita, videbatur aquitati magis aptior, quàm dextera*, & quamvis Diodorus scribat in 4. Biblioth. inter sacras litteras Ægyptiorum manu dextera expansa Liberalitatem significatam fuisse; sinistra verò compressa avaritiam, nullum tamen esse inter Scriptores super re ista dissidium, animadvertit eruditissimus Philippus Beroaldus in suis commentariis ad Apulejum, cum utrumque fieri commodè potuerit, ut sinistra compressis digitis esset symbolum tenacitatis, & eadem, palma explicata, indicium æquitatis, & liberalitatis. Pluribus etiam antiquissimis monimentis comprobatur, inter ceremonias Sacrificiorum Isiacorum ab Ægyptiis servatas, Sacerdotes fuisse, qui vario habitu induti vagabundi scenam peragebant. Hos utriusque sexus hominum sequebantur turbæ instructæ corymbis, cornucopiis, speculis, lucernis, & rebus similibus, & Kircherus hæc referens tomo 1. Oedipi pag. 225. exhibet sculpturam columnæ, quæ spectatur in hortis Mediceis montis Pincii, e regione obelisci ibidem erecti, ubi inter cæteras figuras Vir unus videtur, qui Apidis, seu Bovis iconem, fœcundum Ægyptiorum numen, sustentaculo fixum portat, alius statuam Hori, alius statuam Harpocratis, & Isidis. Notat Antonius Augustinus Episcopus Tarraconensis in Dial. 3. num. 19. antiquas singulas militum cohortes suum quasque signum pro vexillo gestasse, sive lupi caput, sive Minotaurum, aut Dexteram, remve aliam Tribuni militaris arbitrio. Horum signorum primam in bello originem sollicitè quærens Godescalcus Stevecchius in suis eruditissimis commentariis ad caput sextum libro 2. Flavi Vegetii Renati de re militari hæc habet.

Ægyptiis hanc originem video tribuendam, apud quos magna religione cultum Taurum, Apim, cæteraque Animalium genera historiæ, ac Poetæ loquuntur. Causam ejus latriæ solus Diodorus Siculus edocere potest, qui libro secundo auctor est, veteribus illis Ægyptiis nullam omninò militarem disciplinam fuisse, & cum a vici-

vicinis bello ſæpius ſuperarentur, excogitaſſe ferre aliquod inſigne, quod milites ſequerentur. Figuras igitur animalium, quæ poſt coluerunt, in tabulis pictas, ductores eorum in bello tuliſſe, ideo ſervatum, ſub quo militaret quiſque victoriam conſequutus. Porrò ut litteras, & ſigna in vexillis Romanis fuiſſe Vegetius ſcribit lib. eodem cap. 13. ut eas litteras milites legentes, vel inſpicientes aberrare in quantovis tumultu a ſuis non poſſent; Itidem verò ſimile eſt figuras illas non pro nudo, & muto ſigno ab Aegyptiis prælatas, ſed ut pro litteris ſingula nomina exprimerent, & verbis non nunquam ſignificarent ſententias totas. Sic Vultur naturam ſignificabat, Avis Regem Ammiano teſte lib. 17. De cæteris Aegyptiorum Hieroglyphicis adnotarunt Diodorus lib. 4. Strabo, Plinius, Plutarchus, & Ruffinus. Deinde ab illis multa ad Romanos manaſſe, teſtis eſt Tullius Cicero in prima Tuſculana.

Signa autem (ſequitur idem Steuecchius) non aliud olim, quam oblongæ haſtæ, quibus in ſummo breve tranſverſum appoſitum, lignum tantùm, ad formam crucis, in medio titulus COH. VI. &c. deinde pilas ſeu circulis, ſeu clypeis in omnibus ferè ſignis conſpiciebantur ſupra ſe mutuo poſiti, quod ſciunt, qui Veterum monumenta, & nummos tractant. Hujuſmodi ſimiles clypei, ſeu globuli reperiuntur in nummis C. Valerii Flacci, in nummis Flavii Fimbriæ, Cornelii &c. in pluribus etiam manus conſpiciuntur in ſummitate ſignorum; Adeat curioſus lector tractatum de militia Romana Guilielmi Choul, qui pagina mihi 72. tabulam exponit, in qua milites in vertice haſtarum manus æneas deferunt; Similes produxit Juſtus Lipſius lib. 4. de militia Romana, e columna Trajani acceptas; Manum etiam æneam in vertice haſtæ oſtentabat antiquiſſimum ſimulacrum ferreum: quod ſub nomine Tillini Antiqui populi in Valle Brixiana vulgo *Inzino* dicta, tanquam Deum venerabantur. Illud expreſſit in ſua hiſtoria Brixiana, pag. 128. Octavius de Rubeis, qui affirmat talem manum ſervari in ſua Domo, & quidem non perfectè expanſam: idcircò putat Dei liberalitatem non prodigam, ſed prudentem ſignificari, quæ ſuas divitias elargiatur *Virtuti tantùm, & merito*. qua epigraphe hujuſmodi liberalitatem indicavit in nummo Prænobilis Hieronymus Martinengus ſenior, adjecta manu, qua flores diffundebantur.

His prænotatis mihi ſuadeo noſtram æneam manum geſtatam fuiſſe in haſta ſublimem in antiquiſſimis ſupplicationibus ſeu pompis, quas Ethnici celebrabant in honorem Iſidis inter cætera, quæ haſtis infixa deferebantur, & quidem ut Deæ liberalitas, ſeu patrocinium laudibus extolleretur. Poſtquam hoc mihi ſuaſeram, habui præ manibus eruditum opuſculum cui Laurentius Pignorius hunc titulum præmiſit. *MAGNÆ DEORUM MATRI DEÆ, ET ATTIDIS INITIA*, Venetiis impreſſum anno 1624. ubi hujus generis manum exponens meam ſententiam confirmat his verbis. Manus ænea, cum inanis ſit, minimeque ſolida, neque videatur adhæſiſſe trunco bracchii, ideo fabrefacta forſan fuit, ut ſceptro vel haſtili non ita magno inſereretur. Cui uſui? inquies. Ut præferretur in pompa ipſi matri Deùm, qua planè ratione unus Iſidi prægeſtabat. In omnibus autem his manibus tres digiti pollex, Index, & medius elevati videntur; reliqui duo, annularis, & minimus, conſtructi eo modo, quo Veteres ſignificabant Verba ſe velle facere ad Populum, ut ait Apulejus lib. 2. Metam. vel quo etiam Chriſtifidelium Antiſtites ſolent populo benedicere. Qua de cauſa ſi quis velit ſibi potius ſuadere eas haſtæ infixas collocatas fuiſſe in aliquo agro tanquam amuletum ad malorum geniorum aut verruncationem, & Iſiaci patrocinii ad meſſes ſervandas invocationem, non inficiar. Utrumque enim ratio ſuadet, atque hæc tandiu placeant, donec prodeant meliora certioraque.

Quòd verò noſtra manus fuerit Iſidi ſacra ex dicendis manifeſtum fiet. Hic interim notandum eſt, non eſſe mirum, quòd Iſidi Aegyptiorum numini fuerit conſecrata ab Hetruſcis Urbs Vejentana. Aegyptiaca enim ſuperſtitio per Orbem ferè univerſum diffuſa fuit, adeò ut verè ſcripſerit Diodorus lib. 1. cap. 2. *Ubique fere Terrarum Iſidem cultam*, & Juvenalis de votivis tabellis Satira 12.

Pictores quis neſcit ab Iſide paſci?

Adeò ut non fuerit patriis contenta finibus, ſed ſerpendo paulatim primò Græciam, deinde Romam infecerit tempore Syllæ dictatoris; & pudet referre Romanos rerum Dominos, quibus licuit fœdera, leges, & Sacra exteris Nationibus dare, in hoc tam turpiter erraſſe, tantoque in errore tetra caligine verſatam fuiſſe victricem illam gentium, & totius orbis dominatricem, ut ſtolida hæc, & abominanda Iſiacorum Sacra ſuſcipere non erubuerit.

Scripſit Valerius Maximus *Senatus decreto ſæpe conſtitutum, ut Iſiacorum delubra devaſtarentur*: Artifices verò ob Religionem non auſos fuiſſe iſtis manum admovere, niſi Paulus Æmilius conſul exemplo præiens Securi primus templi portas Iſiaci aperuiſſet, & initium ruinæ feciſſet; & quamvis Tiberius quoque Imperator ob deteſtandam Sacerdotum avaritiam hujuſmodi templa devaſtari curarit, ſecuti ſunt tamen hos, qui ſacris Iſiacis non modò faverent, ſed & ipſi ſua præſentia (ut Suetonius retulit de

Do-

Domitiano) ea honestantes ab Inferis revocata stabilirent. Id quod Lucanus exprobrare videtur Romanis cum dixit:

Nos in Templa tuam Romana accepimus Isim,
Semicanesque Deos, & Sistra moventia luctum.

Prope Templum S. Mariæ supra Minervam stetisse olim templum Isidis, & Serapidis, multi asserunt, idque ex diversis Aegyptiis marmoribus circa hæc loca erectis conjiciunt. De eversione illius loquutus est Tertullianus in Apologetico cap. 6. his verbis. *Liberum patrem cum mysteriis suis Consules Senatus auctoritate non modò urbe, sed universa Italia eliminaverunt. Serapidem, & Isidem, & Harpocratem cum suo Cynocephalo, Capitolio prohibitos, ideſt Curia Deorum pulsos, Piso, & Gabinius Coss. non utique Christiani, eversis etiam Aris eorum, abdicaverunt.*

Cum itaque Juno sub nomine Isidis ab Aegyptiis culta, quæ Mater cæterorum Numinum putabatur, tanti fieret, in Vejentana antiquissima Hetruriæ Urbe Fanum celebre obtinuit, in quo Aeneum ejus simulacrum frequentibus pompis colebatur, ibique Tabellas votivas, donaria quamplurima, signaque superstitiosæ Religionis ex metallo, auro, argento, ligno, & argilla conflata Cives, & Advenæ consecrabant, quorum multa sub ruderibus, & antiquissimis glebis consepulta rustici aratores non rarò detegunt, eisque Musæa eruditorum exornant.

Colebatur autem sub nomine Junonis, nam nomine multivago eam totus orbis venerabatur, ut ipsamet retulit his verbis, cum eam se ipsum alloquentem Lucius Apulejus effinxit lib. 11. Metamor. En adsum tuis commota, Luci, precibus, rerum Naturę Parens, Elementorum Domina, sæculorum progenies initialis, summa Numinum Regina manium, prima Cœlitum Deorum Dearumque facies uniformis, quæ cæli luminosa culmina, maris salubria flumina, Inferum deplorata silentia nutibus meis dispenso, cujus nomen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur Orbis. Inde primigenii Phryges Pessinunticam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam, Siculi trilingues stygiam Proserpinam, Eleusinii vesculam Deam, Cererem, Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten, Rhamnusiam alii, & qui nascentis diei solis inchoantibus illustrantur radiis Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Aegyptii, ceremoniis me propriis percolentes appellant vero nomine Isidem.

Ejus igitur æneum simulacrum sub nomine Junonis, ut diximus in Vejo cultum Romani detulerunt in Vrbem, solemni ac magnifica pompa, postquam Vejos Furius Camillus Dictator expugnavit. Vtrumque narravit Titus Livius lib. 5. Annal. his verbis. Decem annos obsessos Vejos cœpit Camillus: Cuniculus delectis militibus eo tempore plenus in æde Junonis, quæ in Vejentana arce erat, armatos repentè edidit, & pars aversos in muris invadunt hostes, pars claustra portarum revellunt, pars cum ex tectis saxa tegulæque a mulieribus, ac servis jacerentur, inferunt ignes. Clamor omnia variis terrentium ac paventium vocibus misto mulierum ac puerorum ploratu complet. Quum jam humanæ opes egestæ a Veiis essent, amoliri tum Deum dona, ipsosque Deos, colentium magis quàm rapientium modo cœpere, namque delecti ex omni exercitu Juvenes, pure lotis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi Templum inire, primò religiosè admonentes manus, quod id signum more hetrusco nisi certæ gentis Sacerdos attrectare non esset solitus; deinde cum quidam seu spiritu divino tactus, seu juvenili joco, *Vis-ne Romam ire Juno?* anuuisse cœteri Deam conclamarunt. inde fabulæ adjectum est, vocem quoque dicentis *Velle*, auditam. Motam certè sede sua parvi molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus levem ac facilem translatu fuisse, integramque in Aventinum æternam sedem suam, quo vota Romani Dictatoris vocaverant, perlatam, ubi templum ei postea idem, qui vocaverat, Camillus dedicavit. Hic Vejorum occasus fuit Urbis opulentissimæ. Huc usque Livius.

Cum ergo hæc vera sint, & in campo Vejentano manus, de qua sermo est, fuerit reperta, procul dubio Junoni sacra, illam antiquissimam esse nemo dubitabit. Initium enim obsidionis Vejentanæ ait noster Petavius in Rationario temporum part. 1. lib. 3. factum est anno Urbis conditæ 349. Urbs autem Vejentana capta anno 358. scilicet circa annum ante Christi Domini ortum 396. in qua sententia convenit etiam Brietius & alii.

Quod autem Junoni, seu Isidi fuerit sacra, ex ipsis signis quibus exornatur, clarè deducitur. Illa sunt qualia scalpro exculpta repræsentavimus sub numero 1. & 2. ideſt in altera ejus parte videtur serpens pollicem versus reptans, & Testudo: Vitis insuper circumquaque ramos diffundens: in parte verò quæ cavitatem habet, est Lacerta, Rana, & Cyathus ansatus; supra duos digitos inflexos, nempè annularem, & auricularem, insidet Arietis caput, & in ungue pollicis Serapidis vultus apparet, cum calatho. Nunc ad singulorum explicationem progrediamur, Eruditorum auctoritate suffulti, & primo loco de serpente dicendum est.

Isidi serpentem consecratum fuisse docuit

Aelia-

Aelianus lib. 6. de hist. animal. cap. 23. narrans hujus Deæ simulacrum quodam aspidum diademate coronatum ab Aegyptiis effingi, & serpentem in ejus pompa efferri solitum; ideo Aegyptii Reges Aspides in diadematibus pictos circumferebant, quòd sacros esse censerent. Accedit Apulejus lib. 11. Metam. qui in Pompa Isidis Aspidem recenset, squameæ cervicis, striato tumore sublimem. Etiam propè simulacrum Isidis statutam Aspidem argenteam docet Juvenalis Sat. 6.

Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens,

Ut fortasse indicaretut Isis filia fuisse Aspidis Capadocis, qui & Inachus vocatus est (ait S. Epiphanius apud Giraldum pag. mihi 328.) sive quòd Aegyptii serpentis naturæ divinitatem quandam inesse putabant, teste Eusebio lib. 1. cap. 7. eumque igneum esse animal, proindeque fœcunditatis symbolum; unde per serpentes, & fœcunditatem, & in productione formarum varietatem, & ignis elementum designari docet cum multis eruditissimus Kircherus lib. 5. Obelisci Pamphilii.

Testudine autem, cum sit animal terrestre, & ut plurimum sub terra delitescens, Terram significatam fuisse cum eodem Kirchero superiùs innuimus, est enim pigrum, & tardum in motu, Cybeli sacrum, quia hujus Deæ sacra propalare nefas erat.

Tertio loco se objicit Rana, quam referente Laurentio Pignorio in expositione mensæ Isiacæ Aegyptii venerabantur, ut fœtum Nili, quem Osirim vocabant. ac propterea elementum humidum eo symbolo eos significasse docet Kircherus, & Isidi consecrasse, tanquam rerum omnium Formatrici: & in festo inventionis partium Osiridis, Herodoto teste, Sacerdos Thyrsis papyraceis, & arundineis, inter quos Ranis stabulare consuetum est, aras ornabant, occultè insinuantes genitalis humoris copiam, quam a matre omnium expetebant.

Lacerta denique repens videtur, eò quòd aere, sicut Chamæleon, vivere videatur, aerem ipsum illa denotat, ut docet Kircherus tom. 2. Oedypi pag. 451. Quibus quatuor symbolis quatuor elementa significari docemur, atque omnia, quibus rerum Universitas constat, vitam & alimentum a magna Deorum matre Isde per harmonicam elementorum contemperationem ubertim haurire: quam ubertatem Vitis explicat in ipsa manu expressa: quæ scilicet planta succi pleniſſima symbolum irrigationis perhibet apud Aegyptios, sicuti ficus folium succo imbutum, teste Plutarco lib. 6. Sympos. quæst. 10.

Et quia Isis, seu Luna sub nomine Isidis, vel Junonis indicata, non prodest sine Solis aspectu, hinc in suprema manus parte exprimitur etiam caput Arietis, & in ungue pollicis exculpta est imago Serapidis, vel Osiridis, sive Ammonis cum modio in capite, quibus Sol significatur, teste Macrobio lib. 1. Satur. cap. 20. Sol enim sub his nominibus expressus fœcunditatis, & Generationis Genius habetur apud Aegyptios, hinc illius nomen, tanquam favorabile amuletum laminis incisum, & pectori affixum gerebant, tantumque illi tribuebant, ut sola invocatione magnis bonis se repleri crederent, ut docet Kircherus lib. 5. Obelisci Pamphilii fol. 494. Quæ superstitio viguit etiam apud Romanos, qui Osiridem seu Ammonem Naturæ Conservatorem existimabant: ut legitur in Salonini nummo Arietem exhibente cum lemmate *Ammoni Conſervatori*. Calathus autem, qui Osiridis capiti insidet, etiam Isidi communis est, ut amborum Vis frugifera, & Capacitas omnia in sublime trahentium declaretur, teste Macrobio lib. 1. cap. 20.

Eandem denique fœcunditatem in elementis omnibus ab Isde simul cum Osiridis influxu productam indicat Situla sive cyathus ansatus, seu Vas, quod aliqui Niloticum appellant, in postrema parte manus exculptum. Isidem enim situlam manu ferentem exprimebant Antiqui, ut lacunarum affluxum, sicut sistri motum, quod dextera portabat, Nili accessum significarent. Situla insuper teste Kirchero tom. 1. Oedypi pag. 187. indicat fœcunditatem, quæ sequitur post terræ irrigationem. Hoc ipsum docet Giraldus pag. 326. Syntag. Deorum. Hinc ait, inquit Macrobius in Saturnalibus, quòd omnium religione celebratur, cum sit Natura rerum subjacens Soli; hinc est, quòd continuatis uberibus corpus Deæ densetur, quia vel rerum naturæ alimento nutritur Universitas. Hinc est quod Opis nomen apud Græcos illi tribuatur, eò quòd opem ferat rebus omnibus, quæ in Orbe continentur.

Tantam igitur, atque adeò Deorum Universitati perutilem Virtutem hujus Deæ his symbolis in manu expressis, ut celebrarent Antiqui, sive Vejentes, sive alii fuerint, metallo expressam in suis pompis hastæ infixam, vel ut voventium signum hanc manum circumlatam non rarò fuisse, ex prænotatis existimo.

ORACULUM.

CAput exponimus sub numero 3. e marmore albo fabrefactum, vultum horridum habens, macie deformatum, crispata fronte, oculis, & ore patulo, per quod cavitas patet interna. Illud Oraculi loco deserviſſe Veteribus non dubito, & ex his quæ subjiciam comprobabitur.

Cum

Cum mens humana perpetuò desideriorum æstu agitetur, & bonorum, quæ desiderat perpetuam spem nutriat, Diabolus id noscens futurorum eventuum scientiam, illi spondet, variasque artes eundem edocet, quibus incertam alioqui felicitatem sibi possit augurari. Inter eas præcipuè sunt Astrologia, & Poliomantia. Priori docet sortem, quam quisque a primo nativitatis suæ puncto natus est, ad bonam, vel iniquam fortunam, posteriori varias divinationum species exhibet, quibus incauti, dum bonum prosequi, & malum vitare appetunt, æterni boni possessione privantur. Idcirco in statuas Diaboli ingrediebantur ad hunc ipsum finem instructas, & ex illis responsa consulentibus dabant.

Celeberrima ideò sunt oracula, quæ pluribus in locis colebantur, plurimaque loca fuere, in quibus responsa dabantur, vel voce, vel nutu statuarum, vel sonitu, vel aliis signis, quæ edebantur; propterea mirabile est, inquit Lactantius Firmianus de origine erroris lib. 2. cap. 17. quòd Juno Vejensis migrare se Romam velle respondit, quòd Fortuna mulieribus periculum denuntiavit. Atque inter celebriora oracula non infimum illud est, quod Giraldus Synt. 9. enarrat, ideſt: *ante simulacrum Mercurii Phasis Urbe Achaiæ focus situs erat ex lapide, cui adhærebant plumbo detentæ æneæ lucernæ, qui autem oraculum petebat vesperi, illud adibat, & thure suffibat, & lucernæ oleo complebantur, simulacrique ad dexteram Calchum (denarii id nomen) in ara ponebat, tum ad Dei aurem quicquid volebat insusurrabat, & simul manibus ambabus obturatis auribus discedebat; hinc foro dilapsus ab auribus manus amovebat, & quamcumque ille vocem audivisset, id sibi oraculum fuisse arbitrabatur.*

Responsa autem ut plurimum ex ore statuarum edebantur, ob id Oracula dicta (ut docet Priscianus) seu potiùs ex eo (inquit Cicero in Top.) quòd inerat his Deorum Oratio, eaque vel a Dœmonibus, qui ut ostendit Minutius Felix in octavio ex antiquis Philosophis, & Platone, & D. Cyprianus lib. de Idolol. vanitate, *sub statuis, & imaginibus consecrati delitescebant*; vel à Pythonibus, & Sacerdotibus, qui a specubus obscuris, & profundis, horribili sono, & strepitu irruebant, hoc pacto Ethnicos decipientes, dum a Dœmone irretiti variis ritibus, & ceremoniis commentitios Deos sub pietatis larva colebant.

Hanc Sacerdotum, seu potius Impostorum artem fusè pluribus exemplis detegit in suo erudito tractatu de Oraculis Antonius Van Dale Amstelodami impresso, pluribus etiam eruditissimus Vossius lib. 3. de Idololatria, & ut reliqua ommittamus, ne a nostro Instituto aberremus, ex Strabone unicum, & percelebre seligimus, scilicet Oraculum Delphicum. *Illud* (inquit Strabo) *ajunt esse cavam profundo specum aditu non admodum lato, ex ea spiritum efferri furoris divini efficacem, supra orificium Tripodem situm, sublimem, quo consecrato Pythia, ubi spiritum exceperit, carmine, solutaque oratione sortes ab ea pronunciari.* Hæc Strabo. Insidebat itaque Pythia Tripodi, & procul ab oculis eorum, qui Apollinem consultum venerant, & Plutarchus docet illos consedisse in Cella quadam in eum finem constructa. Ita enim ille sub finem dialogi de defectu Oraculorum. *Nam cella, in qua Consultores Oraculi sedere jubent, nec sæpe nec statò tempore, sed incertis intervallis fragrantia repletur, & aura, qualem suavissima, & pretiosissima unguenta ex adyto, tanquam fonte effunderent.* Quibus verbis supradictus Van Dale dissertatione secunda adnectit quæ sequuntur. *Non præsentes igitur aderant, necquid rerum gereretur in adytis, quidve infra in specu subterranea sciebant, aut scire poterant. Ædes enim illæ, quæ in Urbe huic Templo subjiciebantur, aliæve cellæ, vel ædiculæ Templi seu septo connexæ, aut etiam intra illud ædificatæ, occultum atque incognitum transitum dare poterant ad loca iis subjecta unde per suffimenta (atque alia ipsorum fallaciis conducentia, ut visus illorum, qui accedebant, obnubilaretur, atque ipsa Virgo Pythia per commoda instrumenta in id adaptata etiam suas partes agere poterat, sive ut per tubam locutoriam vocem intenderet, ut sic humanis majora sonare videretur, aliisque pluribus modis obsessam se a Dœmone simularet. Clandestini ac subterranei introitus. Exemplum dat historia illa de Belo ac Sacerdotibus ejus per Danielem deprehensis cap. 14. quæ omnibus satis nota est. Sonum verò ita posse in immensum augeri, ut maneat interim vox articulata, ac commodissimè ea internoscatur, eo quod nihil planè variet ab ea, quæ simplici ore, & absque ullo instrumento, sive intensione per instrumentum, docent certissimè nos illæ tubæ locutoriæ per Samuelem Morlandum Equitem Anglum inventæ;* (nisi ipso prior fuerit P. Kircherus, qui eas sibi ut jam antea excogitatas vendicat) *ac nunc per totam Europam satis notæ.* Hisce & adjumento esse poterat fornix, sive adyti, sive ipsius templi, sive utriusque simul, ut quotidie in Templis majoribus experimur.

Hac ratione per nostrum Simulacrum locutum fuisse aliquem antiquum Impostorem, ipsius structura nos edocet. Habet enim in parte inferiori, ubi guttur Hominibus Natura posuit, rotundum foramen, per quod si beneficio tubæ vocem quis immittat, & verba proferat, illa articulatim, & distinctè a spectatoribus, audiuntur, sono non parum aucto in caverna

quam

quam habet Noſtrum Oraculum, quod indicavimus, ſub num. 3.

OCULUS APOLLINI SACER.

OCulum humanum ſubjicio ſub numero 4. in lapide Ægyptio nigro præ cœteris duriſſimo, quem *Oſite* Itali dicunt, magnitudine bipalmarem, illum liberali manu Illuſtriſſimus Præſul Leo Strozza dignatus eſt in noſtro Muſæo collocare poſtquam repertus fuit inter rudera collis Puteolani, ubi olim Templum Apollini ſacrum aſſurgebat, quod a latere orientali collis ejuſdem Urbis Cumanæ pars, & veluti Arx fuit, cujus meminit Virgilius in 6. Æneid. hoc carmine:

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ
Antrum immane petiit, magnam ſui mentem animumque
Delius inſpirat Vates, aperitque futura.

Templum idem deſcripſit Juſtinus Martyr, qui florebat poſt Virgilium annis centum circiter, & ſeptuaginta, in Oratione Parænetica ad Græcos; & affirmat ſe vidiſſe ſub Antonino Pio; In eo igitur Templo oculum hunc tanquam votivum Anathema poſitum fuiſſe non ſine ratione licet ſuſpicari. Apollinem enim ab Aegyptiis in oculo expreſſum fuiſſe, refert Macrobius lib. de Iſide, & Oſiride, quem in ſceptro effingebant, eò quòd Sol ſub Apolline indicatus cuncta perluſtret, ſicuti per ſceptrum poteſtatem ſignificabant. ideò etiam Solem Jovis oculum eſſe dicebant, & Apollinem *Cæliſpicem* Latini nuncuparunt, quòd cœlum conſpiceret, ut docet Giraldus Syntag. 7. pag. 194. Quo nam ex voto in eo Templo poſitus fuerit hic oculus, nulla ratio indicat.

BASIS JOVI SACRA.

DUum hæc recenſerem anno elapſo 1704. effoſſa eſt Baſis marmorea inter antiqua rudera ductus Aquæ Claudiæ, propè Templũ S. Stephano dicatum in monte, quem in ſecunda Regione Romana Antiqui numerabant, Cælio dicto, a Cælio Vibeno Tuſco duce nobili, qui cum ſua militum manu dicitur a Varrone Romulo veniſſe auxiliaturus contra Sabinum Regem. Dignam eam duxi, quæ in Muſæo collocaretur tanquam ſingulare eruditæ antiquitatis monumentum, quod non unicus eruditus deſiderabat. Hæc autem inſcriptio in antica ejus parte inciſa legitur.

GENIO SANCTO
CASTRORUM
PEREGRINORUM
AURELIUS ALEXANDER
ANALICLARIUS
QUOD PEREGRE
CONSTITUTUS VOVIT
EDIL. CASTRORUM
LIBENS SOLVIT.

In ea plura notatu digna ſe offerunt, & primò lapidem fuiſſe votivum, ut verba ipſa declarant, licet non explicetur, quid nam ex votorum genere ſolutum fuerit. Illud fuiſſe ſimulacrum, in quo Genius Caſtrorum repræſentaretur, lapis ipſe indicat, in formam quadratæ baſis exciſus, ſupra quam planities orbicularis apparet, ad illud ſuſtinendum aptiſſima: Statuam autem repræſentaſſe Jovem, probabile eſt, cum Jovem fuiſſe Genium Caſtrorum peregrinorum deduci poſſit ex alia inſcriptione a Panvinio relata lib. de Rep. Rom. pag. 169. in qua dicitur ornatum fuiſſe Templum Jovis reducis a Principe quodam Peregrinorum ſic.

PRO SALUTE ET REDITU D. N. IMP. CÆSARIS
PIO FELICI
INVICTO AUG. COMITIUS BASSUS 7. FR. AGENS
VICE PRINCIPIS PEREGRINORUM TEMPLUM IOVIS
REDUCIS C. P. OMNI
CULTU DE SUO ORNAVIT.

Genius dicitur in ea ſignificatione, quam docet Cenſorinus, ideſt, quia Genitos ſuſciperet, ac tueretur, ob id Genius eſt, ille ſub cujus tutela aliquis vivit. Cœterum Aegyptii putarunt præter Deos cœleſtes, naturas quaſdam medias inter illos, & homines reperiri, quos Angelos, Dæmones, vel Genios, aut terrenos Deos appellabant. Hos verò Genios Regionem inter Cælum, & Terram interjectam incolere, & propè nos habitantes, nobis amica cognatione jungi, atque amore ſingulari erga humanum Genus affici, & hominibus diverſis modis auxiliari putabant, ſed falsò.

Sanctus appellatur *Genius* hoc eſt *Auguſtus*, ita Cicero de Aruſpicum reſponſ. 10. Ita Virgilius 3. Aeneid. verſ. 109. vocat Numina *Sancta*.

Tabellis, & Lapidibus votivis addita olim fuiſſe Deorum ſigna indicat ſatis inſcriptio Romæ reperta, quam affert Tomaſinus cap. 7. *Pro ſalute Iuliæ &c. Veneriæ filiæ dulciſſimæ deliciæ ſuæ Tabellam hanc marmoream cum ſigno Æſculapii &c.*

Potuit etiam hæc Baſis ſuſtinere ſimulacrum militis, ut mos etiam apud Antiquos erat in

Tabellis votivis exprimere quassatas Rates, imagines Aegrotorum, & similia, ut idem Tomasinus docet cap. primo de Donariis, vel Arma ipsa militis, ut indicat Ovidius lib. 4. Fast, eleg. 7.

Miles, ut emeritis non est satis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit Arma Lares.

Sed qualecunque illud fuerit donum, ex voto oblatum, illud *libens solvisse* dicitur, hoc est adimpleviſse votum, *libenter* seu *libenti*, vel *æquo animo* (ut explicat Donatus) *Aurelius Alexander Analiclarius, peregrè constitutus.* quod adverbium *peregrè* apud Latinos verbis jungitur, non solùm quietem, sed etiam motum significantibus, ut *Peregrè sum, peregrè venio*, apud Plautum Amphit. 4.

Ita peregrè adveniens
Hospitio pollicitus accipiat.

Ita *peregrè constitutus* idem est ac *in peregrinatione constitutus* vovit &c. *Aedilis Castrorum peregrinorum* fuisse dicitur Aurelius, idest, qui Aedium militum peregrinorum curam gerebat; sicuti Aedilis vocabatur Magistratus, cui Aedium Sacrarum, & Privatarum cura erat imposita, ut ait Varro lib. 4. de lingua latina, & ex Legibus XII. Tabularum, erant Aediles Curatores Urbis, Annonæ, Ludorumque solemnium. *Castra* appellabantur *peregrina*, non quòd eo in loco Tentoria, seu Papiliones militum fixa fuerint, ut in castris, ubi Prælia committi solent a Militibus: sed quia Domus ibi erant constructæ, in quibus morabantur milites peregrini seu exteri, in Urbem recepti, quos Nardinus lib. 3. cap. 7. Sibi suasit selectos fuisse ex Aciebus Augusti in obsidione Miseni, sicut Ravennates milites in Tabernam meritoriam trans Tiberim positam recipiebantur.

Ubi nam fuerint Castra militum peregrinorum non ita certum apud Scriptores, ut dubitari non possit; quamvis omnes asserant posita in secunda Regione, ubi Mons Cælius attollitur. Plurimum enim longitudinis, & latitudinis minus habet mons iste, ejusque hi sunt fines, ut scripsit noster Donatus lib. 3. cap. 12. *Ab Esquiliis interjacente sejuncta valle, ubi Amphiteatrum, & aliæ Aedes, præcelso primùm jugo ad Aedem quatuor Coronatorum, tum molli clivo propè Basilicam Lateranensem Orientem versus usque ad Mœnia procurrit. Flexis porrò mœnibus ad Templum S. Crucis, largoque intervallo quasi in rectum productis, clauditur a meridie. Hinc secretus modica planitie extenditur ad Vallem occasum versus, in qua Thermæ Antonianæ, & Piscina olim publica, & Via Latina, & Appia. Ex valle dividitur ab Aventino: hinc rursus redit ad Amphiteatrum.* Jam Castra peregrina aliqui collocant in montis crepidine, ubi Aedes Sanctorum quatuor Coronatorum; Alii verò putant fuisse ante Aedes S. Mariæ in Dominica vulgò *della Navicella*. Hanc opinionem fulciri ait Panvinius duabus tabulis lapideis suo tempore ante illas effossis, quarum altera inscriptionem ostentat supra allatam, *Pro salute &c.* Altera verò hanc habet:

Coccius Patruinus Princ. Peregrinorum.

Eandem sententiam confirmat lapis a nobis expositus, ex quo veluti scintillæ excutiuntur, quarum ope rei ignoratæ Veritas eluceſcit.

Dum hæc scriberem effossa sunt propè eundem locum, ubi Inscriptio explicata reperta fuit, duo Instrumenta ferrea, quibus in curandis equis Artifices utuntur. Alterum est, quo ungulæ equorum resecantur, ita ut illis ferrea solea aptetur, antequam clavis affigatur. Ab artificibus italis appellatur *Incastro*. Simile est illi, quo nunc utimur, sed paulo longius extensum, ut docet figura sub num. 5. Alterum instrumentum est crassa lamina ferrea, in semicirculum efformata cum Manubrio. Hoc Artifices, in igne primùm bene calefacto, pedes equorum incidunt, ut cujusdam morbi radix omninò absumatur. Quamobrem novum argumentum, nisi fallor, nobis propositum est, ut credamus, eo in loco Castra peregrina sita fuisse, ubi non tantùm pedites, sed equitum Turmæ post bella otiarentur, cum equis, & equorum curatoribus.

TABULA VOTIVA URANIÆ.

EOdem anno Lapidea Tabula in Monte Cælio effossa est, subi Villa patet Dominorum Casalium, qui eam Musæo addere perhumaniter dignati sunt. Verbis in ea incisis Vota ægroti indicantur hoc pacto.

IN. VI. CITE. CE. LE.
STI. U. RA. NI. AE. DONA. PO

Vestigia Quatuor Pedum

G. GI. FI. V. UL. FI.
LE. O. NES.

Singulis verborum syllabis interjacent puncta, quem modum scribendi passim usurpatum fuisse ab Antiquis quamplurimæ Inscriptiones docent. Item Verbis *Invicitæ* additus inutiliter est caracter I, vel ex imperitia sculptoris, vel ex vitiata antiquorum pronuntiatione, ut etiam apud Gruterum pag. 107. legitur *Diruitam*, pro *dirutam* quamobrem illa hoc pacto legenda sunt.

Invi.

Invictæ Cœlesti Uraniæ Dona posuit G. Gisiulfius Leones.

Quærendum jam est, quid nam *Uraniæ* nomine intelligatur, cur itaque *Invicta*, & *Cœlestis* dicta sit, qua de causa pedes quatuor impressi videantur, cur demum pro munere *Leones* fuerint oblati.

Quoad nomen *Uraniæ* spectat suspicati sunt aliqui, & quidem eruditissimi Viri, significari unam ex choro Musarum hoc nomine appellatam, cui Astrorum scientiam tribuebant. At cum *Invicta*, & *Cœlestis* dicatur, Venerem illam esse, ambigendum non est. Inter nomina enim Veneri tributa *Urania* est, ut docet Pausanias, quod idem sonat ac *Cœlestis*, ita dicta a Poetis, quòd ex cœlo cecidisse crediderint semen igneum in mare, ex quo in spumis illa nata sit; Alii autem ex puro amore quasi cœlesti, a corporis illecebris alieno, dictam volunt; nam Plato, & alii duplicem Venerem constituerunt *Cœlestem*, & *Terrestrem*. Pausanias in Attica ait: *Non multum a Vulcani Templo Uraniæ Veneris ædes abest*. Assyrii primùm hujus Uraniæ cultum instituerunt, quos Paphii in Cypro imitati sunt, & Phœnices. Ejusdem Deæ cœlestis mentionem fecit Ammianus Marcellinus lib. 22. quam peculiari cultu venerati sunt Carthaginenses. Sic Terrullianus in Apol. *Unicuique etiam Provinciæ, & Civitati suus Deus est, ut Syriæ Astarte, ut Arabiæ Dysares, ut Nenrici Belenus, ut Affricæ Cœlestis.*

Esse autem eandem ac Junonem sequentia comprobant. nam idem Tertullianus. *Illa* (inquit) *ipsa Virgo cœlestis pluviarum pollicitatrix*; quod Junonis munus erat. Apulejus lib. 7. Metam. *Magna Iovis germana, & Conjux, sive tu Sami, quæ querulo partu vagituque, & alimonia tua gloriatur, tenes vetusta delubra; sive celsa Carthaginis, quæ te Virginem vectura Leonis cælo commeantem percolit, beatas sedes frequentas.*

Herodianus lib. 5. scribit Carthaginenses Uraniæ sive Cœlestis nomen a Didone Phœnissa accepisse, & Lunam credi a Phœnicibus, quasi Siderum Rectricem, vel Cœli Reginam. Eandem denominationem præfert insigne amuletum, pedis formam referens è Succino, quod memorat in sua historia Universali Illustrissimus Blanchinus cum hac inscriptione.

Dea magnæ Veneri Sanctissimæ Felici conservatrici matrique Deum, cupidini Cœlesti Genetrici Cestianus &c.

Nomen autem *Invictæ* simul cum *Cœlesti* Veneri tributum clarè demonstrat Inscriptio, quam Sponius recensuit in Miscell. erudit. pagina 93. *Invictæ Cœlesti Uran. Onesimus DD.* item alia Isidi posita, quæ eadem est ac Venus, relata a Fabretto pagina 472. *Isidi Invictæ &c.*

Veneri igitur Invictæ, & Cœlesti vota solvit *Gajus Gisiulfius*, quam Sanitati restituendæ præesse putabat, (quamobrem *Servatricis* nomen apud Arcades illam obtinuisse ex Pausania habemus lib. 8. & in multis Inscriptionibus ab eodem Fabretto relatis patet.) Exprimuntur pedes juxta morem antiquorum, qui partium infirmorum imaginem repræsentabant, & pedes præsertim sicuti demonstrat Inscriptio apud Tomasinum de Donariis, cap. 34. & apud Fabrettum pag. 472. in qua marmoreum donarium plantas quatuor pedum ostendit, in via nomentana repertum, & aliud ex schedis Vaticanis cum inscriptione.

Licinia Philetæ pro salute sua, & sororum.

Cum autem dicatur *Gisiulfius* posuisse *Leones*, credendum est donum ab illo positum in Templo Veneri sacro, quod Leones repræsentaret, vel ex ære, vel ligno, aut marmore, illudque sub tabula votiva collocatum, juxta morem antiquum, & quidem ut grati animi significationem daret, ponendo Leonum simulacra, qui Veneri seu Junoni tribuebantur. Qua de causa in nummo Severi, in quo legitur *Indulgentia Augusti in Carthaginenses*, hæc Dea depicta fuit Leoni insidens, capite velato, dextra fulmen, sinistra sceptum gestans, ut eruditè notavit Jacobus Oyselius in Thesauro Numismatum, qui plura de illa refert.

CLAS-

1

FLORÆ
TI. PLAVTIVS DROSVS
MAG. II
V. S. L. M.

2



1
2
6
3
4
7
5



3
4
1
2



1
2
3
4
5

CLASSIS TERTIA

Continens Sepulchra, & Inſcriptiones Sepulchrales.

ANtequam Urnas ſepulchrales, & ſepulchrorum inſcriptiones inſpiciamus, quæ ex Ruderibus in agro Romano effoſſæ in noſtrum Muſæum translatæ ſunt, ad delectationem lectoris conducere arbitror, ſi pauca hic adnotentur, quæ de Funeribus apud Scriptores paſſim occurrunt.

Conſtat magnam fuiſſe curam apud Antiquos, & Nationes penè omnes etſi barbaras, in mortuis ſepeliendis, nam cum Parentum, Liberorum, Amicorumque præſentia deſtituerentur, eorumque deſiderio mirificè afficerentur, non eſt mirum, ſi nihil intentatum reliquerint, quod ad mæſtitiam minuendam conduceret. Hinc apud Aegyptios mos ille condiendi corpora, ut integra ſervarentur uſque ad conſumationem ſæculi, ideſt Reſurectionem, quam futuram eſſe crediderunt. Et licet non defuerint, qui ſepulturam neglexerunt corporum, de anima tantùm ſolliciti, quam putabant immortalem, ut de Mæcenate legimus dicente:

Nec tumulum curo, ſepelit Natura relictos.

Major tamen hominum pars ſibi ſuaſit, infeliciſſimum eſſe ſepultura carere. Nihil enim corpore humano præſtantius illis videbatur, quod cum animæ ſit domicilium, & inſtrumentum, conſentaneum judicabant, ut ab anima ſeparatum tumulo honorificè mandaretur. Hinc Poetæ fabulati ſunt Animas, quarum corpora inſepulta manerent, Cymba Charontis non excipi, ut ad quietem transfretarent, donec Terra tumularentur eorum cadavera; Sic apud Virgilium Palinurus propè Acherontem Æneæ occurrens, hæc cum gemitu dixit:

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Tranſportare prius, quã ſedibus oſſa quieſcant.

& paulò poſt addidit:

Eripe me his invicte malis, aut tu mihi terrã
Injice. ——————

Ex quibus apparet, ſepulturam ultimum eſſe benevolentiæ, & pietatis ſignum, quod defunctis amicis, & conſanguineis impenditur.

At etiamſi mos ſepeliendi mortuos apud omnes populos receptus ſemper fuerit, non tamen eadem ratio apud omnes adhibita. Legatur Boiſardus lib. 2. Antiquitatum Romanarum, P. Franciſcus Pomey de Ritibus ſepeliendi, Kirchmannus de Funeribus, Jacobus Gutherius de Jure Manium, & Lilius Gregorius Giraldus de Sepulchris, & vario ſepeliendi ritu, cum a noſtro Inſtituto alienum ſit illos fuſius exponere.

Non tamen omittendum eſt, quod maximè conducit ad explanationem ſepulchrorum, quæ exhibenda hic erunt. Illa enim ejus generis ſunt, quod parvæ molis ſepulchra continet, quæque Urnas, Buſta, & Sarcophagos ſcriptores appellant; Duplex enim fuit ſepulturæ genus apud Romanos præcipuè. Aliquando integra cadavera ſub terra condidere in marmoreis, vel fictilibus ſepulchris clauſa, juxta cadaveris magnitudinem fabrefactis. Ejus generis fictiles Urnas oſtendit Joannes Franciſcus Abela in hiſtoria Melitenſi, quam ſcripſit annis elapſis è terra effoſas, & in noſtro Collegio Melitenſi ſervatas, in quibus exculptæ ſunt mortuorum imagines. Fictilium Urnarum meminit Propertius ſic.

Dein ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor
Accipiat manes parvula teſta meos.

aliquando verò corpora cremabant, deinde cineres, eorumque reliquias diligenter collectas in parvis urnis claudebant, vel fictilibus, vel marmoreis, vel aureis, vel argenteis, vel æneis imò etiam vitreis, ut narrat Jacobus Gutherius de jure Manium lib. 2. cap. 23. ubi ait, apud ſe habere majorem urnam vitream oſſuariam quadratam oblongam, quam Nicolaus Boucherat Ciſtercienſis Abbas ipſi dederat; inſuper aliam parvam pro cineribus, quæ a communibus ob vitri ſoliditatem differebat; Non abs re erit hic mentionem facere de vitreo vaſe in inſula Melitenſi cum cineribus detecto, & pleno humore aqueo, qui odorem ſuaviſſimum exhalabat, fortaſſe ex aromatibus ope ignis eductus. Servatur adhuc in Muſæo eruditiſſimi D. Canonici Conſtantii. A cineribus cinerariæ, ab oſſibus oſſuariæ dicebantur tales urnæ, quibus ſæpè includebantur cineres & oſſa.

Illis etiam imponebantur Arulæ marmoreæ, vel Columnæ, vel Cippi, aut Tabulæ, quibus inſcribebantur Epitaphia, & ad quæ quotannis

coronæ ex floribus addebantur, vel vinum, & liba sacrabantur, aut etiam victimæ cædebantur Diis Manibus, ex quibus epulum funebre fiebat affinibus, & amicis. Ornabant etiam aliquando insignibus marmoreis obeliscis, terminis, columnis, cippis, & pyramidibus, prout ferebant uniuscujusque facultates.

Sepulchrorum forma diversa fuit pro cujuscunque voluntate, aut facultatibus, & ex inventione Artificum, qui marmoribus inculpebant emblemata, signa Deorum, animalia diversa, aquilas, sphinges, arbores, & alia ejusmodi, quibus conceptum mentis suæ exprimebant. plerumque etiam insculpebant imagines defunctorum, vel nudas, vel vestibus indutas, vel integras, vel pectore tenus apparentes, cujusmodi plures videri possunt in primo, & secundo volumine Antiquitatum Romanarum Boissarti, qui describit etiam sepulchra aliqua sumptuosissima, quæ adhuc Romæ supersunt; ea tamen magnificentiam Ægyptiorum non evincunt: id etiam tradit Herodotus in Euterpe, & de illis scripsit Kircherus in lib. de Turre Babel.

Quando verò corporum crematio esse cœperit apud Romanos præcipuè, non ita certum apud Scriptores. Integra corpora sepelire antiquius fuisse, quàm cremare Plinius lib. 7. c. 58. a Manutio relatus declarat his verbis. *Ipsum cremari apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur; at postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum: & tamen multa familiæ priscos servavere ritus, sicut in Cornelia nemo ante illam traditur crematus.* Hæc Plinius. At, subdit Manutius. Quod ante XII. tabulas in more fuerit, id vetus non videri mirum est, nam, ut idem Manutius scripsit lib. de legibus pag. mihi 143. Lex ipsa XII. tabularum ajebat: *In Urbe ne sepelito, neve urito,* ex qua deducitur, morem fuisse cadavera cremandi ante ipsas Tabularum leges, & sepulturam dari omnibus extra Urbem, paucis exceptis, qui ob eorum dignitatem intra mœnia sepulchrum obtinebant. Ita Plutarchus in Poplicula ait: *Decretum est, ut intra Urbem juxta Veliam sepeliretur, utque ejus Posteris idem ius esset. Ita Vestalibus intra Urbem sepeliri numquam non licuit, nullis enim legibus tenebantur, idemque Jus Imperatoribus fuit,* & referente Servio, *datum est etiam Decreto Senatus iis, qui triumphassent, ut cum eorum corpora extra Urbem cremata essent, in Urbem cineres referrentur, humique mandarentur.*

Igitur consuetudo cremandi cadavera, etsi lege Tabularum XII. prohibita fuerit, intra Urbem fieri ob incendii pericula, perduravit tamen extra Urbem, referente eodem Aldo Manutio, usque ad Antoninorum Imperatorum ætatem. Ex quibus redditur incerta Plinii enarratio. Romulus enim Urbem fundavit, & calculo Dionysii Petavii in Ration. temp. part. 1. lib. 3. anno 3. exeunte Olympiadis sextæ, hoc est anno ante Christi nativitatem 753. atque hic aliique sex Reges, scilicet Numa Pompilius, Tullius Hostilius, Ancus Martius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius, & Tarquinius cognomento Superbus Romanas leges condiderunt; Deinde elapsis annis 303. post Urbis fundationem, & annis 451. ante Christum, juxta Computum ejusdem Petavii, mutata Romæ, & Reipublicæ forma, ejectis regibus lege tribunitia omnes leges exoleverunt, iterumque cœpit Populus Romanus incerto magis jure, & consuetudine aliqua uti, quàm lege, idque propè 20. annis, postea placuit publica authoritate decem Viros constitui, per quos peterentur leges a Græcis Civitatibus, & Civitas fundaretur legibus, quas in Tabulis decem æneis perscriptas pro Rostris proposuerunt, ut possent clarius perspici, & quia ipsi animadverterunt aliquid deesse primis decem legibus, sequenti anno alias duas eisdem Tabulis adjecerunt.

His expositis, clarè deducitur omni eo tempore cremandi consuetudinem perduravisse usque ad Antoninum Pium, scilicet ad annum 138. post Christi nativitatem, quo Romanæ rei illum præfuisse idem Petavius enarrat. Sepulchrorum autem sumptus ita excreverunt, ut impensius studiosiusque monumenta mortuorum multi curarent, quàm Vivorum domicilia, eos imprimis falli existimantes, qui brevioris, & momentaneæ Vitæ ædificia magnifica construerent; sepulchra verò, in quibus diutissimè quiescēdum esset, negligerent, atque inter hos maximè fuere Aegyptii, ut indicavimus, quorum moles a Scriptoribus celebrantur. Romanis etiam permultis hoc fuisse usitatum, non tam ex veterum scriptis, quam ex ipsis monumentorum ruderibus colligere possumus; & satis apparet in multis marmoreis Urnis, quibus Palatia, & Villæ Romanæ exornantur. Celeberrima inter cœteras illa est è lapide Porphyrite exculpta, quæ in Templo S. Constantiæ dicato visitur extra Portam Numentanam, quæ Pia nunc appellatur; eam descripsit Illustrissimus Ciampinus libro de sacris ædificiis cap. 10. aliam etiam est elegantissima ex pario lapide, quæ reperta fuit anno 1698. sub Ruderibus in Vinea, quam in antiqua via Ostiensi duobus ferè miliaribus a Porta tergemina, juxta ripam Tiberis possidet D. Franciscus Monciatus. Servatur hæc Urna in æde ejusdem novem palmis longa, tribus alta, totidem lata; atque in ejus fronte opere anaglypto elegantissimè expressa cernuntur novem musarum simulacra, & in utroque extremo

mo latere, aliquæ ex iis cum aliis figuris confabulantes. In operculo, quod ferreis retinaculis plumbo obfirmatis Urnæ copulabatur, decumbentium Icones efformatæ cernuntur. Oſſa, & cineres Viri flammis non conſumpti Urna continebat, propè quam lamina marmorea palmo uno lata, & duobus longa, litteris græcis inſcriptionem habebat inciſam: non parum ab eadem diſtabat Baſis, ſeu Ara marmorea palmis ſex alta, tribus lata, in cujus lateribus Diſcus, & Bauca exculpta videbatur. Frons autem hanc inſcriptionem exhibebat litteris maioribus expreſſam.

C. ATTIUS
VENUSTIUS
ET
M. ABUDIUS
SELEUCUS
FRATRES SIBI. ET
ATTIAE C. LIB.
PRIMIGENIAE
CONJUGI.ET
COETERIS LIBERIS
LIBERTABUSQUE SUIS
POSTERISQUE EORUM

In duabus etiam arulis eodem in loco repertis cum diverſis minoribus urnis, in quibus ſoli cineres claudebantur, erant ſequentes inſcriptiones inciſæ.

C. ATTIUS
VENUSTIUS
HIC SITUS EST
M. ABUDIUS
SELEUCVS
FRATRI SVO
PIISSIMO FECIT.

D. M.
M. ATTIO CLEMENT.
VIXIT A. V. M. V. D. X.
M. ATTIVS FLORVS
PET. SATVRN. M.
FECERVNT FILIO SVO
CARISSIMO BENEM.

Neque fortè abſurdum fuerit exiſtimare etiam hunc ritum originem ſuam traxiſſe a Græcis, nam hos quoque exornare ſolitos monumenta ſua diverſis emblematibus & ſignis, quæ plerumque Vitam defuncti denotarent, paſſim apud Scriptores legimus. In Archimedis ſepulchro poſitam fuiſſe ſphæram cum Cylindro auctor eſt Cicero Q. Tuſcul. In Diogenis Cynici, canem tradit Laertius lib. 6. De Ariete, qui fuit in ſepulchro Socratis, vide Plutarch. in 10. Rhetor. & Virgilius in funere Miſeni libro 6. Aeneid. ait:

At pius Æneas ingenti mole ſepulcrum
Imponit, ſuaque arma Viro, remumque tubamque.

De exuviis verò hoſtium, quibus non Romani ſolùm ſed & Gothi ſepulcra ſua ornabant teſtis eſt Lactantius ad lib. 12. Thebaid. Statii.

Has aliaſve Vrnas ſepulchrales, quæ apud Vrbis Magnates ſunt, omitto, ne alienas opes videar transferre in Muſæum, cuius deſcriptionem inſtitui; idcircò eas tantummodo exponam, quæ in eodem ſervantur, etſi parvæ molis, elegantes tamen, & ex eo genere, quod ollas, & Vrnas cinerarias, & oſſuarias comprehendit. In ampliſſimis enim, & magnificis, ut dictum eſt, corpora integra nec flammis abſumpta ut plurimum condebantur: in anguſtis verò cineres, quos poſt cremationem affines demortui diligenter colligebant, ſicuti inter alios Kirchmannus enarrat lib. 3. cap. 7. de Funeribus. Dixi ut plurimum; nam etiam in amplis, & magnificis aliquando cineres, & oſſium reliquiæ poſt cremationem includebantur, ut clariſſimè patuit in Sarcophago marmoreo nuper reperto in agro romano propè viam Prænestæ ducentem; ſed antequam illud exponam, præmittenda eſt difficillima queſtio, quam proponit ſupralaudatus Kirchmannus lib. 3. cap. 7. dicens illam: *diu multos viros doctos habuiſſe exercitatos*; nimirum quomodò cineres, & oſſa, quibus honorem deferri volebant, dignoſci potuerint a cineribus, è ligno natis, & ab oſſibus animalium, quæ ſæpè ſimul cum cadavere cremabantur. Sunt (ſubdit idem Kirchmannus) qui exiſtimant fuiſſe factas tunicas, e lino quodam Indico, quod exuri minime potuerit, atque iis operta cremandorum corpora, ut ita illorum oſſa a reliquis cineribus ſepararentur. Ad iſtam opinionem ſtabiliendam abutuntur auctoritate Plinii qui lib. 19. cap. 1. de hoc lino ſic loquitur. *Iuventum jam eſt etiam, quod ignibus non abſumeretur. Vivum id vocant, ardenteſque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas ſordibus excuſſis ſplendeſcentes igni magis, quàm poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis favillam abreliquo ſeparant cinere. Naſcitur in deſertis aduſtiſque ſole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras ſerpentes, aſſueſcitque vivere ardendo. rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cætero color ſplendeſcit ipſi. cum inventum eſt, æquat prætia excellentium margaritarum. Vocatur autem a Græcis Asbeſtinum ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor eſt linteo eo circumdatam arborem ſurdis ictibus, & qui non exaudiantur, cædi. Ergo*

huic lino principatus in toto orbe. Proximum byſſino mulierum maximè deliciis, circa Elim in Achaja genito, quaternis denariis ſcrupula ejus permutata quondam, & auri. Hactenus Plinii enarratio in qua, etſi luculentur deſcribatur hujuſmodi linum, multa tamen falſa eſſe experientia detexit. Sed de illo omnia hæc enucleanda erunt, cum de Mineralibus agemus. In Præſentiarum ſatis ſit de funeribus agere, in quibus tale linum ab Antiquis adhibitum fuiſſe ad cineres Magnatum ſervandos Scriptores multi retulerunt auctoritate Plinii ſuffulti. Inter hos Pancirolus rerum memorabilium parte prima tit. 4. & Thomas Porcachi de Funeribus antiquis agentes idem affirmant. Secundus addit pag. 11. Amiantum non eſſe linum, ut Plinius narrat, ſed lapidem, ex quo tamen fila deducuntur, illumque repertum fuiſſe in Inſula Cypro ab Equite Cyprio Hectore Podocatharo, atque ex eo mappas habuiſſe. A Plinio autem cæteriſque Scriptoribus Kirchmannus diſſentit his verbis: Sed hos raritas hujus lini, & pretium facilè refutaverit. ut mittam quod Plinio non de Romanis ſermo, ſed iis gentibus, apud quas illud linum naſcebatur, quorum Reges tantùm eo uſi ſint. Nugis etiam ſimiliora, quæ alii de Amianto lapide comminiſcuntur, cujus ſententiæ, cum nullum veteris Scriptoris teſtimonium afferant, aſſenſum illis accommodare minimè poſſum, ſed potius cum Viro Caſaubono ita ſentio. Cadaver cremandum ita in Pyra fuiſſe collocatum, ut cineres, & oſſa ſeparata manerent. neque aut ligni cineribus, aut Animantium. quæ ſimul cremabantur, oſſibus commiſcerentur. atque ita ex ſitu, & collocatione cadaveris facultatem fuiſſe diſcernendi cineres ac oſſa.

Attamen aliquando etſi rariſſimè, fortaſſe propter raritatem Antiquos uſos fuiſſe tali lino ſeu lapide in crematione cadaverum, ut Plinius affirmavit, experientia evicit anno 1702. poſt quam ablata fuerit e prædio, quod D. Dominicus Caballinus poſſidet extra mœnia Urbis propè antiquam viam Prænеſte ducentem, terra illa vulgò dicta Puzzolana, qua cum calce mixta optima cœmenta conficiuntur, fortuitò detecta fuit Urna ex albo marmore fabrefacta, palmis novem longa, & tribus lata, cum duplici ſimulacro in extremis angulis pectore tenus expreſſo Viri, toga virili, & chlamyde circumamicti. operculum verò ejus diverſæ geniorum figuræ exornant, quarum alii flores ſpargunt, alii arborum ramos cędunt, aliqui victimas propè arulam præparant. In hac igitur Urna oſſa cineresque Viri ſemiuſti reperta ſunt, incluſa, in panno palmis novem longo, ſeptemque lato, ex lino asbeſtino contexto, etſi non valdè tenui, facilè tamen plicabili, cinereum colorem illud refert, quod in flammis albedinem contrahit non ſine intuentium oblectamento. nam eruditis Viris argumentum præbetur antiquiſſimi ritus cremandorum corporum, etſi rariſſimè fieret; nam inter penè innumeras Urnas non tantùm Romæ, ſed in Europa ferè tota, e ruderibus antiquis defoſſas hujuſmodi asbeſtinum involucrum in aliqua earum detectum eſſe nullus ſcriptor commemorat. Dignum propterea eſt, quod eruditi omnes ſuis oculis inſpiciant in pretioſiori Urna repoſitum, atque pretio non vulgari redemptum in Regium aliquod Muſæum, tanquam nobile Antiquitatis monumentum transferatur.

Sed ad noſtras cinerarias Urnas revertamur, quarum aliquæ fictiles ſunt, ſeu Teſtaceæ aliquæ verò marmoreæ. Has illis ut nobiliores anteponendas judico. ſicut enim ſepulcrorum aliqua ampliſſima fuerunt, alia moderata, quædam vulgaria, aut humilia, plebeja, aut promiſcua, ita etiam, & Urnæ in quibus cineres, & oſſa claudebantur.

Primò igitur loco in Tabula XXVI. Urnam expono quatuor æqualibus partibus abſolutam, quarum ſingulæ ferè palmo cum dimidio in latitudinem, trium verò in altitudinem extenduntur. Anterior, & nobilior earum Proſerpinæ raptum analyptico opere expreſſum præbet cum Plutone illam amplectente, etſi renuentem, in curru quatuor equis alligato, quorum habenas Infans alis præditus moderatur. Hunc raptum Proſerpinæ ſic Orpheus in Attico deſcripſit.

Pluto ſibi Caſtæ Cereris nam filia quondam
Cum legeret flores in prato, rapta quadrigis
Impoſita eſt, & cecropium portata ſub antrum
Huc ubi Eleuſis adeſt, ubi nigri janua Ditis.

Illum plurimæ Defunctorum Ethnicorum Urnæ expreſſum præbent. In Crypta Naſonia, ſeu Naſoniorum ſepulchro, quod apud Romam anno 1674. detectum fuit, & in lucem datum a Petro Santio Bartolo videbatur, qualem Tabula propoſita oſtendit juxta Claudiani deſcriptionem.

Interea volucri fertur Proſerpina curru
Cæſariem diffuſa Noto, planctuque lacertos
Verberat, & queſtus ad nubila fundit inanes.

Georgius verò Fabricius Chemnicenſis, Auctor cæteroqui damnatus, in ſua Roma cap. 21. referens varia rerum ſimulacra, quæ in ſepulchris urbis exculpta ſunt, ait eſſe imaginem Plutonis Proſerpinam rapientis in S. Silveſtri Æde propè Arcum Domitiani, & ante S. Mariam in Coſmedin propè Velabrum. In eo, quòd eſt apud S. Silveſtrum Pluto quadrigiis vectus raptam Proſerpinam complexu tenet exanimi ſimilem,

ſupra

ſupra quam volitat alatus Cupido. Currum præcedit Mercurius alato pileo, & caducæo. In altera parte Ceres bigis invehitur tractis a Serpentibus: pinea tæda, quam ſiniſtra geſtat, inveſtigans amiſſam filiam. Inter hæc ab utraque parte Comites Proſerpinæ flores collectos geſtant, veſte ultra pubem ſublata. A lateribus Hercules eſt leonis exuvio indutus, dextera tenens clavam, ſiniſtra anum quandam invadens, cui verbera minitatur.

Apud Jacobum Boiſſardum 3. part. Antiquitatum Romanarum repræſentatur ſub num. 85. ſepulchrum cum raptu Proſerpinæ, quod dicit fuiſſe in Carpenſibus hortis in Quirinali ad ingreſſum vineæ majoris ſub ſtatua Virginis.

Cur autem in tumulis hic raptus exprimeretur, non unica ratio afferri poteſt. Eruditiſſimus Petrus Bellori in notis ad ſepulchrũ Naſoniorum putat ideò expreſſum, quia in funeribus luctus Cereris genitricis Proſerpinæ; & lacrimę Sociarum exprimebantur, Diodorus autem Siculus apud Giraldum docet Plutonem fuiſſe dictum Regem mortuorum, quia primus ille invenerit ſepulturas, & exequias, cum antea cadavera ſine ullo cultu paſſim ſepelirentur, aut etiam inhumata relinquerentur, ex quo fit ut in mortuos crederetur exercere principatum; & ideò dicitur *Quietalis* apud Feſtum, quòd morte quietem cunctis afferat; Hac de cauſa Parcas illum compellantes induxit Claudianus.

——— O maximè noctis
Arbitrer, umbrarumque potens, cui noſtra laborant
Stamina, qui finem cunctis, & ſemina præbes
Naſcendique vices alterna morte rependis,
Qui vitam lethumque regis; nam quidquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi certis ambagibus ævi.

At etiamſi veterum de Diis fabularum futilitatem ridere debeamus (nam in iis quas unicuique confingere pro arbitratu votoque fas erat, in diſcrepantias ſæpè prolabebantur, in deliramentis tamen aliqua veritas latebat, qua nos etiam erudiri poſſemus. D. enim Auguſtinus 7. de Civit. Dei cap. 20. ait Proſerpinam ſignificare fœcunditatem ſeminum, quæ cum defuiſſet quodam tempore, eademque ſterilitate terra mæreret, exortam eſſe opinionem, quòd filiam Cereris, ideſt ipſam fœcunditatem, quæ a Proſerpina dicta eſſet, Orcus abſtulerat, & apud Inferos detinuerat; idem quoque cap. 24. dictam aſſerit Terram quandoque Proſerpinam, quòd ex ea proſerpant fruges. Sic etiam aliqui apud Varronem lib. 4. de lingua latina, & Arnobius lib. 3. adverſus Gentes, *eò quòd fata in lucem proſerpant, cognominatam eſſe Proſerpinam.*

Hanc ſignificationem eruditè expoſuit Hieronymus Alexander Junior explicans Zonam antiquæ ſtatuæ ad Paulum Gualdum Archipreſbyterum Patavinum, in qua Raptus Proſerpinæ cernebatur, comiteſque ejuſdem ſollicitæ, & mater cum lampadibus illam perquirens. Pluto (ait) quadriga vectus pro ſole capi poteſt, cui quadrigam Veteres tribuerunt, ſeu pro ſolari virtute, qua ex agricultura fructuum percipimus. Verùm Pluto Sol inferus cenſendus eſt, de quo Macrobius 1. Saturn. cap. 19. *Inferi autem nomen Soli datur, quum in inferiori hemiſphærio, ideſt hyemalibus ſignis curſum ſuum peragit; Superi, quum partem Zodiaci ambit æſtivam.* Hibernus itaque Sol Proſerpinam rapuiſſe dicitur, quia hibernis menſibus ſemina ſub terris latent, ac ſolari vi foventur, ut ſuo tempore in herbas erumpant; nam Proſerpina, quam vel fruges ajebant eſſe, vel aridorum ſeminum virtutem, tunc ad lucem reduci, & reviſere matrem dicebatur; quo ſenſu Orpheus in hymnis ſic tempora alloquitur:

Proſerpinæ Colluſores, quando Parcæ illam
Et Gratiæ circularibus choris ad lucẽ reducunt,
Jovi gratificantes, & matri fructuum datrici.

nam quod innuit Parcarum opus eſſe fructus in apertum educendi, etymon Varronis in mentem revocat, ajentis: *Parcas à pariendo dictas*, ut eſt apud A. Gellim lib. 13. cap. 17. Porrò quam intulimus ſignificationem ejuſdem raptus, claris verbis a Porphyrio traditur apud Euſebium de Præparat. Evangel. lib. 3. cap. 3. *Quoniam verò* (inquit) *Virtus eſt quædam projectorum humi ſeminum, illam ſubtrahit Sol ſub hemiſphærium currens hyemali tempore. Proſerpina quidem Virtus illa ſeminum: Pluto verò Sol eſt terram ſubiens atque occultum percurrens orbem, atque idcirco raptam ab eo Proſerpinam dicunt, quam ſub terra latentem Ceres quæritat. nec abludit Phurnutus quum ait, Rapuiſſe fertur Pluto Cereris filiam, quia frugum ſemina ad aliquod tempus terra occultantur.* Sic Arnobius lib. 1. ex Gentilium fabulis: *Ille qui raptam a Dite Proſerpinam dicit, non ut reris, in turpiſſimos appetitus Virginem dicit raptam, ſed quia glebis occulimus ſemina, iviſſe ſub terras Deam, & cum orco ſignificat fœdera genitalis conciliare fœturæ.*

Nec verò me latet aut inferiorem hunc aerem, aut terrenam vim per Plutonem apud quoſdam Mythologos ſignificari, verùm quamcunque virtutem, quam terra obtinet, aut Aer, ad progenerandas fruges, eam præcipuè a Sole haurit, qui primus eſt Naturæ Satelles, & mundi temperatio, ut ajebant Cicero. Is enim vivifi-

vifico ſuo calore ſub terras immiſſo ac hyemali frigore circa ſemina compreſſo, vires præbet ad germinandum; videtur enim Sol non ea tantùm quæ ſuper terram, ſed & quæ ſub terra ſunt, uberiora melioraque reddere, inquit Theophraſtus lib. 3. de cauſis Plant. cap. 4. quare concinne hiberno Soli Plutoni fecere nomen, quòd teſte Platone in Cratylo a divitiis deductum eſt, ut & Ditis apud Latinos. Cicero 2. de nat. Deor. *Terrena autem vis omnis, atque natura Diti Patri dedicata eſt, qui Dis apud Græcos Pluton, quia & recidant omnia in terras, & oriantur è terris.* Idem Porphyrius, quo magis demonſtrat Plutonis figmentum ad Solem pertinere, ita loquitur de cerbero tricipiti: *Haud enim a morte vocatus eſt, quòd defunctorum animos poſſideat ad vorandum, ſed a concipiendo, ſeu generando, cujus rei Pluto elargitor eſt, quum Proſerpinam rapit.*

Sed omiſſis hiſce fabularum commentis ſaniori mente philoſophantur Quamplurimi, dum in admirabili temporum viciſſitudine, & certis naturæ legibus ſeminum, ac plantarum germinatione immortalitatē Animæ recognoſcunt, quę cum corpus deficiat, & marceſcat, quodammodo ex hac terra decreto inevitabili abripiatur, iterum tamen ad novam vitam efflореſcet. His prænotatis ad reliqua in marmoreo ſarcophago expreſſa gradum faciamus.

In eo videtur Pluto Barbatus ſicut in marmore, quod exhibet Alexander pag. 93. Hibernum enim Solem ſignificat, & hyems eſt quaſi anni ſenectus, ut idem Alexander notat in explicatione Tabulæ Heliacæ. Puellus cernitur alatus; qui cupidinem ſignificat, quem Cicero de Nat. Deor. pennatum appellat, & volantem, quòd ſcilicet: *leves faciat, & amantium cogitationes vagas in modum Avis.* Marmor tamen Aleandri illum exhibet non alatum, ſed elatis manibus faſciam attollentem, aut retortam veſtem, quæ ſupra verticem curvatur in arcum. Equorum ille tenet habenas; nam tantam illi poteſtatem antiqui Poetæ tribuerunt, ut omnes Deos ſpoliatos ſuis inſignibus ab Amore fuiſſe referant; Hanc poteſtatem deſcripſit Orpheus in hymnis cum dixit:

Tu maris, & terræ clarus atque ætheris alti
Sceptra tenes, tu quot ventos Dea parturit alta
Frugifera, aut Pontus tumidus vel Tartarus ipſe
Et regis, & cuncta flectis moderamine ſolus.

Quatuor fingitur equis vehi Proſerpina, cum totidem menſium tempore ad inferiora creſcant frugum radices in ea ſignificatarum. Sic Claudianus in primo lib. de raptu Proſerpinæ equorum nomina expreſſit:

Orpheus crudele micans Æthonque ſagitta
Ocior, & ſtygii crudelis gloria Nyctei
Armenti Ditiſque ſignatus Alaſtor.

Erant illi ſicut, & currus nigro colore; ita Ovidius in 5. Metam.

Hanc metuens cladem tenebroſa ſede tyrannus
Exierat, curruque atrorum invectus equorum
Ambibat ſiculæ cautus fundamina terræ.

Finxerunt enim Proſerpinæ raptum eveniſſe in Sicilia propè Urbem, quam Strabo lib. 7. nominat *Valentiam*, in loco amœniſſimo ſitam, ubi florentiſſima erant Prata; ad indicandum ejus inſulæ fertilitatem; ad quam refert etiam Natalis Comes in ſua Mythologia florum copiam, in quibus colligendis occupata erat Proſerpina, quando a Plutone rapta fuit.

Ob eandem rationem flores expreſſos fuiſſe a ſculptore in noſtro marmore mihi ſuadeo. Inter multiplices verò flores, quibus illud exornatur, duplex malum punicum in oppoſitis lateribus cernitur, quo clariùs fabula Proſerpinæ exponitur. Finxerunt enim Jovem roganti Cereri Proſerpinæ matri pro filia, & temeritatem fratris Plutonis accuſanti, promiſiſſe ſe facturum, ut filia ipſi reſtitueretur, ſi ea conditione ad eam capiendam accederet, ut nihil eorum guſtaret, quæ forent apud Inferos. Verùm cùm illa triagrana, vel ſeptem, ut alii dicunt, mali punici ediſſet, indice Aſcalapho filiam liberam educere omnino non potuit. Hæc omnia docuit Ovidius lib. 5. Metam. fab. 8.

Non ita fata ſinunt; quoniam jejunia Virgo
Solverat, & cultis dum ſimplex errat in hortis
Puniceum curva decerpſerat arbore pomum,
Sumptaque pallenti ſeptem de cortice grana
Preſſerat, ore ſuo; ſoluſque ex omnibus illud
Aſcalaphus vidit &c.

Inſuper eadem oppoſita latera duplex lauri ramos exornat: quo proculdubio ramus ille indicatur, de quo Virgilius lib. 6. Æneid. verſ. 139. cecinit.

—— Latet arbore opaca
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus Sacer: hunc tegit omnis
Lucus & obſcuris claudunt convallibus umbræ
Sed non ante datur telluris aperta ſubire
Auricomos, quàm quis decerpſerit arbore fœtus.
Hoc tibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit; primo avulſo non deficit alter
Aureus & ſimili frondeſcit Virga metallo.

Quod ſi hunc ramum ex arbore lauri decerptum in fabulis non affirmari aliquis dicat; illum tamen ejuſmodi fuiſſe argumento eſt, quod arbor illa Lunæ ſacra fuerit, quæ eadem eſt ac Juno, & Proſerpina. Quamobrem Natalis Comes libro 4. Myth. agens de Apolline hæc habet: *Laurus Apollinis convenit Naturæ, cum arbor ſit natura calida, cujus folia, & fructus ſiccant, & cale-*

calefaciunt vehementer, ut ait Ætius in lib. prim. Hæc eadem causa fuit cur Lunæ simulacrum laureum ramum teneret, per quem calorem una cum lumine illam à Sole accipere significabant, ut sensit Ptolemæus in Almagesto. Confirmatur ex natura ipsius arboris, cujus folia semper virescunt, nec unquam senex apparet.

Frons denique hujus sepulchralis Urnæ areolam præfert nullo titulo, seu inscriptione insignitam, quod mirum fortasse videbitur, cum non fuerit expressum nomen demortui, vel saltem Deorum Manium, quorum litteræ initiales adeò propriæ sunt sepulchrorum, ut vix sine iis monumenti nomen tueri possis. At licet vera hæc sint, Tumulus quandoque apud Antiquos, licet rarò, sine titulo fuit.

Item loco Deorum Manium insculpebant Antiqui nomen Dei tutelaris, ut notat Thomas Porcacchi, agens de funeribus antiquis: addit-que apud se tumulum esse nomine Dianæ insignitum, alterum Mercurii, atque aliquando ipsorum Deorum imagines aut signa in tumulis esse sine ullo prorsus nomine insculpta; cujus generis noster tumulus censendus est, quem exposuimus.

Secundo loco aliam sepulcralem Urnam exhibemus nullo pariter titulo insignitam, sed ornamentis prout tabula XXVII. demonstrat sub numero primo, scilicet duplici Tripode in anterioribus angulis expresso, duabus aquilis in fronte, & vultu juvenis, quam corona ex lauro circumdat. Quæ omnia Apollini fuisse dicatum hoc sepulchrum apertè demonstrant. Tripodum enim nomine intelliguntur omnia illa instrumenta, quæ tribus insistunt pedibus, propriè tamen erant mensæ in templo Apollinis Delphici, quibus insistens Virgo Pythia vaticinabatur; hinc Apollini Tripodes cum serpentibus sunt dicati.

Tripodem cum intorto serpente descripsit Pausanias in Phoc. eo modo, quo in hoc marmore exhibetur. Commune fuit Græcorum de Plateensi prælio donum Aureus Tripus sustinente æneo dracone. Duo Tripodum genera recenset Athenæus lib. Deipnosoph. unum quo ad aquam calefaciendam utebantur, alterum in quo vinum miscebatur; & cum in vino inesse veritatem affirmarent, Apollini & Baccho consecrabantur Tripodes; illi, ob oraculorum consuetudinem, huic verò quia non mentiuntur ebrii. Quod autem Apollo omnem dubietatis scinderet caliginem, indicare voluit Antiquitas, quando Tripodem ei tribuebant, tres partes temporis, quarum author est Sol, in Apolline expressus. Id Fulgentius videtur innuisse quum ait: Tripum quoque Apollini adjiciunt, quòd Sol, & præterita noverit, & præsentia cernat, & futura visurus sit, & Martianus Capella lib. 8. Ipsa Tripus trini cursus præsagia pollicetur, hoc est extantis, instantis & rapti; Suidas quoque Tripus circa tria tempora vaticinatur, præsens, præteritum, & futurum.

Clariùs quàm Tripode indicatur Apollo in imagine Juvenis in hoc marmore exculpta. Nihil enim frequentius affirmant Mythologi, quàm unum eumdemque cum Sole esse Apollinem, quem ideo adolescentulum fingi solitum dixerunt. quòd Sol (inquit Isidorus 8. origin.) quotidie oriatur, & nova luce nascatur: sive ad innuendam, ut Phurnuto videtur, Solis formositatem, ut enim nihil apparet Sole pulchrius in hac rerum universitate, ita nulla hominis ætas adolescentiam pulchritudine anteit; aut certè quia Solis vis, & calor, unde vitam hauriunt omnia, idem semper est, neque unquam senescit. Sic Hieronymus Aleander Junior, in explicatione tabellæ antiquæ pag. 17. Corona redimitur laurea, & Aquilæ circumstant; nam sicut arborem hanc semper virentem Apollini sacram fuisse Mythologi sciunt, sic etiam Avem illam, quæ unica inter volucres oculorum aciem in Sole defigit, propiusque quàm cæteræ ad illum suo volatu potest accedere.

Cur autem Apollini sepulchrum tale dicatum fuerit, puto ex eo quòd ab illo beatam Vitam tribui posse Ethnici sibi suaserint; sicut Solis virtute omnia, quæ prius marcescunt, ad Vitam revocantur, & efflorescunt.

In operculo ejusdem sepulchri exculpta apparet imago pueri nudi insidentis Pantheræ, quæ velocem cursum simulat. Ab eo procul dubio Bacchus indicatur, cum illi Panthera comes tribuatur teste Philostrato lib. imag. Ea de causa, inquit Oppianus lib. 4. de Venat. quod illa vino gaudeat, vel ad indicandum efferatas mentes temperato vini usu mulceri. Thyrsum insuper manu gerit; nam eidem ejusque sequacibus thyrsum ideo datum esse scripsit Phornutus, quod ebriorum pedes suum officium difficiliter peragant. Si fortè quæras cur decurrentis instar expressus fuerit in hoc marmore, dicam fortasse ad indicandum Vitæ cursum; Antiqui enim Athenienses referente Plutarcho Apoteph. Diei raptum mortem præcipuè immaturam appellabant.

Tertio loco se offert in eadem Tabula sub numero 2. quadratum sepulcrum cum inscriptione:

D. M.

D. M.
JULIÆ EUC. DIAE. FLAVIÆ
NAIS COGNATA ET JULIA RESTITUTA
LIB. PATRONÆ B. ME. H. M. D. M. A.B.
QUAM SIC LEGENDAM PUTO.

Diis Manibus. Juliæ Eucheriæ Diæ Flaviæ Nais Cognata, & Julia Restituta Liberta Patronæ Benemerenti hoc monumentum dicarunt mœrentes Animæ bonæ.

Huic inscriptioni imminet corona duplici fascia circumligata juxta morem antiquorum, qui ejusmodi coronas sæpissimè in sepulchris insculpebant. Illum referunt plurimi, inter quos Clemens Alexandrinus lib. 2. cap. 8. Stromatum ajens; remotæ servitutis signum est corona, quare ea, & mortuos coronant. Hac de causa Veteres mortuos suos, & sepulchra coronabant, significantes, eos ex Victoria sæculi evasisse. Etiam Plinius id docet lib. 21. cap. 3. Tunc coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum ac sepulchrorum, & Manium.

Fiebant autem hæ coronæ ex omnigenis floribus, ut est apud Sophoclem in Electra, interprete Georgio Ratallero.

——— *ut accessi ad patris*
Tumulum, repletos lacte rivos conspicor
Fuso receus, variisque bustum floseulis
Hinc inde conspersum undique.

Thomas Porcacchi de Funeribus Antiquorum tab. 3. pag. 15. refert hujusmodi coronas, quæ tumulis imponebantur, fasciis fuisse circumligatas laneis, & discoloribus, quas *Lemniscos* Festus, & Plinius vocarunt, earum pars magna hinc inde dependebat. Eas Plutarchus in vita Philopæmenis *Tænias* vocavit, sicut & Varro libro 6. de Lingua Latina.

Non omittendus est titulus, qui frequentissimus legitur in sepulchris Antiquorum, scilicet *Diis Manibus*. Gentes enim, quæ Dei verbum non audiverunt, etiam docuerunt Animas mortuorum post obitum ad Inferos ferri, & a Plutone Infernorum Deo, (ut ipsi opinabantur,) tradi severissimis judicibus Minoi, Rhadamantho, & Æaco, qui incorrupta trutina omnium anteactam vitam trutinabant, nullaque ratione habita status, conditionis, dignitatis sexus, aut ætatis, de omnibus incorruptam ferrent sententiam; sontes, & noxios pœnis atrocibus pro magnitudine delicti adjudicabant, alios rotis, alios vulturibus, alios Eumenidibus furiis conscindendos flagellis, alios vadis Cocyti, & Phlegetontis flamma, & sulphure stagnantibus immergendos præcipiebant, donec Orci vindictæ satisfactum esset, Boni verò, & Dei cultores, quique per Virturem Vitam transegere, ad beatam, & æternam felicitatem transferebantur ad Elysios campo, ubi flumen Lethes proni adibant, & de eo potabant, ut inde laborum, & malorum vitæ præteritæ oblivionem conciperent, & ad loca destinata, & beatorum consortia reciperentur. At cum incertum esset quomodo quisque exciperetur ad Inferos, viventes omnem movebant lapidem, ut defunctorum necessitatibus providerent, tam legitima sepulturara, quàm precibus, & sacrificiis, quibus Deum placari, & clementem reddi judicabant: Hoc ante omnia procurantes, ut Animabus Defunctorum Deos Manes propitius, & faventes redderent. Ideoque illos ut plurimum invocabant, inscriptionibus tumulo appositis. Dixi, ut plurimum; nam aliquando, (ut in superiori sepulchro vidimus) Deum aliquem tutelarem invocabant; eique sepulchra dicabant, ejus nomine inscripto, ut in pluribus apparet, apud Porcacchium, Gruterum, aliosque: scilicet *Genio, Soli invicto, Herculi defensori, Opi divinæ, Fortunæ Primigeniæ &c.*

In Tabula XXVIII. Sepulchrum marmoreum damus cum inscriptione.

D. M.
CORNELIÆ TABAIDI FRATR. F.
hoc est, FRATER FECIT.

Ornamentis exornatur pulcherrimis; Angulos enim contegunt quatuor Larvæ quæ Barbaris, teste Plauto num. 24. *Masœha* dicuntur. In fronte Ederæ arbor baccis onusta circumserpit, quas volucres arripiunt. In oppositis lateribus bini sunt cuniculi Vuas in canistro positas depascentes. Quid autem hæc omnia significent; utcunque potero conjecturis indicabo. Et primùm præmitto Sepulchrum tale Baccho dicatum esse me existimare. Bacchanalia enim, Silenorum, & lusus scenæ fuerunt dedicati Baccho, qui fuit eorum author: unde in Sacris ejus Dei, & circa ejus statuam suspendebantur larvæ comicæ, & ridiculæ rusticorum Numinum, ut narrat Callixenus Rhodius apud Athenæum. Fuerunt etiam larvæ propriæ Comediæ latinæ, ubi usitatissimæ in personis comicis. Sunt tamen qui scribunt, referente Kirchmanno lib. 1. cap. 9. si casu deformiori esset oris specie cadaver, larvis faciem obduci solitam; unde larvata funera dicta sunt: Hanc meam opinionem hedera in tumulo expressa confirmat; Baccho enim hæc arbor fuit Sacra. Edera apud Ægyptios planta Osiridis vocabatur, quare Thyrsos, & Ederas in Osiridis solemnitatibus memorat Apulejus lib. 11. Metam. Osiris autem idem habebatur cum Dionisio, sive Baccho. Quod si Bacchus idem est ac Apollo seu Sol, ipsa Edera, quæ modò alba

dici-

dicitur modò nigra, diem fortaſſe, & noctem indicat. Si verò Apollo Vates, ſimiliter & Bacchus fuit, ut Macrobius docet. Poetis autem coronas ex hœdera dari quis neſcit? *Hœdera coronantur Poetæ*, inquit Servius ad 7. Virgil. Eglog. *quaſi Libero conſecrati, qui etiam ut Bacchæ inſaniunt, vel quòd ſemper virent Hœderæ, ſicut carmina æternitatem merentur.*

Clarius Vuæ in caniſtris congeſtæ idem explicant, quas Baccho ſacras fuiſſe nullus ignorat. Ad productionem enim earum veluti primariis inſtrumentis Natura utitur Sole, & Luna, adjuvante eam, altero per calorem, altera per humorem; hinc eſt ut duo illi planetę adumbrentur per Vuas, & ſpicas, & Sol intelligatur per Bacchum, & Luna per Cererem: ſicuti colligit Macrobius, qui largè diſſerit de horum Deorum naturis; & Virgilius in Georgicis, cum invocans Solem, & Lunam, non aliis appellationibus eos nominat quàm Bacchi, & Cereris.

——— *Vos, ò clariſſima mundi*
Lumina, labentem Cœlo, quæ ducitis annum,
Liber; & Alma Ceres. ———

Vuas etiam, cum eas ad maturitatem ætatis referendas doceat Horatius, & Urna inſervierit Corneliæ cineribus, conjectura eſt, nubiles ejus annos fuiſſe, & ad conjugium maturos, id quod ex alio Sarcophago marmoreo deduxit Begerus tom. 3. pag. 468.

Eas cuniculi devorant, antequam in vinum comprimantur, ad indicandam Mortis voracitatem, quæ nulli parcens, ſæpe non permittit multorum ætatem expleri, & ob id quamplurimis Antiquorum ſepulchris hoc ſymbolum exculptum cernitur, & præſertim apud Boiſſardum lib. 3. Antiq. Roman. num. 87.

In Paſſeribus baccas hederæ depaſcentibus hoc idem exprimitur. Sicuti in duobus aliis, qui Papilionem dilacerant. Illorum enim proprium eſt, inquit Geſnerus in Paſſere, *Muſcas, & Papiliones venari*. In Papilione autem ſymbolum fuiſſe Animæ docuit Sponius in Miſcell. Erudit. quæ credatur per os reddi; unde Homerus Iliad. 9. dixit Animam, poſtquam efflata eſt, vel ſeptum dentium tranſivit, remeare nequaquam poſſe; ſed ſanius philoſophantur alii, qui aſſerunt in Papilione ſymbolum eſſe immortalitatis animæ humanæ; nam ex proprio ſemine Papilio naſcitur, & in Imagine Pſyches animam intellexerunt, quam ſic fingebant amore correptam, ut alia Anima aliam complecteretur alis Papilionis predita, ut videtur in multis marmoribus & gemmis antiquis apud Auguſtinum & alios. Adde Papilionem eſſe naturæ aereæ, ſic, ut aeri, & vento fuerit comparatus, & exiſtimatus ipſa anima: unde a Virgilio dicitur, *par levibus ventis*. Hinc *expirare* Anima dicitur cum a corpore ſeparatur.

Antequam ab hoc tumulo diſcedamus, in quo Hędera expreſſa eſt, revocandum eſt in mentem, quod narrat Guilielmus Durandi in Rational. lib. 7. cap. 3. num. 38. ſcilicet hæderam vel Laurum, & hujuſmodi, quæ ſemper ſervant virorem, in ſepulchris quoque Chriſtianorum corpori olim ſubſterni, ad ſignificandum, quòd qui moriuntur in Chriſto vivere non deſinent. nam licet mundo moriantur ſecundum corpus, ſecundum tamen animum vivunt, & reviviſcunt Deo. Aliam tamen ſignificationem habebat in funeribus Ethnicorum cupreſſus, quia videlicet, ſicut cupreſſus cæſa non iterum ſurculos emittit, ſed tota moritur, ita homo mortuus non reviviſcit. At a nobis damnandus eſt talis error, qui fidei Chriſtianæ contraria, & veraciſſima documenta edocti ſumus.

Num. 1. Tabula XXIX. indicat Sarcophagum quadrata forma abſolutum in marmore, cujus angulis columelæ adhærent, inter quas frons anterior hanc inſcriptionem oſtentat. D. M. P. MATTIO HERMETI SANI FLAVIA, SPE COJUGI, B. M. FECIT. ideſt *Publio Mattio Cojugi benemerenti*.

In qua notanda eſt dictio illa *Coiugi Spe*. Conjux enim interdum dicitur, non quæ eſt, ſed quæ fore ſperatur, ut docet Servius, quare Virgilius Eglog. 4. *Conjugis indigno Niſæ deceptus amore*. Inſuper dicitur *Coiugi*, non *Coniugi*. Varie enim uſurpata hæc dictio apud Antiquos reperitur; Priſcianus per N ante X ſcribit, & ſicuti modò *Coniux* modò *Coniunx* ſcripſerunt Veteres, ita pariter in multis antiquis inſcriptionibus ſepulchralibus *Coniugi*, & *Coiugi* legimus; niſi velimus dicere, quòd cum ſæpè ſcriptum eſt *Coniugi* cum apice ſignificante litteram N. hanc litteram in noſtra inſcriptione ſculptor indoctus omiſerit. Notat eruditiſſimus Raphael Fabrettus in explicatione Inſcriptionum antiquarum cap. 4. pag. 298. *Coniugem* quamvis de Uxore ſemper, de Viro nuſquam dixerit Cicero, in inſcriptionibus tamen, ſicut & apud Poetas, frequentius *Coniux* ſeu *Coniunx*, aut *Coiux*, ut in noſtra inſcriptione, pro *marito* nominari, nec ſine proprietate, nam ait Feſtis in verbo *Iuges*, *Coniuges* dicuntur, tanquam ejuſdem Jugi pares, quod propterea æque Viro ac mulieri convenit. Maritus verò (ut ait idem Fabrettus) quamvis a mare quaſi mas dictus juxta Iſidorum, ad uxores quoque in Inſcriptionibus pertinet, quæ *maritæ* vocari non ſemel ſolent, tum apud Gruterum, tum apud ipſum Fabrettum, ſicuti Inſcriptio docet, quæ eſt in Horto apud templum D. Agnetis.

D. M. LICINIÆ ACTE C. ATILLIUS SEVERINUS MARITAE OPTIMAE.

In operculo ejuſdem Urnulæ roſæ ſunt expreſſæ, & in lateribus folia herbæ quæ lotos dicitur: in quibus mos antiquorum indicatur exornandi ſepulchra floribus, & corrollis; ut ſupra indicavimus. Inter eas autem Roſarum, rubrarum præcipuè, longè major uſus, ſeu quòd concolores ſanguini, quo mortuos delectari arbitrarentur, ſeu quòd apud Ægyptios roſa præ cæteris floribus humanæ Vitæ brevitatem exprimebat, juxta documentum Pierii Valeriani Hierogl. lib. 45. tit. Roſa. Immortalitatis verò Roſam eſſe ſymbolum non nemo dixit, quòd etiam mortuæ, & marcidæ ſuavis odor inſit; Eam ob rem teſtamentis invenitur legata pecunia, & mercedes annuæ, ut quotannis roſæ deferrentur ad tumulos, & ſupra monumenta ſpargerentur; quod ex variis inſcriptionibus conſtat apud Gruterũ & alios; ſic in Epitaphio Eutychetis Aurigę.

Sparge precor flores, ſupra mea buſta Viator.

& præſertim de roſis mentionem fecit Anacreon.

Medicatur hæc & ægris
Defendit hæc ſepultos.

Non prætermittendum fuiſſe roſis admixtos albę lanæ flocculos referente Pomey pag. 110. in Libitina, ut vanitatis humanæ vitæ indices, leviſſimis futuros ludibrio ventis.

SUb num. 2. Sarcophagum marmoreum exhibemus rotundum ſine operculo inter rudera repertum, mole quidem parvum, ſed optimo ſcalpro fabrefactum. Quadratam lamellam in fronte oſtentat cum hac inſcriptione:

D. M. TROPHIMI B. M.

Hinc inde duo infantes aligeri adſtant mœrorem, & lacrymas indicantes, tædis innixi, accenſis quidem, ſed inverſis erga tellurem, ut nimio cæræ effluxu extinguantur; quæ omnia demortuum infantem ſignificare autumo. Pueri adſtantes illum deplorare videntur, quòd funere crudeli extinctum, & veluti ſocium ſibi ereptum videant. *Crudeli* enim *funere extingui* Virgilius aſſeruit Eglog. 5. cum in tenera ætate aliquis morte eripitur, ideo deflendus; *At optabile eſſe homini ſuo tempore extingui* affirmavit Cicero de ſenectute 78. Inſuper quòd faces inverſæ puerum demortuum indicent, ex Ciceronis ſententia deduco. Ait enim ille de ſenect. 65. *Adoleſcentes mori ſic mihi videntur, ut quum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur, Senex autem ſua ſponte, nulla adhibita, ut conſumptus ignis extinguitur*, quæ formula loquendi æquè convenit homini mortuo ac flammæ ſic apud Ovidium 7. Metamor. *Flamma extincta revixit*, & apud Virgilium Egl. 5. *homo dicitur funere crudeli extinctus*. Cœterum lacrymæ adeo notæ ſunt in funere, ut ſupervacaneum ſit de illis verbum ullum facere.

Namque hæc ſola manent miſeros ſolatia mortis
Et tondere comas, & lacrymis reſpergere vultus.

ait Homerus in Odyſſ. Uſum etiam facularum funebrium frequentiſſimum fuiſſe apud Antiquos apparet in hoc ſepulchro, præcipuè in acerbis funeribus, ut notat inter alios Joannes Kirchmannus de Funer. lib. 2. cap. 3. qualia ſunt funera puerorum, & adoleſcentum, quod clariſſimus Lipſius ad Tacitum indicavit auctoritate Senecæ. Sic enim ille de Tranquill. cap. 11. *Toties in vicinia mea conclamatum eſt, toties præter limen immaturas exequias fax cereuſque præceſſit*, & de brevit. Vitæ cap. ult. *At me hercule iſtorum funera tanquam minimum vixerint, ad faces cereoſque ducenda ſunt.*

DUplici roſa exornatum vides operculũ ſepulchri in tabula eadem ſub n. 3. delineatum, hoc annum effoſſum in vinea D. Mariæ Iſabellæ Moronæ apud viam Appiam a porta Capena parum diſtante: ejus inſcriptio eſt:

D. M.
AULIÆ
EUTYCHIAE
VIXIT ANNIS XVIIII.
A. ACUDIUS CERDO
LIBERTAE BENEMERENTI
POSUIT.

Fœminæ caput anaglypto opere expreſſum in eodem operculo eminet, in quo Auliæ Eutychię vultum an Sculptor ad vivum expreſſerit, poteſt dubitari; expreſſiſſe tamen Capillorum ornatum, quo tunc temporis mulieres utebantur, non eſt dubitandum; ſcilicet capillos criſpatos calamiſtro, ut ait Servius ad Virgilii locum: *criſpatos calidoferro*, nam calamiſtrum erat acus major, quæ calefacta, & adhibita intorquebat capillos. Hi tali arte flexi annulos, & nodos quodammodo exprimunt, ideo Martialis: *Illa etiam flexos, qui digerit ordine crines*. alicubi memini me legiſſe comam comptam gradulatim. Maximianus qui vixit ætate Boetii in libro Elegiarum.

Grande erat inflexos gradibus numerare capillos.

aliter tamen gradus dicuntur in capillorum compoſitione, aliter annuli: inflexio enim ipſa, & criſpatio capillorum nexiles annulorum orbes imitabatur. Comæ tamen ſic annulatim criſpatæ non etiam confuſæ, & turbatæ, & indiſcriminatim temereque implexæ habebantur, ſed per gradus quoſdam poſitæ, & ordine digeſtæ, ita ut unaquæque annulorum ſeries ſtationem quaſi ſuam ſeryaret, & gradatim alveolatimque alia

ſuper aliam ſcanderet. Latini in his exprimendis *ordinem*, *ſtationem*, & *gradus* ſolent uſurpare. Ovidius *Crines in ordine ponere*, & in *ſtatione*. Quintilianus gradus, & annulos junctim poſuit Manilius; in *fluctum crines ponere*, eleganter, nam illa crinium per annulos inflexio, & per gradus digeſtio fluctuum modo, ſe invicem ſe propellentium, undulatos intortoſque motus plane refert, inde Ovidius:

Suſtineat ſimiles fluctibus illa ſinus;

tum alibi *Sinus* vocat annulum illum, & nodum tortilem inflexi capilli.

Quum ſo præbuerant ferro patienter & igni
Ut fieret torto nexilis orbe ſinus.

Noſtri tumuli imago tali modo crines criſpatos triplici ordine ſupra frontem circũductos tenet. Galerum, & vaginam capitis, & operculum verticis vocavit Tertullianus lib. de cultu Fœminarum ejuſmodi capillorum diſpoſitionem: & Juvenalis Satira 6. de eodem ornatu loquens ait:

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput ——

Præter hunc antiquiſſimum capillamenti ornatum, quem præfert expoſitum marmor, operculum ſuſtinet eruditum. foſſam enim rotundam habet ſcutellæ inter ſcalpro efformatam, in centro cujus foramen ineſt, per quod lacrimæ ſeu liquores alii in cineres ſubjectos effluebant, cum ſtatutis diebus cognati mortuorum parentabant. Tali autem foſſulæ aliud marmoreum operculum aptè illi cohærens ſuperponitur, ut imbrem excludat.

ALia duo cinerum ſepulchra exhibentur ſub num. 1. & 2. Tabulæ XXX. ſepulchri n. 2. latera Paraſtatæ exornant, inter quas hæc patet Inſcriptio.

D. M.
J. FLAVIO SECUNDO AUSCIA SECUNDA COJUGI SUO BENEMERENTI FECIT.

In altero verò ſub numero primo, hæc verba leguntur.

D. M.
ARVNTIA CYRILLA TACCIO AGATHINO CONJUGI B. M. FECIT.

Sunt claræ ambæ inſcriptiones, nec indigent explicatione. Notandum tamen eſt, utrumque tumulum ab uxoribus Viris ſuis demortuis fuiſſe poſitum. In utroque etiam maritum nominari *Conjugem*, quam mutuam verbi *Conjux* ſignificationem, tam fœminæ quam Viro convenire in inſcriptionibus Superioribus indicavimus.

SEquuntur in Tab. XXXI. duo Sarcophagi figura rotunda fabrefacti ex marmore cũ operculis pariter rotundis, & in conum efformatis. Alteri eorum caput inſculptum eſt pueri, in quo procul dubio facies demortui exprimitur, cui nomen fuit *MELITO*, ut docet Inſcriptio *D. M. MELITONI*. In altero ſuperſtat pomum, quod Cyaneum exprimit, illudque exornant frondes undequaque dependentes. Hoc fructu, qui ſolet immaturus ab arbore divelli, mihi ſuadeo indicatum fuiſſe, ex hac vita abreptos in tenera ætate duos filios Vrbanum, & Celerem, quorum cineres ibi fuerunt conditi, ut inſcriptio ſubjecta indicat.

D. M.
MUNNIORUM URBANI, ET CELERIS MUNNIUS FLACCUS PATER FILIIS B.M.

Ideſt *Benemerentibus*.

Quod in hoc duplici Sarcophago cineres conditi ſuerint, ambigendum non eſt, & quidem puerorum, in tenera ætate ex hac vita abreptorum, non tamen infantium. Nam etiamſi referente Tacito 13. Annal. apud Gutherium de Jure Manium lib. 1. cap. 29. Laudari aut pompa efferri ante pubertatem inſtituto majorum non licuit, qui acerba funera oculis ſubtrahebant; crematio tamen ex more gentium inſtituta fuit, poſt genitum dentem, atque etiam huic teneræ ætati Romæ datæ fuerunt inferiæ.

Notandum præterea eſt illa ex eo genere eſſe, quæ Fulgentius de Priſc. ſerm. Verbo *Suggrund.* apud Libitinam Pomey pag. 62. ait vocata fuiſſe *Suggrundaria*, eaque ut plurimum fuiſſe lactentium infantium, eò quòd non ſub terra humarentur, ſed in Vrnulis, & ſimilibus vaſculis condita eorum oſſa, ſub ipſis ſuggrundiis locarentur: eam ob cauſam coni formam habuiſſe dicerem, ut aqua è cœlo, & ſuggrundiis decidens in terram facilè defluereret; niſi quamplurima reperirentur in eandem formam conſtructa, quæ Virorum etiam cineres continuerunt, in ſubterraneis cellis collocata.

Ejuſmodi ſunt duo quæ hic ſubjicimus numero 3. & 4. in eadem tabula mole quidem parva, ſed elegantia. Primum ſtriis in marmore efformatis exornatum; caret tamen operculo, & inſcriptionem talem oſtentat.

D. M.
L. PETRONIO
AMERINO PETRONIA
AURELIANAE
FILIA PIISSIMA PATRI
B. M. F.

hoc est *Benemerenti fecit*.

In secundo autem legitur.

DIS. MAN.
CLODIAE. M. ET ꝟL.
FORTUNATAE FECIT
M. CLODIUS TROPHIMUS
CONJUGI BENEMER.

Inscriptiones autem non semper ipsis Urnis incidebantur, sed apponebantur parietibus, tabellis marmoreis inciſæ, præcipuè in sepulchris, quæ columbaria dicebantur. Legatur eruditissimus Fabrettus, qui pag. 9. suarum Inscriptionum ait, Columbariorum nomen a similitudine latibuli columbarum derivari, in quo illæ nidificant: In iis frequentius duplices ollæ in unoquoque columbario recipiebantur, quàm unica. Talia loculamenta fuisse etiam vocata *Ollaria* colligitur ex inscriptione Gruteri pagina 308. num. 8. sicut etiam, & ædificia, in quibus ollæ, cupæ, & vascula cineraria condebantur appositis inscriptionibus, seu brevibus titulis, quorum numerum non exiguum ex nostro Musæo infra ostendemus. Interim quatuor alia vascula rotunda cum operculo in conum efformato ex albo marmore, sed variato artificio hic subjicimus in Tabula XXXII.

Sequuntur Ollæ fictiles, & Vascula, in quibus cineres, & ossa Pauperum condebantur, forma quidem varia ut Tabula XXXIII. exhibet delineata. Illas, quarum pars inferior in conum, seu pyramidale acumen desinit, rotundum foramen in columbariæ pavimento patens excipiebat: aliæ stratæ humi, vel in loculamenti planitie ponebantur. Plures diversæ figuræ possent exprimi, sed eas tantùm ostendo, quæ in Musæo nostro conspiciuntur. Tales Urnæ non semper parvæ molis erant, licet in iis unici demortui cineres conderentur; sæpe enim arculæ majores seligebantur, & quidem emblematibus aliisque signis exornatæ, præsertim à Viris nobili è stirpe ortis, vel opibus præpotentibus. Duas earum Urnarum partes anteriores ostendam eleganti, & erudito scalpro exornatas in Tabula XXXIV.

Prima est num. 1. indicata. In ea ut vides locum medium obtinet Inscriptio in ancili insculpta his verbis.

D. M.
F. JUNIUS
SEVERIANUS
VIXIT ANNIS
I. I.

Duplex sphingis simulacrum hanc inscriptionem dorso sustinet: scilicet monstri, faciem Virginis habentis, pennas avium, & pedes leoninos. Nota est de his fabula apud Poetas, tale monstrum proposuisse hoc problema Thebanis; *Quod nam esset animal bipes, idemque tripes, & quadruples*: & occidisse eos, qui hoc enigma solvere nequirent: De saxo demum ubi cubabat, se præcipitem dedisse, cum Oedipus ita illud solvit dicens, hominem esse, quia in infantia manibus, & pedibus nitens, quadrupes est, ac in senecture baculo utens tripes est; Re vera Sphinx est animal monstruosum in Æthiopia degens, ut docet Pomey in suo indice, nimirum fusco pilo, mammis in pectore geminis, & homini persimile, nisi quòd pilosum est, & solitudinem colens. Nec mirum illud in hoc sepulchro fuisse expressum; solebant enim Antiqui, referente Aldrovando Ornithol. lib. 10. cap. 1. ad absterrendas sacrilegas furum manus, apponere sæpe figuras Griphorum, aliarumque belluarum.

Eidem inscriptioni manus admovent, ut illam sustineant, duo infantes aligeri, quos comitantur alii quatuor hinc inde dispositi, bellica insignia gerentes. In parte læva duo galeam supra aram rotundam, encarpiis florum exornatam deponunt; Alii verò in dextera Lanceam sibi mutuo arripiunt mærentes, quæ omnia clarissimè demonstrant in tali sepulchro ossa nobilis infantis inclusa fuisse. Docet Rosinus lib. 5. cap. 39. Antiq. Roman. dum cadaver antiquitus efferebatur, Virorum præcipuè illustrium, efferri simul insignia honorum, & munerum, quæ vel ipsi vel eorum Majores gessissent, ut fasces, secures, arma, & dona militaria, coronasque omnis generis. Addit Porcacchius pagina 55. de funeribus, in sepulchris etiam multorum gesta insculpi solita, & munerum insignia, quibus mortuus functus esset in Vita, præcipuè militum, qui pro Patria mortem objissent; Qua de causa Lycurgus in suis legibus Spartanis vetuit, nomina defunctorum sepulchris inscribi, nisi pro patria certantes occubuissent. Confirmat meam opinionem lauri arbor in eodem lapide exculpta, qua certè omnibus indicari voluit, qui sepulchrum extruxit, infantem defunctum triumphales coronas accepturum si vixisset. Infantes demum aligeri, quos Genios vocabant Antiqui, more

græ-

Græcorum expreſſi ſunt, ideſt omni velamine exuti. Romanis enim, referente Polydoro Virgilio lib. 9. cap. 23. ſtatuas velare, e contra Græcis nudas ponere, mos fuit.

IN eadem tabula num. 2. indicatur, frons alterius ſepulchri, in qua extat inſcriptio.

D. M. S.
M. ULPIUS ROMANUS
EQ. R. VIXIT ANNIS XXII.
MENS. II. DIES XVIIII.
M. ULPIUS GEORGUS
LIB. ET HERES
SARCOPHAGUM
POSUIT. CASTA TE
V. DO. BE. COJUGI BE.
NEMERENTI FECIT.

Antequam ad cœtera, quæ in hoc lapide expreſſa ſunt, procedamus, ipſam inſcriptionem attentè perpendamus, & primo legi debere exiſtimo.

DIIS MANIBUS SACRUM
MARCVS ULPIVS ROMANVS
EQVES RECTE VIXIT ANNIS XXII.
MENSES II. DIES XVIIII.
MARCVS VLPIVS GEORGVS
LIBERTVS ET HÆRES
SARCOPHAGVM POSVIT.
CASTA TEVDOBE CONJVGI
BENEMERENTI FECIT.

Lecta inſcriptione imagines inſpiciamus exculptas Virorum, qui compotatione inſtructa, hilariter invicem propinant. Hunc ritum poſt condita cadavera refert Roſinus lib. 5. cap. 39. ſcribens, cum nonnulli eſſent, *qui ſuorum vel Propinquorum, vel amicorum minus deſiderium ferre poſſent, tertium, ſeptimum, nonum, & quidam tricesimum, & quadrageſimum, non ſine quadam numerorum religione dies, defunctorum Manibus, & memoriæ ſtatuebant, unde parentationes, feralia, novendialia, vicennalia, tricennalia &c. originem traxerunt: quæ omnia tum lacte, & vino, tum ſertis, & floribus, tum aliis rebus ab antiquis celebrabantur*. Giraldus autem de vario ſepeliendi ritu hæc addit. Efferebantur, & interdum epulæ dapeſque ad ſepulturam, ubi quoque antiqui epulabantur; unde ſunt apud Auctores *Ferales cœnæ*, *Silicernia*, & *Funerum fercula*, quem morum Chriſtiana lex compeſcuit.

Duplex autem fuit epulum hoc funebre: alterum mortuorum, vivorum alterum. Mortuorum hoc ferè modo colebatur. Ad defuncti buſtum, ſeu ſepulchrum deferebant ferales epulas, quæ leviter deguſtatæ à ductore funeris igne cremabantur; hoc epulum *Silicernium* dicebatur, quaſi *Silicenium*, quod ſuper Silicem, ſeu lapidem ſepulchralem reponerentur fercula, vel quòd teſte Donato, illud Silentes Vmbræ cernerent, ac poſſiderent. His enim animas defunctorum delectari credebant.

Epulum vivorum funebre dici poteſt. Primum ab amicis, & Propinquis ad ſepulchra initum, alterum triduo poſt ſepulturam celebrari ſolitum. Huc circumpotationes, ſeu compotationes revocari poſſunt, quæ condito cadavere inſtituebantur inter amicos poculis, in orbem, ac per manus circumporrectis. Hæc autem pocula, quibus in his epulis utebantur, *Obba* fuiſſe dicta Tertullianus ait in Apologetico. Tertium quaſi publicum populo datum de quo noſter Pomey in Libitina cap. 3.

Mortuorum inſuper epulum dictum fuit *ferale* a ferendis epulis, ut ait Feſtus, ſeu à *ferendis pecudibus*, quas in ſepulchris defunctorum ſuper nuda Silice apponebant. Qui ritus manifeſte patet in pecude in noſtro marmore exculpta, & ſupra menſam depoſita, circa quam Vaſcula ſunt, quæ fortaſſe indicant quidquid in iiſdem feralibus cœnis afferebatur. In iis enim ut narrat Giraldus Syntag. 17. præter legumina apium quoque apponi ſolebat, quòd contra ebrietatem valere exiſtimaretur. Ovidius certè oſtendit feralia res non valdè pretioſas requirere, ita canens.

Eſt honor, & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras
Parva petunt Manes, pietas pro divite grata eſt
Munere: non avidos ſtyx habet ima Deos.
Tegula porrectis ſatis eſt vallata coronis,
Et ſparſæ fruges, parvaque mica ſalis &c.

Ultra hanc feralem cœnam Diis manibus inſtructam, & in pecude ſubjecta expreſſam, Vivorum circumpotatio indicatur. Ex viris enim in marmore exculptis unus eſt, qui amplam Urnam replet liquore, quem minori vaſe alius excipit ad calices implendos, quos cœteri manibus ſuſtinent, vel ori admovent, ut proximis deinde propinent. Liquorem hunc merum fuiſſe Virgilius explicat Aeneid. 5. Loquens de liquore quo in Novendialibus mortui ſepulchrum ſpargebatur.

Hic duo ritè mero libans Carcheſia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacro &c.

Omnes demum, qui expreſſi ſunt, brevi toga induti, nudis pedibus, & capite aperto incedunt. Mos enim erat Romanorum, ut nudis pedibus accumberent, Soleis depoſitis, ut luculentiſſimè probant, Giacconius, Urſinus, Matthæus Raderus in notis ad Martial. lib. 14. ep. 60. & alii.

Ta-

Tabulas insuper marmoreas multi exhibuerunt, ut Balduinus pag. 107. erutas è ruinis Romanæ Urbis, in quibus visuntur pueri calceos detrahentes cænaturis, & nudis pedibus accumbere ipsi convivæ. Nec habent tibialia, quia antiqui iis non utebantur, ut probant multi apud Julium Nigronium cap. 2. num. 9. & seq. & vetustissimę picturæ, quæ omnes exhibent antiquos cruribus nudis, quæ sola toga demissa tegebantur. Patet insuper in Columna Trajani, in qua non modò gregarii milites, sed etiam ipse Imperator, ac principes Viri sine cruralibus visuntur. Imò multos Romanorum, & Græcorum excalceatos omninò incessisse notat idem Nigronius; Sic etiam aliquando Nero Imperator apud Suetonium cap. 51. & Cato senior semper. Philosophus insignis Plato, teste S. Hieronymo ad Matt. 10. præcepit duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere molliciei, caput, & pedes. Sic etiam Lycurgus & alii. Neque verò nuditas pedum indecora erat, ubi erat in usu, quia mos erat non vitium, quod nulla lege vetabatur. Morem verò incedendi capite aperto a Priscis Græcis ad Romanos transisse Eustathius Homeri interpres dissertim dixit, relatus a Kirchmanno de funeribus lib. 7. cap. 16. sed de hoc ritu plura apud Justum Lipsium de Amphitheatro cap. 19. & seq. Brevis autem Toga omnes sunt induti, quæ procul dubio Toga cœnatoria sive convivalis illa est, qua cœnaturi se induere solebant Antiqui, atque etiam ii qui luctus causa atrati erant. De Cœnatoriis Petronius Arbitrer. *Cœnatorias repetimus, & in proximam cellam ducti sumus, in qua tres lecti strati erant.* & Martialis lib. 10.

Pugnorum reus ebrieque noctis
Cœnatoria mittit advocato.

Albas fuisse has vestes deducit Fulvius Ursinus in Appendice ad Triclinium Ciacconii ex Cicerone in Pisonem dicente: *Quis unquam cœnavit atratus?* ac propterea (ait) non solùm Romanos diem festum agentes albatos fuisse in cœnis, sed etiam funebre convivium celebrantes.

Deinde observatione digna est mensa sepulchralis, cui convivæ accumbunt. Est enim instar Arcæ seu feretri, & quidem arcuati, & mappa, ut ex plicis apparet, instrata. In hunc modum fuisse constructas mensas sepulchrales Antiquorum docet Jobus Lodulphus in historia Aethiopica lib. 3. cap. 6. ubi marmoreum produxit monumentum in Cœmetetio Christianorum effossum; atque etiam illas, ubi Christifideles celebrare solebant, non autem planas, & rectas, ut cœteræ mensæ, sed lunares, & sigmatis antiqui C figuram habentes, & Aringus putavit tom. 2. de Roma subterranea lib. 4. pagina 267. Aliud marmor antiquum exhibuit Fulvius Ursinus in appendice ad Triclinium p. 131. in qua ejus generis mensa exculpta apparet, additque illam ex eo quòd formam C litteræ græcæ repræsentaret vocatam esse *Sigma*, sicut *antisigma*, qui ex altera parte ponebatur semicirculus, sive semirotundus suggestus, ita ut circa mensam interpositam integer efficeretur circulus. Denique observatione dignus est Vir ille, qui inter cœteros calicem alteri porrigit. Morem ille suggerit antiquum, quo inter potandum convivæ prægustatum poculum alter alteri porrigebat. Constat ille ex Homero Iliad. 9. & ex Juvenale Sat. 5.

——— *quando propinat*
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula ———————

Quoniam verò de cœnis feralibus, & Epulis funerum dictum est, non erit incongruum hic ostendere diversa Vascula testacea in iis cœnis adhibita, & ad Musæum nostrum translata, ex variis antiquissimis sepulchris, in quibus fercula, & liquores deponebantur. Quod etiam eruditissimus Gutherius de Jure Manium lib. 2. c. 32. indicavit scribens: In sepulchris præterea operis antiqui vascula multa ponebantur, quod uno exemplo comprobatum est. Nam in Colonia Capua, Suet. in Jul. cap. 8. adducti lege Julia Coloni ad extruendas villas sepulchra vetustissima diiecerunt, idque eò studiosius faciebant, quòd aliqua vascula operis antiqui scrutantes reperiebant. Tanti illis temporibus æstimabantur antiqua opera, quorum hodie non solùm pretia jacent, verùm ii etiam, qui illorum amantes sunt, ab ignaris ubique disjecti contemnuntur. Ea in tabula XXXV. expressa vides mole quidem minora: ut vere illa sunt, sed fideliter delineata.

Numerus verò 1. Vas aliud demonstrant operis hetrusci fictile quidem, sed duobus coloribus variegatum, nempè nigro, & carneo albescente, eo modo quo in ære incisum est.

Antequam ad alia transeamus non abs re erit animadvertere Sarcophagos, seu Urnas cinerarias aliquando in sepulchris collocatas reperiri, in quibus nunquam cineres, & ossa demortui deposita fuerunt, licet adjunctam habeant inscriptionem, in ejusdem memoriam appositam. Sœpe enim, cum nec ossa nec cineres peregrè defuncti, puta in bello, haberi poterant; nihilominus Tumulus ipsis excitabatur, quem Græci *Cenotaphion* appellarunt, idest sepulchrum inane, & vacuum. Erat enim re ipsa inane, & cadavere vacuum. Servius *imaginariam sepulturam* vocat, & Capitolinus *funus imaginarium*, quod non mortuo fieret, sed ejus imagini. Servius etiam *honorarium tumulum*: Alii *lapides falsos*,

falſos, & mendaces, ſepulchra *mendacia, & ſurda*, non ita tamen ſurda, ut non audire crederentur mortui, quamvis abſentes, illas inclamantium voces. Evocabant enim Animas, ſeu Manes defunctorum ad inania illa monumenta, ut pacem eis ac quietem conciliarent, mortuum ter appellantes nomine, quaſi eum in patriam deducturi, de quo ita Maro Æneid. 6.

Tunc ego met tumulum Rhetæo in littore inanẽ
Conſtitui, & magna manes ter voce vocavi.

Statius verò Theb. lib. 22.

Nomina quod ſupereſt, vacuis data orba ſepulchris,
Abſenteſque animas ad inania buſta vocatis.

Rectè notat eruditiſſimus La Cerda conſueviſſe Veteres iis quos amabant pluribus in locis imaginarium quemdam tumulum excitare. Inde vetuſtæ marmorum inſcriptiones (quod notavit Alciatus 10. part. cap. 12.) habebant hæc verba *Ob honorem*. Cujus tumuli exemplum eſt apud Homerum Odyſſ. 4. Quum enim audiſſet ex Proteo Meneleus Agamennonis fratris mortem illi ſtatim tumulum excitavit.

Cæterum poſtquam ſedavi iram Deorum immortalium
Aggeſſi Agamennoni tumulum, ut immenſa gloria eſſet.

Qui plura deſiderat de ſepulchris inanibus legat Fortunium Licetum de Gemmis Annularibus pag. 367. &c.

SEpulchrum ex marmore delineatum exponimus in Tab. XXXVI. in cujus fronte hæc verba leguntur.

DIS MANIBUS
L. PASSIENI L. F.
AUGIANI VIX AN. VII.
M. V. DIEB; XVIIII.
L. PASSIENUS
ANTHUS, ET
O FILIA AUGE
FILIO
DULCISSIMO

Subintellige *Poſuerunt L. Paſſienus, & optima Filia Auge*.

Latera hujus ſepulchri duobus ſimulacris exornantur. In altero Mercurius opere anaglypto exculptus eſt, in altero autem Charon cymbam impellens in flumine. Qua de cauſa hæc ſimulacra exculpta fuerint facilè deduci poterit ex ſuperſtitioſa delirantium Ethnicorum Religione. Mos enim erat Argivorum, teſte Plutarcho in Quæſtionibus, ut ſtatim poſt luctum ob mortem Apollini ſacrificarent, triginta verò poſt dies Mercurio Terreno; nam ut a terra Mortuorum corpora, ſic animas a Mercurio ſuſcipi putabant. Mercurium quidem Homerus in Odyſſea, & alii cum Luciano apud Inferos ſtatuerunt; illumque in Cœlo, & apud Inferos poteſtatem habere ſibi ineptè ſuaſerunt. unde Horatius

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, ſuperis Deorum
Gratus, & imis.

& Virgilius in 4. Aeneid.

Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco.

Virgam ſcilicet auream, quam Poetæ referunt illi datam muneris loco ab Apolline.

Charontis verò effigiem oſtentat ſepulchrum, eò quòd ſibi ſuaſerint, Animas, antequam raperentur ad Plutonis Regiam, per fluvios Acherontem, Cocytum, & Phlegetontem tranſvehendas eſſe in navicula, cui Charon præerat, ideſt Senex ſqualidus, & bene barbatus, cujus imaginem expreſſit Virgilius 6. Aeneid.

Portitor has horrẽdus aquas, & flumina ſervat
Terribilis ſqualore Charon, cui plurima mento
Canities inculta jacet, ſtans lumina flamma.
Ipſe ratem conto ſubigit, veliſque miniſtrat
Et ferruginea ſubvectat corpora cymba.

non tamen promiſcue, ſed eorum ſolummodo, quorum corpora ſepulturæ mandata fuerunt: Quippe inſepulti

Centum errant annos, volitant hæc littora circum
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.

Ad quem finem (ut notat Gutherius de Jure Manium cap. 17.) cadavere mortui compoſito in ipſius ore numiſma deponebant, ut eſſet pretium pro vectura navis. Suidas ſcripſit illud vectigal eſſe Charontis ex obulis collectum, qui cum mortuis ſepeliebantur, ut ſua manu de ore illorum ſumeret. Imò Apulejus relatus a Gutherio affirmat duas ſtirpes in ore mortui impoſitas, ut duplicem mercedem Charonti conſtituerent, & poſſent mortui flumen illud remetiri, at *ad cœleſtium ſyderum chorum redire*.

Antequam è ſepulchris diſcedamus; referendæ ſunt Inſcriptiones in ipſis repertæ poſt annum 1700. & ad Muſæum translatas. Innumeras penè dixerim recenſuerunt plures magni nominis Authores eruditiſſimis notis illuſtratas; inter quos Reineſius, Grutherus, Kirchmannus, Boiſardus, Sponius, & demum Abbas Raphael Fabrettus, Noſtras tamen afferemus ut ineditas, unica vel altera excepta, & velut optimum funebris tractationis condimentum, etſi aliquæ fortè reſpuerentur, tanquam vulgares, & nullius pretii, ſed in compoſitione librorum idem ſervandum putarunt nonnulli, quod in epularum apparatu; in quo quod uni non ſapit, explet guſtum alterius. His addendum eſt Inſti-

tutam

tutam a nobis fuisse Musæi descriptionem, cujus membrum non ignobile est Lapidum congeries, in quibus tituli, seu Inscriptiones sepulchrorum incisæ leguntur, & vario quidem charactere variaque dictione efformatæ, ut ætas ferebat, in qua scriptæ fuerunt. Omni enim ætate mos erat apud Antiquos Inscriptiones sepulchris addere, ut vix sine iis monumenti nomen vel memoriæ tueri possint. Ita crebræ, apud Romanos præcipuè; ut etiam puerorum, & servorum, vilium-que hominum sepulchra titulis exornarentur, aliquando soluta oratione concipiebantur hi tituli, interdum versibus. Solebant etiam plerumq ue minio signari, ut clariores essent, & a Viatoribus facilius legi possent; quod differte scripsit Plinius lib. 33. cap. 7. *Minium in voluminibus quoque scriptura usurpatur, clarioresque litteræ, vel in auro, vel in marmore etiam in sepulchris fiunt.*

His plerumque litteris solebant inscriptionum titulos auspicari. D. M. — D. M. S. — vel diserte DIIS MANIBVS — DIIS MANIBUS SACRUM — vel SACRIS; Aliquando D. I. M. hoc est DIIS INFERIS MANIBUS. Manes enim Dii superi atque Inferi dicebantur: aliquando tantùm nomina sepulti enarabant, aliquando addebant nomen, familiam patriam &c. Aetas fuit, in qua authore Platone quatuor versiculorum numerum excedere non debebat Inscriptio, ut transiens Viator facilè perlegeret; Ponebantur enim sepulchra juxta vias publicas, non alia de causa (ait Gutherius lib. 2. cap. 13.) nisi quòd precationem Manes ipsi a prætereuntibus exoptarent; ut tabula marmorea apud Gentilem Delphinium Romæ indicat. *Rogo ne discedas, terram mihi dicas levem*, sed aliis temporibus aliter factitatum, non solum à Græcis, sed a Latinis, & barbaris videmus. Inolevit etiam usus, ut soluta frequentius oratione, quàm carmine epitaphia sepulchris inscriberentur: nec omittendum, quòd Veteres scribendo majusculis dumtaxat characteribus utebantur; ut apparet in marmoribus, & nummis, in quibus nunquam minusculæ reperiuntur: nam hæ postea, ut celerius scriberetur, fuerunt adinventæ. Idem de numeris judicandum esset docet Pancirolus de rebus deperditis tit. 42.

Itaque nostras, quæcunque illæ sint, referemus, in agro Romano detectas, & in Musæum translatas. Primo loco Tabulam marmoream ponimus ex eo genere, quod luculenter describit eruditissimus Fabrettus cap. 2. antiq. Inscript. Non enim est ex iis, quæ titulos ostentabant in parietibus supra ollas affixæ, sed jacentes contegebant Urnas cinerarias, & in iis excavatio quædam erat orbicularis, cum foraminibus, quibus amphoræ inclusæ supponebantur. Hæc foramina pro lachrimis affinium mortui recipiendis aperta fuisse minimè dubitandum esse docet idem Fabrettus, & affert duos versus ex inscriptione Cytharœdis allata a Gruthero:

Et quicunque tuis humor labetur ocellis
Protinus inde meos defluat in cineres.

Asserit etiam idem Author fieri potuisse ut hujusmodi foramina pro libationibus, & parentalibus sacrificiis ad respergendos cineres aliquo liquore inservirent juxta ea, quæ in hanc rem eruditè congessit Kirchmannus lib. 4. cap. 2. ex quo nos pauca delibamus.

Solebant igitur Antiqui defunctis parentare certis quibusdam diebus, quos ferales Novendiales, & Decennales appellabant, de quibus idem Kirchmannus cap. primo. Parentare autem tribus fiebat modis Inferiis, Epulis, & Ludis. De Epulis aliquid innuimus supra. De Ludis agere incongruum hic est. De Inferiis dicamus. Erant hæ sacrificia, quæ constabant liquoribus præcipuè, & victimis. De Liquoribus sic Apulejus. *Diis sacrificatur, Geniis ministratur, Obitis libatione perfunditur.* Liquores autem quos mortuis solebant inferre, erant Aqua, Vinum, Lac, Sanguis, & unguentum. De his plura Kirchmannus, qui ex Mercurio peculiarem ritum refert, ideſt, Aquam illam si vir aut fœmina, e vita excessisset, delatam fuisse a mulieribus, si verò juvenis quispiam aut Virgo, tunc istud munus puer genere proximus exercebat de Vino ait Festus, *in sacris novendialibus, Vino mortui sepulchrum spargebatur.* Lactis, & Sanguinis meminit Virgilius 3. Aeneid.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis, & sacri pateras ———

Sanguis iste sumebatur de Animalibus, quæ Manibus Defunctorum mactari solebant. Aliquando etiam humano sanguine parentabant. De unguentis ita Propertius lib. 3. Eleg.

Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulchrũ
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Atque hinc manifestum est quare in sepulchris Mensæ ponerentur, & Vascula, & foramina, de quibus sermo est, per quæ vel directè vel obliquo cursu lachrymæ defluebant in cinerarium. Adeat curiosus cap. secundum inscriptionum eruditissimi Fabretti, qui varias urnas exponit, in quibus foramina ad talem finem diversimodè dispositа indicantur. Nostri autem lapidis propositi inscriptio est

1

D. M.
L. SABODI PLACIDI
V. A. XC.
ALFENA TRYPHENA
CONJUGI OPTIMO FECIT.

quæ cum clarissima sit nulla indiget explicatione, nisi quod litteris V. A. XC. intelligere debemus *vixisse annos nonaginta* in littera L. Lucii.

2

DUas sequentes inscriptiones tabulæ marmoreæ oblongæ præferunt, in quibus foramina rotunda ad eundem finem procul dubio aperta. Prima est.

DIS MANIBUS
CLAUDIA RINE
VIXIT ANNIS XXXII.
MENSIBUS III.
CLAUDIA EGLECTE
FILIA PIENTISSIMA ET
ONESIMUS PRIMI
CÆSARIS
CONJUGI BENEMERENTI.

Imminet huic inscriptioni Aquila ŏpere anaglypto exculpta, ex qua deduci potest sepulchum sub invocatione Jovis positum fuisse; Jovi enim sacra fuit hæc Avis, ut alibi dictum est. Non omitti debet dictio illa *Pientissima*, quæ sæpe in antiquis inscriptionibus exprimitur, ad indicandam pietatem, & misericordiam erga defunctos vel affines, vel amicos.

3

ALtera inscriptio sic legitur.

D. M.
ALVIÆ
VENUSTÆ
CONJUGI BENE
MERENTI FE
CIT T. COCCEJUS
AMARANTUS ET
M. S. ALVINUS FELIU
FILIUS

4

SEquitur alia inscriptio, quæ non adeo expedite legi potest, ut superior.

D. M.
FL. AUNESI
B. M. F. ULPIA
PRIMA FIL. ET
FL. EUPLO, E A. LIB.
SIBI ET SUIS LIB.
LIB. POSTERISQUE
EORUM
INF. P. V. IN AG. P. VIII.

Hanc ego hoc modo legendam puto. *Flavio Aunesi benemerenti fecit Ulpia Prima filia, & Flavio Epulo ex animo libenti sibi, & suis Libertis Libertabusque posterisque eorum; in fronte pedes V. in agro pedes VIII.* Suspicor enim sepulchrum ejusmodi positum fuisse propè viam in agro aliquo, in quo ejus longitudo esset extensa versus campum pedes octo; frons verò juxta viam pedes quinque latitudinis haberet. Aliam fere similem vide apud Fabrettum pag. 258. numero 88.

5

QUinto loco lapideam Tabulam nuper effossam in agro romano produco, cui similem apud nullum Authorem adhuc recognovi.

DIS MANIBUS
CLAUDIÆ
ANTONIÆ
LIB. LACHNE
PHILIPPUS RUSTIAN.
PVBLICUS AB
SACRARIO
DIVI AUGUSTI
CONJUGI CARISSIMAE
FECIT ET SIBI.

Omnia clarè intelliguntur, at quid denotet vox illa *ab Sacrario Divi Augusti*, attentius est inquirendum. Munus aliquod in Aula D. Augusti exercuisse Philippum Rustianum mihi suadeo; & cum inter munera omnia, quæ in Aula Imperatoris, nullum apud Authores relatum inveniam, quod à *Sacrario* dictum sit, e conjecturis exponam, quale illud esse potuerit. Et primò quidem præmitto multiplicem Sacrarii significationem: potest enim intelligi nomine Sacrarii locus, in quo Augusti Diplomata, &

Scripturæ arcanæ servabantur; sicuti Constantinopoli, referente Bulengero de Imp.Rom.lib.3. cap. 9. fuit *Secretum privatarum*, ubi asservabantur instrumenta Urbis, & Jura, & *Secretum publicarum*, quod dicebatur, & *Secretum generale*, ubi servabantur Secreta publica Imperii. Huic erat Præfectus, qui Secretum administrabat, cujus meminit Nicetas in Alexio Manuelis.

Sacrarium etiam dicitur sacrum Consistorium, & Sacrum Auditorium Imperatoris: aliquando verò Conclave ultimum, ubi consilia seorsim remotis arbitris capta. Procopius enim lib. 2. nominat Julianum notarium arcanorum, quem a secretis Romani vocant; quippe secreta sunt arcana non vulganda.

Præterea locus erat in Templo, qui *Sacrarium* dicebatur, teste Gutherio de Jure Pontif. lib. 3. cap. 9. In eo sacra reponebantur, sicut *Donarium* erat. ubi collocabantur oblata. Erat quippe præcipua pars Templi, in qua sacra instrumenta, effigiesque sacræ servabantur, ut Palladium, Penates, aliaque hujusmodi: quod & Adytum, & in Aede Vestæ Panum dicebant. Quare a Cicerone Sacrarium bonæ Deæ nominatur, & Livius lib. 7. ait *Cære Sacrarium populi Romani diversorum Sacerdotum, ac receptaculum Romanorum Sacrorum intactum inviolatumque crimine belli*, ita Virgilius 12. Aeneid. vers. 40. *Divi Sacraria Ditis*. Elegantem inscriptionem refert Gutherius ibidem, quam se a nostro Sirmondo accepisse fatetur, quaque Sacrariorum cura ab Imperatoribus suscepta probatur his verbis:

Imp. Cæsar Nervæ F.
Nerva Trajanus Optimus Aug.
Germanicus Dacicus Pont. Max. Trib.
Tribunic. Potest. XVIII. Imp. VII. Cos. VI.
Sacraria Numinum vetustate
Dilapsa a solo restituit.

Atque ut Principibus etiam statuæ, & imagines consecratæ fuerunt, sic Sacraria illis publica. Inter eos sua Augustus obtinuit. Sacraria Gentis Juliæ (inquit Tacitus) effigiesque D. Augusto apud Bovillos dicata. Et Suetonius de Augusto loquens cap. 5. Natus est (inquit) Augustus ad capita Bubula, ubi nunc Sacrarium habetur; nam Augusto mortuo, Templum in Palatio decretum fuit, quod a Livia, quam Conjugem Augustam Plinius vocat lib. 2. extructum, & a Tiberio perfectum fuisse testatur Dio, & Prudentius in Symmachum.

Posteritas mensa atque adytis, & flamine, & aris
Augustum colui, vitulo placavit, & agna
Strata ad pulvinar jacuit. ——

sicuti Lugduni etiam Aram fuisse refert Strabo lib. 4. inqniens: Et templum ab omnibus communi sententia decretum Cæsari Augusto ante hanc Urbem positum est, ad concursum fluviorum. Est autem Ara memoratu digna cum inscriptione Populorum numero sexaginta. Tot enim Populi Galliæ conveniebant, ut Augusto honorem haberent.

Præter Sacraria hæc publica, privata etiam unusquisque domi habebat, quibus suum tribuebat locum, qui dicebatur etiam *Lararium*. De hoc Cicero ad Memmium. *Cajo Aviano Evandrio, qui habitat in suo Sacrario* &c. Alexandrum Severum in suo Larario rem divinam matutinis horis factitasse ad effigies Deorum, in quibus habebat Abrahamum, & Christum, in secundo Larario simulacrum Virgilii, & Ciceronis, scripsit Lampridius.

His positis Lampridium Rustianum a Sacrario Augusti appellatum in sepulchrali inscriptione, mihi suadeo potuisse munus exercere vel Præfecti intimi Consistorii, ex quo Augusti Arcana Consilia, & Decreta ad cœteras deferret; vel ejus cubiculi custodem extitisse, in quo Instrumenta servabantur pro sacrificiis, quæ Augustus Diis seu in publico templo, seu in domestico Sacrario offerre consueverat. Nisi mavis credere unum, e Sodalibus Augustalibus sacerdotio insignitum, scribente Tacito lib. 1. Annal. Cum in campo Martio corpus ejus crematum est, faces augustales subdidere, quod Sacerdotium, ut Romulus Tatio Regi, ita Tiberius Juliæ Genti sacravit. Immo per omnes domos cultores Augusti in modum Collegiorum habebantur. Sed cœteras inscriptiones in Musæo collocatas prosequamur.

6

D. M.
VETTIA JUSTA
MATRI PIEN-
TISSIMAE FECIT.

In ea iterum notatu digna est dictio *pientissimæ*, quam nullus linguæ latinæ Author usurpavit. Josephus tamen Laurentius in sua Amalthea Onomastica retulit ex Lexico Philosophico Matthiæ Martinii, & vocem *Piissimus* novam esse docuit Cicero in Philippicis relatus in Thesauro linguæ latinæ, cum M. Antonium notans quòd verbum novum protulisset, ita dixit: *Tu porro ne pius quidem, sed piissimus quæris; & quod verbum omnino nullum in lingua latina est;*

est ; id propter tuam divinam pietatem novum inducis. Tali voce Vettia Justa matris pietatem, hoc est insignem erga Deum cultum, seu erga filiam benevolentiam voluit indicare.

7

INNOCENTIA CONJUNXI SINGULARIS
QUAE CUM EUM VIXIT BENE
ANNIS X. DIES DUODECIM
QUAE DE SAECULO EXIBIT
IDIBUS AUG. GALLICANO CONS.

Hanc ita legendam puto: *Innocentia Conjux singularis ; cum eo vixit bene annis decem, dies duodecim, quæ de sæculo exivit Idibus Augusti Gallicano consule*, ideſt *cum Consulatum gereret Gallicanus*. Ubi nota in voce *Conjunx* additum N. & in voce *exibit* positum B. pro V. quæ voces antiquam scribendi rationem veterum grammaticorum indicant, ut placet Fulvio Ursino ; nisi velimus existimare fuisse abusum Chalcographorum, quos improbat Dausquejus col. 1. pag. 29. ubi varios ejus generis abusus adducit, inter quos reponendam existimo dictionem illam *cum eum* pro eo.

8

DUas sequentes inscriptiones una eademque tabula marmorea exhibet in oppositis sibi invicem superficiebus exaratas, quarum altera Ethnici est, Christiani altera : ex sacris cryptis erutæ. Non alia de causa hoc factum fuisse putandum est, nisi ob inopiam Christifidelium, tempore præsertim, quo Tyrannorum odio in cryptis latebant ibi cum Defunctorum corpora humare vellent, titulosque sepulchrales apponere, eos in tabulis lapideis, & tegulis fictilibus, inter rudera antiquarum ruvinarum repertis incidebant ; imò in ipsis Paganorum Sarcophagis sacra cadavera non rarò deposuerunt, addito aliquo signo, quod christianam eorum fidem Posteris contestaretur, ut optimè docuit Aringus in sua Roma &c. & indicatur in proposita inscriptione, ubi præmittitur nota, quam esse propriam Christianorum tesseram, asserit Fabrettus cap. 8. antiq. inscript. sic

CONSTANTIUS DISCOLIO
FRATRI SUO BENEMERENTI
QUI VIXIT ANNIS PLUS MINUS
LXXIII. BENEMERENTI IN PACE.

Faustis hujusmodi precarionibus abundant Christianorum Epitaphia, multas similes protulit Fabrettus cap. 8.

9

INscriptio opposita Ethnici est quæ sequitur.

D. M.
Q. MEDICUS AUG. LIB.
A SOLO SIBI FECIT
HOC CENOTAFIU QUI
NTA VITALIS FILIA MEA
POSSIDEBET SINE CONTROVERSIA.

AUG. LIB. intellige *Augusti Libertus*: *Cenotafiu* dicit loco *Cenotaphii* ob errorem fortasse sculptoris, quo verbo, teste Servio, significatur sepulchrum sive tumulus inanis. De hujusmodi tumulis inanibus loquens Vulpianus ait: *si adhuc monumentum purum est, poterit quis hoc vendere, & donare ; Si Cenotaphium sit, posse hoc venire dicendum est, nec enim hoc esse religiosum Divi fratres rescripserunt*. Religiosa autem fiebant sepulchra post illationem mortui ex voluntate Domini ; aut hæredis, patrem familias mortuum inferendo, ut fusè explicat Jacobus Gutherius de jure Manium lib. 5. cap. 2. Cum igitur Q. Medicus extruxerit tumulum, ejusque Dominus extiterit, Quintæ Vitali filiæ suæ illum donavit.

10

D. M.
L. VIRENEUS
TITULUM Æ
TERNALEM PO
IT FILIÆ IRENE
DOLCISSIMÆ

Titulus dicitur positus sepulchro filiæ Irenes, ideſt ipse met lapis, in quo verba incisa sunt, & ollæ cinerariæ superimpositus ad ejus cognitionem. Consueverunt enim Antiqui titulos addere sepulchris, quos magnam delectationem, & litterarum reconditarum doctrinam habere asserit Gutherius lib. 2. cap. 27. aitque rria illorum præcipuè genera fuisse. Alterum ad honorem, ridiculum alterum, tertium ad infamiam spectans. Aliqui tamen non aliud quam nomen demortui significant. Titulus, quem sub oculis habemus, inscriptus est, ut nomen defunctæ æternum ad Posteros redderetur. Nam etsi ab Ethnico fuerit appositus, ut litteræ D. M. ideſt Diis Manibus apertè declarant ; non tamen de-

fuerunt inter Ethnicos, qui æternam Vitam post præsentẽ futurã sibi persuaserint, ut quamplurimę Inscriptiones declarant, in quibus *Spei æternæ*, & *perpetuæ felicitatis* nuncupationes conceptas legimus, ut apud Gruterum pag. 424. & p. 1107. 2. & Fabrettum cap. 5. *Æternale* dicit nou perpetuum, vel æternum; dictione quidem barbara, nec apud latinos Auctores usurpata; sicut *Æternabilis* in codice tantùm Theodosiano inveniri notat Carolus du Fresne in suo Glossario.

II

DIS LI MAN.
P. PUBLIUS PRIMUS
P. PUBLIO CRESCENTI
FILIO SUO CARISSIMO FECIT
VIXIT ANN. XX. MEN. . . D. VIIIJ.
ET SIBI LIBERTIS
POSTERISQUE

Omnia clara sunt, nec indigent explicatione præter titulum in quo legitur *Dis* pro Diis ex frequenti apud Antiquos more scribendi. Manium autem invocatio hinc ferè in omnibus tumulis fiebat, eò quòd ab illis semper agitandos ferè sibi suaderent, nisi placarentur. Hinc etiam præter invocationes, piacularia Sacra celebrabantur; ut quiescerent. Sic *Busta piare* dixit Propertius pro *Manes propitios reddere*, *& Placare*. Quamobrem ex Numæ instituto placandos Pontifex edocebat, ut Livius refert lib. 1. Ab eo petebant quos ritus quasque ceremonias ob injurias mortuis factas Manes exposcerent. Ob id Horatius cum Populi judicio absolutus esset, Tullus Rex accitis Pontificibus Deos Manes placari jussit, juvenemque lustrationibus expiari, quas fortuitæ cædis leges præscripserant, idcirco erectis Aris in honorem Manium, postremo sub Jugum miserunt Horatium.

Secundo notanda est Sillaba *Li* cui simile inter cœteras inscriptiones a Grutero Fabretto, & aliis relatas invenire non potui. Quid autem significare posset, mente revolvens, tandem *Libitinæ*, seu *Libitinariis Manibus* legendum censui. Sciunt enim antiquæ eruditionis periti plures Manium species ab Antiquis excogitatas, ut refert Gutherius lib. 2. cap. 16. quos tamen omnes fuisse servos *Li*bitinæ putabant, seu Proserpinæ, nempe Deæ, humanæ vitæ, & mortis arbitræ, & quicumque morte occubuerit in potestatem bonorum, vel malorum manium tradi, quorum proinde tutelam, & patrocinium, invocatione præmissa in titulis sepulchralibus, enixe exposcebant, ut innumeris pene inscriptionibus constat, inter quas præclara illa est, quam Gutherius rerulit pag. mihi 273. his verbis scriptam.

ANIMÆ SANCTÆ COLENDÆ
D. M.
FURIA SPES L. SEMPRONIO
FIRMO
CONJUGI CARISSIMO MIHI UT
COGNOVI
PUER PUELLA OBLIGATI A
MORI PARITER
CUM QUO VIXI &c.
ITA PUTO VOS MANES SANCTISSIMI
COMMENDATUM HABEATIS
MEUM CONJUGEM ET VELITIS
HVIC INDVLGENTISSIMI ESSE
HORIS NOCTVRNIS
VT EVM VIDEAM
ET ETIAM ME FATO SVADERE
VELLIT VT ET EGO POSSIM
DVLCIVS ET CELERIVS
APVD EVM PERVENIRE.

Item aliquando legimus *Diis Manibus inferis*, aliquando *Diis Manibus superis* &c.

I2

D. M.
EUTHYCHETI FILIO
QUI VIXIT ANN. VJ.
DIEBUS VJ. INCISUS
JNGENUUSQUE ACCEPIT
CONGIURIUM XC.
FECIT PATER BE
NEMERENTI.

Tria se offerunt hic observatione digna: nempe Voces *incisus ingenuusque*, & *Congiarium XC.* quod dicitur ab Eutychete puero acceptum. Ut ab ultima exordiamur. Congiarium, docente Augustino Dial. 2. dicitur à *Congio*, quod mensuræ genus erat, quoque cum usi sint interdum Antiqui, ut vinum viritim liberaliter distribuerent, hinc dicebatur *Congiarium dare*. Postea adhibita vox est in omni dono, quod a Principe exhibebatur Populo. Hujus tamen Congiarii diversæ fuerunt summæ. Tiberius enim Congiarium populo trecentos nummos viritim dedit: Caligula Congiarium populo bis dedit tricenis sestertiis. Nero, referente Suetonio cap. 17. quadragenos nummos populo divisit. Caracalla occiso fratre Geta militibus pro salute sua atticarum drachmarum duo millia, quingentas, prætereaque annonæ, supra quam sueti accipere, dimidium. Livius Drusus nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut cœnum dividere vellet aut Cœlum gloriabatur, ut scribit Florus lib. 3. cap. 17. Demum Augustus congiaria populo frequenter dedit, sed diversæ sum-

summæ modò quadringenos, modò tricenos, nonnunquam ducenos, quinquagenosque nummos. Ac ne minores quidem pueros præteriisse refert ex Suetonio Joan. Cæsar Bulengerus de Imp. Rom. lib. 2. cap. 11. quamvis non nisi ab undecimo ætatis anno accipere consuevissent. Id quod etiam de Trajani liberalitate retulit Plinius in Panegyrico his verbis: *Obtulisti Congiarium gaudentibus gaudens. -- Paulominus P.C. quinquemillia ingenuorum fuerunt. Quæ liberalitas Principis nostri conquisivit, invenit, adscivit. Hi subsidium bellorum, ornamentum pacis, publicis sumptibus aluntur.* Hæc verba Plinii clarius patebunt, si in memoriam revocemus, quæ Sigonius narrat lib. 1. cap. 15. de antiquo Jure Romanorum, ubi ait. *Observatum est præterea in Legione (militum) non nisi ingenuos, & ex ingenuis nisi Juniores, & ex Iunioribus, non nisi qui in quinque classibus censerentur, & ludicræ artis expertes essent, ordine non esse centuriatos, ex quo sequitur, servos, libertinos, pueros, seniores, capite censos, & histriones, si quando ad arma vocati sunt, non nisi cogente necessitate, in dubiis rebus Reipublicæ esse vocatos, id quod ex Annalibus Livii facilè intelligetur, ut bello punico: Q. Fulvius Ap. Claudius Consules, cum ægrè delectum conficerent, quòd in copia juniorum non facilè in utrumque, ut & novæ urbanæ Legiones, & supplementum veteribus scriberetur, Senatus abstinere eos incæpto, vetuit, & triumviros binos creari jussit, alteros qui citra, alteros qui ultra quinquagesimum lapidem in plateis foriisque, & in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent, & si qui roboris, satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum ætate militari essent, facerent: Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent, ut qui minores septem, & decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia præcederent,* hæc Livius.

Quòd igitur Reipublicæ tempore necessitate coacti Consules fecerunt, adscribendo militiæ pueros ingenuos, qui adhuc ætatem militiæ opportunam non agerent, ex liberalitate egit Augustus, & Trajanus, quem alloquens in eadem Panegyri Plinius subdidit: *Dent Tibi, Cæsar, ætatem Dii, quam mereris, ferventque animum, quem dederunt, & quanto majorem Infantium turbam iterum atque iterum jubebis incidi (augetur, enim quotidie, & crescit, non quia cariores parentibus liberi, sed quia Principi Cives) dabis congiaria si voles, præstabis alimenta si voles, illi tamen propter Te nascuntur.*

Ex his deduci potest nostrum Eutychetum congiarium obtinuisse, ut indicat inscriptio, vel sub Augusto, vel sub Trajano, etiamsi septimum ætatis annum adhuc ageret, & quidem ingenuus, idest in libertate natus, & ex ingenua stirpe. *Ingenuus* enim libertino opponitur. Libertini erant libertorum, idest manumissorum filii.

Incisum denique appellat, hoc est adscriptum & adnumeratum inter eos qui congiario participes erant (ut dixit Plinius, *quanto majorem infantium turbam jubebis incidi*) scilicet in Tabulis, aut cereis, aut marmoreis, aut æneis, in quibus nomina eorum recensebantur scalpro, vel stylo incisa, juxta Veterum in scribendo morem: nisi fortasse ingenuum fuisse dicat, eò quòd eleganti facie, & decorus puer extiterit, ob id Augusto acceptum Congiarium accepisse. Congiarium enim etiam donum dicebatur, quod Princeps privatim dabat alicui; Sic Suetonius de clar. Rhet. 4. *Nec eo minus imò vel magis ob hoc Antonio gratus, a quo mox consule ingens etiam Congiarium accepit.* Denique *incisus* dici potuit, idest morte peremptus, & florenti in ætate veluti flos detruncatus. Incisa enim spes dicitur, qua frustramur. Ita Livius 3. Decad. ab Urbe 248. Itaque ait, spe incisa, priusquam prædicta dies adesset, Appius mortem sibi conscivit. Sed primam applicationem probabiliorem duco; nimia enim voluptate perfunderemur, si quæ dubia sunt, certò cognoscere liceret: Credo tamen his monitis paulo minus difficilia legentibus, quæ nunc explicuimus, futura.

13

D. M.
ÆLIO EUPREPETI
AUG. LIB. DECURIONI
MINISTRATORUM
ÆLIA NICE CO
JUGI BENEMEREN
TI CUM QUO VIXIT
ANNIS XXX. SINE
UNA QUERELLA.

Hanc Inscriptionem, qua Musæum nostrum ditatur, rescripsit ex Musæo Illustrissimi Ciampini, ubi fortasse tunc erat Abbas Fabrettus, & retulit pag. 257. inter inscriptiones a se collectas, ubi asserit frequentius pro *querela querella* in marmoribus inveniri. De munere tamen Ælii Euprepetis, qui dicitur fuisse *Decurio Ministratorum* nihil affirmat. Ut igitur cognoscamus quale illud fuerit, notandum primò est illum dici ex genere libertinorum fuisse, & quidem Augusti, cui serviebat, deinde in mentem revocanda sunt, quæ eruditissimus Laurentius

Pigno-

Pignorius recensuit in Præfatione sui Commentarii de Servis, eorumque apud Veteres ministeriis. *Romæ* (inquit ille) *antiquitus, cum integra esset valeretque rectè publicæ rei dignitas, & Majestas*, docente Val. Max. lib. 4. cap. 3. *paucis admodum servis contenti erant. At post eversas Carthaginem, & Corinthum, cum vitia facto agmine in Urbem victricem influxissent, & privata luxuria publicam magnificentiam concutere cœpisset, tunc irrupit vis, & multitudo Servorum, qui rei familiaris animata instrumenta. & oculi, aures, manus, pedes, omnia denique dominorum essent. Iam verò ministeria eorundem adeo distincta, & peculiaria fuerunt, ut non ab re scriptum extet apud Iuniorem Plinium lib. 8. Epist. 16. Servis Rempublicam quandam, & quasi Civitatem domum esse.* Huc pertinent illa D. Hieronymi Epist. ad Eustachium, labente jam & inclinato pene Imperio scripta: Quis crederet ut totius Orbis extructa Victoriis Roma corrueret? ut ipsa suis populis, & mater fieret, & sepulchrum? ut tota Orientis, Aegypti, Affricæ littora, olim dominatricis, Urbis Servorum, & Ancillarum numero complerentur? Quod si Romæ Libertini (prosequor cum Pignorio) qui è servili segete manipuli aliquot fuerunt, non unam, aut alteram Tribum, sed tres, & quatuor occuparunt, si ibidem legibus latis manumissiones cohibitæ sunt, ne Rempublicam pessundarent illi, quos domini quotidiè servos esse non patiebantur, quid tandem servorum dicemus Romæ fuisse? quid in Italia universa? quid in universo Imperio? Hinc profecto effluxerunt non minus veri quàm familiares auctoribus hæc explicandi modi, Minister, populus, longus ordo, Grex Agmen, numerus, cohors, & Legio Servorum, hactenus Pignorius. Inter servos autem classis Ministratorum numerabatur, quorum munus, in cœnis præcipuè regiis, erat potum ministrandi. *Alius vini minister* (ait Seneca epist. 47.) *in muliebrem modum ornatus cum ætate luctatur.* Apulejus autem hæc verba Senecæ veluti explicans Met. cap. 95. *pueros calamistratos, pulchrè indusiatos, gemmas formatas in pocula vini vetusti, frequenter offerentes*, notavit. Idem Seneca: *transeo Pistorum turbam, transeo Ministratorum, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur.* De his plura apud Bulengerum de Imp. Rom. lib. 2. cap. 23. Inter horum ministratorum turmas, qui Imperatoris præcipuè cœnæ potum ministrabant, aliqui præerant, Decuriones dicti, & erant primi singularum Decuriarum, eo ferè modo, quo inter turmas Armatorum numerabantur Decuriones, qui (scribente Polybio lib. 6.) *cæteris militibus præpositi Turmarum Decurias ducebant.* Licet suspicari eosdem fuisse *Prægustatores*, voluptati, & Securitati Dominorum servientes, vina temperando ad blanditias gustus; & prælibando ad insidias cavendas. Hoc serium fuisse ac solidum ministerium refert supralaudatus Pignorius pagina mihi 133.

14

D. M. S.
IVLIÆ SEVERAE KYPI
ATA O H MAGNIS ET RARIS
IN OMNIBVS EXEMPLIS
VITAE SUAE FOEMINAE
SEVERVS AVG. LIB.
FECIT CONJVCI OPTV
MAE CVM QVA VIXIT
ANNIS XXX DE QVA NI
HIL CONQVERI POTVIT
NISI QVOT CELERI FATO
INTERCEPTA SIT.

Lepida conclusio, quasi crimen fuerit fœminæ demortuæ celeri fato abripi. *Mors* enim, inquit Ethnicus Poeta Horatius, *æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres*, nec solum senum, sed Juvenum, & puerorum stamina sœpe Parca incidit. Laudando fœminam conjugem, *optumam* dicit loco *optimæ*: & jure optimam potuit affirmare, cum de ea conqueri non posset, rarissimo inter conjuges exemplo.

15

D. M.
CIESIAE AFLICIA
DEI . A . MEMORIA
ET CVBICVLO AVG.
SER.

Appositam fuisse hanc inscriptionem Sarcophago continenti cineres Viri in dignitate constituti ipsa verba declarant: Fuerat enim *a memoria*, *& a cubiculo Augusti*, ideſt Servus Augusto familiaris, & intimus cubicularius. Cæsar Bulengerus agens de Imperatore Romano lib. 4. cap. 11. refert, inter officia Imperii quatuor fuisse Magistros, scilicet *Scriniorum*, *Memoriæ*, *Epistolarum*, seu *Libellorum*, & *Epistolarum græcarum*. Magister epistolarum græcarum, eas aut ipse dictabat, aut latinas in græcum transferebat, Magister libellorum tractabat cognitiones, & preces in ipsis expositas, Magister Scrinii agebat de Legationibus Civitatum, & Consultationibus. Memoriæ autem, adnotationes omnes dictabat, & precibus respondebat. Illos memorat Codex Theodosia-

doſianus de Privilegiis eorum, qui in Sacro Palatio militant. *Palatini*, inquit, *qui in ſcriniis noſtris, ideſt memoriæ Epiſtularum, Libellorumque verſati ſunt*. De Magiſtro memoriæ ſic Ammianus lib. 4. *Ædecius ex Magiſtro memoriæ Conſul*, & Lampridius in Alexandro. *In memoriæ ſcrinio erant 62. ſcriniarii, ex quibus 12. Adiutores Quæſtores Palatii: ſeptem Antiquarii, quatuor Græci, tres Latini, qui libros vetuſtate corruptos ſcriberent*. apud Herodianum lib. 4. *memorialis* dicitur ille, *qui præeſt memoriæ Principis*, & D. Ambroſius in Epitaph. Theodoſ. *Memoriæ Magiſter*, ait, *promotus Quæſtor &c.* Notat etiam Bulengerus lib. 4. c. 13. Memoriales eos dictos, qui curabant, ut in Commentarios referrentur, quæ quotidie acciderent, quorum memoriam conſervare Principis erat, & Memoriales vice Principis, cui erat a memoria, ſcribere, & dictare. Itaque patet non eſſe diſcrimen inter voces *memoriales*, *ſcriniarios*, ab *Epiſtolis*, a *Libellis*, & a *Memoria*, inter quos adſcriptus fuerat Vir *Cieſia Aſiiciadei*, qui erat etiam intimus cubicularius Cæſaris Auguſti, quem *Servatorem* declarat inſcriptio. Sciunt enim eruditi, quot pugnas egerit Auguſtus, quot Spolia Romam reportaverit. Extat numiſma in honorem Auguſti cuſum, oſtenſum ab Auguſtino in tabula 13. num. 21. in quo Aquilæ Corona laurea, & Toga picta, ſeu Tunica palmata, qua indui ſolebat triumphator, adjecta Epigraphe S. P. Q. R. *Parenti Conſervatori ſuo*. Cubiculariorum autem multiplex erat genus, nam aliqui lectos Virorum, quorum erant Cubicularii componebant, & ſternebant, alii Principem induebant, & ipſis thalami Cæſariani cura erat commiſſa, de quibus tractarunt Bulengerus, & alii.

Atque hæ ſunt præcipuè inſcriptiones, in quibus aliquid notatu dignum expoſuimus. Aliæ ſequuntur, in quibus præter nomen defunctorum, illi etiam exprimuntur, qui ſepulchra excitarunt, anni etiam quos vixerunt, & munus quo functi ſunt his formulis.

16

D. M.
FLAVIA EDIS
TE FECIT FILI
O ODYATIRTI
BENEMER
ENTI

17

T. SEPTICIUS
ALEXANDER
SIBI ET
SALUILLÆ SUÆ ET
SEPTICIÆ SECUNDÆ
F. ME.

ideſt fecit mærens.

18

DIIS MANIBUS
SACRUM
CAMPIÆ AGRES
M. LOLLIUS
RAPHINUS
CONJUGI OPTUME
DE SE MERITÆ

19

L. JVLIO BITHYNICO
MENS. AEDIFIC.
VIXIT ANN. XXI.
JULIA THEOPHILE MATER
INFELICISSIMA FILIO
H. S. E. L. P. XIII. L. P. VIIII.

Dicitur ni fallor Julia Mater hoc ſepulchrum extruxiſſe longum pedes XIII. latum pedes VIIII. Julio Bithynico filio, qui erat menſor ædificiorum, quod munus etiamnum exercetur a multis, præcipuè ab Architectis publicis, ſicuti etiam antiquitus, inquit Vegetius lib. 2. cap. 7. *menſores erant, qui in caſtris metiebantur loca, in quibus milites tentoria figerent*. Quod iſta ſignificatio tribuenda ſit his verbis detruncatis *Mens. Ædific.* patet ex alia inſcriptione, accepta in hortis Juſtinianis Romæ, & relata a Fabretto cap. 10. num. 360. ſic *Diis Manibus Cæcili Maximi Menſoris Ædificiorum*.

20

D. M. S.
ATHENAIDI
PAPHRODITUS
T. IULIA HERONIS
FECERUNT
ALUMNÆ CARIS
SIMÆ

21

DIO PIERIO
S. RELIQUIÆ HIC
CONTUBERNALI BENE
MERENTI POSITO

Reliquias antiquitus appellatum fuiſſe quidquid demortui reliquum erat, docet Fabrettus in antiqua Inſcriptione cap. 10. num. 425. & Gruterus indicans Scaligerum inter Hiſtor. rerum memorabilium.

22

C. NÆMISIDE CEBRI
LIBERTIS LIBER
TATIBUSQUE POS
TERISQUE EORU
M DONATUM AB
TRIBUS SOCIIS

Subintellige *Sepulchrum*.

23

DIS MANIBUS
Q. VILIO CHRESIMO
B. M. VIXIT AN.
LXXVI. FECERUNT
CASTUS F. CIARUS
LIB.

Hanc inscriptionem sic puto legendam, *Quinto Vilio Chresimo benemerenti, vixit annos 76. fecerunt hoc sepulchrum Castus filius, & Ciarus Libertus.*

24

D. M.
LUCIO STATILIO EPINICO
STATILIUS EPINICUS
H. STATILIA CALITYCHE
FILIO DULCISSIMO FECER.

25

D. M.
CASTRENSI
SECUNDA CONIUGI
B. M. CUM QUO VIXIT AN. XIII.
M. VII. ET MYRISMUS
AMICO OPTIMO
FECERUNT

26

TI CLAUDIUS
PHRONIMUS
PRIMIGENIO
DELICIO FECIT.

27

D. M. S.
RASINIÆ
BITHYNIÆ
OPTIMÆ
FOEMINÆ
PACCIUS
ONESIMUS
FECIT.

28

D. M.
IVLIÆ SVCCESSÆ
LIBERTÆ BENE M.
FEC. C. IVLIVS MARTI
ALIS SIBI ET SVIS
POSTERISQVE
EORVM H. M. H. E. N. S.

Quæ ultima verba initialibus litteris indicata sic lege. *Hoc monumentum Hæredem Exterum non sequitur.* Ita legendas esse has notas docent multæ inscriptiones ubi characteres omnes expressi sunt. Sic apud Fabrettum pag. 98. n. 204. legitur *H. M. Hær. exterum N. S.* qui Author pag. 91. docet prohibitione ista ea sepulchra affici, quæ familiaria vocabantur juxta illam distinctionem inter Familiaria, & Hæreditaria, de qua Cajus in familiar. S. D. de Relig. & sumpt. funer. Nihil autem hac præscriptione frequentius, dum sic negatione adjuncta exprimitur: sine negatione verò perrarò reperiri, quia forsan superflua redditur expressio ejus C. juxta dicterium illud nostrum Juris CC. quod tacitè inest.

29

D. M. S.
NICOSTRATVS
VIX. ANN. LII.
PIVS IN SVIS
H. S. F. S. F. T. L.

ideſt *hoc Sepulchrum fecit sit tibi Terra Levis.*

30

D. M.
IVLIÆ
MARCEL
LINÆ
CECILI
VS VRSI
O FECIT
COIVGI
BENEME
RENTI

31

D. M.
VIVIA HILA
RIA C. VIVIO
THYRANNO
PATRONO
B. M. M. F.

ideſt *Benemerenti, vel Bonæ memoriæ mœrens fecit.*

32

D. M.
ERVPILLVS
AMETHYSIUS
FECIT SIBI ET SUIS
LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE
EORUM

33

D. M.
COCCEIÆ SATVRNINÆ
VIXIT A. XVIIII. M. VI. D. XXV.
COCCEIA SUCCESSA MATER
FILIÆ PIENTISSIMÆ FECIT.

34

D. M.
M. GAVIO
ANATELIONTI
GAVIA FORTUNATA
COLLIBERTO BENE
MERENTI FECIT

35

JULIÆ ATTIDI
T. JULIUS ONESIMUS
CONJUGI
SANCTISSIMÆ
FECIT ET SIBI

Pietatem Christianorum redolet hæc inscriptio, in qua Sanctissima Conjux dicitur, quod magis apparet, eò quòd desit titulus D. M. proprius Paganorum.

36

D. M.
MANNETÆ
MAXIMILLÆ
MANNETA
HELPIS PATRONA
L. P. M.

37

D. M.
MARIA CHRYSIS
L. MAUNIO AUGENDO
FILIO PIISSIMO ET
SIBI FECIT.

38

D. M.
T. AURELIO
DOROTHEO
PATRI BENE
MERENTI
FECIT Q. AU
RELIANUS

39

DIIS MANIB.
PRIVATA MATER
ASTEROPÆ FILIÆ
FECIT
VIX. ANNO MEN
SIB. NOVEM

ideſt manibus novem rejecta vocali O. quam vitiosa pronuntiatio perperam addi fecit.

40

D. M. S.
LARCIA THE
MIS LARCIÆ
SABINÆ FILIÆ
SUÆ BENEME
RENTI FECIT

41

L. VOLUSIO
MYRONI
PIO F.
MATER F.

ideſt *Filio Mater fecit.*

42

D. M.
ULPSTA FILIUS COJU
GI BENEMERENTE
FECIT

benemerente ex ignorantia scripsit pro benemerenti.

43

M. ÆMILIUS PATROBIUS L.
M. ÆMILIUS SATURNINUS L.
ÆMILIA RESTITUTA L.
PATRONO B. M.
FECERUNT

Quis iste patronus fuerit inscriptio tacet, est tamen dictio relativa ad Libertos M. Æmilium Patrobium Libertum. M. Aemilium Saturninum Libertum, & Aemiliam restitutam Libertam quibus servis donata fuerat Libertas ut docet Valla lib. 4. c. 1.

44

D. M.
Q. TREBICI ONE
SIMI TREBICIA
PHILETE CONIUGI
BENEMERENTI FE
CIT ET SIBI P. Q. S.

hoc est *Parvum quadratum Sarcophagum*, vel *pro Quieta sua*.

45

L. VEITONIUS
LUCARPUS
IUSIO FILIO N.
POSUIT

lege filio *recens Nato*, *& statim demortuo*.

46

D. M.
ARRENIÆ
FILTATÆ
Q. VIXIT AN. XXII.
M. III. D. XV.
TROPHIMUS
STERTINI C. M. F.

Supple Conjux mærens fecit.

47

P. BÆBIUS P. F. PERMITILUS
ET POMPONIÆ SPICA ET
FORTUNALIS IN EO SEPUL
CHRO QUOD EIS DONATUM
ESSET AB HUMANIA DUR
RACINA MAGERIA TUM CON
TEXERUNT ET SARCOPHA
GA FECERUNT EX QUIBUS
EDURRACINÆ CONCESSERUNT
LIB. LIB. IX. SUIS POST EORUM
H. M. D. M. A.

Has notas ita lege cum Fabretto cap. 2. Inscription. XI. *Huic Monumento Dolus malus abest, vel abesto*. Sicuti in multis aliis disertis verbis leguntur, præcipuè pag. 89. num. 174.

48

LOCUS VIC
TORI SHIC PO
REIECTICIA IN
PACE D. VIKAMAR

49

MARIA PUELLA IBIT IN PACE PRIDI
E KAL. OCTOB. ET VIXIT ANNIS IIII. ME. II.

Ubi nota *iblt* pro *iuit*. Sœpe enim litteram B. loco V usurpatam invenies, sic *bixit* pro *vixit* &c.

50

Q. LABIENUS PRIMUS
VIVIT AN. XIV.

51

STIBUS. HERMITIS
V. A. XI.

52

CECILIA
MELISCA VIX
ANN. XV.

53

DIS MANIBUS
HERMÆ BEN
EMERENTI

54

L. CORNELIUS
HILARUS
NONIÆ FILIUS

55

ECISIONIS CN. F.
CLAUDIUS VALENS

56

LÆTÆ BEBIÆ
F. THALASSA
ANNORUM XV.

57

P. ANCHARIUS
P. L.
FAUSTUS
LEGE PUBLII LIBERTUS

58

CRITONIUS
FAUSTUS

59

A. ALBIENUS
NIPEROS
V. A. II. DIES XXX.

60

T. VIRIASI
F. L.
STEPHANI
lege filius Lucii.

61

URBANA
P. ANTONII
ANCILLA

62

EUCHE
V. A. XIIII.

63

PRIMIGENIA THEODORA

64

JULIUS
C. L. DYMO

65

IUCUNDA
MESSALINA

66

C. OCTAVIO
ANTHO
OCTAVIÆ
ÆGIDI

67

IULIA
AMARYLLIS
V. A. XXV.

68

SCRIBONIUS
HILARUS

69

C. CLODIUS PHILOTÆR
AUFIDIA SECUNDA

70

ZETHUS MARCELLÆ
MINORIS COCUS

71

HELENA
QUERTINÆS
VIX. AN. XXIII.

72

MÆLIA Q. L.
ARESCUSA
V. AN. X.

lege eum Grutero Quinti Liberta.

73

NOVIA
MELENIS

74

NURIA
ELENA

75

FLAVIA
CALISTE

76

C. IULIUS SERAPIO
ANNOS XXXV.

77

D. M. S.
L. MALIO SILVESTRO
VIX. AN. XVI. M. VI. D. XVIII.
LUCIUS MANLIUS URSOLUS LIB.
PIENTISSIMUS
FECIT.

78

V. I. T. A. L. I. Æ.
CONCORDIÆ CONJUGI
BENEMERENTI

79

CASINIUS
V. C. L. RUFIONI

ideſt *vivens condidit locum.*

80

DIODORUS
MAURUS
EUCHARIS

81

THYMELE
MARCELLÆ
SERICARIA

82

LIBERALIS VALENTINE
CONJUGI QUÆ VIXIT
ANNIS XXIJ. DJES XL.
TE. IN. PA. CE.

Ad Chriſtifidelem pertinere talem inſcriptionem probat clauſula ultima *Te in pace*, quam inter chriſtianas formulas referri affirmat ſepe laudatus Fabrettus cap. 2. numero 134. quia ſub iſtis verbis frequenter reperitur juxta formulam in Eccleſia Catholica uſurpatam. *Requieſcant in pace.*

83

T. M. ARCIUS THAMURUS
GALLIA ↄ L. HEDONE.

Brevis hæc inſcriptio notam habet, qua ſignificari docet idem Fabrettus cap. 1. pag. 32. quando nomini alicujus fœminæ additur, illam fuiſſe Dominam Domus ſuæ; ſeu matrem familias juxta eam ſignificationem, qua nuptiali ritu nova nupta viri domum ingrediens ei dicebat. *Ubi tu Cajus, ego Caja*, ideſt ut explicat Plutarchus in Probl. Rer. Rom. 30. *Ubi tu arbiter ac dominus, ibi ego arbitra æquè ac domina*; ex Grutero tamen legi deberet *Cajæ liberta vel libertus*. Ejus generis etiam ſunt aliæ.

84

MARCIA Q. ↄL.
CIRRATA

85

OPPIA ↃL. ARBUSGUIA
VIXIT ANNOS XXII.

86

COREJUS ↃL.
PEDEROS
AN. VIXIT VI.

Supradictas inscriptiones exposueram, cum aliæ marmoreæ tabulæ Musæo additæ sunt, in quibus sequentes leguntur insculptæ.

87

Q. FABIUS Q. F. QUIR. FELIX
PROC. AUG.
SIBI LIBERTISQUE SUIS
HOC TURBA IN TUMULO MEI PARENTES QUORUM PIGNUS EGO SUPERSTES UNUS. HAS PRO MARMORE DIVITIQUE TEMPLO.

Si in hac tabula Quintus Fabius legendus sit *Procurator* fuisse *Augusti*, ut mihi suadeo, ejus munus paucis exponam. Scimus ex Strabone libro ultimo. Augustum instituisse Procuratores per Provincias, atque ea, quæ ab ipsis fiebant, sic à Cæsare comprobata esse, ac si ab ipso Cæsare acta essent. Narrat Seneca lib. 4. nat. quest. & Tacitus lib. 12. Eorum proprium munus fuisse, ut redditus ac tributa colligerent. & alia quæ ad Fiscum spectabant. Tacitus in Agricola ait, munus Procuratorum Cæsarum, æquestrem nobilitatem fuisse.

88

DECESSIT TA SOM
JACIS IND. TYCHA
US VIXIT AN. XXX.
M. DUO. DIIS VIIII.

Pluribus barbarismis scatet inscriptio. Quid autem significare velint verba illa *ta som jncis ind.* ingenuè fateor me nescire.

89

AURELIA AMANTIA
FECIT SIBI ET COMPARI
SUO, QUI FECIT INTER
ILLA ANNOS XIII.

Tessera Christianorum huic tabulæ expressa est. De ea multa dicta sunt in explicatione Lucernæ antiquæ: qui plura desiderat legat Aringum, qui tom. 2. lib. 6. cap. 12. & 13. eruditam ex SS. Patribus mysticæ hujus Scripturæ explanationem habet. Non autem prætereunda est loquendi formula, *qui fecit inter illa annos XIII.* Verbum *facere* Conjugibus applicatum, Cujacius lib. de Termin. cap. 26. interpretatus est pro *commorari*, & Papinianus lib. 218. de verb. signific. inquit Verbum *facere* omnem omnino faciendi causam complecti, ut dandi, solvendi, numerandi &c. ex quo *facere* ad dierum, aut annorum numerum optimè refertur, ex quo documento dici oportet, Comparem vixisse cum Aurelia annos XIII. Hoc ipsum docuit Fabrettus inscript. cap. 4. pag. 267. quæ formula loquendi in veterum Christianorum elogiis, frequenter legitur.

90

CRETICUS ET SATURUS QUI
BIXIT ANNOS XXVIII. IN PACE
SETALI AMICO MUNIS FELICI
AMICO XV. KAL. SEPTEMBRES

In hac *bixit* pro *vixit* dicitur, ut alibi etiam notavimus.

91

URSINO
FILIO BENEREMENTI.

92

JANUARIUS ET BO--
PARENTES FILIÆ BEN--
DULCISSIMÆ FECER--
QVÆ NOBISCUM BI--
AN. III. M. X. D. XX.
IN PACE.

Chriſtianorum fuiſſe titulum iſtum Columba, & ramus Olivæ apertè demonſtrant. Cur illis hæc ſigna conveniant fusè docuit Aringus in Roma ſubterranea lib. 4. cap. 41. & 44. Volucres enim ſunt ait Beda in Job lib. 1. cap. 12. qui ſurſum cor habent, & cœleſtia concupiſcunt.

93

SEquitur tabella marmorea ſeptem palmis circiter extenſa unoque lata, e ſacro cœmeterio eruta, in qua præter inſcriptionem *Laurentius vixit an. XXI. M. II. D. X.* menſa eſt inſculpta, in cujus parte dextera eſt Vir ſtans manibus in formam crucis elevatis.

Ejuſmodi imago in tumulis Chriſtianorum ſæpè videtur, ſcilicet hominis orantis manibus in crucem elevatis. Talem orandi modum præſertim die dominico ex Apoſtolis ortum habuiſſe refert inter alios S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. adverſus Julianum his verbis. *Quorum* (ideſt Chriſtianorum) *extenſæ inter precandum manus, flammas extinguunt, feras conſopiunt, gladiorum aciem retundunt, &c.* A temporibus autem Apoſtolorum conſuetudo talis accepit initium, prout Beatus Irenæus Martyr, & Epiſcopus Lugdunenſis in libro de Paſchate, ubi quoque mentionem fecit Pentecoſtes, in qua genua non inflectimus, quoniam pari eſt cum die Dominico poteſtate &c. Apud Ethnicos etiam uſitatum fuiſſe manibus elevatis orare refert Tertullianus carm. de Jona, & Ninive.

Expanduntur manus nonnullorum ad Numina Divum. Sic pariter Hebræi orare ſolebant. Dicitur enim Exod. 17. *Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael*; & S. David ajebat Pſalm. 17. *Dum oro ad Te, dum extollo manus meas &c.* Hoc igitur orandi ritu Redemptorem repræſentabant Chriſtifideles, in cruce manus expanſas habentem, ut à Deo efficacius obtinerent quidquid in votis habebant, vel animum validius præmunirent contra inimicorum inſidias, ac Tyrannorum immanitatem. De juvene Chriſtiano Euſebius narrat lib. 8. cap. 7. qui in Theatro beſtiis objectus, interea non modò virilem, & intrepidam ſanctorum illorum animi tolerantiam, ſed firmam etiam atque inflexibilem in teneris corporibus Conſtantiam cum ſtupore quodam mirari licuerit. Vidiſſes enim adoleſcentem non viginti annos integros natum multis conſtrictum vinculis, firme confitentem manibus in crucis modum è tranſverſo expanſis robuſta, & excelſa mente in precibus ad Dei numen fundendis attentiſſimè defixum, neque omnino &c. At de hoc orandi modo plura vide apud Aringum, Boſium, Baronium, Joannem Rho, & alios.

94

D. M.
CANDIDO VALENTINO EQUITI NUMERI
SING. NATION. PANN. IUL. FAUSTIANO
CASTRIS PRIORIBUS TURMA MAXIMI
STIP. XII. QUI VIXIT ANN. XXXII. ARRIUS
LATIANUS MIL COH IIII. PRET. FLAVIUS VI
TALIS MIL. COH. X. PR. HEREDES AMICO
BENEMERENTI MEMORIAM FECERUNT.

Equitis Pannonii eſt hoc Epitaphium, cui aliud ſimile refert in ſuo Diario italico R. P. Bernardus de Montefaucon pag. 125. cum anaglypho, in quo videtur vir decumbens Inferiis libans, atque in ima lapidis parte equus repræſentatur ephippio, ut in illa ætate, ornatus; aitque non infrequentes eſſe equitum Noricorum inſcriptiones, qui in pretio erant, perinde ac illius regionis equi. Erant equites ſingulares, qui a ſiniſtris Imperatoris in acie ſtabant. Prætoriani autem a dextris, atque ideo ordine, & dignitate proximi Prætorianis erant. Eruditiſſimus Fabrettus pag. 255. Inſcript. ait Singulares equites gradum militiæ conſtituiſſe Prætorianæ proximum munere cuſtodiæ, ut non uno loco oſtenditur, & primo pag. 4. col. 1. verſ. 7. ex Hygino. *Sic Equites Prætoriani locum accipiunt latere dextro Prætorii: Singulares Imperatoris latere ſiniſtro, quorum ſi major numerus fuerit, utpote ſingulares DC. prætoriani CCC. poterunt CL. ſingulares inſtrigæ Prætorianorum tendere.* Alia citat loca ſimilia Fabrettus, deinde ait: Inſtitutionem eorum ante Neronem fuiſſe ex Anonymo R. H. S. in notis ad Hyginum pag. 44. Verb. *Singulares* his verbis. Hos inſtituit Octavianus, ſi qua fides inſcriptionibus, in quibus frequentiſſimè occurrunt. In quibuſdam appellantur, ut hic, *Equites ſingulares*: in aliis, *Equites ſingulares Imperatoris*: *Equites Sing. Imperatoris noſtri &c.*

Salmatius in opere poſthumo de Milit. Rom. cap. 20. Equitatus iſtius originem ad Celeres uſque Romuleos revocat, quos non vult ad eum uſum inſtitutos equites ſingulares, ut Legioni adjungerentur, ſed & cuſtodiam ſui corporis in pace, & bello fuiſſe deſtinatos; quæ tamen improbat

probat Fabrettus ex variis inscriptionibus pagina 356. Rainerius denique, *singulares* quasi *singularios*, quam sententiam probat Fabrettus ex eo quia singularibus Duplicarios, & sesquiplarios quasi appositos in aliquibus inscriptionibus equitum apparet.

Eorum sepulchrum situm fuisse in via Labicana ex inscriptionibus non paucis sepulchralibus ad illos spectantibus, ibidemque erutis auguratur Fabrettus inscript. pag. 360. cujus sententia probatur ex duabus aliis, quæ in Mausolæo Helenæ in eadem via collocato erutæ exportatæ sunt in officinam marmorarii ad Curiam Innocentianam, relatæ a R. D. de Montefaucon pagina 116. & in utraque Equites singulares describuntur natione Pannonii ut in nostra, quæ tamen improbat sententiam Fabretti, nam eructa est anno elapso 1705. extra portam in Vinea D. Gasparis de Molara, qui nostro Musæo eam humanissimè donavit. Idem auctor dicit Anaglyphi rationem Equitibus singularibus eandem fuisse, sicut & locum sepulturæ; scilicet in parte inferiori equum stratum cum puero, in superiori virum jacentem in lecto. In nostro lapide deest pars inferior, in qua tamen apparet caput pueri, manum extensam cum Virga tenentis, utrum equus etiam fuerit ignoratur.

Notanda præterea sunt verba *Cohortis IIII. Prætoriæ* quæ ad Prætorum primò, deinde ad Consulum tutelam ex omni exercitu selectæ fuerunt, Prætorias hasce Cohortes Augustum primò instituisse ait Fabrettus inscript. cap. 3. pag. 126. sive novum ut *T*acitus dicit annal. lib. 4. cap. 5. sive decem numero, ut disertè tradit Dio lib. 4. & apparet in nostro lapide, ubi numerus quoque militum his verbis præscribitur: *Stipulatores autem corporis decem mille erant in decem cohortes distributi*; quamvis a Dione discrepet *T*acitus, ut explicat ibidem Fabrettus. Ut ut sit, dici potest, varietate temporum etiam numerum cohortium variatum fuisse. Atque hæc de proposito lapide. Cœtera sunt clara.

95

TAbulam marmoream addimus ex quadrato lapide excisam, in qua Simulacrum Viri togati cernitur, sedentis & librum inspicientis proximus illi puer est; illis hæc verba subjecta leguntur.

Nomen qui retinens tu magnus Alexander
Pallados inventum medicinalemque laborem
Quot feci studio proximus ipse meo.
Testor nunc superos, non hoc meruisse videbar
In volnus Genoris, quot subito occidimus.
I nunc, & dubias Fatorum neclege clades.
Conjunx quod potuit titulum mihi reddidit uni
Valeria Ursilla.

Inscriptio hæc, ut vides, multis scatet mendis, & barbara dictione componitur. Quamobrem mentem ejus qui illam posuit, intimè perspicere me non potuisse ingenuè fateor.

96

D. M.
ERMAE
OVINIORUM
CONJUGI BENE
MERENTI FECIT
OVINIUS
THAMYRUS.

Clara est inscriptio hæc, cui iminet Aquilæ imago, quæ in quamplurimis sepulchris exculpta invenitur ob Religionem, qua Antiqui Deorum cultores colebant Jovem, cui Avis illa sacra erat, ut propitium Deorum Principem sibi post obitum invenirent.

97

D. M.
M. ULPIO
CERIALI
VIXIT ANNIS
I.
CLAUDIA VEN
USTIA CONIUGI
CARISSIMO
BENEMEREN
TI FECIT.

98

D. M.
M. TITIUS CHRESIMUS
FECIT SIBI ET AFINIÆ
TROPHIME COIUGI SUÆ
BENEMERENTI ET MAXIMIL
LÆ FILIÆ EIUS ET LIBERTIS
LIBERTABVSQVE POSTERISQVE EORUM
IN FRONTE PEDES IIII. IN AGR. P. VI. S.

In his duabus inscriptionibus sicuti, & in antecedenti notanda est dictio *Conjux*, quæ modò Marito, modò Uxori tribuitur, ut alibi dictum est. In ultima autem earum littera S significat *Signatum* fuisse sepulchrum in fronte, quæ viam publicam respiciebat pedes quatuor, in Longitudine verò, qua in agro productum erat pedes sex.

99

D. M.
PUBLILIA PRIMA
PUBLILIÆ FORTUNA
TÆ PATRONÆ B. M. F.
SIBI ET SUIS POSTERISQVE
SUORUM

100

DIS MANIBUS
T. FLAVIUS MARINUS
P. VALERIO MARINO
FILIO SUO VIXIT
ANNIS III. MEN. VII.
D. VIIII.

101

D. M. PASSIENÆ
CHRESTE
L. PASSIENIUS
HELIUS
MATRI B. M. F.

102

D. M.
RUSTIO
HYLÆ VIX
IT ANN. VI.
MEM. TRES
RUSTIA MAT.
FILIO PIISS. FEC.

Hæ quatuor Inſcriptiones ita claræ ſunt, ut explicatione non indigeant, exceptis notis B.M.F. quæ ſæpe in tumulis inciſæ leguntur, ut intelligatur ſepulchrum Defuncto *Benemerenti factum.*

103

D. M.
TI CLAUDIO PRISCO
SECUNDIANO COACTORI
PATRONO BENEME
RENTI TI. CL. EUSCHE
MUS CUM SER. PRIMÆ
CONIVGIS VA. ET TI. CL.
HERMETI COLLIBER. CA-
ISSIMO ETATIS CAUSA
ET LIB. LIBERTABUS SUIS
POSTERIS EORUM

Hanc inſcriptionem ſic legendam puto: *Tito Claudio Priſco Secundiano Coactori Patrono benemerenti Titus Claudius Euſchemus cum ſervis primæ conjugis Valerio, & Tito Claudio Hermeti Colliberto Cariſſimo &c.* Ut intelligatur Verbum *Coactori* tributum Secundiano, cui ſepulchrum poſitum fuit, notandum eſt, ſicuti neceſſe fuit vectigalia auctoritate publica inſtitui pro Reipublicæ utilitate, ita etiam vectigalium exactores, qui etiam *Coactores* dicebantur, & *Publicani*. Hi autem ut plurimum viles habebantur, & male viſi, quòd plebeculæ oneri eſſent, ideo (referente Bulengero de Imp.Rom.ſalarium certum iis, qui vectigalia exigebant, attribuit Auguſtus, cum olim ſuis ſumptibus efficerent ea, quæ ſui muneris erant, adeoque plus exigebant, quàm deberent exigere.

104

D. M. S.
NICOSTRATUS
VIX. ANN. LII.
PIUS IN SUIS
H. S. E. S. T. T. L.

Ultimas notas ſic lege: *Hoc Sepulchrum extruxit. Sit Tibi Terra Levis.*

105

Titulum Sepulchi addo capiti puellæ ſubjectum his verbis.

MAMMA FEGIT
CLAUDIÆ HYCIÆ
JUNONE

Ubi nota verbum *fegit* pro *fecit*, fortaſſe ob imperitiam ſculptoris, ſicut eſt Dictio *Iunone* pro *Iunoni*. Quis autem poſuerit tumulum Claudiæ dubitari poteſt, nam apud Latinos nomen *Mamma* æquè ſumitur pro matre, ac pro *Nutrice*. Vide Plautum Moſtell. 5. propriè tamen ſignificat *Uber* ſeu *Mammillam* ut apud Virgil. 1. Aeneid.

Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ.

inde *Mammare*, ſeu *mammam* dare pro *lactare*.

106

DIIS MANIBUS
M. TREBELLIO ARGOLIO
TABVLARIO VIATORUM
QVESTORIORVM ab
ÆRARIO AMICO OPTIMO
PRISCVS T. FLAVI
POLYCLITI V. Q. SER.
ET TREBELLIA GRAPHICE CON. B.M.

Plura munera exercuiſſe Marcum Trebellium, cui tumulum poſuit Trebellia Conjux, docet Inſcriptio, ideſt illum fuiſſe: *Tabularium, Viatorum Queſtoriorum, & ab Ærario*. De his omnibus inquirendum eſt, & primò de munere Tabularii; quæ quidem vox non unicam ſignificationem obtinuit. Primò Tabularii dicebantur (docente Bulengero lib.4. cap.8. de Imp. Rom.) *qui civitatum aut Provinciarum chartas, & rationes tractabant, & præerant Tabulario Civitatum, in quo pleraque publica, & privatorum recondebantur, velut debitorum obſignatæ pecuniæ*. Olim Tabularii ſervi erant, quod Vetuere Arcadius, & Honorius, & liberos homines ſtatuerunt. Secundo *Tabularius* ſignificabat *Calculorum*, nam interdum in rebus Privatorum adhibiti ſunt, & pro imperitis litterarum ſcriberent, & ſubſcriberent. Tertiò Tabularios intelligit Capitolinus eos, qui propriè rationes conficiunt eorum, qui publico inferuntur, & debentur. Ex his deducitur quid exercuerit Trebellius in munere *Tabularii Viatorum*, & *Queſtoriorum*. *Viatorum* autem Collegium erat apud Romanos, ex quo, qui officium ligandi haberent, Lictores appellabantur. Item *Viatores* erant *Apparitores*, qui a Villis ad Senatum Patres accerſebant, ut Plin. lib. 18. cap. 3. & Columel. lib. 1. *Illis temporibus Proceres Civitatis in Villis morabantur*, & Livius 10. *Cum apparitor juſſu magiſtri equitum eum duceret &c.*

Con-

Consules suos habuisse Viatores indicat Vetus lapis T. STABERIO SECUNDO COACTORI ARGENTARIO VIATOR CONSULARIS ONESINO VIATORI COLLEGII MAGNI CLAUDIA SMIRNA CONJUX. Vide Bulengerum cap. 21. lib. 6. de Imp. Rom. qui etiam lib. 3. cap. 14. explicat munus *Quæstoriorum*, aitque ex Varronis lib. 4. *Quæstores a quærendo* dictos esse, eosque fuisse, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia. Tria autem Quæstorum genera fuisse addit. Alii enim *Urbani* vel *Ærarii*, alii erant *Quæstores Parricidii* vel rerum capitalium. Postremi *Provinciales* dicebantur. Tullus Hostilius primus Quæstores ærarii instituit. Sub Imperatoribus verò aliud genus Quæstorum fuit, quorum munus erat Epistolas, & Orationes Principis in Senatu legere, de his Cassiodorus lib. 1. cap. 13. & alii.

Jam remanet aliud munus Trebelii, qui dicitur *ab Ærario* fuisse, hoc est Aerarii administer; cum autem non explicetur, cujus Ærarii fuerit, sciendum est, plura fuisse Romæ Aeraria. Primum erat publicum, de quo Festus. *Ærarium Populus Romanus in æde Saturni habuit, in quo civium tributa, & vectigalia asservata*. Alterum ærarium *sanctius* dictum, in quo aurum ad ultimos casus servabatur. Tertium erat *militare*, ab Augusto institutum, ad quod explendum vicesima legatorum, & hæreditatum, vicesima quinta venalium mancipiorum, centesima rerum venalium, & bona damnatorum illata. Huic ærario proprii Præfecti fuere, ut refert Tacitus lib. 5. Annal. Claustra ærarii cui Præfectus erat, & militarem pecuniam rebus novis obtulisse. Quæstores olim Aerario præpositi erant, & sub an. 726. Augustus prætorios Viros præfecit, postea ad vitandum ambitum sorte ducti sunt, ex Prætorum, & Questorum numero singulis annis. Ex his omnibus deduci potest ab hoc Aerario Trabellium fuisse dum viveret.

Cum Lachrimis etiam depositos fuisse odoratos liquores, & unguenta in sepulchris clarè ostendit antiqua inscriptio, quæ est Rhodæ.

C. LÆLIO C. F. IV.
MAGNA OMNIVM EXPECTATIONE
GENITO
ET DECIMO OCTAVO ÆTATIS
ANNO
AB IMMANI ATROPO E VITA
RECISO
FVSCA MATER
AD LVCTVM ET GEMITVM RELICTA
CUM LACHRIMIS ET OPOBALSA
MO UDUM
HOC SEPULCHRO CONDIDIT.

Talia autem vascula in quibus reponebantur fictilia ferè omnia sunt, aliqua vitrea, ea forma quam Tabula XXXVII. repræsentat in sepulchris inventa. Circa quæ notandum est similia Vasa sepius etiam inveniri in sepulchris Christianorum, quæ tamen lachrimas continuisse non est credendum. Docet enim Antonius Bosius in sua Roma subterranea lib. 1. cap. 20. Ejusmodi ampullas sive vascula tam fictilia quam vitrea aqua lustrali plena reposita fuisse cum cadaveribus, juxta ritum antiquum, quem refert Gulielmus Durandi in suo Rationali lib. 7. c. 35. n. 37. his verbis. Ponitur cadaver in spelunca, in qua in quibusdam locis ponitur aqua benedicta, & prunæ cum thure; Aqua benedicta ne demones, qui multum eam timent, ad corpus accedant, solent namque desævire in corpora mortuorum, ut quod nequierunt in vita, saltem post mortem agant. Thus verò ibi ponitur propter fœtorem corporis removendum, seu ut defunctus Creatori seu acceptabilem bonorum operum odorem intelligatur obtulisse, seu ad ostendendum, quòd defunctis prosit, auxilium Orationis. Carbones, in testimonium, quòd terra illa ad communes usus amplius redigi non potest; plus enim durat Carbo sub terra, quàm aliud. Aliqua ejus generis exhibentur in Musæo cui elargitus est humanissimus Canonicus S. Mariæ Transtiberim D. Marcus Boldettus Sacrarum Reliquiarum Custos Pontificius, linguæ hebraicæ peritissimus, & Antiquitatum Romanorum quæ ad Christifideles pertinent solertissimus Cimeliarcha.

Inscriptiones relatas absolvam Verbis, quibus Lilius Gregorius Giraldus, finem imposuit eruditæ dissertationi, quam scripsit de sepulchris, & vario sepeliendi ritu. *Superest* verò (ait ille) ut quoniam mortale nobis contigit corpus, animus verò immortalis, enitamur ut animi nostri memoriam post mortem relinquamus immortalem, dumque sepulturas hasce legimus, earum jacturam facilem esse putemus: quin illud potius agamus, quod Pericles ait, ut exuti mortalitate fine sepulchro fine etiam titulo, si ita contingat, nostri memoriam magis apud Deum immortalem, in Cœlo bonorum omnium operum remuneratorem, quàm in sepulchris, & marmoratis eorum inscriptionibus conservari putemus, mortisque ipsius memores semper dum vivimus, simus, nam nec aliam ob causam summum in Philosophia finem Platonem in assidua mortis cogitatione posuisse videmus, nisi quòd per eam, & vitia fugimus, & ad Virtutes accendimur, quibus rebus in supremi, & tremendi judicii tempore una cum corporibus non jam mortalibus surrecturi, donati illustri sempiternoque domicilio cum Deo glorioſissimo optimoque æternùm beato ævo perfruamur.

CLAS-



D . M .
IVLIÆ EVC·DIAE FLAVIÆ
NAIS CONIVGI ET IVLIA RESTITVTA
LIB·PATRONÆ B·ME·H·N·D·M·A·B

1



D . M.
CORNELIA
TABAIDE
FRATER.F.



1
D . M .
P. MATTIO HERMETI
SANI FLAVIA
SPE COIVGI
B.M.FECIT
2
D . M .
TROPHIMI
B . M .
3
D . M .
PVTYCHIÆ
VIXIT ANNIS XVIIII
A.CVDIVS CERDO
LIBERTÆ BENEMERENTI
POSVIT



2

D M
ARRVNTIA CYRILLA
TACCIO AGATHINO CON
IVGI B M FECIT

1

DIIS MANIB
T FLAVIO SECVNDO
AVSCIA SECVNDA COIVGI
SVO BENEMERENTI FECIT



1
D. M.
MELITONE
2
D. M.
MVNIGENVM VRBANI
ET CELERIS
MVNNIVS PLACCVS
PATER FILIIS
B.M.
3
D. M.
PETRONIO
AMERINA PETRONIA
AVRELIANÆ
FILIA PIISSIMA
PATRI B.M.F.
4
DIS MAN.
GLODIÆ M.ET SE.
FORTVNATÆ FECIT
M.CLODIVS TROPHIMVS
CONIVGI BENEMER.





1

2

D . M . S .
M.VLPIVS ROMANVS
EQ.R.VIXIT ANNIS XXII
MENS.II.DIES.XVIIII
M.VLPIVS GEORGVS
LIB.ET HERES
SARCOPHAGVM
POSVIT.CASTA TE
V.DO.BE.COIVGI BE.
NEMERENTI FECIT.

Tab. XXXIV

Tab. XXXV
125


DIS MANIBVS
L.PASSIENI.L.F.
AVGIANI VIX.AN.VII
M.V.DIEB. XVIIII
L.PASSIENVS
ANTHVS ET
O.FILIA AVGE
FILIO
DVLCISSIMO

CLASSIS QUARTA

Continens Lucernas Sepulchrales.

PRæter vaſcula in cœnis feralibus adhibita, reperiuntur ſæpe alia, quæ Vaſa lacrimarum dicuntur, atque etiam Lucernæ, & quidem in omnibus ferè ſepulchris, ut ſcripſit Gutherius de jure Manium lib.2.c.32.Utriuſq; generis icones exponendæ hic ſunt,prout extant in Muſæo, & primùm de Lucernis acturi præmittimus, in more fuiſſe Veteribus, & præſertim Romanis,ut in ſepulchris ardentes lucernas conderent; quod apertiſſimè probatur talium lucernarum copia, quæ paſſim in tota Italia intra monumenta reperta fuerunt. Hunc ritum accendendi lucernas primùm Ægyptios docuiſſe, oſtendit Clemens Alexandrinus Strom.lib.1. Caſalius de Vet.Ægypt. Rit. deinde ad cœteras Gentes tranſiſſe, a quibus ad nos Chriſtianos, ut docet Tertullianus de Idolol. num. 10. Nunc (inquit) *lucent Tabernæ, & Januæ noſtræ plures jam invenies Ethnicorum fores ſine lucernis, & laureis quàm chriſtianorum*. Celebriorum lucernarum, quæ in ſepulchris inventæ ſunt, luculentam hiſtoriam contexuit in ſuo primo libro Licetus. Cœterum illud huc revocandum eſt, quod plerique affirmant, collocatas fuiſſe lucernas in ſepulchris, quarum lychnj perpetuò arderent oleo inextinguibili, dummodo aerem vitaret. An hæc aſſertio ſit vera diſputarunt multi, præcipue Licetus, qui nunquam ſe vidiſſe tales lucernas ardentes fatetur, locutum tamen fuiſſe cum iis, qui viderant, legiſſeque Scriptores, qui id affirmant: & putat id factum fuiſſe in ſignum immortalitatis Animæ, quare forſan Ægyptii vitam humanam ſignificantes, occaſionem dedere Veteribus ponendi lucernas perpetuas in ſepulchris, innuentes, ibi Animas immortales ſemper morari.

Guido Pancirolus de Reb. memorabil. p. 1. tit. 35. refert ardentes has lucernas fuiſſe repertas his verbis: *Præparabant etiam Veteres oleum incombuſtibile, quod nunquam conſumabatur. Id noſtra quoque ætate ſedente Paulo III. viſum fuit, invento ſcilicet ſepulchro Tulliæ filiæ Ciceronis, in quo lucerna fuit etiam tunc ardens, ſed admiſſo aere extincta. Arserat autem annos plus minus* 1550. Hermolaus Barbarus coroll. 5. & Franciſcus Maturantius in Epiſt. ad Alphonium amicum, etiam teſtati ſunt tales lucernas inventas eſſe, atque etiam alii relati ab Henrico Salmuth in Comment. ad Pancirolum, at quo nam humore nutritæ fuerint non refert.

Fuſe agitavit hanc Queſtionem Kircherus noſter in Tomo 2. Oedypi cap. 3. Syntag. 20. & in lib. 8. ſect. 3. cap. 2. de Mundo ſubterraneo, ubi aſſerit impoſſibile eſſe, lucernas perpetuò ardentes conficere, nam etiamſi poſſit Ellychnium poni ex asbeſto, quod nunquam conſumitur igne, non poteſt tamen inveniri oleum, ſeu liquor alius inflammabilis, qui ita ſit conſtitutus, ut tantum ſemper novi liquoris, acquirat, quantum exhalatione evanuit, fiatque perpetuò liquoris conſumpti, & de novo advenientis perpetua generatiò, quæ quidem neceſſaria ſunt ad ignem perpetuum conſtituendum. Hiſtorias autem, quæ apud Authores communiter referuntur, ait, vel falſo fundamento innixas, vel præſtigias Dœmonum fuiſſe, aut oculorum fallacias; aut ſi veræ aliquæ fuerunt, tales lucernas divina arte longo tempore accenſas effulſiſſe, at de iis ſermonem non fieri, cum de perpetuis lucernis diſceptatur.

Gutherius etiam de Jure Manium lib.2. c. 32. affirmat fuiſſe aliquando repertam hujuſmodi lucernam ardentem poſt multos annos; negat tamen quòd clauſo tumulo arderet, ſed illo aperto ob immiſſum aerem ſtatim flammam conciperet, deinde ſubdit: *Qua arte id fieri poſſit, noſtrum non eſt diutius inquirere. Alii hac in re philoſophati ſunt, qui accenſis his luminibus advolantes alas ingenii combuſſerunt*. Illum ego imitabor tantummodo affirmans, perpetuas potuiſſe dici lucernas illas, ob lychnum ex lino asbeſtino formatum, quod nunquam igne abſumitur, vel ex eò quòd in ſepulchris repoſitæ relinquerentur, ut ſemper arderent, ac nemini fas eſſet illas extinguere; apud Antiquos enim (referente Plutarcho lib. 7. Symph. 14.) in more fuit nunquam extinguere lucernam, nec inſufflatu, nec alia ulla violentia, ſed inextinctam lucernam relinquere, quò uſque ignis oleum conſumpſiſſet, & deficiente nutrimento, ipſa quoque deficeret flamma: ſive id reverentia Sacri ignis facerent, ut dicebat apud Plutarchum Ceſernius; ſive ut Lucius ibidem, ne viderentur necem inferre elemento quodammodo animato; ſive denique ne lucernam extinguentes lucem aliis

invidere existimarentur, quod ibidem affirmat Florus. Poterant etiam dici perpetuæ, vel quod sæpius quodammodo perpetuæ reddebantur Lege, & testamento, quo præcipiebatur lucernas accendi, & humore apto nutriri, ut arderent. Modestinus hoc recitat ex testamento Meviæ his verbis: *Saccus servus meus, & Eutychia, & Irene ancillæ meæ, omnes sub hac conditione liberi sunto, ut monumento meo alternis mensibus lucernam accendant, & solemnia mortis peragant.*

Hujus generis lucernæ multæ erant, & frequentiores fictiles, multæ æneæ. Aliæ unius lychni, aliæ Bilychnes, paucæ etiam plurimorum lychnorum. Undenum se vidisse unicam affirmat Licetus. Lapidem etiam servari dicit in Musæo Benavidii Patricii Patavini: nec unius formæ illæ fuerunt, nam aliæ rotundæ, oblongæ aliæ, aliæ triangulares. Variæ etiam imagines diversarum rerum illis insculptæ, quæ sœpe fuerunt pro libito expressæ ab Artificibus, qui scribente Plutarcho quæst. 23. *eas vendebant cum cæteris rebus, quæ ad funera pertinerent in Templo Libitinæ, quæ eadem cum Venere erat*; ejusque moris rationem affert, scilicet, *ut monerentur hoc ritu caducum esse, quod esset natum, cum una eademque Dea, & ortui, & interitui præsideret*: unde Libitinarii dicti, qui funera curabant.

Multas retulit Licetus lib. 3. cap. 11. & icones in iis expressas eruditè exposuit. Plurimas eleganter exculptas vulgavit Petrus Sanctus Bartolus additis observationibus italicis Joannis Petri Bellori, quæ deinde latinè redditæ cum lucernis recusis prodierunt Coloniæ Marchicæ anno 1702. studio eruditissimi L. Begeri. Nos alias proferemus ab iis diversas, quas in nostro Musæo collocavimus, cum notis, quas rebus exculptis, in compendioso scribendi genere convenire judicabimus.

Et primo loco lucernam fictilem produco sub numero 1. Tabulæ XXXVII. de qua in Musæo olim brevissimè descripto a P. Athanasio Kircherio sub nomine Georgii de Sepibus part. 2. cap. 2. sic legitur. Inter lucernas una est ex Archimedis sepulchro eruta, a Laurentio Mirabella Authori donata pro singulari affectus sui in tantum rei antiquariæ peritum Virum (scilicet Kircherum) testimonio. Eam protulit etiam Licetus sic describens. Dum typum lampadis Romæ missum considero cum fundo forinsecus perforato, cumque tubo sursum de lucernæ fundo per caveam Lychni surgente, cogitavi locum istum fuisse per quem hastula candelabri transmitteretur, quo lucerna posset attolli deprimique ad arbitrium ea utentis, annulo supposito lucernæ, quam sustineret, ac hastulæ circumducto, quam arcte complecteretur, nec à pondere lucernæ deprimi valeret, sed a violentia tantummodo manus valentioris, cujus iconem fingi curavimus; ad normam lucernæ per hastulam candelabri sursum, & deorsum ductilis ad nutum legentis, ita ut oleum in cavea lucernæ positum nec è fundo perforato egredi posset, nec etiam hastulam candelabri de fundo lucernæ sursum ascendentem attingere, atque ulla ratione prorsus coinquinare. Huc usque Licetus pag. 1255. Eam facilè quisque conspicere potest in hac imagine, quam a Liceto mutuavimus, & cum lucerna quæ in Musæo asservatur contulimus ad amussim illi respondentem.

An hæc in sepulchro Archimedis verè fuerit reperta non audeo pro certo affirmare, ut asserit Author, qui Musæum Kircherii evulgavit. Quo enim fundamento fultus hoc dixerit ignotum prorsus mihi est. Dubitabo igitur, ut pariter dubitavit supra laudatus Licetus lib. 6. cap. 125. de reconditis Antiquorum Lucernis, ubi eam recensuit. Cupidus Licetus habendi pleniorem notitiam circa eam, Mirabellæ rationem, perlustrari curavit ab Amico Romæ degente, qui tale responsum dedit.

Acceptis litteris tuis vidi perlustravique diligenter opus D. Vincentii Mirabellæ Syracusani, qua parte tractat antiquam Syracusam, impressum Neapoli è Lazzaro Scorrigio 1613. ut inspiceram si quid afferret de Lucerna, cujus ad Te typus transmissus est, tanquam de comperta in sepulchro Archimedis, at re vera nullam in eo libro lampadis mentionem inveni; solùm in ultima libri parte ponens Author vitam Archimedis meminit sepulchri, quod illi Viro Marcellus insigne construi curavit, superimponens tumulo sphæram cum cylindro, addita inscriptione, (quam sine dubio noverat ab Affinibus Archimedis fuisse mentem Defuncti, relatam superius à Plutarcho,) cujusmodi multo postea Cicero Quæstor contra Verrem in Siciliam missas gloriatur inter dumos inveniisse se non exiguo labore. Quæ sola de proposito colligere potui ex opere Mirabellæ, qui sane fuit intimus amicus felicis recordationis Ducis Federicii Cesii Principis Academiæ Lynceorum, cui si lucerna similis ævo suo reperta fuisset, de illa notitiam dedisset, ut facit de nescio quibus ossibus gigantis in illa Regione inventis. Multi mihi videntur anni præteriisse ab obitu Mirabellæ; quare nescio qua fide tibi scriptum sit ab eo Lucernam istam inventam fuisse recens ab heri nudius tertius. Hactenus responsio illa.

Ex his apparet non adeò firmam, ac indubitatam fidem adhiberi posse vulgatæ famæ de lucerna recens inventa in sepulchro magni Archimedis a Mirabella. Nos tamen operi nostro eam duximus inserendam, ne præteriisse culpa-

remur,

remur, quod insignès Viri censent extitisse veram Archimedis Lucernam.

2

SEcundo loco Lucerna est uno foramine in acumine pro lychno prædita, in medio duobus ad humorem recipiendum aptis. Manubrium in aversa parte eminet; rosis, & liliis exornatur in gyrum dispositis; inter quæ Arca rotunda Bovem Zona cinctum repræsentat; Leonem humi prostratum aggredientem. Plura hac imagine posse significari autumo, & primùm dico certum fuisse apud Ethnicos, omnia quæcunque vivunt, morte tandem (etsi valida sint tanquam Leo) evinci, & in terram prosterni, juxta illud Horatii:

Mors æquo pulsat pede
Pauperum tabernas, Regumque turres &c.

Quòd ex his documentis probatur. De Lucerna alia, cum Bovis imagine ita disseruit Licetus lib. 6. Bovem hieroglyphice signare cadaver, & quòd per mortem homo resolvatur in terram, ex qua primitus ejus corpus a Deo plasmatum est, juxta sacrum Oraculum Gen. 3. *In sudore vultus tui vescēris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Terræ verò symbolum esse Bovem luculentè demonstrat Valerianus lib. 3. hierogl. ex eo quòd apud Persas barbara Ceremonia Bos fronte in Leoninam faciem conformata ex antro cornibus arreptus educebatur ad sacrificium, de quo Papirius.

Indignata sequi torquentem cornua mitram.

Quippe cum Taurus plurimum terrenum animal sit, terræ & inferis potestatibus damnatum, Soli tamen ab ea gente dedicatus, vim eam ostendere videbatur, quam sol in universam terram exercet. Quod autem extraheretur ex antro, deliteſcere vim ejus in terræ visceribus indicabat, quam ut evocarent, & frugum feracitati consulerent, sacrificii genus id constituerunt.

Zona cingitur Bos iste, ut indicetur ejus fortitudo. Zona enim, ait Valerianus lib. 1. plerisque locis Divinæ litteræ pro fortitudinis hieroglyphico ponunt, cingulum etiam apud Romanos militem strenuum significabat; ut discinctus Miles imbellem. & ignavum notat.

Hæc etsi vera dici possint, ad aliam interpretationem libentius transeo. Apud Antiquos bovem fuisse hieroglyphicum fluviorum, quibus ideo passim taurina cornua capitaque dabant, notissimum est unicuique, & late notat Pierius, item fluvios ipsos cornigeros, vel Tauricipites passim effingunt Poetæ. Hinc Maro Aeneid. octau.

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarū,
Et gemina auratus taurino cornua cultu.
Eridanus.

Athenienses tamen humana facie flumen figurabant, cornibus tantùm a fronte prominentibus, sive propter mugitum, quem edere flumina Taurorum instar videntur, & Taurorum instar ferocia sunt, ut Festus ait; sive quòd cornua, ob flexuosos eorum lapsus, fluminibus tribuantur, quare per boves illas in Ægypto septenas pingues visas a Josepho Gen. 37. multi intelligunt Nili septem annuas exuberationes.

Ægyptii etiam Nilum fluvium appellarunt *Osirim* ut refert Plutarchus de Iside, & Osiride, & ablata prima littera, quæ græcum articulum significat *Sirim*, ut apparet ex Plinio scribente lib. 5. cap. 9. Nec ante Nilus dicitur, quam se totum aquis concordibus rursum junxit. Sic quoque etiamnum, Siris, ut ante nominatus, per aliquot milliaria ex Afro Dionysio canente.

Hinc fluvii pinguis descendunt flumina Nili
Partibus & Libyces, qui currens solis ad ortus
Siris ab Æthiopum populis cognomine fertur.

Itaque *Siris* Aegyptiis erat proprium Nili nomen. *Apis* autem apud eosdem Bos Deus cultus fuit, quem & eundem cum Nilo putarunt, & ideo fluvium illum Deum nomine *Serapidis*, ex *Siri*, & *Api* composito coluerunt, multis illi templis extructis. Constat etiam ex Plutarcho *Sirin*, & *Apin* apud Aegyptios idem cum Nilo, & Serapide fuisse, docente ibid. *Plerique Sacerdotum in idem ajunt recidere Osirin, & Apin, & enarrant Apin esse intelligendum formosam Animæ Osiridis imaginem: sed Sacerdotum Sapientiores Osiridem censent omne principium facultate humectandi præditum, utpote causam ortus. Sicut autem Nilum Osiridis defluxum, ita Corpus Isidis Terram putant, non universam, sed quam Nilus invadens fatam reddit.*

Patet igitur nomen *Siris*, & *Apis* idem significare, quod significat *Serapis*, & *Busiris*. Patet etiam flumen Nilum variis nominibus appellatum esse, ideſt *Sirim*, *Osirim*, *Apin*, *Serapim*, & *Bovem*, quia non solùm cum aliis fluminibus flexuosus decurrit, & mugitum edit, concitatu cursu cadens de Catadupis, sed etiam fœcundat Aegyptum.

Nilus etiam singulis annis incipit crescere in ortu caniculæ, quę stella nomine proprio dicitur *Sirius*, & locum habet in signo Leonis. Leo insuper Soli est Sacer, & dicitur *Solare Animal*, ut docet Plutarchus in Sympos. & Proclus lib. de Sacrif. Addo quod scripsit Macrobius primo Saturnal. cap. 21. *Ægyptii*, inquit, *Animal in Zodiaco consecravere, & cœli parte, qua maxime annuo cursu sol valido efferuet calore, leonisque inibi signum domicilium Solis appellant, quia id*

animal videtur ex natura Solis substantiam deducere, primumque impetu, & calore præstat animalia, ut præstat Sol sidera, validusque est leo pectore, & priore corporis parte, ac degenerat posterioribus membris; Etiam Solis vis prima parte diei ad meridiem increscit, vel prima parte anni a vere in æstatem, mox elanguescens deducitur, vel ad occasum, qui diei, vel ad hyemem, quæ anni pars videtur esse inferior. huc usque Macrobius. Solem quoque cum Leonino capite effingi docuit Laurentius Pignorius, antiquitatum solertissimus indagator in expositione mensę Isiacę.

His prænotatis, præcipuè cum Fortunio Liceto, mihi persuadeo in expositа lucerna Leonem a Bove conculcatum significari posse, Nilum aquarum suarum profluvio superare vim Solis percurrentis signum Leonis, qua vi terra calefacta arescebat. Hanc meam opinionem confirmant Pierij documenta relata a Kirchero in tomo 3. Oedypi Syntag. 3. ubi ait. Aegyptios ad significandum incrementum Nili, quod Aegyptia lingua *Nun* significat, Leonis jacentis hieroglyphico usos esse, quòd cum Sol herculei Leonis terga adit, Nili diluvium excitat. Propter eam verò aquarum redundantiam, quam Leonis beneficio consequi se quotannis experiuntur, institutum est, & ubique Gentium in usu receptum, ut canales, qui aquam eructant, ad leonina capita absolvantur, ut ex leonum rictibus evomi aqua videatur. Nisi quis potius dicendum judicet, Virum alioqui viribus bene valentem a morte devictum fuisse, ut vis Solis fervidissima Niloticis undis superatur, quas in Bove ostendimus significari. Nisi forsan Author hujus Lucernæ voluerit indicare virtutem, quam Sol habet dispositivam ad generationem, in signo Tauri tempore Veris existens, & signo Leonis ejusdem Solis virtutem, perficientem res generatas. Sicut olim Ægyptii in gemmis exprimebant eandem virtutem insculpentes Animal quadrupede, quod Taurum simul, & Leonem repræsentabat, ut videtur apud Leonardum Augustinum de gemmis part. 2. num. 140.

Floribus insuper exornatur Lucerna, sed de his alibi erit dicendi locus.

3

TErtia Lucerna rotunda est, simulque Orbe circumdata, quam semiovatæ frondes, seu lacinia exornant; Non deest Manubrium, cui ex diamata opponitur lingua cum foramine pro lychno, sicuti aliud patet in dextera orbis parte fomiti destinatum. Puer est in medio alis præditus: non tamen Angelum putes, sed Cupidinem, aut Genium Amoris. Illum hymenæum vocarunt Antiqui, nuptiisque præfecerunt, de quo Claudianus in quodam Epithalamio:

Hunc Musa genitum legit Cytheræa ducemque
Præfecit thalamis; nullum junxisse cubile
Hoc sine, nec primas fas est attollere tædas.

& postea illum idem Poeta descripsit.

Dulce micant oculi, niveasque infecerat igni
Solque pudorque genas; dubiam lanuginis umbram
Cæsaries intonsa tegit &c.

Tœdam accensam gerit, nam antiqui in nuptiis Deos hymenæos quos dicebant *Conjugales* (ut refert D. Augustinus lib. 3. de Civit. Dei) invocantes totidem quot illi erant, scilicet quinque cereos accendere solebant. Elatam tamen illam non tenet, sed inclinatam, fortasse ut significet in sepulchro cineres alicujus Virgunculæ repositos fuisse, cujus nuptiæ intempestiva morte interciderint.

4

QUartò parum dissimilis superioribus se offert Lucerna corona laurea circumdata, intra quam Venatio Ferarum exprimitur. Venationum autem, quæ ludis Circensibus exhibebantur. omnes ferè veteres historici meminerunt. Legatur Onuphrius Panvinius, qui cap. 3. lib. 2. plures hujusmodi ludos, seu potius immanes venationes in circis exhibitas refert. Inter eas celebris fuit, quam Cæsar dictator confectis bellis civilibus populo exhibuit. De ea sic Tranquillus in ejus vita cap. 35. Venationes editæ per dies quinque, ac novissimè pugna divisa in duas acies quingentis peditibus, Elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc, & inde commissis. De venationibus Severi Imperatoris Herodianus lib. 3. hæc habet. *Severus Imperator popularis esse in primis volebat, edendis omnifariam magnificentissimis spectaculis, centenis etiam sæpe numero occisis belluis, quas omnibus regionibus conquirebat, sed & congiaria dedit uberrima, & certamen proposuit, undique accitis Ludionibus atque Athletis.*

De hujusmodi Athletis, seu Bestiariis Joannes Argolus in notis ad Panvinium sic ait. *Nihil habent, quo tegantur, non videlicet crate, cancellis, rota, ad ictum totis corporibus expositi, nunquam frustra manum mittunt.* Talem repræsentat Lucerna proposita cum bestiis dimicantem, quæ fortasse in sepulchro erat, in quo Athletæ membra fuerunt collocata.

Vena-

5

VEnatorem extinctum potest indicare sequens lucerna, in qua Venatio Ferarum exhibetur non quidem in circo, sed in aperto campo, ubi contra Taurum canis invehitur. Quantùm Antiqui venationibus delectarentur, non unico patet testimonio. Inter omnia satis sit referre Dionis verba de venationibus Caii Cæsaris Calligulæ lib. 59. *Cajus natali suo die venationem dedit; Ursæ quadringentæ ac totidem aliæ feræ affricanæ sunt interfectæ*, & alibi: *Cajus natali suo die Drusillæ biduo populo spectacula præbuit, equestria, & venationes; primo die quadringentos Ursos occidit, postridie totidem affricanas feras.*

6 & 7

EX lucernis hic delineatis altera Manubrium habet, altera illo caret, sed in ea tabercula eminent tribus inlocis in formâ crucis dispositа. In utraque Larvæ scenicæ imago est, quarum frequens expressio in sepulchris antiquorum cernitur, fortasse ut indicetur Vitæ humanæ Comedia, de qua Vates ille,

Grex agit in scena mimum; Pater ille vocatur;
Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Hujus generis lucernam fictilem exposuit Petrus Bartolus part. 2. num. 14. Antiquarum lucernarum, in qua quatuor visuntur scenicæ larvæ, quas ideo expressas in ea fuisse scripsit Bellorus, ut indicaretur sepulchrum alicujus Poetæ, seu Viri scenis assueti.

8

DElphinum habemus expressum in hac lucerna, seu piscem cui parum dissimilem protulit Licetus lib. 6. pag. 1126. & putavit eam extitisse in sepulchro Piscatoris, conjecturam trahenstum ex pisce, tum ex reperta inscriptione:

GENUTIUS ORATA
ROM. PISCATOR.
MALEDICTUS ILLE PISCIS
QUI SPINA ME CONFIXIT
HEU MONS LUCIS, ET TU RIPA
CUNCTIS PORTUM, MORTEM MIHI.

Verosimile igitur est hanc lucernam, e sepulchro Piscatoris erutam fuisse, aculeata, & venenata spina cofecti ab Araneo pisce. Neque enim desunt in aquis pisces venenati, quos refert Plinius lib. 9. cap. 18. *Nec venena cessant dira* (inquit ille) *ut in Lepore, qui in Indico mari etiam tactu pestilens &c.* Araneus etiam spinæ aculeum venenatum habet in dorso. Figulus tamen adeò ruditer piscem expressit, ut cujusnam generis ille sit dignosci minimè possit, & potius Delphini, quàm alia piscis imago conspiciatur. Si Delphinum expressum dixeris, in eo signum cœleste indicari credas de quo Ovidius.

Quam modo cœlatum Stellis Delphina videbas
Is fugiet visus nocte sequente tuos.

Cum autem Veneri Sacer hic piscis fuerit, in honorem Libitinæ accensam hanc Lucernam fuisse facilè dixerim, Eadem enim erat cum Venere, & mortuorum cineres frequenter eidem commendabantur, appositis titulis Veneri sacris, ut patet ex quampluribus sepulchrorum inscriptionibus.

9 & 10

BInę lucernæ, quas proponimus Imaginē Jovis custodis ostendunt pectore tenus expressi. fulmen enim gestat manu, ut Neronis numisma repræsentat, adjecta Epigraphe *Jupiter Custos*. Quem Antiqui inter Deos Penates Domorum Custodes numerabant. Sociam habet Aquilam fulmini insidentem, de qua Horatius in Ode:

Qualem ministram fulminis alitem,
Cui Rex Deorum Regnum in aveis vagas
permisit.

In earum altera talis imago circumdatur corolla ex ramis hæderæ ni fallor; rudi enim minerva expressa est. In aliis autem similibus, ut refert Jo. Petrus Bellori in suis notis ad Lucernas a Bartolo delineatas, exculpta est corona ex lauro, & quercu compacta. Ut ut sit, Arbores sunt Victorias, & triumphos indicantes, Apollini, & Baccho sacræ, qui cum Jove conveniunt. Ratio autem cur hæc expressa sint, multiplex esse potest: vel quia in honorem Jovis arderet hæc lucerna, cui sepulchrum dicatum erat; sicut in Lucerna ænea, quam num. 2. partis secundæ exhibuit Bartolus, titulus dedicationis legitur *L. Tetius Aliti Iovi DD.* vel quia, cum sibi suaderent Antiqui Animas post mortem ab Aquila in Cœlum transferri, ubi Jupiter Regnum obtinuerat, lacrimas abstergere in funere tali symbolo curabant.

Habet insuper hæc lucerna in summitate Manubrii simulacrum lunæ in cornua curvatæ, vel nascentis, vel cum sole mox congredientis, quæ pro-

propriam postulat explicationem: præsertim quia in pluribus lucernis reperitur. Talem habent Lucernæ aliquot apud Licetum, & sex aliæ a Bartolo relatæ. De prima earum differens Bellorus in notis ait: Ideo Lunam in omnibus exprimi, quia Proserpinæ seu Hecate cum cæteris Diis singulæ dicatæ fuerunt. Proserpinam enim Tergeminam singebant; nam in Cœlo credebatur Luna, in Terris Diana, & apud Inferos Proserpina. Verùm tanti Viri, eruditissimi atque, dum viveret, amicissimi venia, ab eo dissentire non dubitabo; non tamen negabo potuisse dicari Proserpinæ lucernas cum expressione lunæ in cornua curvatæ. At cum in proposita Jovis imaginem habeamus, necesse non est aliam Deam in ejus consortium advocare. Eruditissimus Fortunius Licetus explicans similem lucernam ait: verosimile esse eam arsisse in tumulo Viri nobilis, vel etiam extra sepulchrum usui fuisse viro nobili, qui sui generis claritudinem in lucerna refulgere voluerit. Luna enim apud Antiquos, cum multorum rerum symbolum esset, in primis erat Nobilitatis ex antiquitate Prosapiæ, nam, ut ait Valerianus lib. 11. Pervulgatum est Lunæ gestamen apud Arcades nobilitatis tesseram extitisse; qui propterea Proselenes appellati fuere, quòd post Deucalionis diluvium primi ipsi lunam inspexisse nascentem se credidere; quodque putarent universum humanum Genus aquis obrutum periisse, & a se rursus originem propagationis emanasse. Erat verò gestamen, quo uti solebant Arcades, fibula in Lunæ cornua porrigentis speciem, qua calceamenta connectebantur. Quin & Romanis, qui nobilitate præstarent, gestandi lunulas morem fuisse Plutarchus tradit in quæstionibus Romanis quæst. 79. sed de hoc signo alibi dabitur fusius differendi locus.

In Præsentiarum satis sit innuere sententiam Plutarchi. Quærens ille, cur qui nobilitate generis aliis præstare viderentur, lunulas in calceis gestarent: An, inquit, signum hoc est habitationis supra lunam, quæ fertur, & quod post mortem rursus Animę lunam sub pedibus habebunt? sicuti hoc quoque institutum erat, ut rebus secundis elati, & superbientes mutationis fortunæ in alteram partem admonerentur, exemplo videlicet Lunæ, quæ primùm recens extitit, e caligine, fulgore de hinc subinde faciem splendido augescit, illustrans, & cum pulcherrima renidet Orbe pleno, rursus exuit lumen suum, & ad nihilum redit. Tale Plutarchi documentum viam aperuit, ut clarè dignoscatur, cur Luna in sepulchris, eorumque lucernis exprimeretur.

11

UNdecimo loco Lucerna vultum Dianæ, seu Proserpinę mõstrat inter cornua dimidiatę lunæ exculptum. Huic Deæ sacram illam fuisse ratio suadet. Pluries enim sepulchrales Urnæ illi dicabantur, sicuti loco Deorum Manium, aliorum Deorum nomina exprimebantur.

12

LEo exprimitur in sequenti lucerna, in quo nil aliud significatum fuisse crediderim nisi signum esse cœleste, in quo Sol effervescit. Currens apparet, ut velocitatem ejus syderis declaret.

13

MIlitis defuncti sepulchrum illustrasse Lucernam sub hoc numero delineatã, corona in eadem expressa suadet. Laurea enim cum sit, Virtutem militarem indicat, quæ hujusmodi corona, quandoque etiam ex quercu declarabatur, ut tradit Hellius lib. 5. cap. 6. & Plinius l.b. 22. cap. 3. & 4. Potuit etiam esse signum triumphi; nam talem lucrabatur Dux quilibet, qui sedata Provincia, victisque hostibus Tarpejam Arcem triumphans ascenderet. Nisi velit quis potius dicere, in ea ritum antiquum recognosci debere coronandi cadavera, & spargendi sepulchra floribus, & coronis. De quo ritu aptè Clemens Alexandrinus lib. 2. A turba, & negotio remotæ securitatis signum est corona, quare ea, & mortuos coronant. Illum tamen improbavit Minutius Felix in octavio his verbis. *Ego vos in hoc satis miror, quemadmodum tributis exanimi, & non sentienti Coronam, cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus.* Videmus proinde in quamplurimis lucernis, Urnisque Sepulchralibus coronas florum expressas.

14

FLoribus etiam exornata est Lucerna bilychnis, quam vides cum Manubrio, in parte oppositа, & duobus hinc inde protuberantibus mucronibus. Ex argilla nigri coloris compacta fuit, quæ rarò inter rudera Antiquitatum reperitur. In medio foramen habet, ad oleum excipiendum, labro eminenti circumdatum, ut me-

lius

lius infundi poſſit. Cujus nam generis ſint floſculi in ea exculpti, non adeò facilè dignoſci poteſt. Ex remuſcuis, in quibus inhærent, dicerem florem eſſe herbæ inhærentem, quam Convolvolum vocant, quæ juſta Plinii relationem lib. 21. cap. 5. *naſcitur per fructeta, nullo odore, candorem tantùm referens, ac veluti naturæ rudimentum lilia facere condiſcentis.* De uſu florum in ſepulchris dictum eſt ſatis, non videtur tamen omitti poſſe id quod narrat Diophantes Lacedæmonius, qui Antiquitatum libros 14. ſcripſit. Ait ille apud Giraldũ de Sepulchralibus Aegyptium hominem locupletiſſimum filium ſuperſtitem, ejus ſimulacrum domi conſtituiſſe, ad quod Famuli confugerent, cum Domini iracundiam furoremque evitare vellent, & familiares a Domino veniam conſecutos, *ſimulacrum ipſum floribus, & coronis ſolitos ornare, & odoramenta adolere, quæ ſunt poſtea ad ſepulchra tranſlata.*

Poſſunt igitur flores expreſſi ſignificare, quòd Amicus ſive alius ſuperſtes mortuo flores, & herbas odoriferas in tumulo poſuerit, juxta illud Maronianum Eglog. 5. in funere dilectiſſimi pueri.

Spargite humum foliis, inducite frondibus umbras,
Paſtores, mandat tibi fieri talia Daphnis.

Putabant enim Gentiles eorum Animas, qui moriebantur, in Juventute diu morari circa ſepulcra, delectarique in mollibus herbis, & odoratis floribus, unde Juven. Sat. 7.

Dii majorum umbris tenuem, & ſine pondere terram,
Spiranteſque crocos, & in urna perpetuum ver &c.

Quare ſignificaturus in urna continente dilecti ſui cineres Ver ineſſe perpetuum, aptiſſimè ſculpit flores, & frondes. Cœterùm Antiquos floribus, & frondibus ſepulchra coronaſſe, obſervat in antiquis lectionibus Cælius lib. 7. cap. 20. Corolla ex Potho, qui duplex eſt, alter hyacinthino flore, candidus alter, ex Amarantho, ut oſtenderet, inquit Thileſius lib. de coronis, *flore nunquam intereunte famam Herois perpetuò duraturam.*

15

IN ſequenti lucerna cujus ſuperficies plaſtica arte compacta lævorem quendã exhiber, licet longo annorum ſpatio: detũrpatum, & corroſum, ſex palmarum rami in crucem, ſeu ſideris ſpeciem diſpoſiti exculpti ſunt. Quid illi ſignificent, non adeo clarum eſt, ut dubitari non poſſit. Joannes Baptiſta Caſalius de Rit. Chriſtianorum antiquis agens, & afferens lucernam hujus generis cum palmis hæc habet. Demum altera in qua palmæ ſunt expreſſæ, & hæc ad Martyrum ſepulchra conſueverat apponi, ut in Apocalypſi, *Palmæ in manibus eorum.* Etſi non de Solis martyribus ac fortè non de Martyribus ibi loquatur Evangeliſta: nam illis tribuit Stolas albas; ſcribit enim ibi Joannes de palmas gerentibus, ubi Lyranus: Dicuntur omnes beati, non ſolùm Martyres in Empyreo amicti ſtolis albis per gloriam animæ, quæ quidem gloria per ſtolam albam deſignatur. Palmæ verò datæ ſunt omnibus beatis in ſignum Victoriæ, quam habuerunt, etiamſi citra martyrium de mundo, carne, & diabolo, tribus hominum adverſariis, quæ palma Victoriæ non habetur in præſenti ſæculo, in quo homines quantumvis ſancti, ſunt ſemper in pugna. Licet autem communiter palmæ ponantur in manibus Martyrum per quandam appropriationem, & excellentiam, debentur tamen omnibus beatis, quorum vita fuit militia ſuper terram, de qua morientes exierunt cum Victoria, qua ſuperarunt hoſtes inviſibiles, atque viſibiles. Et Eucherius apud Pierium Hier. 50. oſtendit palmam eſſe ſymbolum non tantùm Martyrum, ſed omnium Piorum. Ita Origenes in Geneſim 23. *Palma victoriæ ſignum eſt illius belli, quod inter ſe caro, & ſpiritus gerit.* Et de Martyribus præcipuè quamplurimi Eccleſiæ Doctores, & ipſius Eccleſiæ conſenſus, quæ de Martyribus agens illa verba uſurpat. *Martyrii palmam accepit &c.* Verùm nemo negabit, opinor, palmam in ſepulchris, ſeu lucernis expreſſam potuiſſe apponi, ut indicaretur alicujus militis invicti Virtus, non diſſimili modo ac Verbum *Fortis* ſæpè in lucernis inciſum, nec Martyrem ſignificat, ſed militem, vel Athletam, ſeu alium, cui tale nomen conveniret. Hanc opinionem confirmant documenta ſapientiſſimi Liceti, qui de Lucernis antiquis agens, hæc habet. A Tergo inſcribitur *Fortis* fundus poſticus inſcriptus erat *Strobili* in fundo inciſę litterę *Secul.* Inſcribebantur autem Lucernæ aliquando nomine defuncti, cui accendebantur, aliquando nomine artificis, a quo plaſmabantur, aliquando nomine amici, a quo accendi curabantur, aliquando nomine ſervi, a quo cuſtodiebantur, aliquando nomine Numinis, cui dicabantur, quod facilè conjectari poſſumus ex varietate inſcriptionum nuper adnotarum; nam littera T, indicat initium nominis Artificis. Donati nomen amici fuit. Chriſti nomen habuerunt, quæ Chriſtiano cineri, vel Chriſti imagini accenſæ fuerunt. *Fortis* videtur fuiſſe ſervus hujus nominis lucernæ cuſtos. Eodem ferè modo de Palmis dicendum eſt. Hæc tamen ambiguitas ſæpè aufertur ex aliis pluribus circumſtantiis, ex quibus

bus omnibus certum Martyri argumentum deducitur.

16

DEcima sexta Lucerna bilychnis, duplex habens foramē pro duplici flamma, Apollinis caput demonstrat, qui solem significat. Lunæ imminet, quæ cornibus Solem respicit, ut ejus sideris virtutem, a Sole communicatam intelligamus. Utriusque autem periodos applicarunt antiqui, post quas, ut innuimus, Animæ defunctorum in alia corpora reviviscere deberent. Ait enim Socrates apud Platonem in Phædone. Ex veteri sermone abire ad Inferos Animas defunctorum, rursumque huc reverti, fierique ex mortuis quasi quodam curriculo remeantes, ad demostrandam animæ immortalitatem, nam ex Viventibus mortui, & mortuis viventes fiunt.

17

AD decimam septimam lucernam gradum facimus, cui similem exposuit sub n. 30. partis primæ Petrus Bartolus; in ea videtur Quadriga, quam Aurigator triumphans regit, manu elevans palmam relatam in signum Victoriæ. Notissimum eruditis est, inter multa spectaculorum genera, quę in Circo maximo antiqui Romani edere consueverunt, pręcipuum fuisse certamen curule, & equestre. De his disertè egit Panvinius lib. 1. cap. 9. de ludis circensibus; erat cursus aliquando bigarum, aliquando verò trigarum, & quadrigarum, adjunctis curribus equis, qui cursitabant. Currentes bigę lunam imitari putabantur, quę gemino cursu cum sole contendit, sive quòd nocte videatur, & die: & ideo bigis alterum equum nigrum alterum candidum jungebant, qui noctem, & diem repręsentabant. Quadrigas autem Soli tribuerunt, quòd Sol per quatuor anni tempora singulis annis vertatur, sic Tertullianus Epig. de Cin.

Lunæ biga datur, semper Solique quadriga.

Ericthonium Athenarum Regem primum quatuor equos currui adjunxisse narrant, de quo Virgilius 3. Georg.

Primus Ericthonius currus, & quatuor ausus
Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor.

Ex his quatuor equis duo dicebantur jugales, qui jugo, duo verò funales, qui loro, hinc inde alligabantur, antiqui enim non binos equos ut nunc fit, sed quatuor, æquata fronte jungebant, ut dixit Silvius Italicus lib. 6.

— pacis de more putares
Æquata fronte, & concordi currere fræno.

Aurigę sive illorum agitatores dicebantur, vel Bigarii, vel Quadrigarii. Eorum initio duę factiones erant, & a colore vestium, quibus dum cursitarent, induebantur, nomina sortiebantur. Scilicet alba, & rubea tecti curribus insidentes certatim currebant, sed postea voluptatis aut superstitionis causa ex duabus, quatuor factiones factæ sunt, Prasina, Russata, Veneta, & Albata. De his plura Panvinius de Ludis Circensibus cap. 10. Igitur currentes in orbem circum metas, quæ in circo duplices erant, septies circuire debebant, Auriga verò, qui primus curru septimam metam confecisset, victor erat. At Bravium sive præmium accipi à Victore non poterat, nisi decursis septenis spatiis; quare Seneca lib. 3. Epist. 4. *Agitatorum lætitia, quum septimò palmæ appropinquat.* Siquidem ubi septimo curriculo confecto agitatores circum metas decurrissent, tum palma Victori dabatur. Huc etiam spectat illud Odarum Horatii initium:

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat, metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Dubitari tamen potest an Victoribus verè palma daretur in signum Victoriæ, & præmiorum acceptorum, qualem in Lucernis aliquibus, Icon aurigæ ostendit. Præmia enim ab Imperatoribus data, fuisse ingentem talentorum summam, pluribus probat supra laudatus Panvinius, de ludis circen. ubi cap. 13. lib. 1. exponit tabulam repertam in Vaticano, in qua talia præmia recensentur, & ab eodem Panvinio explicantur cap. 14. pag. 37. num. 7. De palmis affirmat T. Livius in fine lib. 10. his verbis: *Sp. Carvilio, & L. Papirio consulibus coronati primum ob res bello bene gestas, ludos romanos spectaverunt, palmæque tum primo translato à Græcia more Victoribus datæ.* Rationem affert Gellius lib. 3. cap. 6. ex 7. Probl. Arist. Si supra palmæ arboris (inquit) lignum magna pondera impones, ac tam graviter urgeas, onerisque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur, recurvaturque, propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam signum esse placuit Victoriæ: quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut opprimentibus non cedat. Victorem igitur demonstrat Lucernà in Quadriga brevi tunica circumamictum, qualem descripsit Callixenus Athænei ubi dixit, ut breves tunicas haberent aurigantes pueri, & petasos in capite. Illam Lora circum pectus cingebant, quæ ex habenis ipsis fuisse affirmat Argolus

golus in notis ad Panvinium, ut octo lora facilius possent distinguendo temperare, totiusque vi corporis equos retinere.

Cur autem in Lucerna hac Quadrigarius victor expressus fuerit, occasio ariolandi potius datur, quàm aliquid certò exponendi. Illam fuisse compactam, ut in ejusmodi hominis sepulchro arderet, si quis affirmaverit, non improbo, affirmabo tamen Lucernas non semper effictas, ut in sepulchris deponerentur, sed sæpe Artifices easdem pro suo libitu figuris ornasse, quas deinde pretio sibi comparabant cœteri, vel ut in delubris Numinum quæ colebant, dicarent, vel etiam in domibus ad privatos usus adhiberent. Sæpe etiam deserviebant in fornicibus, & subterraneis locis, ut in Lupanaribus, ubi exiguum lumen passim lychni accensi reddebant. De qua Re Tertullianus. *Cur die læti non laureis postes adumbramus, nec lucernis diem infringimus? honesta re, & solemnitate publica exigente, indicare domui tui habitum alicujus novi lupanaris?*

18

LUcerna globulis exornata in gyrum dispositis ostendit Sphingem; in qua animal repræsentatur duplicis generis, muliebre caput Vitta est redimitum, sicut apparet in iis, quæ Romam ex Ægypto deductæ passim in Urbe videntur. Calanticam habet a summo vertice ad occipitium, facie decora collo tenus; at infra, corpore velut equino, cruribus, ac pedibus leoninis.

Fuit sine dubio hæc lucerna sepulchralis, nam Antiqui sphinges passim sepulchris imponebant, quia, & integram Pyramidem sub imagine Sphingis in Ægypto conditam testatur Plinius lib. 36. cap. 32. maximè verò circa loca, in quibus solet exundare Nilus, sicut Heliopoli, & in deserto memphitico. Nihil autem significabant, referente P. Kirchero in Oedypo Synt. 3. tom. 3. nisi Nili inundationem, non enim talia Animalia exprimebant Ægyptii, quod crederent alicubi reperiri, sed ad connotanda reconditiora mentis sensa. Cum autem incrementa Nili mense Julio, & Augusto durent, & Sol iis mensibus maxima ex parte Leonis, & Virginis signa percurrat; ex Virgine, & Leone formare monstra consueverunt, quæ Sphinges appellabant, erantque statuæ Nilo consecratæ.

Lucernam verò propositam dicatam fuisse Minervæ putamus, nam Minerva Sphingem gestare solebat. Confirmat hanc opinionem caput muliebre, quod ad instar Manubrii lucernæ imminet. Isidem tamen illud refert; nam efformata est cum coma torta, & reflexa, & modium gestat in capite abundantiæ symbolum. At eandem fuisse Isidem cum Minerva nullus antiquarum fabularum peritus nescit: Quot etiam nominibus Isidem fuisse vocatam docuimus alibi cum Apulejo lib. 11. Metamorph. En adsum ait illa &c.

19 & 20

LUcerna prima militē armatum exhibet, qui stricto acinace, clypeoque munitus contra hostem invehitur. Alia verò subsequens numero 20. indicata Militem quiescentem, & sub armorum pondere defatigatum. Utramque accensam fuisse, ut in sepulchro alicujus militis arderet, ad indicandam fortitudinem bellicam Viri, qui singulari certamine strenuum hostem interfecerit, expressæ icunculæ declarant. Dubitari autem potest an fuerint milites in Acie occisi, an potius ex Gladiatoribus, qui in Theatris, seu in Conviviis, atque etiam in Funeribus dimicabant. Norunt antiquæ eruditionis scrutatores, quàm frequentia fuerint, apud Romanos præcipuè Gladiatorum spectacula in Theatris, in quibus ait Tertullianus lib. de spectac. *Gladiatores innocentes in ludum veniebant, ut publicæ voluptatis hostiæ fierent*. Quam artem gladiatoriam, etsi plurimùm homines vilissimi mercenarii exercuerint, aliquando tamen etiam Viros nobiles, & primarios, quin etiam Duces, & Imperatores ipsos illam exercuisse affirmat inter alios Athenæus, & Demetrius Sceptius qui lib. 12. Troici ornatus hæc scripsit: *Apud Arotiochum Regem, qui magnus dicebatur, non amici solum Regis in arma tripudiabant, in cœnis, sed ipse etiam Rex*. Julius Capitolinus asserit Commodum Imperatorem fuisse Gladiatorem, eximium, & in publicis Theatris, spreta imperatoria dignitate, gladiatoris partes adimplesse.

Norunt etiam, quod animus meminisse horret, exclamat Laurentius Pignorius de servis pag. mihi 194. in convivium receptos fuisse hujusmodi gladiatores à quibusdam adeo familiariter, ut non possim non mirari præposterum Philosophi hominis consilium, qui non has tragicas scenas, sed etiamnum in convivio improbaverit ludicram pugnam, de his Silius lib. 11.

Quin etiam exhilarare Viris convivia cæde
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro sæpe, & super ipsa cadentem
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

Quare conveniunt hisce cruentis spectaculis illa Petri Chrysologi serm. 137. In arenam vertitur domus, mensa migrat in caveam, fiunt de pransoribus spectatores, furore mutatur convivium fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem.

Notum demum apud Romanos in usu fuisse Gladiatores exerceri in funeribus juxta Rogum, ut Rogus ipse sanguine perfunderetur humano.

21

VElocitatem indicat Equus alis præditus in Lucerna vigesima prima exculptus. Alatus a Callimacho fingitur is equus, ad notandum stellæ celeritatem. Vocatur a Claudiano Æthon, & Auroræ nuntius dicitur apud Homerum. *Quin etiam velox Auroræ nuntius Æthon, Qui fugat hinnitu Stellas.* Aethonis verò vocabulum ab ardendo derivatum est, idemque nomen dat Ovidius uni ex Solaribus equis, & ipse met Claudianus uni ex Quadriga Plutonis. Tali enim equo, currum Solis vehi simularunt Antiqui, juxta Ovidium in Fastis,

Sextus ubi è Terra clivosum ascendet Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpet equis;

eoque curru Animas defunctorum ad Cœlũ sive ad Elysios campos transvehi, falsò opinati sunt, unde post varias Solaris cursus periodos omnes remeare deberent, novamq; vitam inciperent: ut sibi inter cœteros suasit Pittagoras. Qua de causa in quamplurimis lucernis, & sepulchris equus ejusmodi invenitur exculptus, & præcipuè in sepulchro Nasoniorum a Petro Bartolo typis dato cum notis Joannis Petri Bellori.

22

VIgesima secunda lucerna fictilis duplici lychno prædita, & eleganter compacta ex rubra argilla, folia quamplurima in gyrum disposita in medio labet, & in parte superiori Manubrium triangulari forma absolutum. Non tamen credas Sanctissimam Triadem in illo significari, sed potius Tergeminam Hecaten, vel tricipitem Serapidem, in quo Solem Aegyptii venerabantur, ac tria tempora, ideſt Præsens, Præteritum, & futurum agnoscebant. Idcirco triplici Animalium forma simul unita efformabant, ideſt Leonis, Canis, & Lupi, nam referente Macrobio in Saturnalibus, Leonis capite monstratur tempus præsens, quia conditio ejus inter præteritum, & futurum actu præsenti valida, & fervens est; sed præteritum tempus Lupi capite signatur, quòd memoria rerum præteritarum rapitur. Item canis blandientis effigie futuri temporis designat eventum, de quo nobis spes licet incerta blanditur. Fuisse ab ethnico artifice effictam clarè demonstrant pulli gallinacei extra caveam farra legentes. Sunt illi augurii symbolum aptissimè in lucerna expressum; quoniam Antiqui lucernas laternasque Auguribus assignabant, semper effulgentes, ut ait Plutarchus in Quest. Romanis. Itaque ille qui lucernam istam habere voluit, augurii symbolum dedit in auspicio fausto pullorum, e cavea egressorum ad edenda grana projecta. Quod ut clarius pateat, huc revocanda sunt, quæ Rosinus retulit c. 10. lib. 3. Antiq. Rom.

Erat apud Romanos Collegium Augurum summo in honore habitum, quod primum tribus constabat, mox uno addito, quatuor extiterunt. sed cum post plebs admissa esset in partem honorum Urbis, quinque plebeii augures creati, & patricii quatuor, novem numero fuere. Plura Tullius de Divinat. & alii. Præter Augures erant Pullarii, qui Caveæ pullorum curam agebant, e quorum pastu Auguria captare Augures solebant: quæ Auguria, quoties offa pullis data aliquo modo cadebat in solum, Tripudia *Solistima* dicebantur, ita Festus. Captabantur autem Auguria ex pullis hoc modo. Quotiescunque de inchoanda re quapiam Deorum per pullos sensa exploratum ibant, imperato de more silentio, pultem illis ante offam cavea recluſa objiciebant. Quodsi ad oblatam escam mox pulli e cavea non prosilirent, aut serius egressi, vel non attingerent eam, vel alarum motu dissiparent, vel relicta esca oberrarent, aut occinerent, aut prorsus non vescerentur, omen præseferebant, magni terroris, & sollicitudinis, eventusque tristissimos; & pullarius exitum animo prævidens, ne quid molirentur, sed desisterent ab incœpto, vel differrent deliberationes, hortabatur. Quod si pulli prorvuerent, cum impetu, certatimque in escam involarent, & avidè depascerentur, ita ut vescentibus illis aliquid ex ore relaberetur, inde spe hausta, pullarius, ut constanter incœpta negotia urgerent imperabat, & successus optatos a Diis spondebat.

Caveæ pullorum imago in antiquis monumentis cernitur. Hunc augurandi modum Claudius primo bello punico derisit, referente Valerio Maximo lib. 3. cap. 4. Cum pullarius non exire è cavea pullos renunciasset, abjici eos in mari jussit, dicens: *Quia edere nolunt, bibant.*

Quod si pullarius, quæ Dii divulgata voluissent, dissimulasset, aut veteratoriè suppressisset, idem contrahi nefas credebatur, ac si quæ tacita ferenda erant, palam fecisset. Si verò mentitus fuisset, aut eo quod ostensum fuisset, subdole depravato, sensum non illi, qui consulebat, fraudi esse, sed in auctoris retorqueri caput censebatur. Hæc omnia improbans Aurelius Prudentius sic in Romano Martyre ait.

Cum Consulatum initis, ut vernæ solent,
Pudet fateri, farre pullos pascitis.

Locum

23

LOcum vigesimum tertium occupat Lucerna bylychnis, falcatam lunam gerens in loco Manubrii, & in medio imaginem Avis Pellicani, cui similem protulit Licetus pag. 1059. lib.6.de Lucernis. Eam capacem esse eruditionis ait. Enimverò Avis hæc juxta Valerianum in Hierogl. lib. 20. Niloticæ solitudinis est, sed quærens cur in Lucerna sit expressa, respondit: Quoniam avis est ignem non timens immo despiciens; quid si dixero prorsus amans? Audiamus Pierium. Fama perhibetur in furentis ignis ardores se injicere, eaque perseverantia cruciabili tormento torreri, supra quam excogitari possit admirandam. Quodnam enim Animal tam fatuum, tam stupefacto sensu invenimus, quod ad unius prunæ tactum, e vestigio non resiliet? quod adeo robustum atque impavidum, ut accensam non expavescat flammam &c. Itaque ait Licetus in Lucerna Pelicanum positum arbitramur, ad indicandum ejus alitis maximam cum igne cognationem, qualis similiter est olei cum flamma, quæ fomitem ultro repentem ad se deposcit. Qua ratione scitissimè pingitur avis ista pedem alterum inferre in foramen, ingressui fomitis institutum, quasi conscensura sponte in flammæ voracis nutrimentum. An vera dixerit Licetus Lectori remitto, & ad aliam lucernam gradum faciam.

24

ALia se obtulit lucerna forma a cœteris diversa, nam oblonga illa est, Manubrio prædita, quod aliquantulum inflexum foramen ostendit, oppositum duplici alteri foramini, quorum primum in medio fomitem excipiebat, secundum in patula extremitate Ellychnium. Inter hæc duo foramina ruditur exculpti sunt bini veluti semicirculi, quos primo intuitu judicabam indicare laminas ferreas, quæ equorum ungulis clavis ferreis aptantur. At diligentius examinatos illos similes recognovi antiquis armillis ejus generis, quæ videntur in nummo veteri, relato ab Antonio Augustino dial. 1. & expresso a doctissimo Scaccho Myrothec. 2. cap. 41. ubi agit de Armillis, quas milites more mulierum locabant in bracchiis, scilicet semicirculos non perfectæ peripheriæ absolutos. Aptabantur enim supra bracchiale ferreum; & ne ad cubitum descendendo in tractandis armis militi impedimento essent, in illa parte quæ axillam respiciebat, apertæ relinquebantur, & fibula aliqua coriacea bracchio constringebantur. Huic armillarum alligationi Casaubonus subscribit in notis ad Capitolini maximinum in verbo *Dextrocherium*. Earum typum exhibuit etiam Thomas Bartholinus de Armillis Veterum §. 4. pagina mihi 57. Erant etiam armillæ formæ circularis, sed de his dabitur alibi dicendi occasio. In præsentiarum de expressis in lucerna sermo sit, quarum usum apud Veteres milites fuisse scimus ad armorum ornamentum. Sic Bartholinus pagina 103. Sæpe militibus ex bello feliciter reversis distributa fuere armorum brachiorumque ornamenta, quorum ope fortiter res gesserant, ut hæc virtutis præmia se iisdem meruisse brachiis recordarentur. quare Isidorus lib. 19. orig. cap. 31. Armillæ, ait, propriæ Virorum sunt, collatæ Victoriæ causa militibus ob armorum virtutem. Potest igitur dici lucernam hanc in sepulchro militis arsisse, non tamen pro certo haberi velim fuisse semper lucernas variis symbolis insignitas, quæ mortuo convenirent. Varias enim mihi suadeo cum Liceto lib. 3. cap. 11. fuisse exornatas imaginibus diversarum rerum pro libito artificum, ut ex iis in Templo Libitinæ emptoribus expositis, eas quisque seligeret, sicuti alibi indicatum est, quas vita functis aptari posse judicabat, vel Numini convenire, in cujus honorem tumuli erigebantur. Sic etiam affirmat eruditus Joannes Smith aliquas inscriptas fuisse nomine defuncti, alias nomine fabri, sicut passim in pluribus certissima conjectura habetur.

25

FIctilis Lucerna Unilychnis duo gerens foramina, quorum alterum pro ardenti papyro eminet, procul a corpore globoso lucernæ, in ejus prominente velut naso: sed alterum est excipiendo fomiti paratum, & habet locum in centro areæ rotundum. Circa id foramen circulus est intra alium majorem circumferentiam lucernæ describentem. Inter hos duos circulos veluti coronam faciunt intercepta pleraque militaria insignia, galea, Clypæi, peltæ, pharetra, securis, lorica pectoris, atque dorsi, sive mavis trophæa, ex quibus conjicere licet hujusmodi lucernam positam fuisse in delubro quodam Palladi sacro, nam repræsentat varia militum donaria, quæ Tholo Templi Palladis appensa fuere. Confirmat hoc Luna, quæ instar Manubrii supereminet lucernæ, in qua Dianam sub specie Lunæ venerabantur Antiqui. Si verò illam sepulchro inservisse dicas, potuit indicare strenui militis cineres in eo repositos.

26

QUæ sub numero 26. apparet delineata, similis est illi, quam exposuit Laurentius Pignorius, Joannes Baptista Casalius de Vet. Christ. Ritib. cap. 4. & ex eo Licetus lib. 6. cap. 46. In earum centro nota est designans hanc vocem *Christus*, totamque arcem Lucernæ occupans ad instar cujusdam rotæ. De his differens supradictus Casalius ait: Quoniam Prisci Fideles sæpissimè lucernis utebantur cum signo X quod P intersecat, quibus litteris crucem, & Christum fuisse denotatum demonstravimus, ut similiter hoc idem denotat signum P in altera mea lucerna. Et hæc symbola congruè lucernis Fidelium appositæ, quod ipse Christus testetur de se: *Ego sum lux mundi qui sequitur me non ambulat in tenebris*. Hæc Casalius. Illi tamen contradicit Licetus, tribuens ejus Pietati, non veritati ea, quæ affirmavit, opinaturque, Antiquos ea notæ significare voluisse non crucem, quæ facilius absque superposito P. grecanico simplici sui nota ✠ significatur. Cæterum quum videamus signum illud P in nummis antiquioribus ætate Christi sculptum habere significationem prophanam, certè determinare non possumus, quam significationem habeat in ejusmodi lucernis. Confirmat hæc D. Isidorus de originibus, ubi refert eam notam quæ *Chrismon* dicitur, & formatur ex P. & X. græcis litteris junctis, indicare aliquid indeterminatè ad arbitrium cujuslibet hominis utentis. Si enim Institutores earum Christiani fuerint, uti quidem potuerunt ea nota ad significandum, accendisse lucernas in honorem Christi: si verò Gentiles, incertum est, quid ea notæ significare voluerint, nomen ne proprium Artificis Chremetis, Chrysippi, Chrysodori Chrysmathii &c. aut defuncti, cui simile nomen fuerit. Cum Isidoro in eadem sententia fuit Pignorius in libro Symbolarum Epistolicarum Epist. 24. Consentit Pignorio, P. Fortunatus Scacchus eruditione Sacra, & prophana pollens, in suo priore Sacrorum Olæochrismatum libro, scribens istiusmodi notam vetustiorem esse Christi natalibus, & ab Antiquiore Gentilitatis usu traductam. Eandem pariter sententiam veram esse affirmat in suo erudito Schediasmate de Monogrammate, scripto ad Illustrissimum Ciampinum Joannes Burchardus Menchenius, *Lipsiæ* impresso anno 1696. qui ex Pignorii de Servis lib. asserit notam illam non Christi esse, sed asteriscum quendam sex radiis coruscantem, quorum qui sursum excurrit, junctum habet latinum verbum *Pœna* prima tantùm vocis littera expressa. Videbatur enim tale signum impressum in collaribus servorum fugitivorum, quam tamen sententiam paulo post sic refellit ipse.

Ut ut sit, pro certo habemus talem notam traductam fuisse primùm a Magno Constantino ad usum pium, & coarctatam ad Christi nomen, cujus primores litteras græcas continet inter se complicatas. His addi debet, in lucernis Christianorum, clypeis, nummis, cæterisque eorum monumentis illam notam poni consueviſse, item duas litteras Alphabeti Græci A & Ω, quibus litteris amplitudo significationis Chrisimi coarctatur ad nomen Christi, cujus duæ priores litteræ græcæ sunt X P. quod extat apud S. Joannem in Apocalypsi dictum *Ego Alpha, & Omega*. Sic Eusebius agens de Vita Constantini. Sic etiam Prudentius ad ipsam Romam. Ex his liquet ob eam notam non oportere necessario numerare tales lucernas inter lucernas Christianorum, non sic cum ea nota est sita inter Alpha, & Omega, quæ notæ contrahunt Chrisimum illud ad Christi nomen, qui est principium, & finis: vel cum ipsi apponitur palma, quæ sæpe illius est comes, impressa iis temporibus, quibus Christianis cum Gentilibus pugnandum erat. Recensuit inter suas lucernas hanc notam cum Palma conjunctam Petrus Bartolus part. 3. n. 22. Aliam ostendit in medio notarum Alpha, & Omega eadem part. 2. num. 24. quas Bellorus non dubitavit affirmare fuisse a Christianis adhibitas.

27

CHristianorum itidem fuisse sequentem lucernam, nullum dubitare posse censeo ob salutare crucis signum, quod in medio exculptum ostendit; Fuerat quidem crux apud antiquissimas Gentes solo ignominiæ loco reposita, nec unquam ad ornatum expressa. At postquam Divini Reparatoris nostræ salutis cruore respersa fuit, ubique usurpata ad gloriam, ad triumphum, ad Dignitates illustrandas, & inter insignia Regum reposita. Hæc omnia disertè aureis verbis enunciavit D. Joannes Chrysostom. hom. *quod Christus sit Deus*. Hoc maledictum, inquit, hoc abominabile, hoc extremi supplicii symbolum, cum diadematis, & coronis clarius factum est, neque enim sic regia corona ornatur caput, ut cruce, quæ omni cultu dignior, & quam omnes prius aborrebant, ejus figuram tantopere quærunt: atque adeò ubique ea invenitur apud Virgines, apud Nuptas, apud Servos, apud Liberos, subinde omnes ex se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra qualis in columna quotidie figuratur; mira hæc est gratia: nullus confunditur,

nullus

nullus erubeſcit, cogitans quod maledictæ mortis fuerit ſymbolum, ſed omnes ipſo magis ornantur, quam diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus, & torquibus; & non ſolùm non fugitur, ſed & deſideratur, & adornatur, & ubique fulget, & ſparſa eſt in parietibus domorum, in voluminibus, in Civitatibus, & vicis, in locis quæ habitantur, & non habitantur.

Objici tamen poteſt ſignum crucis extitiſſe apud Gentiles ante Chriſti adventum in Fanis Idolorum, ut habemus ex hiſtoricis. Etenim, ut obſervat litteratus Caſalius cap. 3. de Vet. Ægypt. Ritibus, conſtat teſtimonio Socratis in hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 5. cap. 17. dum per Theodoſium expurgaretur Templum Serapidis, ubi Idolum ejus erat ex omnibus metallis conſtructum, cruces repertas fuiſſe, dicente Socrate, in Pelubro Serapidis jam diruto, & fundamentis convulſo, litteræ repertæ fuerunt lapidibus inciſæ, quas hieroglyphicas appellaret, erant formæ inſculptæ, quæ crucis habebant effigiem, quas Chriſtiani, & Gentiles oculis intuentes utrique eas ad ſui ipſorum religionem accomodarent &c. Hoc idem de cruce ante Chriſti natales a Veteribus obſervata teſtatur in antiquis lectionibus Rhodiginus libro 10. cap. 8. Notum eſt etiam antiquæ eruditionis peritis: crucem uſurpatam ab Ægyptiis inter ſuos characteres. Hermes enim Triſmegiſtus uti primus Litterarum ſive inventor, ſive inventarum inſtaurator, ita characterum hieroglyphicorum inſtitutor, ut quæ in mundo occultiſſima latent, mirifico a ſe excogitato ſymbolo exprimeret, omnia unico caractere, quam Crucem Hermeticam appellabant, expreſſit. Illam Iſiacam ſeu Anſatam appellat P. Kircherus tom. 2. Oedypi part. 2. claſſ. X. cap. 4. Quem quidem characterem adeò veneratione colebant, ut nihil ſine eo rectè confici poſſe exiſtimarent; eratque Amuletum potentiſſimum, & character ad naturæ exemplar mirabili ingenii ſubtilitate fabricatus, ad viam felicitatis demonſtrandam unicum lumen; cujus virtutem in ſuo libello de vita cœlitus propaganda deſcripſit Marſilius Ficinus his verbis.

Antiquiores Ægyptii, quemadmodum in Arabum quodam Collegio legimus, figuram crucis cunctis anteponebant, qua corpora per virtutem agunt ad ſuperficiem jam diffuſam: prima verò ſuperficies Cruce deſcribitur; ſic enim imprimis habet longitudinem, atque latitudinem, primaque hæc figura eſt, & omnium recta quam maximè, & quatuor angulis rectos continet &c. qui plura deſiderat legat Kircherum in Obeliſco Pamphilio lib. 2.

Ex his videtur dici poſſe, lucernam crucis ſignum habentem, & ad Ethnicos, & ad Chriſtianos attinere poſſe. Verùm obſervatione digna ſunt tria in lucerna eſpreſſa. Primum eſt faſciola illa, quæ capiti crucis impoſita titulum procul dubio indicat, qui cruci Chriſti Domini affixus, eum Regem eſſe Judæorum declarabat. Secundum eſt, partem inferiorem crucis longiorem eſſe quàm cæteræ; at Crux Ægyptia partibus æqualibus componebatur. Tertium denique gemmarum diſpoſitio, licet rudi Minerva expreſſarum, quibus ipſa cruce exornatur.

Fuerat enim mos apud Antiquos Chriſtifideles exornandi gemmis, & lapillis pretioſis cruces ex diverſo metallo fabrefactas: ut pluribus in locis probat Arringus in ſua Roma ſubterranea, & Antonius Boſius lib. 4. cap. 26. referens verba hæc Euſebii in Vita Conſtantini lib. 3. cap. 48. tantus & tam divinus Amor Imperatoris (Conſtantini) animum complexus eſt, ut in ipſo Palatii introitu, in ædificio omnium excellentiſſimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, Salvatoris paſſionis inſigne, & lapillis pretioſis cujuſque modi, auroque multo polite elaboratis confectum, figendum curavit. Et Prudentius ad Urbem Romam lib. 1. ſic cecinit.

Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.

Hoc more exprimentibus Chriſtianis crucem, indicatur, eam exornatam fuiſſe pretioſis guttis Divini amoris, ut dixit invictus Martyr, & Apoſtolus Andreas. *Salve Crux, quæ in Corpore Chriſti dedicata es, & ex membris ejus margaritis ornata.* Notandus inſuper eſt ornatus in circuitu Lucernæ exprimens lapillos, ſeu gemmas in formam cordis effictas, quarum quæque tres alias rotundas, puto margaritas, ſuper impoſitas habet. Quæ omnia indicare poſſunt Chriſtifidelium pietatem, & cultum, erga Sanctiſſimam Triadem Divinarum Perſonarum, quam ſuis cordibus impreſſam, uſque ad Sanguinis effuſionem confitentes, venerabantur. Non igitur dubitandum eſt ob talia ſigna, talem lucernam fuiſſe Chriſtianorum primitivæ Eccleſiæ, ut Tyrannorum perſecutionem fugerent, in ſubterraneis Romæ Cryptis degentium, ubi fuit reperta.

28

ALiam fictilem lucernam ex pluribus quæ in Musæo sunt, Selectam exponimus, in cujus medio duplex cornucopiæ est, cujus apex hirci capite absolvitur, utrumque fasciolis pulchro ordine dispositis in gyrum exornant. Hinc inde a summitate poma sunt, atque Uvarum racemi dependent. In medio autem flamma ignis coruscat. His cornibus lampadem ipsam, quæ in sepulchro ardebat significari non dubito. Poterat enim in Ethnicorum delubris, hujuscemodi lucerna esse sicuti in Templis Christianorum lampades videmus in formam cornucopiæ ex ære, & argento effictas, & præcipuè plurimæ sunt mira arte exculptæ circa sepulchrum Principis Apostolorum in Vaticana Basilica quòd hirci capite exornentur, mirum non est; nam fabulis perhibetur cornu, quod Amaltheæ dicitur, signum capræ fuisse, cujus lactè Jupiter nutritus fuerat; quod deinde cornu nutricibus suis in præmium officii datum, hac prærogativa mirabile, ut qui illud haberet nihil expeteret, quod illico non consequeretur.

29

EX fabulis habemus, Jovem Ætheri præfici, Junonem Aeri, Mari Neptunum, Terræ Cybelen; & mensibus, pratis, silvis, cœterisque terræ angulis genios tribui, quos tamen Macrobius 1. Saturnal. pluribus argumentis evincere contendit Deos omnes ad Solem referri, idque unum esse, quod sub varia nominum appellatione Gentes falsò venerabantur. Observat Henricus Kippingius Antiq. Rom. lib. 1. cap. 1. Triginta mille Deorum sub Ductore uno maximo Jove Græcos antiquos excogitasse, ut refert Hesiodus in Theogonia. Eorum præcipuos, & electos ut ait Cicero lib. 2. de Nat. Deor. Romani credebant esse Deos viginti. Duodecim illorum priore loco, singulari nomine vocabant *Consentes*, qui ab Æthere summo ad Lunam usque descenderent, & rebus humanis dirigendis operam indefessam navarent. Consentes dicebantur, quòd simul oriantur, & occidant sex mares, & totidem fœminæ; ut exponit Giraldus Syntag. Deor. 15. pag. mihi 372. Narrat P. Bernardus de Montefaucon in Diariis Italiæ pag. 5. a se visum Nemausi templum antiquum Dianæ, quod Pantheonem credidit; nam ibi duodecim apsidulæ erant totidem simulacris numinum exornatæ. Eorum nomina erant ex Ennio,

1 2 3 4 5 6
Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus,
7
Mars,
8 9 10 11 12
Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Reliqui autem octo populares vocabantur, quoniam cultus eorum apud vulgum notior erat.

Hinc plura inueniuntur ab antiquis efficta simulacra, quæ varia Deorum argumenta præferunt, ob id vocata *Signa Pantea* non in alium finem efficta, nisi ut supremi numinis virtutes in iis exprimerent.

Ejusmodi generis lucerna fictilis nobis proponitur ab Illustrissimo D. Joanne Baptista Casalio Musæo perhumaniter addita, quæ in suburbana villa effossa est inter rudera balnei antiqui propè formam Aquæ claudiæ, olim in montem Cælium defluentis. Illa enim duodecim Deorum signa exculpta ostentat, quæ primo loco enumerabimus. Secundo propriam cujusque significationem pro nostra tenuitate addere conabimur.

Præcipuum in lucerna seu medium locum obtinet, Mulieris sedentis imago, quam Palladem vocari posse putaveris, si pectus lorica munitum, & meduſæ capite exornatum, Galeam insuper cristatam capiti impositam inspicias. At cum copiæ cornu fructibus, & herbis repletum sinistra manu sustineat, navigii gubernaculo innixa, Fortunam potius exprimere putanda est. Eidem gubernaculo Delphinus piscis adhæret, sub Sede autem Harpiæ simulacrum latet: Eadem mulier dextera manu pateram Aræ admovet fructibus onustæ, inter quos serpens assurgit. Ante oculos mulieris Globus est, cui imminet caput in semicirculo instar lunæ collocatum; an Virginem vel potius Juvenem illud exprimat, non potest dignosci; rudi enim Minerva fuit à figulo expressum. Propè galeam supra copiæ cornu Avis Pavo insidet, cauda in longum porrecta. Ad dexteram partem mulieris, alia plura signa cernuntur. Primò Avicula supra papaverum manipulum insidens. Secundò ferula, seu Tyrsus vittis exornatus; sub hoc forcipes fabri ferrarii dependent. His adduntur fulmina simul colligata, Lyra Apollinis, & Mercurii caducœus.

Pantheum igitur signum dicendum esse pro certo habeo, si omnia attentè perpendantur; cum in singulis rebus alicujus Numinis proprietas indicetur; qua de causa Sacram esse voluit lucernam quisquis eam vel adhibuit vel compegit. Jam ad singula procedamus.

Præcipuum locum obtinet Solis caput, non eo modo effictum qualis re vera Sol est, sed qualem existimabant, & recepto more colebant Antiqui, idest Juvenem Apollinem dictum,

quem

quem ideo adoleſcentulum fingi dixerunt, quòd Sol (inquit Iſidorus 8. Orig.) quotidie oriatur, & nova luce naſcatur, ſive ad innuendam, ut Phornuto videtur, Solis formoſitatem; ut enim nihil apparet Sole pulchrius in hac rerum univerſitate, ita nulla hominis ætas adoleſcentiam pulchritudine anteit; aut certè, ut alii autumant, quia licet ex vi Solis cuncta vitam hauriant, idem ſemper eſt, neque unquam ſeneſcit, & juxta Fulgentium primo Mythol. quia occidendo, & renaſcendo ſemper eſt junior; ſive quòd nunquam in ſua virtute deficiat, ut luna, quæ creſcit, & minuitur. Intonſum etiam fingebant Apollinem aureoque Capillitio ornatum, ſignificantes emiſſionem ſolarium radiorum, ut aſſerit Macrobius. Apollinis ſimulacrum fingunt Cytharam manibus tenens, quaſi Sol ſit harmonia Univerſi, ut obſervat Suidas, ideo muſicum dici Apollinem affirmat Phornutus, quòd Sol debita menſura feriat, regatque omnes mundi partes, efficiatque ut mutuo concentu concinnus ubique ſit mundus, nulla diſſonantia apparente.

Jam cætera abſolvenda ſunt, & primò poſt Apollinem ſeſe offert Juno in Pavone; Hæc enim Avis ſacra erat Junoni, quare Ovidius lib. 1. de Arte amandi.

Laudatas oſtendit Avis Iunonia pennas

atque inde eſt, quod Pavo imprimeretur Numiſmatis Auguſtarum inter Divos relatarum, ut Aquila in nummis Auguſtorum, ſic in nummis Fauſtinæ, & Juliæ Piæ apud Coul pag. 44. Secundo loco Veſta ſignificatur in Muliere cum patera ſacrificantis inſtar. Illam enim Dominam ignis eſſe dicebant antiqui, & Igni præficiebant, quo ſacrificia peragebantur. *Veſtæ ſacrato igne* legimus in Romana inſcriptione apud Gruterum pag. 28. Tertiò loco Minervam eadem fœmina indicat caſſide, & lorica munita. Illa armipotens, & Armiſona, militaris, & Martia paſſim vocatur a Poetis, quòd bello, & militiæ præeſſet, præſertim apud Lacedæmonios. Huic cornucopiæ adjunctum eſt floribus, & herbis plenum, in quo Venus agnoſcitur, nam ſicut ait Dion, Amaltheæ cornu bonorum indicat largitionem, & felicitatem, ita notum eſt Venerem, quæ generandi poſſidet Virtutem, herbarum, ac florum Deam fuiſſe, quæ Græcis *Chloris* a viriditate, latinis Florilla dicta eſt, a floribus, de qua Ovid. 4. Faſt. Quapropter Venerem hortorum eſſe Deam docent Varro lib. de Re ruſtica, & Plinius lib. 9. cap. 4.

Spicarum autem, & Papaverum manipulus Cererem demonſtrat, cui adſcribuntur, teſte Phornuto. *Ceres* enim tanquam *Geres* prima littera variata, dicta eſt, ut docet Cicero de nat. Deorum, à gerendis frugibus. At Fulgentius lib. 1. Mythol. Ceres græcè gaudium dicitur, & ideo illam frumenti Deam eſſe voluerunt, quòd ubi plenitudo fructuum ſit, gaudia ſemper abundare neceſſe eſt. Quam fœcunditatem indicat etiam Papaver cum ferè innumera ſemina contineat, juxta illud Ovidii lib. 1. Met.

Ante flores antri fœcunda papavera florent.

Dianam in Luna depictam eſſe non dubitandum. Porrò Diana, Luna, & Proſerpina eadem putabatur teſte Feſto, & inter imagines, quibus Diana exprimebatur, aliquando nympharum habitu ſuccincta, jaculis erat armata, ut iis radiorum jaculatio quodammodo indicaretur, teſte Phornuto, ſicut indicatur Solaris vis ad frugum generationem promovendam.

Sequitur Mars Ave Pico indicatus; Marti enim ſacra ſunt ex Volucribus Picus, & Vultur, ob rapacitatem, ſicut Gallus propter Vigilantiam, ut docet P. Pomey in Pantheo Mytico pag. 63.

Poſt Martem Mercurius in Caducæo apparet, de cujus ſignificatione videndus eſt Macrobius cap. 19. lib. 1. hic ſufficiat indicare cum Appollodoro Iſidoro 3. Orig. & Albrico lib. de Deorum imaginibus, Mercurio fuiſſe tributum, eò quòd narrent illum ex fiſtula arundinea compactum, quæ pariter Mercurio tribuitur; ſed verius, quia Apollo ſpondens Mercurio caduceum, ita loquutus eſt apud Homerum hym. de Mercur.

Felicitatis, & Divitiarum dabo pulchram Virgam.

Sequitur Jupiter indicatus in fulminibus. Pingitur enim ille dextra fulmen tenens, quòd in ſubjectos Gigantes a ſe olim devictos, emiſerit.

Poſt Jovem Neptunum ſignificat Delphinus, nam Maris Rectorem illum dixerunt, eò quòd adultus, paterno imperio ſorte diviſo, maritima Regna obtinuerit. Hinc equis marinis ſeu hippocampis trahitur Neptuni currus, quandoque etiam Delphinis vehitur.

Deum Vulcanum forceps adumbrat, qui ferrariam artem exercuit, habuitque officinam in Lemno inſula, quo in loco Jovis fulmina, & Deorum arma perficiebat. unde Virg. 8. Æneid. loquens de Vulcano cum Cyclopibus ejus adminiſtris ait: *Verſantque tenaci forcipe ferrum.*

Habemus igitur in lucerna indicata duodecim potiora antiquorum Gentilium numina, quæ ſupra enumeravimus; ſed quia ſerpentem in eadem expreſſum omiſimus, non inconſulto id factum putandum arbitror, ſed ut Eſculapium medicæ facultatis Deum ſignificaret. Serpens enim ſanitati adſcribitur, neque ſine hoc; Hygeiam cernimus in Veterum monumentis;

aut

aut Æſculapium, quod etiam monet Macrobius, Saturn. cap. 20. Fabula de ſerpente qui efficax ad arcendam ſenectutem remedium adeptus eſſe perhibetur, videnda eſt apud Nicandrum in Theriaca, & Ælianum lib. 6. de nat. Animalium.

Denique, ſi fas eſt, ejus mentem perſcrutari, qui talem lucernam effinxit, candide exponam quod mihi ſuadeo, nempe illam adhibitam fuiſſe ab aliquo milite, dum vires in bello deperditas reficiebat in balneo. Quapropter votivam lucernam eam fuiſſe puto, in qua Numinibus ſibi propitiis gratias perſolvens, Æſculapii opem implorabat ad ſanitatem tuendam poſt bellorum pericula, & ſuperatam hoſtium rabiem, quæ proculdubio in Harpj infra ſedem mulieris ſacrificantis exculpta indicatur. Mea opinio confirmari poteſt ex loco ubi effoſſa eſt lucerna, ideſt ea in parte ubi balnea antiquorum erant, teſte Publio Victore, qui in deſcriptione Romæ antiquæ ſcripſit: *Balneæ privatæ viginti in Cœlio Monte Regione ſecunda*, & in deſcriptione Urbis reſtauratæ facta ab incerto Auctore relato a P. Philippo Labbè, qui vixit ſub Honorio aut Valentiniano III. dicuntur Balnea ibi fuiſſe octoginta duo, quorum Rudera nos ipſi vidimus in effoſſione facta hoc anno 1705. in Villa Dominorum Caſalium, ubi talis lucerna reperta eſt. Vidimus inquam veſtigia balnearum, & plumbeas fiſtulas, quibus aqua Claudia diſpergebatur in Vaſa; Vidimus ſtatuas, columnas, picturas, quibus Balnea exornabantur; inſuper pavimenta aliqua muſivo opere inſtrata, alia itidem ampliſſimis marmoreis laminis tecta, quas deinde Illuſtriſſimus Præſul Caſalius Magni Xenodochii S. Spiritus in Saxia Commendatarius, ob eximiam Charitatem, qua ægros ejuſdem Xenodochii complectitur, in uſum pium tranſtulit, juſſitque ex illis confici quamplurimas menſas, ligneis menſis ſublatis, quæ ad commoditatem ægrotorum inter cubilia collocata erant; a quibus ablegato fœtore, nitor, & mundities inducta eſt. Ibi inſuper conſtat fuiſſe Caſtra Peregrina, hoc eſt militum peregrinorum, qui Romam poſt bella reduces, in monte Cælio vires reficiebant.

30

EXpoſitis Lucernis aliam fictilem adjungo, qua humaniſſima liberalitate ditare Muſæum dignatus eſt Comes Paulus Spada, pedem humanum forma referentem, ſuperne nudum quidem, ſed caliga eleganti munitum, qualem ejus imago exculpta demonſtrat, ſub num. 30. In ſummitate ubi pes Tibiæ conjungeretur, ſi adeſſet, foramen ineſt pro humore immittendo; in ungue pollicis foramen pro lychno; brevi Manubrio calcaneus munitur, ſupra quod folium Vitis aſſurgit. Ob id in honorem Bacchi accenſam fuiſſe arbitrarer, aut Veneris, in cujus cultum pedes fictiles, aut æreos a Peregrinis oblatos fuiſſe diximus, de tabulis votivis agentes. Verùm Herculi, vel Marti potiùs ſacram cenſeo, ob peculiarem formam caligæ, quæ hunc pedem exornat. Etenim ſoleam habet clavis quindecim ultra centum munitam, in eam ſeriem quam oſtendit imago ſub littera B.

Docet Balduinus de Calceis cap. 12. inter milites antiquos, cum alii aliis eſſent habitu ornatiores, ita, & in caligis aliquod fuiſſe diſcrimen quarum aliquæ clavos habentes ſuffixos *caligares* milites denominabant. Item clavos aliquando ferreos, aliquando argenteos, vel aureos fuiſſe: quod non obſcure Juſtinus innuit lib. 38. dum Antiochi Regis luxum in ipſo etiam bello his verbis deſcribit: *Argenti certè aurique tantum, ut etiam egregarii milites caligas auro ſuffigerent, proculcarentque materiam, cujus amore populi ferro dimicant*. His clavis potiſſimum ad eum finem utebantur, ut milites in ipſo congreſſu firmius conſiſterent: eminebant enim acuminatis capitibus; atque etiam ut minus eſſent ad fugam idonei. Sic caligæ crebris clavis inſtructæ admodum graves erant; quamobrem hujuſmodi caligas moroſiſſimas Tertullianus appellavit cap. 1. de corona militis.

Itaque autumo ejuſmodi lucernam exprimentem pedem cum caliga militari, accenſam fuiſſe in honorem Herculis, ſeu Martis poſt victoriam relatam ex certamine, in quo miles in ſua ſtatione fixus arma feliciter tractaverit cum oſtium cæde.

Aliam hujus generis lucernam Balduinus expoſuit delineatam, affirmans ſe illam accepiſſe ex Libro Liceti octavo. At Licetus non expreſſit, nec ullam clavorum Soleæ appoſitorum mentionem fecit, his verbis eam deſcribens lib. 3. num. 18. Lucerna imaginem pedis humani a crure præciſi, ſoleati more apoſtolico, nempe cum Sandalio. Manubrium habet ad calcem, patens foramen in loco præciſionis, extra ultimos digitos ſubjecta ſolea recurvatur ſurſum in lucernæ foramen, ex quo exire videtur Elychnii receptaculum.

Lucer-

31

LUcerna ænea bilychnis eſt, cui Manubrii loco Apollinis radiatum caput eminet. Tale ſymbolum in lucernis Ethnicorum frequentiſſimum ſe ſe offert, quod non alia de cauſa puto cum aruditiſſimo Bellori fuiſſe appoſitum, niſi quia ſibi ſuadebāt Defunctorum animas, poſt plures hujus ſideris circumvolutiones, rurſum in Vitam revocandas, ab omni criminum labe purgatas. Audiatur Plato in Phœdone. *Ex veteri Sermone*, inquit, *abire ad Inferos animas Defunctorum rurſuſque huc reverti, fierique ex mortuis quaſi quodam circulo remeantis, ad demonſtrandam Animæ immortalitatem; nam ex viventibus mortui, ex mortui viventes fiunt.* Hæc Plato. Ideo Apollinem Phœbum appellari a verbo græco *Foibæo*, ideſt *Purgo* aliqui putant apud Giraldum Syntag. 7. eò quòd Phœbus à ſordibus corpora purget. Ejus facies radiis circumdata juvenilem ætatem demonſtrat, non alia de cauſa inquit Voſſius de Idolol. lib. 9. cap. 19. quàm quia novus, & juvenis ſemper renaſcitur; Radiis autem ejus caput circumdatur, ſicut enim Sol omnia illuſtrat, inquit idem auctor lib. 2. cap. 12. *ita non alter Deorum juſtius crederetur quàm Apollo, caligine mentibus pulſa, humanis præſtare, ut videant maximè occulta.* Hi radii numerum ſeptenarium implent, licet ut plurimum duodecim radiis ſimulacra Apollinis exornentur, ad ſignificandum duodecim ſigna Zodiaci, quæ Sol ſpatio unius anni percurrit, ut Martianus Capella cecinit lib. 11. de Nuptiis Philolog.

Biſſenis perhibent caput aurea lumina ferre,
Quod totidem menſes, totidem quod conficis horas.

ad indicandas ſeptem cœleſtes ſphæras, ut affirmat Nonnus apud Alexandrum pag. 17. antiquæ tabulæ, quemadmodum de Septichordo lyra idem interpretatus eſt, & Victor tradidit, Romæ in regione Templi Pacis coloſſum fuiſſe ſeptem radiis inſignitum. Tales radii in acutam cuſpidem deſinunt, ad ſignificandam Solaris caloris vim. *Arcum enim Apollini* (inquit Fulgentius primo Mythol.) *ſagittaſque conſcribunt, quòd de circulo ejus radii in modum ſagittarum exiliant.*

32

ÆNeam lucernam Avis formam referentem in Muſæo habemus, quæ triplici è catenula dependet. In anteriori parte ideſt capite Avis, eſt foramen Unilychne ad ellychnium admittendum. An fuerit in uſum ſepulchri conſtructa incertum eſt, dicerem potius in balneis, ſeu in delubrò aliquo adhibitam, & fortaſſe Veneris; Avis enim Paſſerem repræſentat, qui propter multiplicem rationem Veneri fuit dicatus; ejuſque currum a Paſſeribus trahi finxerunt. Quamobrem Sapho, quæ a Græcis decima Muſa appellata fuit, alloquens Venerem in ſuo cantico apud Dionyſium Halicarnaſſeum libro de ſtructura orationis, ait:

Et venis curru properante vecta
Te nigris ad me tenues per auras
Paſſeres alis agiles ferebant
Æthere ab alto.

Cum enim Venerem venatricem ſciat, avem ipſi tribuit, quæ ut loquitur Albertus cum aliis apud Geſnerum lib. 3. de Paſſere: *Avicula eſt naturæ perquam calidæ, omnibus avibus calidior, quam ob cauſam non pingueſcit.* Paſſeris autem nomen, etſi ad omnes ferè minores aves extendatur, certam tamen ſpeciem ſignificat, de qua hic ſermo eſt. Potuit etiam eſſe in ſepulchris hæc lucerna, nam Libitina Venus exiſtimata fuit, ea quæ ſepulchris præeſſet, ut copioſè docet in ſuis ſepulchralibus Giraldus Syntag. 13. dicens. Hæc quidem Dea, & ingredientibus in Vitam, & egredientibus præeſſe judicabatur. Hinc Libitinarii, & Seneca in 6. de Beneficiis vocat Vota Libitinariorum, eò quòd illi multos mori deſiderarent.

In triplici catena, e qua lucerna dependet, in uno annulo coeunte, triplex vitæ humanæ tempus poteſt deſignari, quod ſub tutela Veneris eſſe ajebant Ethnici, ſcilicet Ortus, Aetas, & Mors; ob id fortaſſe exculpta fuit in antiquo delubro dextera globum, ſiniſtra tria mala aurea ferens. Notiſſimum eſt Romanos eam appellaſſe Genitricem, cui templum dicatum fuiſſe a Cæſare refert Suetonius: & Plinius tradit eundem Cæſarem Veneri Genitrici thoracem dicaſſe factum ex margaritis britannicis, quare Euſebius lib. 3. Præpar. Evangelii. *Venerem dicunt generandi vim poſſidere, ſic pariter vitam ſervandi, & deſtruendi.*

Ob hanc triplicem Virtutem Phornutus ait: Venus Urania Pandemus, & Pontia vocatur, propterea quòd eam in Cœlo, Terra, & Mari exerceat. Pulcherrimum Symbolum ejuſdem Leonardus Auguſtinus de gemmis antiquis

part. 2. num. 15. exponit in lapide qui dicitur *Cameo*, viso inter gemmas Cardinalis Virgilii Ursini, in quo Venus armata tribus sagittis; aitque non esse novum, tres sagittas Veneri tribui, nam sententia Platonis in lib. 8. de Legibus tali symbolo explicatur, dicentis tria genera amoris reperiri. Verba Platonis sunt: *Qui corpus amat, ejusque formam, quasi fructum quemdam esuriens petit, is satiari dumtaxat quærit, nullumque animæ amati præbet honorem. Sed qui minus de corpore curat, & animo considerat potius quàm desiderat; quum ipsum ut decet, animum diligat, corporis usum petulantiam, & contumeliam arbitratur; quumque temperantiam, fortitudinem, magnificentiam, & prudentiam vereatur, & colat cum casto amico vivere volet; Amor autem ex utrisque his compositus, ipse est quem modo loco tertio ponebamus. Quum ergo tres sint Amores &c.* Sic itaque (resumit Licetus de gemmis Anularibus cap. 3.) tres amores Platoni sunt. Amor corporis cujus pulchritudine frui desiderans, animi pulchritudine neglecta, qui amor est intemperata libido: Amor qui potius animi cultum, quàm corporis in amato desiderat: quem Amorem probum appellat, & Amor, tum Animi, tum corporis pulchritudinem in amato cupiens, quem Amorem tertium appellat mistum, & utrisque prioribus. Huic Amorum numero Cicero subscribens lib. de nat. Deorum, ait: *Cupido primus Mercurio, & Diana prima natus dicitur: Secundus Mercurio, & Venere secunda: Tertius quidem est Anteros Marte, & Venere tertia.*

33

LUcerna Ænea imaginem pedis caliga muniti referens, ut apparet in figura ab hoc numero indicata. Nihil addendum puto circa caligam, de qua alibi dicendum erit.

34

AD secundam Aream lucernam gradum facimus sub numero trigesimo quarto sculptam, faciem animalis præfert, quod Elephantem dicimus, maximum inter cœtera. De hoc multa Plinius scripsit lib. 8. cap. 1. &c. narratque Elephantes Romæ junctos primùm subjisse currum Pompeii magni in affricano triumpho. Duo foramina patent, alterum in vertice capitis ad Elychnium, alterum in dorso ad fomitem excipiendum. Cur in speciem hujus animalis lucerna conflata fuerit, difficile est divinare. Ex eo genere illam existimo esse, in quo recensenda sunt opera pro libito Artificum facta, neque enim putandum est Antiquos Artifices adeo eruditos, & studio rerum ita addictos fuisse, ut semper ad aliquid scite significandum opera sua construerent; Posset fortasse dici in honorem Bacchi accensam fuisse; ex Plinio enim habemus India devicta, triumphante Libero, ejus currum junctos Elephantes traxisse.

35

ALia ex Aere lucerna nudum hominem repræsentat humeris globum sustentantem, ex quo lingua emittitur ad ellychnum excipiendum. Ejusdem pars superior sideribus exornatur, inferior verò frondibus. Atlantem in eo exprimi facilè dixerim, quem Cœlum sustinuisse dixerunt Antiqui, atque ejus filias stellas fuisse. Cœterum Atlas Mauritaniæ Rex fuit Japeti filius. Is cum ex Oraculo didicisset, imminere sibi perniciem ab uno e filiis Jovis, constituit neminem prorsus excipere hospitio. At Perseus Jove progenitus cum forte per ditionem Atlantis iter haberet, & Atlantem adjisset, officii gratia, ab illo ædibus exclusus, & iratus tanta inhumanitate, objecto Clypeo, quem ferebat, ostensoque meduſæ capitæ, illum in montem sui nominis mutavit, sublime adeo, ut cœlum credatur attingere. Ita Maro 4. Aeneid.

Iamque volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit:
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur, & imbri,
Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

Si quis autem Herculem in ærea hæc statua velit recognoscere, qui Cœlum, Atlante fesso, & succumbente oneri, humeris excepit, ejus opinioni non repugno.

36

SImulacrum Aeneum Satiri vasculum ostendens dextera manu elata argumentum præbet talem lucernam in honorem Bacchi accensam fuisse, Satiri enim, & Sileni Baccho tribuebantur, nt inter alios docet Augustinus Episcopus Tarraconensis Dial. Antiq. quinto, potissimum ob ebrietatem, quæ sæpè in rixas erumpit, agitque crudeliter, & stultè. Idcircò Satiri pinguntur cum cruribus, & pedibus caprinis, & cornibus, ut magis belluæ quàm homines appareant. Vasculum frondibus exornatur.

Lucer-

37

LUcernarum claſſem claudat Tab. quadrageſima nona, in qua quinq; lucernæ exhibentur ſelectæ ex quamplurimis, quæ inter vaſa antiqua, & fictilia enumerantur in Muſæo. Nullo quidem Embelemate, aut figuræ expreſſione illæ ſunt exornatæ, forma tamen differunt, inter ſe, quæ ad libitum Artificum in Argillam ductilem inducebantur; aliquæ etiam nomen Artificis in fundo exhibent ſigillo impreſſum, aliquæ figuli officinam indicant. Omnes autem quas exhibuimus in Agro Romano effoſſæ ſunt, vel in ſepulchris antiquiſſimis repertæ, cum vitreis ampullis, quæ Præficarum, vel Parentum lachrymas excepere.

Præter enim lucernas, quæ ſœpe ſepulchris incluſæ deteguntur, alia etiam operis antiqui Vaſcula multa in iiſdem ſunt; quæ ſupra indicavimus, nunc dicendum eſt de iis, quæ *Lacrimarum* Auctores appellant, ſeu *Lacrimatoria*. Cineres enim mortuorum combuſtorum cum odoribus, & lacrimis, quæ vitreo vaſculo, ut plurimum injectæ eſſent, claudebantur, ait Gutherius lib. 1. c. 28. unde intelligi poteſt, quid ſit in antiquis lapidibus *lachrimas ponere*, cum *lachrimis ponere*, *lachrimis condere*, *tumulum lachrimis plenum dare*, & ſimiles loquendi formulæ. Dixi ut plurimum fuiſſe ex vitro talia vaſcula, nam etiam fictilia quamplurima reperiuntur. Immo, referente Gutherio lib. 2. c. 32. Patavii in monumento veteri fuerunt repertæ Urnulæ cum duabus ampullis, altera ex auro, altera ex argento liquidiſſimi liquoris plenæ. Alia duo pariter argentea vidi Romæ inter multiplicia antiqua fragmenta ænea, apud Excellentiſſimum Principem S. Cæſareæ Majeſtatis ad Summum Pontificem Oratorem. Ex Gagate unam poſſidet in ſuo Gazophylacio Nobiliſſimus D. Alexander Albanus excelſæ indolis adoleſcens CLEMENTIS XI. P. M. digniſſimus ex Fratre Nepos. Et Goſſardus narrat lib. 2. pag. 23. ſuo tempore ad Arnum ex fluminis inundatione detectum fuiſſe ſepulchrum, in quo inventum fuit corpus humanum adhuc integrum, & incorruptum, in cujus concavitate erat liber Hieroglyphicis notatus cum phiala aurea plena neſcio, quo liquore oleaginoſo. Ejus generis vaſculum delineatum expoſuit Gutherius lib. 1. cap. 28. de Jure Manium. Petrus Bartolus de ſepulchris agens aliqua edidit. Nos ex pluribus, quæ in Muſæo ſunt, aliqua vitrea, & aliqua alia fictilia exhibemus, figura quidem varia, ſed mole ferè æqualia. Videatur Tabula quinquageſima in qua ſunt delineata.

His lacrimis volebant, ut oſtenderetur Poſteris funus factum fuiſſe Defuncto non *indefleto*. cum enim ſepulchris exiccatas reliquias defuncti inferebant, accedebant Parentes, & conſanguinei ſupra Urnam plorantes, referente Franciſco Pomey cap. 3. de funeribus, lachrimiſque oſſa reſpergebant, ſæpe phialis incluſis non tantùm ſuis, ſed Præficarum; quæ docente Feſto, mulieres erant pretio conductæ, ad tibias canentes lamentabile aliquod, & inconditum carmen, ad deplorandum, & collaudandum mortuum apprime accommodatum; & præcinendo cœteris modum plangendi monſtrabant, unde Lucillius Satyra 22.

——————— *mercede quæ*
Conductæ flent, alieno in funere Præficæ
Multo, & capillos ſcindunt, & clamant magis.

Carmen autem ad Tibias cantari ſolitum dicebatur Nænia, ſic Feſtus: *Nænia eſt carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad Tibiam.* Adhibitas fuiſſe Præficas, vel inde patet, quòd apud Jeremiam cap. 9. ad futuram Urbis Hieroſolymitanæ ac Templi devaſtationem, & veluti funus jubentur vocari lamentatrices, hoc eſt Mulieres hujus artis peritæ, quæ *aſſumant ſuper eam lamentum eliciantque lacrymas ex oculis Judæorum, & alias fœminas doceant lamentum, & planctum*; tum ex eo quòd Joſephus ipſe Judæus hiſtoricus de ſe ipſo agens habito ab ipſis Judæis; pro mortuo, ait, *per dies triginta Hieroſolymis nunquam ceſſatum eſſe a lamentis, & magna mercede conductos fuiſſe Tibicines, qui in illo planctu præcinerent.*

Ritibus Ethnicorum translatis ad Chriſtianos, Præficarum loco, olim Pſaltrias ſubſtitutas, quæ hymnos canebant, narrat Juſtinianus Novell. 59. Hymnos autem, cum ſint voces lætantium, cantabant, ut gratias Deo agerent, quòd è laboribus liberavit eum, qui è vita exceſſerat, & metu mortis exemptum apud ſe haberet immarceſcibili ornaturus corona. Ita Kirchmannus de funeribus Roman. lib. 2. cap. 6.

Atque hæc ſatis ſint de vaſculis lachrimarum.

1
2
4
3




5
6
7
8



9
10
11
12

13



14



15



16



17
16
19
20




21
22
23
24

25



26



27

28

29
30


31
32



33
34

36


160



CLASSIS QUINTA

Fragmenta eruditæ Antiquitatis.

PRimo loco ſe offert Tubus rotundus ex argilla compactus, cujus diameter palmum æquat, qui inter Rudera detectus fuit propè Ductus Aquæ Claudiæ in Monte Celio, ante Templum S. Stephano dicatum, ubi antiquitus Fanum, ſeu Palatium Claudii extitiſſe referunt Authores. Illum eſſe particulam Tubi, per quem Aqua Claudia in privatum Balneum tranſmittebatur, ſuaſerunt quamplurimi lapides in eodem loco reperti, & ſimulacra mira arte exculpta, inter quæ Bacchi, Mercurii, aliorumque falſorum Deorum ſigna, quæ videntur in Villa nobiliſſimæ Familiæ Caſaliæ, pavimenta demum ex muſivo opere egregiè teſſellata, ut olim mos erat in Balneis, de quibus licet hic agendum non ſit, in iiſdem tamen tantummodo commorandum eſt, quantum neceſſe eſt, ut oſtendamus Vaſa, aliaque inſtrumenta, quæ in Balneis adhibebantur.

Balneorum igitur uſum purificationis gratia præſertim introductum ſcimus; ex lege enim Moſaica id conſtitutum apud Iſraelitas, ut nimirum impuri nunquam adirent cauſa orationis, & ſacrificii. patet cap. 30. Exodi verſ. 18. *Lavabunt in ea* (ideſt aquæ) *Aaron, & Filii ejus manus ſuas, ac pedes quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad Altare.* Quia verò propter rationem nata ex Religione conſuetudo facilè in ſuperſtitionem dilabitur; quæ Religionis erant, voluptati dedere corruptæ ætatis homines, ut voluptatibus addicti, inter ipſas voluptates Deum Deoſque ab ipſis excogitatos colere viderentur. Tanta deinde in Balneo, ac lotione voluptate capiebantur Veteres, ut ibi plures Diei horas, inſumere atque carmina recitando, vel audiendo detineri minimè illos puderet, hinc Juvenalis Sat. 7. irridet Vanitatem illorum, qui ſuperfluam Pædagogorum doctrinam expetebant, in pueris inſtruendis, ſtudendo nimirum, ut pueri memoriæ mandarent carmina Poetarum, quæ in Balneis conſidentibus recitarent.

Idcircò Urbium præcipua ornamenta cenſebantur Balnea, quæ inter publica ædificia, & publico ærario ad ornatum Civitatum conſtruebantur. Eorum meminit in multis Epiſtolis Plinins, præcipuè Epiſt. 25. & 41. lib. 10. ideo æternitati commendabantur, qui Balnea ædificaſſent, ſeu reſtauraſſent, ut multi lapides antiqui teſtantur apud Gruterum, & alios. Illa etiam picturis præſtantiſſimis, & lapidibus pretioſis ac marmoreis ſignis ornare curarunt: de quibus Martialis lib. 5. num. 42.

Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario, decore ſaxa,
Quæ Phryx, & Cilys altius cecidit.
Siccos pinguis onyx anhelat æſtus
Et flamma tenui calent Ophytæ.

Verùm ubi cuncta deeſſent antiquorum ſcriptorum teſtimonia, quæ ſuperſunt ex Antonianis, & Diocletianis reliquiæ abundè confirmant, auguſtiſſima ædificia, quorum rudera adhuc Romæ viſuntur, & ſuis ruinis apertè oſtendunt, quantùm Veteres ſtuduerint in his balneis extruendis, de quorum amplitudine loquens Ammianus apud Donatum lib. 3. cap. 19. *Lavacra* (dixit) *in modum Provinciarum extructa.* nec ſolùm ad ſanitatem tuendam, & voluptatem captandam balneis utebantur, ſed in amicitiæ ſymbolum balneo cœnam jungebant, nec prius accumbere conſueverant, quàm balneo corpus recreaſſent, ita Homerus Iliad. lib. 10. de Diomede, & Ulyſſe loquens ait;

In Balnea euntes bene fabricata, loti ſunt.
Hi autem loti, & uncti pingui oleo
Cœnatum iverunt.

& Apulejus lib. 4. Metam. hoc firmat dicens. In fine ſermonis hujus ſtatim ſeſe deveſtiunt, nudatique, & flammæ largiſſimæ vapore recreati calidaque perfuſi, & oleo peruncti menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt. Idcircò non ſolùm in thermis publicis inerant Balnea, ſed & in quamplurimis domibus privatis ſua quiſque balnea habebat. Ex actis B. Ceciliæ Martyris hoc conſtat ubi dicitur: *Tunc valdè iratus Almachius Judex juſſit eam reduci in domum ſuam, & illic balnei calore conſumi.*

Sunt in Muſæo aliqua fragmenta plumbea Canalium ex Balneis antiquis eruta, quorum primum nu. 1. indicat in Tab. LII. In eo hęc verba exculpta videntur ALEXANDRI AUG. in altero ſub num. 2. hęc alia *MAXIMO, ET PATERNO COS.* Hos tubos fuiſſe adhibitos ad aquam ex Thermis Alexandri in privatum aliquod balneum deducendam; non quidem vivente Alexandro

xandro Imperatore, sed multo post ipsius imperium, tempore quo Maximus, & Paternus consulatum gerebant, hæc ratio suadet. Maximus enim, & Paternus Consules erant anno post Christum natum 447. ut dicitur in chronico Prosperi Aquitanici; Marcus autem Aurelius Severus Alexander, ex calculo nostri Petavii in rat. temp. lib. 5. part. primæ anno 222. ad Imperium pervenit, & anno 229. referente Eusebio in Chronico) Thermas sui nominis ædificavit, aqua in eas inducta, quæ Alexandrina dicebatur, ut scribunt Lampridius, & Publius Victor. Earum Thermarum vestigia adhuc apparent propè Templum D. Ludovici Nationis Gallicæ in ædibus mediceis ad Circum ejusdem Alexandri, hodie Forum Agonale.

Quantùm enim Balneis addictus fuerit Alexander, Ælius Lampridius in ejus vita refert his verbis. Addidit, & oleum luminibus Thermarum, quum antea non ante auroram paterent, & ante Solis occasum clauderentur. Ipse nova multa constituit. In his Thermas nominis sui juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur. Post operam palestræ unctus lavabatur, ita ut calidariis, vel nunquam, vel rarò, piscina semper uteretur: in eaque una hora propè maneret, & alibi: *Balnea* omnibus Regionibus addidit, quæ fortè non habebant. nam hodieque multa dicuntur Alexandri. Thermis suis, & veterum frequenter cum populo usus est, at æstate maximè balneari veste ad palatium revertens, hoc solum imperatorium habens, quòd lacernam coccineam accipiebat, hæc omnia Lampridius. In jisdem Thermis Alexandri privatum balneum habuisse ejus matrem Juliam Plumbeus canalis docet, qui in Musæo est, indicatus numero 3. cui hæc verba optimè insculpta sunt.

JULIÆ MAMIÆ MATRIS AUG. N.

Aliud tubi Plumbei fragmentum his adjunximus sub n.4. nuper repertum in vinea proxima Thermis Antonini hoc anno inter antiqui parietis rudera, in quo extantibus caracteribus, hæc verba leguntur. *ÆLI MAXIMI AUGIORUM LIBERT.* quibus indicari fortasse putabit aliquis Ælium Maximum fuisse ejus tubi Artificem. Hoc etsi negare non audeam, puto tamen illa verba alia de causa exculpta fuisse, scilicet ad indicandum Ælium Maximum ejus aquæ fuisse possessorem, ut fraudes vitarentur, effosa enim fuit hæc tubi particula in pariete antiquissimi balnei, in quod dubio procul aqua ex Thermis Antonini illi proximis effluebat, facultate Aelio Maximo data ab Aquarum Curatoribus. Refert enim Joannes Rosinus de Antiquit. Rom. agens libro primo cap. 14. *Aquas omnes*, quæ in Urbem derivatæ fuerunt in Castella primùm collectas (castellum autem erat locus, qui aquam publicam excipiebat) deinde a Castellario, qui Castelli curam gerebat, distributas in loca destinata, in publicos usus effluxisse, legeque ita cautum, ne quis privatus aliam aquam duceret, quàm quæ ex lacu abundaret, atque eam Posteri *caducam* vocarunt; Hæc ipse (addit Rosinus) non in alium usum, quàm in balnearum, aut Fullonicorum dabatur eratque vectigali statuta merces, quæ in publicum penderetur. Jus dandæ vendendæque aquæ Censorum fuit, vel Aedilium, postea Curulium, & Curatorum, quos Augustus instituit. Cum autem Jus impetratæ aquæ, neque hæredem, neque emptorem, neque ullum novum dominum apud Veteres sequeretur, sed solùm Balneis publicis privilegium concederetur, ut semel data aqua perpetuò maneret; & denique magna pœna constituta esset iis, qui aquæ ductus violassent, vel aquam aliò, quàm leges, & Censores permisissent, derivassent, vel plus aquæ, quàm ipsis ab initio concessum esset sumpsissent: hanc ob rem Aquæ ductibus nomina possessorum insculpere mos erat, in quibus concessa privilegia in tabulis publicis, etiam recensita dignoscerentur. Puto igitur in Tubo exposito indicari ejus aquæ Possessorem, qui in privato balneo illa frueretur, fuisse *Ælium Maximum Augiorum Libertum.*

Dum de Tubis, qnibus aqua in Balnea deferebatur, sermo est, alius se se offert, ex iisdem Thermis Antonini in Musæum translatus, indicatus num. 5. quo non aqua, sed vapor calidus per easdem circumibat. Sciunt eruditi varias fuisse Cellas in Thermis, quæ ab igne calefiebant, licet dubitetur, qua in parte earum ignem fovere Veteres consueverint; An ad latus Caldariis fornax esset, an verò ipsis subjaceret. Sæpe Laudatus Scacchus Myroth. 1. cap. 26. asserit calorem cellas omnes suscepisse ab hypocausto; hypocaustum autem fuisse Vaporarium, seu fumum, sive caminum ignis, unde balneum calebat, vel potius locum concameratum, & fornicatum, habentem ante præfurnium, in quo, igne apposito, ille calebat, ex quo deinde cellæ omnes Thermarum calorem hauriebant, quod hypocaustum, ait, subjacuisse cœteris cellis. Plures enim in Thermis cellæ erant, ut indicavimus, nimirum erant, quæ dicebantur *Sudatoriæ, Calidariæ, Unctuariæ*, & *Tepidariæ*, quibus uno eodemque igne calorem communicari oportuit. De fabrica balnei loquens Plinius lib. 5. Epist. ad Apollinarem nominat hypocaustum, dicens, *cubiculum hyeme tepidissimum, quia plurimo Sole perfunditur, cohæret hypocausto:*

sto: & si dies nubilus immisso vapore, Solis vicem supplet, hoc est teporem illi affert. Erat ergo modus talem calorem immittendi, cum opus esset, & tantus excitabatur calor in cella supra hypocaustum constructa, quantum desiderassent hi, qui in cellis detinebantur, vel unctionis, vel sudationis causa. Hanc varietatem caloris, ut Veteres obtinerent per quosdam tubos, & canales intra parietes ipsos collocatos, calorem ad Cellas ex hypocausto transmittere solebant. Testatur hæc Seneca Epist. 90. ad Luc. loquens de Thermis: *Et impressos parietibus tubos, qui ima simul, & summa foverent æquiter*, & Epistol. 86. hæc habet. *Idem hoc quoque nobilissimi ædiles fungebantur officio intrandi ea loca, quæ populum receptabant, exigendique munditias, & utilem, & salubrem temperaturam.*

Quomodo autem hæc temperatura obtineretur, non ita certum. Idem Scacchus cap. 36. putat fuisse his tubis suis in locis adjunctas claves, quemadmodum fistulis aquarum, ut foris exhalante vapore, ad voluntatem illorum, qui ungebantur, vel lavabantur, calor temperaretur. Unde hoc deduxerit, nescio; neque ex ullo veteri monimento aut marmore claves hujusmodi recognoscere potui. Illas tamen potuisse adhiberi probabile est. Tutiorem viam me incedere existimavero, si dixero, in quacunque Thermarum cella exitum habuisse supradictas fistulas, seu tubos (videntur enim adhuc sic dispositi intra parietes Thermarum, quæ Romæ supersunt.) Eorumque ori operculum fuisse, quod pro libito cujuscunque in cellis commorantis imponi, vel deponi posset, ut vapor statim cellam afflaret, vel in ea cessaret: Talia opercula aliquando ex ære conflata fuisse, præcipuè si Tubi parietibus inclusi plumbei seu ænei essent, aliquando verò fictilia, ut fictilibus fistulis aptarentur.

Æneum ejusmodi operculum, quod Petrus Bartolus antiquarum rerum peritissimus speculator italicè appellabat *Regolatore*, in Musæo collocavi, ab eodem Bartolo sub ruderibus Thermarum Romæ repertum, & in lamina delineatum sub num. 6. hic ostendo, tali artificio conflatum, ut tubo rotundo impositum illum perfectè clauderet.

Tria instrumenta ænea huic parum dissimilia exhibuit Begerus ex Thesauro Brandeburgico tom. 3. pag. 455. quæ vocat *Infumibula*, seu *Infundibula*, & notat nullibi esse *Infumibuli* mentionem, seu *Infundibuli*: quod instrumentum putat illud esse, per quod liquor in aliud vas infunditur, immissa parte angustiori in illud, quæ pars foramen habet; illud tamen posse vocari *Infumibulum*, si vaporem ascendentem per illud cogas, & coarctatum haurias; hoc autem genus hauriendi fumi *hypocapnismum* Græci appellant, ut docet in Thesauro linguæ latinæ Marius Nizolius.

Diximus fuisse inter cellas Thermarum aliquas, quæ Unctuaria vocabantur, nec enim Veteres solis balneis contenti erant, nisi unguentis, & oleis corpora ungerentur. Balneum sæpè præibat, & sequebatur oleum, adeò ista invicem connectebantur, ut ni prius fuissent loti, minimè ungerentur; post unctionem verò iterum abluerentur: postquam balnei calor poros corporis aperuerat, oleum per poros corpus penetrabat, ne humiditate superflua corumperetur; quod verò crassioris succi cuti post unctionem adhæsisset, hoc aqua tergebatur. Quam ob causam in eodem Thermarum ædificio loca unctioni destinata jungebantur balneo, quare Sidonius lib. 2. epist. 2. de balneo ait: *Hinc aquarum surgit cella coctilium, quæ consequenti unguentariæ spatii paritate conquadrat. Eleotherta* has cellas dixit Rosinus. *Ad sinistram*, ait, *Eleotherium, quod erat ad unctiones faciendas cella olearia*: Hæc verba interpretatus Scacchus Myroth. tom. 1. cap. 34. ait. *Alypterium* locum fuisse ad unguentorum usum destinatum; *Eleotherium* verò ad usum olei, quibus non solùm qui balnea frequentabant, ungebantur, sed etiam qui ad pugnam, ad ludos, ad palestram, & luctam sua membra disponebant; quare in Balneis ministri erant, nomine *Alyptæ*, quorum munus erat olea, & unguenta ministrare.

Cujus nam generis fuerint olea, & unguenta ad talem usum destinata, si quis scire desiderat, legat tractatum de Balneis Antiquorum Guillelmi Choul, qui pag. 19. & seq. varias oleorum odoratas species recitat. Qualem autem formam haberent vasa in quibus servabantur, unum ex marmore antiquo acceptum ostendit, quod *Guttum* nominat, rotundum ex vitro, ore autem angusto, ut guttatim oleum perfunderet. Scacchus verò Myroth. 1. cap. 42. ait varia, & diversa apud Veteres extitisse vasa hæc unguentaria, sive olearia; aliud *lecytum* nominat, aliud *Guttum*, multi *Trullam* oleariam referunt; aliqui *Grossos*, *Ampullas*, & *Pelves* tam ex prophanis, quàm ex sacris litteris numerant. De Vasculis eruditè scripsit Lazarus Baifius, nec nobis otium est omnia recensendi, sed tantùm exponendi Vasa, quæ in Musæo sunt. Tria igitur ex vitro exponimus, sub numeris 7. 8. & 9. in antiquis balneis reperta. Aliud habemus quadrata forma absolutum, palmi longitudinem æquans, quod unguentis deserviisse pro certo habemus. Tale vas onychino, vel Murrino pretiosius Musæo donavit Illustrissimus Præsul Leo Strozza, non minori eruditione, quàm

morum humanitate, & integritate in Romana Curia conspicuus. Hæc pro usu olei odorati fuerunt compacta: quod sub num. 9. est, refert Guttum a Choul expressum, quod verò num. 10. indicatur, Phiala est seu Ampulla, cujus formam apud nullum vidi.

Alia vasa fictilia etiam sunt ad unguenti usum accommodata, sed fortasse a pauperibus adhibita. Similia vasa fieri consueviſſe ex Alabastrite, & onyche affirmat Scacchus juxta illud Lucæ 7. *mulier quæ erat in Civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti*: & illud Martialis lib. 7. num. 93.

Unguentum fuerat, quod onyx modò parva gerebat.

Fragmentum etiam vitrei Vasis habemus, in quo caput Herculis impressum apparet. Antiquorum morem fuisse in ejusmodi Vasis vitreis imagines imprimere pluribus probatur, quæ adhuc inter rudera, & in sepulchris tum Christifidelium, tum Ethnicorum reperiuntur. Multa recensuit in sua Roma subterranea Arringus. Eorum meminit Eruditissimus Senator Florentinus D. Philippus Bonarota pag. 17. præfationis, quam præmisit explicationi Numismatum majoris moduli, quæ sunt in Musæo Eminentissimi Cardinalis Carpinei his verbis: *havendo havuto in costume gl' Antichi di porre ne vasi l' imagine propria, e quelle de loro amici, e congiunti*. Nec tantùm propinquorum, sed Hominum, quos inter Deos ethnica superstitio recensebat. Fabrettus etiam in cap. 7. Antiq. Inscrip. Vas vitreum exhibens, in cujus fundo imago est cum aliquibus caracteribus subdit; *Credidi nomen artificis hic contineri. Solitos quippe observavi Vitrarios suis vasis nomina, aut signa, aut utrumque simul affligere, ut supra de Figulis vidimus. Plura hujus rei testimonia mihi suppetunt in variis ampullarum fruſtis.*

Aliud Vas æneum numerus undecimus ostendit, ex ære conflatum, & Musæo additum ab Illustrissimo Præsule Alexandro Casalio in ejus Villa effossum inter antiqua Balnei rudera propè ductus Aquæ Claudiæ, quo procul dubio Antiquos usos esse ad oleum guttatim effundendum apertè demonstrat ejusdem os in acutum mucronem efformatum.

LUNULA CALCEORUM.

HÆc omnia, quæ huc usque recensuimus, inter rudera Romanorum Ruinarum detecta sunt, atque in dies alia semper reperiuntur erosa, quidem, & mutilata antiquitatis fragmenta, sed præclara eruditionis indicia, quæ vix reperta, illico à quamplurimis, vel usurpata, vel non vulgari pretio redempta iterum celantur, ut impune in exteras Regiones transferantur, atque suis quodammodo laceratis indumentis etiam orbata extremam inopiam Urbs Romana deploret. Deploramus quidem tot eruditissima Musæa, Romæ olim instructa, in quæ præclari Viri Gualdus, Angelonus, Bellorus, totque hujus generis Viri eruditissimi, pretiosa antiquitatis monumenta, maximo labore, atque expensis congessere, & postea vel per incuriam, vel per Avaritiam dispersa, & aliò translata non tantùm res, sed nomina ipsa perdidere. Sed quid talia commemorem? Ad Musæum revertemur, in quo alia Antiquitatis fragmenta indicanda supersunt, ex metallo conflata. Adeamus Tabulam LII. in qua primo Lunulam expono sub num. 1. in antiquo Sarcophago repertam, ejus formæ, & magnitudinis, quam expressimus.

De hujusmodi lunulis aliqua placet hic addere, præter ea, quæ alibi dicta sunt. Lunulas in calceis adhibitas refert inter alios Rosinus de Antiq. Rom. lib. 5. cap. 36. his verbis: *Lunulati calcei Senatorum, & nobilitate præstantium Virorum erant*, quos Isidorus *Romulum reperisse*, ait, *assuta luna*. Lunam verò non syderis formam, sed notam centenarii numeri significasse eos dicit, quòd initio Patricii centum fuerint. Plutarchus verò quæst. Rom. 79. quærens cur, qui nobilitate generis aliis præstare viderentur, lunulas in calceis gestarent, multas ejus moris rationes affert. An, inquit, signum hoc est habitationis supra lunam quæ fertur, & post mortem rursus animæ lunam sub pedibus habebunt? An hoc Prisci habuerunt eximium, qui erant Arcades cum Evandro, & ante Lunam nati dicebantur? Aut ut multa alia, hoc quoque institutum erat, ut rebus secundis elati, aut superbientes mutationis fortunæ in alteram partem admonerentur, exemplo videlicet Lunæ, quæ primùm recens extitit, e caligine fulgore dehinc subinde faciem splendido augescit illustrans, & cum pulcherrima renidet orbe pleno, rursus exuit lumen suum, & ad nihilum redit. Aut obedientiæ sic assuescere dicebant Lunæ exemplo præstantiori parere, non recusantes; & quemadmodum illa secundas obit partes Phœbeis semper radiis intenta, nitoris ut canit Parmenides, ita ipsi quoque contenti esse secundo loco, magistratibusque obtemperare ab iisque potentiæ, & honorum fructu aliquo impertiri. Hæc omnia Plutarchus. Festus verò inquit: Mulleos genus calceorum ajunt esse, quibus Reges Albanorum primi, deinde Patricii usi sunt, M. Cato originum lib. 7. Qui Magistratum Curulem cœpisset, calceos mulleos allucinatos, aut lunatos, cæteri perones. Tale gestamen lunæ in calceis confirmavit Juven. Sat. 7.

Nobi-

——— *Nobilis, & generoſus*
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

& Martialis lib. 1. epig. 29. *Lunata nunquam pellis, & nunquam toga*. Animadvertit Balduinus agens de calceis antiquis cap. 9. Authores omnes, qui de hac lunula ſcripſerunt, non explicare quid propriè eſſet in calceis hæc lunula, neque cuinam calceorum parti aſſuta eſſet. Atque hoc quærens ex Philoſtrato in vita Hærodis ait, ſe didiciſſe, ubi nobilitatis notam calceis appoſitam ipſum geſtaſſe dixit, & ex Græco ita vertit ejus verba: *Lunula eſt fibula eburnea*. Tiraquellus in annotat. in Alexandrum Neapolitanum. Lunula, inquit, in calceis erat fibula eburnea ad inſtar lunulæ corniculatæ. Qua autem in parte aptaretur, dicit. Ubi talorum integumenta cum iis, quæ reliquum pedem operiunt juncta concurrunt, indeque ſecundum anteriorem tibiæ partem diviſa in altum aſſurgunt, invicem vel corrigiis, vel etiam fibulis conjungenda; & ſic aſtringendis inter ſe calceorum anſulis erat admodum commoda: atque hoc in loco, nempè pagina mihi 82. exponit figuram antiquam Patricii, quam Caſalio debere fatetur. Subdit etiam verba Vopiſci, qui de Carini Auguſti calceis loquens ait: *Fibulis gemmeis utebatur*, & ſibi ſuadet fuiſſe has lunulas non ſolùm eburneas, ſed pretioſiores, puta argenteas, vel aureas, vel gemmeas. Hunc morem fuiſſe etiam apud hebræas fœminas ex Iſaja colligi poteſt cap. 3. 18. *In die illa auferet Dominus ornamentum calceorum veſtrorum, & lunulas &c.*

Quod ſi quis veteri more romano ſingulos Patriciorum calceos una tantùm lunula, vel ferrea, vel Ærea, vel ad ſummum eburnea fuiſſe inſignitos contendat, non repugno, imò libenter aſſentior.

STYLI AD SCRIBENDUM.

SEcundo loco num. 2. indicantur inſtrumenta, diverſimodè quidem efformata, ſed ad idem apus apta. Styli illa ſunt, quorum mucrone antiquitus in cereis pugillaribus ſcribebatur, teſte Plinio lib. 37. cap. 14. aliiſque quampluribus vetuſtiſſimis ſcriptoribus. Eorundem inſtrumentorum parte mucroni oppoſita ſcriptum abradebatur. Graphia etiam dicebantur, Pugillares verò, in quibus ducto ſtylo per ceram ſcribebatur, erant tabellæ ex citro, ſeu buxo, vel ebore confectæ: & apud Antiquos erant Notarii, in quorum thecis includebantur ſtyli, & pugillares. Pugillarium forma fuit oblonga, & quadrata eminenti quodam margine circum circa concluſa, ut teſtatur Laurentius Pignorius de Servis pag. 221. ſe vidiſſe Romæ in veteri arca ſepulchrali in hortis Cyriaci Matthæi. Materies earum ut indicatum eſt, frequenter è citro, buxo, acere, ebore, imo, & membranis, quibus omnibus ceram coloratam ſuperinducebant. Prudentius in hymno de Caſſiano Martyre antiquam ſcribendi rationem ad amuſſim explicat.

Conjiciunt alii lapides, inque ora tabellas
Frangunt, reliſa fronte lignum diſſilit,
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis
Rubetque ab ictu curva tumens pagina.

& ibidem.

Inde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.

Erant hi ſtyli, tum è ferro, tum ex ære ejus planeformæ, quam hic damus ſub numeris 2. vide Maſcardus pag. 425. Explicant hi Aloyſii Corradini enigma, quod eſt hujuſmodi.

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo
Verſor utrinque manu, diverſo, & munere fungor
Altera pars revocat, quidquid pars altera fecit.

Quo autem tempore uſus ſcribendi in cera permanſerit, non ita certum eſt apud Scriptores, ut poſſit ſine dubio affirmari. Sed hujus rei indaginem inſtituendi non eſt hic locus. Vetuſtiſſima marmorea tabula nuper Romæ detecta fuit propè Templum, quod anno 1120. reparatum fuiſſe dicunt ſub Paſchale ſecundo Pont. Max. Beatiſsimæ Virgini dicatum, & modò a Romanis dicitur *di S. Maria in Monticelli*, in quo lapide Pædagogus opere anaglypto exculptus cernitur, puerum docens, qui ſtylo ſupra tabulam characteres efformat. Tale marmor ſervatur a D. Marco Boldetto Baſilicæ Sanctæ Mariæ Tranſtiberim Canonico, linguæ hebraicæ peritiſſimo, ejuſque in Bibliotheca Vaticana Scriptore, & Sacrarum Reliquiarum, quæ è ſacris Cryptis ſingulis annis eruuntur, diligentiſsimo cuſtode.

Fuit etiam Graphium ad cædem aptum, ut indicare videtur Seneca lib. 1. de Clemen. cap. 14. dicens. Populus Romanus Erixonem equitem Romanum, quia filium flagellis occiderat, in Foro graphiis confodit. Eminentiſs. Cardinalis Baronius in ſuis adnotationibus ad Martyrolog. Roman. die 3. Martii notat duplex ſupplicii genus fuiſſe apud Romanos, alterum ad cruciandum tantummodo inſtitutum, quod ſtimuleum dictum furibus ſervis admoveri conſuevit, de quo ſæpius Plautus; ut in milite glorioſo his verbis: *Neque niſi ſupplicium ſtimuleum de te datur*. In Aſinaria. *Utinam ſtimulus in manu mihi ſit*; Stimulis etiam latera Sanctorum

ctorum Martyrum eſſe ſæpe confoſſa eorum Acta teſtantur; ſed alterum ad occidendum inferri ſolebat, excogitatum a C. Caligula ſæviſſimo Principe, de quo Suetonius in Cajo c. 30. *Non temere in quemquam, niſi crebris, & minutis ictibus animadverti paſſus eſt, perpetuò notoque præcepto ita fieri, ut ſe mori ſentiant.* Hæc Suetonius, qui & in Galba cap. 17. Minutiſſimis ictibus ipſum Galbam fuiſſe excarnificatum teſtatur. Apud eundem Baronium die 13. Auguſti Caſſianum Martyrem graphiis puerorum confoſſum ejus Acta teſtantur, *quorum quanto infirmior erat manus, tantò graviorem martyrii pœnam dilata morte faciebat.* Idem quoque referunt Marci Arethuſii Acta apud Antonium Gallonium lib. de Cruciatibus Martyrum cap. 9. impreſſionis latinæ. *A pueris ad pueros Marcus pendulus remittebatur, cultris pennariis, hoc eſt graphiis, generoſum illud corpus excipientes.* Eorum ſtylorum duplicem formam exhibuit Laurentius Pignorius lib. de Servis pag. mihi 224. duo illis ferè ſimiles in Muſæo ſunt, duoque inſuper alii diverſæ quidem formæ, ſed ad ſcribendum acuminati, & ad ceram complanandam apti, ſeu delendos characteres in cera efformatos.

ACUS CRINALIS.

DUm de ſtylis ad ſcribendum adhibitis ſermo eſt, alius ſe offert ſtylus, quem apud Authores *Diſcerniculum* appellatum invenio. Confirmat hoc Clemens Romanus, qui ſcripſit non licere Chriſtiano nutrire capillum, & in unum complicare, vel *diſcerniculo* diſcriminare. Tale diſcerniculum Servius appellavit *Calamiſtrum*; ideſt Acum majorem, quæ calefacta, & adhibita intorquet capillos. Erant etiam uſui minores acus, quibus ſuſtinebantur capilli, & dicebantur *Acus crinales*, teſte Iſidoro lib. 19. orig. cap. 31. Erantque Acus, quibus omnes annuli, vel Cincinni Comarum in capite jam ornato fieri continebantur, ut ordinem ſervarent. Hujus generis acus formam exhibuit Caſpar Bartholinus de Inauribus cap. 2. & Laurentius Pignorius de Servis pag. 410. quas olim extitiſſe, ait Romæ apud Lelium Paſchalium, ſed cum illæ fuerint inflexæ ad crines ſuſtinendos, ut monſtrat Pignorius, & indicat Ovidius Metam. lib. 5. verſ. 52. *Et madidos Myrrha curvum crinale capillos.* Ad alium uſum adhibitum fuiſſe puto acum, repertam inter rudera propè Templum Claudii in Monte Cœlio, quæ ex noſtro Muſæo exhibetur non inflexa ſed recta, ſub numero 3. eamque eſſe, quæ diſcriminalis dicebatur, quaque capillos ante frontem dividebant; quo diſcrimine mulieres a Virginibus diſtingui refert Tertullianus, qui de velandis Virginibus ita loquitur, *Vertunt mulieres capillum, & acu laſciviore comam ſibi inſerunt, crinibus a fronte diviſis, apertam profeſſæ mulieritatem.* Itaque Virgines cirratæ erant, mulieres autem crines a fronte diviſos gerebant, quos acus diſcriminalis dividebat. Erant autem hæ acus aureæ, argenteæ, & Æreæ; ſicuti etiam crinales; Et difficilè dictu eſt, quantum in hac parte ſtudium, operamque tribuerent Antiqui; immò nec viri ſuperari ſe a Fœminis paſſi ſunt. Teſtis eſt Columella in Præf. lib. 1. dicens; *Capitum, & Capillorum concinnatores, non ſolùm eſſe audivi, ſed & ipſe vidi.* Erantque mulieres, quæ ornatum muliebrem tractabant, & *Coſmetæ*, ſeu *Ornatrices* vocabantur. Illas tradi conſueviſſe Magiſtris, ut ediſcerent modum ornandi refert Laurentius Pignorius de Servis p. 390. in Manilio cap. 5. dicente:

Illis cura ſui vultus, frontiſque decoræ
Semper erat, tortoſque in flexum ponere crines
Aut nodis revocare, & rurſus vertice denſo
Fingere, & appoſitis caput emutare capillis.

Legitur præterea Romæ in veteri marmore.

CALPHURNIA
L. ET ↄL. GALEÆ
ORNATRIX

In Muſæo Carpenſi erat olim alia Inſcriptio Sepulchralis

AGONIAE SUCCESSAE
A TUTUL. ORNATRIX &c.

Qui ornatus muliebris in capillis præcipuè enutriendi verſabatur, reprehenſus a Tertuliano aliiſque Patribus. De cultu fœminarum ſic ille. *Quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modò ſubſtrictis, modò relaxatis, modò ſuſcitatis, modò eliſis. Aliæ geſtiunt in cincinnatis coercere, aliæ ut vagi, & volacres elabantur, non bona ſimplicitate. Affigitis præterea neſcio quas enormitates textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum &c.* Utinam etiam noſtris hiſce temporibus, tam effrenata muliebris ornatus libido, præcipuè in capitis indumento adſcititio, non vigeret. Adeo corrupta morum publicorum eſt diſciplina, ut non neceſſitatis, vel valetudinis cauſa, ſed immodico luxu ſumatur ornatus: id quod Hiſtrionum capitibus tantùm antiquitus aptabatur. Adeat curioſus Lector eruditum Tractatum, quem de hujuſmodi adſcititio capillamento ſcripſit Abbas Joannes Baptiſta Pacichellius Neapoli 1693. Muſæum ſi adeat, intueri poterit Inſtrumentum, æneum quod Volſellam Antiqui

tiqui appellarunt, quod etiam hodie inter alia uſurpatur, ſcilicet ad evellendos è corpore pilos; quod etiam in more Antiquorum fuiſſe refert Suetonius, loquens de Cæſare cap. 45. *Circa curam corporis moroſior erat, ut non ſolùm tonderetur diligenter ac raderetur, ſed vellere-tur etiam.* Diſquiret fortaſſe aliquis an propoſitum inſtrumentum ſub num. 4. antiquum fuerit? cum inter antiqua Rudera Romanarum Thermarum repertum fuerit? De hujuſmodi inſtrumento loquens Martialis lib. 9. epig. 28. ait.

Nec vivat ullus in ſuo pilus crure
Purgentque ſævæ cana labra volſellæ.

INAURES.

ALia ornatus muliebris ſpecies ſequitur, quæ Inaures complectitur, ſeu auriun ornamentum, quod a parte corporis, cui ornandæ ut plurimum eſt deſtinatum denominationem traxit; nam cum aliis etiam faciei partibus, ut naſo, labiis, fronti, apud aliquos populos appenſas Inaures geri referant hiſtoriæ, impropria denominatio illis convenit; idcircò pluribus nominibus eas expreſſerunt Authores, quos recenſuit Gaſpar Bartholinus de Inauribus Veterum cap. 1. Nec eadem fuit inaurium materies: fuiſſe ex gemmis, ex auro, ex ære plura monumenta referunt, immò fuerunt oſſeæ, & ligneæ, præcipuè a pauperibus orientalibus geſtatæ. Idem Bartholinus cap. 2. exponit formas diverſas inaurium, quæ olim extabant Romæ apud Lælium Paſchalium, atque etiam Laurentius Pignorius de Servis pag. 410. inter quas videtur inauris ærea gemmis tribus vitreis oblongis dependentibus ornata. E noſtro Muſæo illi ſimilem oſtendimus num. 5. ſed gemmis orbatam, atque etiam tres alias diverſæ formæ, quas in antiquis Sarcophagis effoſſores invenerunt. Præter has alia eſt num. 6. indicata orbe majori circumflexa, quam ex aure potius alicujus Servi, quam mulieris dependiſſe autumo, in ſignum ſervitutis: Servitutis enim notam fuiſſe aurem perforatam, a qua inauris unica dependeret, Lex oſtendit in Deuteronomio cap. 20. his verbis. *Sin autem dixerit* (ſervus manumiſſus) *nolo egredi eò quòd diligat te, & domum tuam, & bene ſibi apud Te ſentiat, aſſumes ſubulam, & perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, & ſerviet, & tibi uſque ad æternum.* Quem ritum Deum præcepiſſe ad libertatis ſtudium ingenerandum Cajetanus docet, ut ſi non ſervitutem ſaltem ignominiam publicam horreſceret. Etiam ex naribus dependiſſe apud aliquos teſtatur D. Auguſtinus Quæſtion. in Geneſim. *Mos*, inquit, *Maurorum eſt, ut inaures etiam in naribus habeant fœminæ*, imò etiam labiis apponi etiamnum apud Ægyptios accepi ex Viro fide digniſſimo.

Sed Luxuriæ præcipuè, & ornamenti, majoriſque oſtentationis cauſa uſurpatas fuiſſe Inaures, quamplurima monumenta evincunt. Quamobrem, ſicuti formas varias excogitavit, hujus fœminæi cultus ſtudium, ita nec pondus, nec pretium idem omnibus fuiſſe ſcimus. Pro ratione dignitatis, & fortunarum hæc, & reliqua ornatus inſtrumenta diverſa erant; aliqua enim ferè immenſi fuere pretii, talis fuit Unio, cujus apud Pancirolum meminit Zonaras, quem Rex Perſarum Peroſa in expedirione adverſus Hunnos a dextra aure detractum abjecerat, ut poſtea repertum Juſtinianus centum auri libris redimere a Barbaris voluerit. Similis unio Cleopatræ quæ maximè ſingulare, & verè unicum Naturæ opus auribus geſſiſſe dicitur, cumque cum ex aure detractum, ac liquefactum abſorbuiſſet Antonius, una cœna dicitur centies ſeſtertium conſumpſiſſe apud Plinium nat. hiſt. lib. 9. c. 35. hoc eſt teſte Budæo ducenta quinquaginta milliâ aureorum. Nec ſanè exigui momenti Unio ille, quem Vitellius, cum exituro Viaticum defuiſſet, detractum ex aure matris, ſolùm piguoraverat ad itineris impenſas omnes, referente Suetonio in ejus vita cap. 7. Atque hi immodici ſumptus, cum ſolùm effuſi ſint, ut unica ſplenderet auricula, jure & Patrum querimoniis perſtringuntur. Imò meretricium hoc ornamentum vult Seneca, quippe qui lib. de Conſtan. Sapien. c. 14. ſuadet inaures non tanti eſſe, ut referat, ſive iis ornata honeſta matrona ſive non, & lib. 7. de benef. c. 9. in hæc verba prorupit. *Video Uniones, non ſingulos ſingulis auribus, comparatos. Jam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt, junguntur inter ſe inſuper alii, binis ſuperponuntur; non ſatis muliebris inſania Viros ſubjecerat, niſi bina ac terna patrimonia auribus ſingulis pependiſſent.* Licitæ tamen ſunt, quando intra honeſtatis limites continetur modicus earum uſus.

ARMILLÆ.

PRæter inaures, quibus Fœminæ exornabantur erant Armillæ, atque has duplicis generis fuiſſe antiqua monumenta demonſtrant. Aliquæ enim geſtabantur in ſummis brachiis, authore Polluce in Onomaſtico, aliquæ etiam ad manus tranſierunt, atque hinc pro manus ornamento habentur, lata vocis ſignificatione, nam cum Antiqui humeros cum bracchiis Armos vocarent, ſunt proprium bracchiorum ornamentum armillæ. Hujus generis armillam in medio armo circumligatam oſtendit in Ame-

ricana

ricana Virgine ex Joanne de Laet. Thomas Bartholinus pag. 20. sed de hoc ornamento plura inquirere instituti nostri ratio non permittit; sicuti neque de parvis armillis, seu annulis, quæ labiis perforatis inseruntur ab aliquibus Ægyptiis. Eas vide in erudita dissertatione Joannis Rhodii, quem morem indicat Verba Job c. 40. *Nunquid pones circulum in naribus ejus, aut armillâ perforabis maxillam ejus?* & juxta septuaginta dicitur, *Armillis verò perforabis labium ipsius.*

Diversi generis armillas ex Musæo hic exponimus, sub num. 7. 8. nempè circulos æneos, quos antiqui bracchio ut plurimum dextero gestabant, & quidem, vel ut virilis fortitudinis esset nota, vel etiam servitutis, quamvis aliquando in utroque bracchio multi eas gestarent, & aliquando tantùm sinistro, ut de Sabinis refert Livius lib. 1. *Sabini aureas armillas magni ponderis bracchio lævo habuerunt.*

Quòd in signum servitutis gestarentur probat inter alios Suetonius in Nerone cap. 30. vocans Cursores servos Armillatam Turbam, sic. *Ille*, Nero, *nunquam Carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata, & phalerata cum Mazacum turba atque Cursorum.* Loco *Mazacum* legi debere ait Pignorius de Servis pag. 292. *Mazyces*, qui Numidæ erant a Mazaca Cappadociæ, qui Præcursores erant. Ita Seneca epist. 87. & 123. In eadem sententia fuit Isidorus lib. 19. orig. cap. 31.

Quòd verò Virtutem indicarent, & Virilem fortitudinem, idem Isidorus docet. Militibus enim ex bello feliciter reversis distribuebantur Armorum, & bracchiorum ornamenta, non alia de causa, nisi ut hæc Virtutis præmia se iisdem bracchiis meruisse recordarentur. Extat apud Gruterum pag. 358. num. 2. Inscriptio antiqua lapidis, in quo duæ armillæ exculptæ sunt, his verbis expressa. *L. Antonius L. F. Fabius Quadratus Donatus Torquibus, & Armillis ab Ti. Cæsare bis.*

Formulam doni hujus militaris Barnabas Brissonius refert ex Valerio lib. 4. idest: *Imperator Te argenteis Armillis donat.* Ut plurimum tameu ex Auro formatas fuisse dicit Dionysius Halicarnasseus lib. 60. Antiquit. Romanarum, cui Pignorius subdit argenteas, eburneas, ligneas, atque æreas fuisse plebejas servorum potius, quàm militum. Æreas fuisse dicerem, quarum Iconem Bartholinus exhibuit pag. 43. ex Pignorio mutuatam, & inauratam fuisse dicit pag. 293. Alias similes vidimus Romæ. Unam ejusdem omnino formæ, & minutis striis in longum ductis exornatam in nostro Musæo habemus, cujus cornua ultra abeunt, a perfecto circuli orbe. Sic eam Isidorus descripsit. *Circulum rotundari, armillam extendi latius*: quæ verba Icone sub num. 7. expositа clariùs explicantur in Tab. LII.

Alterius etiam Armillæ imaginem damus sub num. 9. elegantis formæ, & minus ponderosæ, quæ fortasse bracchio alicujus ancillæ gestabatur. Ejus extrema, & si invicem non se mordeant, ita tamen conveniunt, ut vi aliquantisper remota ad bracchium facilius immittendum statim cocant, armumque stringant, ne cadere amplius possit. Atque hæc de Armillis dixisse sufficiat; ad Fibulas procedamus.

FIBULÆ.

QUas in vestium apparatu Romani præsertim numerabant. Erant etiam Fibulæ Architectonicæ, sed de his nihil dicendum occurrit. Erant etiam, quæ dicebantur Gymnasticæ, de quibus secundo loco agendum est. Fibulas igitur primo loco exponimus, quas dicebant Vestiarias, ut notat Casalius de prophanis Roman. Ritib. cap. 19. ubi varias earum formas, ex diversis Eruditorum Cimeliis mutuatas exponit; aliæ enim circulares, aliæ quadrangulares sunt: Multæ equi, Hinnuli, Avis, Delphini, Cochleæ, & Anguium speciem referunt, quarum aliquæ, scribente Isidoro lib. 19. cap. 31. pectus fœminarum ornabant, vel Pallium Virorum in humeris: vel ut in Vitruvio adnotat Philander, illis mulieres fluentem retro vestem subnectabant. Nostri Instituti est de his tantùm loqui, quæ in Musæo recensentur. Quamobrem aliquas Icones earum diversas exhibemus, quas tamen omnes ad Pallium Virorum in humeris constringendum inserviisse putamus; singulis enim congruit Sermo Panciroli de rebus deperditis tit. 44. ubi Fibulæ usum sic docuit. Considerationе digna est Fibula qua Veteres Togam subnectebant. Fibula enim superius annexa in sinum fundebat Togam instar veli vento inflati, & mox. Facta est potissimum in eum finem, ut Togam supra dextrum humerum connecteret; in quo duæ illius partes subjectam acum in canalicula stringebant. Nec enim adsuta panno erat fibula, sed duas Togæ partes adstringendo non verò transfigendo subnectebat. Quapropter supra fibulam nodus quidam conspiciebatur ex Toga, quæ cum venustate, & elegantia dilatabatur. Rosinus. qui de vestibus Romanorum egit c. 31. lib. 5. nullam ejusmodi fibularum mentionem fecit; sed Thomas Dempsterus in Paralipomenis usum fibularum ex Ammiano Marcellino refert, dicente lib. 14. sudant sub ponderibus Lacernarum, quas in Colli exerta fibulis ipsis

adnc-

adnectant, & Publius Ovidius lib. 8. Metamorph.

Refilis huic ſummam mordebat fibula veſtem

Virgilius quoque 4. Æneid. de Didone venatum profectura.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Fuerunt autem Fibulæ ex ferro, vel ære, vel argento, vel auro gemmis etiam ornatæ, uno verbo ex quovis metallo, & ære præcipuè, quales ſunt, quæ iconibus Tabulæ LIII. expreſſæ videntur. Illam quæ indicatur num. 1. eleganti forma concinnata, Muſæo clargitus fuit D. Abbas Marucellus nobilis Patritius Florentinus, pari humanitate, atque eruditione in hac urbe conſpicuus. Eandem melius deſcribi poſſe non credo, quàm verbis, quibus Pancirolus expreſſit, ideſt: *Inferius, & extrema parte grandiorem habet acum cum æreo filo quo efficitur, ut illa, abſque ulla difficultate quaſi fluctuans vagetur, ipſius præſertim cuſpide in canalicula, quæ in altera parte fibulæ eſt impreſſa.*

De fibulis agens Begerus in Theſauro Brandeburgico tom. 3. pag. 420. plura genera fibularum diſtinguit. Aliquas vocat cum acu ductili, in quarum aliquibus quatuor, in aliis ſex, vel octo, ſeu plures in giros convolvitur, eaſdemque ſimplices, & puras vocat. Alias diſtinguit cum acu pendula, quæ non in giris in commiſſum, ſed claviculo connectitur. Inter quas aliquas *interraſas* cum Lactantio appellat, ſcilicet pluribus foraminibus & inciſuris exornatas, aliquas verò *incruſtatas* etiam dicit, hoc eſt coloribus variis exornatas, encauſtico opere diſtributis. Alias demum *Iconicas* vocat, hoc eſt iconibus variis puta equi, piſcis, Avis exornatas. Multas ille exhibuit. Eas quas in Muſæo habuemus expoſuimus, inter quas fibulas vides ſub num. 2. de quibus dubitari poteſt, an antiquæ ſit, cum etiam hodie tales in uſu eſſe videamus. At non omnia Veterum inventa periere. Antiquas illas eſſe inde conſtat, quòd in antiquis ſepulchris repertæ fuerint. Semicirculares illæ ſunt, acu immiſſa, quæ ad oppoſitum labrum pertingit, quæ transfigendo lora, eadem connectebat.

De gymnaſtica autem fibula ſupra indicata dicturus, paucis me expediam, referens Caſalium ſcribentem: *Comœdis, & Cantoribus præcipuè inſerviſſe; coercebantur enim adoleſcentes, conſervandæ vocis gratia.* Qualis eſſet uſus, qualis forma, & quomodo geſtaretur, hæc omnia explicat ſupradictus Caſalius aliique, quorum tamen ſententiæ diſcrepant inter ſe circa magnitudinem, & formam. Cornelii Celſi opinionem ſequor de re medica lib. 7. cap. 25. ubi de fibula hujuſmodi differens ait: *Fibula quò levior eò melior eſt.* Quamobrem ejus generis putamus eſſe fibulam ſub num. 3. ex antiquo Sarcofago in Muſæum translatam.

ANNULI.

IN ſepulchris etiam non rarò reperti ſunt annuli, de quibus pauca ſubdam. Morem geſtandi digitis annulos eſſe antiquiſſimum notum omnibus eſt; quo verò tempore horum uſus primùm incæperit, non clarè conſtat. Plinius ſecundus ductus Auctoritate Homeri, poſteriorem Trojanis temporibus falsò putavit. Fibulæ primordium a rupe caucaſea tradunt, quòd Prometheus ira Jovis Caucaſo alligatus, quia ignem furtim è cœlo ſubripuerat, poſtea ab Hercule liberatus, indulgentia Jovis: hac tamen lege, ut in memoriam pœnæ annulum geſtaret ferreum, cui ſaxi fragmentum eſſet incluſum. Hinc annulum dicunt primùm induiſſe digitos. Conſtat tamen ante bellum Trojanum annulorum uſum fuiſſe, idque ex ſacra hebræorum hiſtoria, in Geneſi enim tradit Moyſes Pharaonem Ægyptii Regem, poſt ſomnii interpretationem a Joſepho factam, annulum digito ſuo detracto ejuſdem Joſephi manui indidiſſe, nec facilè dictu eſt, quis primùm talem uſum inſtituerit. Apud Romanos promiſcuum annulorum uſum fuiſſe ſcimus poſt Victoriam Pompeii Magni de Piratis, Aſia, & Ponto. Simplices quidem primò fuere ex ſimplici metallo, vel ferro. Ferreum annulum a Matre habuiſſe Seleucum Regem tradit Appianus. Longo etiam tempore, nec Senatus quidem Romanus habuit aureos, ſed tantùm qui Legati ad exteras gentes ituri, atque illis publicè donabantur aurei, & Plinius narrat lib. 33. cap. 1. ætate adhuc ſua ſponſæ annulum ferreum, & ſine gemma a ſponſo mitti ſolitum. Deinde paulatim, ex ære argentoque fictos annulos geſtarunt, quod probat ingens eorum numerus qui quotidiè eruitur. Sed ſine gemmis. Eos qui in Muſæo ſunt in Tabula LIV. expoſui fideliter delineatos, quorum tria locum gemmæ demonſtrant ſub num. 1. propè quos adjunximus inſignem, & ſpecioſam Fibulam num. 2. indicatam.

Simplicibus, & ſine gemmis uſos eſſe Flaminas Diales affirmat Gorlæus; At quamvis primi annuli, e ſimplici metallo, & ſine gemmis extiterint, poſtea gemmæ addi cœperunt, & in iis fuit oſtentatio opum, quibus lautioris fortunæ Viri ab hominibus tenuioris conditionis diſtinguerentur, atque eò proceſſit ſuperborum hominum luxus, ut Eliogabalus Princeps profligatæ vitæ Vir, quotidie novis annulis digitos oneraret; quoſque pridie geſtaſſet, poſtridie

rurſus ſumere dedignaretur. Quamobrem exclamat Plinius: *Peſſimum*, inquiens, *Vitæ ſcelus fecit, qui annulum primus induit digitis.*

Sed quamvis ad ornatum luxuriamque primùm inventos annulos fateamur, ad honeſtiores inde uſus translati ſunt, ſcilicet ad munus ſignandi, quod etiam antiquiſſimũ fuiſſe ſcimus. Romani poſtea ab Exteris acceptum hunc ritum ſignandi annulis amplexi ſunt, ut non ſolùm Epiſtolas ſignarent, ſed in rebus pretioſis condendis annulis uterentur, atque etiam cibos, & potum, claveſque ipſas. Unde Mater familias apud Plautum. Caſina act. 2. Scen. 1.

Obſignate Cellas, referte annulum ad me.

Joannes Caſſianus lib. 4. de Inſtit. Cler. cap. 15. *Etiam annulos quibus recondita præſignemus, in digitis palam geſtare præſumimus, quibus non ſolum ciſtellæ, vel ſportæ, ſed ne arcæ quidem, vel armaria ad ea, quæ congerimus, vel quæ egreſſi de ſæculo reſervavimus condenda ſufficiunt.*

Ex Fortunio Liceto de Annulis cap. 20. Priſcis temporibus communis uſus Annulorum fuit ad rerum cuſtodiam. Ejuſcemodi autem annuli fuere claves, uti noſtrates, at loco longi Manubrii tenebant annulum digito inſerendum; de hoc annuli genere Plautus in Amphitruone ſic act. 2. ſcen. 2.

——————— *An etiam id credis*
Quam in hac ciſtula ſuo ſigno obſignata ferunt.

ideſt annulo ſuo. Mos autem Romanis erat, ut domi ſupellex penuſque eo ſignarentur, ne quid negligentia aut furto periret. Annulos ejuſmodi ſignatorios complures editos in Batavia cum adjuncta clavi ſe vidiſſe affirmat Licetus ad duplicem uſum ſignandi aperiendique; & etiam apud Joannem Galvanum Patavinum Juriſcultum, rei antiquariæ ſtudioſiſſimum. In noſtro Muſæo multæ claves antiquæ annulis adjunctæ obſervantur, ex quibus aliquas hic damus ſub numeris 3. 4. 5. & 6. in Tabula LIV.

In ejuſmodi autem annulis ſignatoriis variæ erant, & diverſarum rerum effigies, prout cuilibet magis arridebat. Aliquando enim Deorum erant, aliquando hominum, & Brutorum, ſæpè hiſtoriæ rerum exprimebantur, & ſymbola ad placitum efficta; hinc difficultas objicitur maxima in iis explicandis, quæ Veteres effinxerunt, & divinandi Ars potius nobis eſt neceſſaria, quàm conjiciendi. Miror proinde eos, qui ſibi ſuadent è theſauro ſuæ eruditionis ea poſſe depromere, quæ ejuſmodi ſignis, omninò congruant, & adamuſſim explicent, cum nunquam ipſis Inventoribus in mentem venerit quidquid, ſe ipſos divinare, & vulgo aperire ſine ulla dubitatione credunt.

Ut plurima ea omnia celabantur in Achate, onyche, & ſardio lapide, eò quòd ceram non traherent, & ſine labe effigiem efformarent. Referunt Pompejum Leonem enſe armatum, in ſuo annulo habuiſſe, Mecænatem Ranam, Sphingem Auguſtum. Dicitur Alexander devicto Dario, litteras ſuas, quas in Europam deſtinabat, ſua imagine, obſignaſſe, Darii verò quas in Aſiam mittebat. Effigies proprias in annulis habere plebeiis erat familiare. Sed qui plura in hoc genere ſcire deſiderat, adeat copioſam Abrahami Gorlæi Dactyliothecam in duos tomos bipartitam, in qua nonaginta ſex ultra octingentos lapides annulorum exhibuit, quos omnes Jacobus Gronovius eruditè explicavit, editam Lugduni Batavorum an. 1695. In eadem Præloquium eruditè appoſuit ipſe Gorlæus de annulorum origine, variis eorum generibus, & uſu apud Priſcos. Quamobrem hujus generis ſculpturas non exhibemus ex Dactyliotheca ſelectas, quæ in Muſæo eſt, quæ licet quamplurimis aliis pretioſioribus æquiparari non poſſit, haud tamen eſt contemnenda.

Mos autem annulos conſervandi antiquiſſimus fuit, de hoc Plinius ſic lib. 38. cap. 1. Gemmas plures, quod appellant Dactylothecam primus omnium habuit Romæ Privignus Sylla Scaurus, diuque nulla alia fuit, donec Pompejus Magnus eam, quæ Mithridatis Regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro, & alii ejuſdem ætatis Authores confirmant. Hoc exemplo Cæſar Dictator ſex Dactylotheças in æde Veneris Genitricis conſecravit. Marcellus Octavia genitus in Palatina Apollinis Æde unam. Celeberrimus annulus fuit Pyrrhi in quo Achaten cum Muſis, & Apolline citharam tenente expreſſo habebat non arte, ſed ſponte Naturæ. Inter Scalptores harum gemmarum tempore Alexandri Magni. Pyrgoteles celebrabatur. Poſt eum Appollonides, & Cronius, cœteros Plinius refert cap. 1. lib. 37. Quis autem noſtræ Dactylothecæ gemmas annulares inſculpſerit, omninò ignotum eſt. Sunt enim antiquiſſimæ inter rudera, vel in ſepulchris repertæ.

SIGILLA.

PRæter lapides ſignatorios, alia ſigillorum erant genera, tum ex metallo, tum ex ligno, ſeu lapide ad res magis vulgares obſignandas, præſertim opera fictilia, quorum copia Veteres utebantur. Commendanda imprimis eſt eorum *parſimonia*, inquit Henricus Salmuth in notis ad Pancirolum tit. 2. part. 2. *apud quos figlina, ſeu fictilia opera tanto in uſu fuere ut Numa Rex ſeptimum figulorum Collegium Romæ inſti-*

instituerit. Non enim tantùm Imbrices, Tegulæ, & laterculi inde fiebant, sed & tabulæ, lucernæ, candelabra Vasa omnis generis, doliaque ad Vina, & ad aquas continendas. Quin, & defunctos sese multi fictilibus doliis condi malvere. Et de Servis agens Pignorius pag. 534. inquit, *Cretam effossam tractabant figuli*, leg. 25. §. de Instruct. *e corpore servorum in usum videlicet fundi vasa parantes quibus exportarentur fructus, velut amphoras, & Dolia, & in villæ ædificationem tegulas, mercis etiam gratia ut vasa venirent*. Figlinas autem in agro quomodo exerceri oporteret Hostilii Saserna Pater, & filius libris editis monstraverunt, ut testatur Varro lib. 1. de re rustica cap. 2. qui etiam cap. 7. *affirmat se in Gallia transalpina intus ad Rhenum regiones aliquot accessisse, ubi agros stercorarent candida fossitia creta*. Hujus loci fornax est, cujus Cato tit. 38. meminit, & Servus Fornacarius, quem nominat Ulpianus leg. 27. §. 9. Hoc lateritium opus a Græcis accepisse Romanos, cum subacta Græcia omnes artes adveherent Illustrissimus Ciampinus affirmavit cap. 8. vet. monim. cum scripsit opera lateritia ex Solis lateribus cœpisse Ævo Augusti, & subsequentium Imperatorum passim extructa fuisse, copia fortasse Servorum in urbem adducta ob frequentes Cæsarum victorias. Innumeræ proinde officinæ ubique aperiri, & lateritiæ structuræ genus præ cæteris probari cœptum, utpotè minori difficultate parabile per ingentem artificum, & servorum numerum. Hinc maxima ædificia opere lateritio extructa circa Imperatorum ætatem adhuc visuntur. puta mœnia Urbis, Thermæ, Pantheon, Templum pacis, Palatium Imperiale, & alia multa ab Imperatoribus ædificata per spatiũ annorum ducentorum, & ultra. Quam structuram laterum putat idem Ciampinus cap. 8. per tria circiter sæcula Romæ perdurasse, cum adhuc Italia ab exteris Nationibus excidium passa non esset; Post ejus verò devastationem laterum officinas cessasse pro certo habet. Sed hæc ultra prosequendi non est hic locus. Ut ut illa se habuerint, pro comperto habemus, Morem viguisse imprimendi aliquas notas in operibus Figlinarum, præcipuè in lateribus, & tegulis, quæ in ædificiis adhibebantur. Eruditissimus Fabrettus cap. 7. antiquarum inscriptionum dicit se invenisse præ cæteris antiquissimum figlinæ signum *Angust.* (si ad Augustum D. F. ut credit referri debeat) in latere sub oppido Arsularum ad primum Castellum aquæ Marciæ.

Baronius in appendice tom. 3. refert se vidisse in demolitione antiquorum parietum Templi Vaticani à M. Constantino fundati, magnos lateres, in quibus erat nomen Imperatoris Constantini. Turrigius etiam in sacris cryptis pag. 448. affirmat se vidisse idem nomen in tegula ejusdem Basilicæ cujus iconem exhibet Ciampinus cap. 4. tab. 6. num. 1. de Sacr. ædif. Blondus Flavius lib. 2. num. 12. Romæ instauratæ ait se vidisse quadratos lateres amplissimos extractos ex ruinis Templi S. Sylvestri, quorum pars litteras habebat a figulo impressas. Morem hunc non solum Romæ, verùm etiam per totum Romanum Imperium observatum deduxit supralaudatus Ciampinus ex figuris similium laterum a Lambecio relatis in sua Bibliotheca Cæsarea lib. 2. pag. 1005. quos repertos dicit Lambecius propè Pagum Germanum Altemburgicum inter rudera veterum Hybernorum Pannonicorum. Eandem consuetudinem perdurasse sub Christianis quoque Imperatoribus ostendit Fabrettus ibidem in multis tegulis cruce obsignatis. Ex. g.

✠ REG. D. N. THEODORICO
BONO ROMAE.

Curam autem Theodorici in exornanda Urbe, & in pristinum nitorem restituenda demonstrant plura signa reperta, & Cassiodorus testatur. Immo Vetustatis imitatione tegulas omnes tecti S. Balbinæ vidimus Romæ, cum nomine, & gentilitio emblemate Alexandri VI. Papæ qui illud restauravit.

Has tamen notas leviter percurrisse Gruterum, easdem non attigisse Ursatum, & alios miratus est Fabrettus, unde integram fere hanc Provinciam ille suscepit, affirmans ex illis utilitatem nasci dignoscendi tempora, quibus nonnulla ædificia constructa fuerint, itemque particularium locorum cognitio, quorum notitia non aderat, multarum etiam Fœminarum imò & Augustarum, quæ Dominæ erant prædiorum, in quibus Figlinæ constitutæ erant. Observamus sæpe *Figlinam superiorem* ad distinctionem *Inferioris*, *veterem* ad *novæ*, *majorem* ad *minoris*, earum numerum, ubi plures, numericis notis signatum, ostendit Falconerius in sua erudita Epistola ad Carolum Datum Nardino addita his characteribus *F. I. F. II.* &c. Item non parvi esse momenti addit Fabrettus in emendatione Fastorum; Sæpe enim Consules in iis inveniuntur inscripti, at non semper ordine eodem, cum aliquando nomina eorum reciproca incisione inveniantur expressa, videlicet qui *Aper*, & *Catullinus* inscribuntur, e contrario *Catullinus*, & *Aper* legantur. Causam quærens hujusmodi discriminis idem Fabrettus cap. 7. num. 103. putat ex eo factum, quia alternis mensibus Fasces apud alterum ex Consulibus asservabantur, ut legitur apud Suetonium in vita Julii cap. 20. & hinc fortasse

prout quis faſcibus potiebatur, ejus nomen præmitti potuiſſe.

Notæ autem in magnis lateribus obſignatæ, ut plurimum erant in gyrum diſpoſitæ, in cujus medio ſigna cernebatur diverſa, quorum multa refert in ſuis inſcriptionibus Fabrettus cap. 7. V. G. Nux pinea, Gallus, Capricornus, caput bubulum, Aquila, ramuſculus palmæ, Aper, Canis. Quatuor ejus generis è magnis lateribus deſumptas hic exponimus in Tabula LV. è multis quæ in Muſæo ſunt.

In prima ſunt hæc verba in girum diſpoſita. OP. DOL. EX PR. AUG. GN. N. FIG. SU. quæ ita legenda ſunt. *Opus doliare ex prædio Auguſti Gneii Nepotis. Figulinæ ſuperioris.*

In circulo minori legitur. RUFINI PERIOLANI, in centro autem Imago Mercurii extat.

In ſecunda verba ſunt. EX PR. TI. CLAUDI SECUNDI VERI LUCILLÆ ideſt *ex prædio Titi Claudii, ſecundi Veri Lucillæ.* In medio Vas utrinque anſatum videtur.

Tertia continet OP. DOL. EX PR. UMI. Q. VADETANI. ideſt *opus doliare ex prædio umili Quinti Vadetani.* Centrum autem exornat caput radiatum cum ampulla.

In ultima denique hæc verba tantum legi poſſunt. OP. DOL. EX. PR. . . . . P.A. ALEX. ideſt *Opus Doliare ex prædio . . . . . publico Auguſti Alexandri.* in medio hæ notæ extant COS.

Verùm ſi omnes, quæ reſcribi poſſent, vellemus referre nec tempus, nec paginæ ſufficerent, Erutæ enim è ruderibus ſunt pene innumeræ ſimilium laterum inſcriptiones.

Ut plurimum in gyrum diſpoſitæ inveniuntur. Sunt tamen aliæ quæ in lineam rectam efformatæ videntur, cujuſmodi illæ ſunt, quas a Lambecio acceptas expreſſit Ciampinus in Tab. 6. pag. 31. Hujus generis inſcriptionem nullam ſervat Muſæum, in eo tamen ſunt ſigilla ænea duodecim, quibus tales inſcriptiones imprimebantur in argilla, antequam exiccaretur, atque, ita ut aliquando characteres impreſſi remanerent, aliquando verò expreſſi, & velut opere anaglypto efformati. Uterque modus apparet in Sigillis æneis in Tabula LVI. inciſis, quæ hic ſubjicio, cum explicatione Charactarum. In primo ſunt V. C. F. I. Marc. quos puto ſic legendas: *Viri clariſſimi Figulina Prima Marci.*

2 A. VER. IV.)
3. IMMXIMV) De his quinque.
4. AROSCV. T.) Nihil certi audeo
5. P. CAM.) affirmare.
6. A. S.)

In aliis verba ſunt clara ideſt

7. CAII MUCII POLLIONIS
8. MARCI VALERI HERMAE
9. AURELIAE GEMELLAE
10. TITI FLACCI TITIANI
11. ALCINI.

In his omnibus intelligendum eſſe judico vel *Opus*, vel *ex Figulina*, nomina enim omnia Genitivi caſum habent, qui poſſeſſionem ſignificat apud Latinos. Hujuſmodi tabellas æneas inter annulos ſignatorios recenſuit Begerus, ſed eas a poſſeſſore digitis appenſas nunquam credideram, licet iis annulus ſit appoſitus, commodioris uſus gratia. Plures non diſſimiles vidi in aliis Cimeliis, & omnes quidem ex ære formatas; nulla tamen quod ſciam ab aliquo reperta eſt ex genere earum, quibus tegulæ, & magni lateres obſignabantur. Hanc inopiam ex eo provenire ſuſpicor, quòd fortaſſe majora hæc ſigilla non ex metallo efformarentur, ſed ligno, quod temporis edacitate facilè abſumitur, & putreſcit.

PONDERA.

ALiud ſignandi genus erat apud Antiquos, quo ponderibus, & menſuris ad publicum commercium ſine fraude exercendum notæ aliquæ, ſeu verba imprimebantur, Quamobrem aliqua pondera ſignata diverſarum magnitudinum, & Muſæo profero in eadem Tabula, quæ licet exactè, & ad invicem non reſpondeant, nec illis uti tutò poſſimus ad ſtabiliendam legem inter pondera recentia, & antiqua, lucem tamen poſſunt afferre, ut diſcrimen inter utraque cognoſcamus. Ponderum notitia plena tricis explananda nobis non eſt, *neque virium noſtrarum*, (loquor cum Sponio) ſect. 9. pag. 303. Hæc præſtiterunt Authores varii, & inter alios Lucas Petus libris quinque. Si ponderum originem inquiramus, illam a Moyſe emanaſſe aſſirmat Iſidorus de Ponderibus cap. 24. & Græcis Sidonem Argivum eorum rationem conſtituiſſe; & licet alii antiquiores extiterint, illum tamen in hac arte fuiſſe doctiorem. Pondera autem penè omnia erant ex marmore nigro, & duriſſimo lapide Ophite, vulgò *ſerpentino*. Puncta vel numerum inſcriptum illa habuiſſe addit idem Iſidorus lib. 16. orig. quæ puncta, vel uncias, vel drachmas, vel libras oſtendebant, ſicuti & *Cifræ ut P. II. P. III. ideſt Pondo librarum duum, vel trium*. Ex eodem Authore habemus libras continere uncias duodecim, unciam duos ſtateres, ſtaterem duos quadrantes,

tes, Quadrantem Drachmam, ſcrupulum, & obulum quatuor Calculos, Calculum ciceris grana duo; medietatem Drachmæ eſſe ſcrupulum, & obulum; & ſcrupulos decem & octo conſtituiſſe unciam unam. Ponderis ſigna pleriſque ignota ſunt, & inde errorem legentibus, pariunt; eorum characteres, quos Veteres ſignabant idem author ſubjicit; & Lucas Petus aſſerit *pondera quibus hodie utimur antiquis eſſe majora* ſic ille lib. 1. pag. 12. *quo fit ut unciæ Romanæ temporis inſtantis undecim, drachmæ tres, & ſcrupulum unum antiquam libram peræquent; uncia verò noſtri temporis major ſit uncia antiqua ſcrupulo uno, & granis quatuor.*

Eruditiſſimus tamen Fabrettus cap. 7. antiq. Inſcript. aſſerit aliqua pondera lapidea, & quidem integerrima apud ipſum ſervata apertè illi opinioni contradicere; etenim, ut idem, ait, *ex iis unum drachmam, ſive octavam unciæ partem ponderans cum noſtris collatam ſeptem granis excedere.* Aliud ex lydio lapide, ideſt duas uncias granis 66. noſtrates præponderare, aliaque memorat ejuſdem generis, demum ſubdit adverſus Petum probare duo pondera, alterum librarum duarum, quinarum alterum in noſtro Muſæo collocata, illaque ſunt, quæ delineata exhibemus ſub numeris 1. & 2. admodum rara, in quibus litteræ argenteæ prominentes in excavata ſuperficie inſertæ numerum librarum denotant. Additi characteres ſic diſpoſiti leguntur TEMP. OPIS AUG. ideſt TEMPLO OPIS AUGUSTUS, vel Auguſtæ, ut interpretatus eſt Georgius de Sepibus, ſive mavis dicere Athanaſius Kircherus in deſcriptione Muſæi, quod tunc temporis in Collegio Romano extabat, cap. 5. ſignificant enim ea pondera auctoritate Auguſti ſignata, in templo Opis depoſita fuiſſe, ut ibi una cum pecuniis ſervarentur ad commercium ſine fraude habendum.

Sciunt Antiquitatis Amatores Pecuniam in templo Opis condi conſueviſſe, ut habetur ex Cicerone Philipp. 1. ubi ait, *Pecunia utinam ad ædem opis maneret.* Non omittendum eſt, quod de his duobus ponderibus ſcripſit Donatus noſter in ſua Roma lib. 2. cap. 10. *Eorum minus noſtra ſcomata, ſeu libramenta ferè uncia excedere, majus unciis duabus.* Fabrettus verò aſſerit ex ſuo examine, *minus pondus eſſe librarum duarum, unciæ unius, & drachmarum trium, ſive ſcrupulorum novem: majus eſſe librarum quinque unciarum duarum, & ſemis.* Alia pondera exhibuit Fabrettus, alia nos ex Muſæo damus ſolis punctis notata, aliud inſuper ſub numero 3. in quo characteres inſculpti ſunt hoc modo VIIII. M. F. A. quibus puto indicari id pondus librarum novem publica fide, ſeu auctoritate ſignatum, vel propoſitum fuiſſe, ſcilicet Auctoritate *Marci Furii* fortaſſe tunc Romæ Præfecti.

Aliud pondus indicatum num. 4. cæteris majus in lapide rotundo, ſuprema, & infima parte planum ſervat Muſæum, in quo hæc verba leguntur inciſa: TALENTUM SICLORUM III. PONDO CXXV. Illud efformari curavit Villalpandus noſter, ut ipſemet refert cap. 33. P. 2. tom. 3. & affirmat habere pondus Talenti Hebræorum ideſt libras centum viginti quinque, ut etiam docuit S. Epiphanius, dum ita ſcripſit: *Talentum omnem menſuram, quæ ponderatur excedit. verùm juxta libræ pondus eſt librarum centum viginti quinque*, & poſt pauca addidit. *Porrò ex partibus centum viginti quinque talenti eſt libra una, libra autem eſt duodecim unciarum. Uncia habet ſtateres duos, ſtater dimidium eſt unciæ, habet autem duo drachma.* Cæterorum Authorum opiniones circa talentum ipſemet Villalpandus in toto illo capite examinat. Illum adeat qui plura deſiderat.

Ad pondera revocantur Trutinæ, & Stateræ, quarum antiqua fragmenta ex ære ſunt in Muſeo. Trutina habet geminas ponderum lances æquali examine pendens. Eadem etiam ſtateræ nomen habet, quòd duabus lancibus, & uno ſtylo in medio librata æqualiter ſtet. Examen eſt filum medium bracchio quo ſtatera regitur, & lances æquantur, unde in lancibus amentum dicitur. Lances quę pro pecunia examinanda ſunt in Muſæo, non tribus ut noſtra ætate mos eſt, ſed quatuor catenulis a ſtylo dependent.

Alia eſt Trutina quæ dicitur Campana a Regione Italiæ, ubi primùm ejus uſum repertum fuiſſe, refert Iſidorus cap. 24. Hæc duas lances non habet, ſed Virga eſt ſignata libris, & unciis, & vago pondere menſurata. Unicuique autem ponderi certus eſt modus nominibus propriis deſignatis. Notat Sponius ſect. 9. erudit. Antiq. pag. 303. Pondera ut plurimum ex marmore nigro duriſſimo fuiſſe, ne uſu detrimentum facile paterentur, atque infinita extare cum nomine *Turci*, *Aproniani*, *Præfecti Urbis*, quem conſtat Ethnicum fuiſſe ex lapidibus ipſis. Urbi eum præfecit Julianus Imperator teſte Ammiano Marcellino lib. 23. Præferre etiam nomina aliorum Præfectorum, qui dicti Præfecti Urbis incœperunt tantùm initio quarti ſæculi. De Prætextato Præfecto ſcripſit Ammianus, quòd *pondera per Regiones inſtituerit Univerſas*, cum aviditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri nequiret.

MENSURÆ.

SIcuti autem pondera publica authoritate instituta fuerunt ad fraudes eliminandas, ita pariter pro liquidis mensuræ, quarum exemplaria in Capitolio asservabantur. Inscriptionem Vasis æuei refert Fabrettus pag. 528. num. 380. quod Neapoli erat in Musæo Andreino sic.

Mensura ad exemplum earum, quæ in Capitolio sunt, auctore Sanctissimo Aug. N. nobilissimo Cæs. per Regiones missæ cura D. Simonio Juliano Præ. Urb. C.V. Aliam in Musæo nostro Mensuram habemus æneam, quam Veteres *Congium* dixerunt. Vas illud est pedem geometricum in altitudine continens; & quidem Vas ob antiquitatem, & raritatem pretiosum sub Imperatoribus Cæsare Vespasiano, & Augusto F. usitatum, ut testatur inscriptio Vasi incisa.

IMPER. CAESARE
VESP. VI. COSS.
F. CAES. AUG. F. IIII.
MENSURAE EXACTAE IN CAPITOLIO
P. X.

ideſt *Imperatore Cæsare Vespasiano sextùm Consule, Tito Cæsare Augusti, vel Augusto filio quartum consule, mensuræ exactæ in Capitolio pondo decem.* Ita illam explicat Villalpandus tom. 3. par. 2. pag. 499. qui talem mensuram proposuit cap. 25. ubi asserit hoc unico Congio posse mensuras omnes ac pondera pristinæ integritati restitui. Tale vas sic describit. *Est autem vasis forma duplicis decurtati coni basibus annexis, qui quidem coni, quamvis altitudine, & crassitudine pares non sint capacitate tamen pares omninò sunt, dimidiumque Congium singulæ comprehendunt, ut in interiori parte Congii notatum est,* scilicet in ejus icone, quam ab ipso acceptam hic retulimus in Tabula LVII. ejus formæ quam numerus 1. indicat.

Constat præterea (addo cum eodem Authore) *totum vas pluribus partibus, e quibus nulla supervacanea est, aut quæ non plurimum usui conducat. Circa collum namque justæ crassitudinis, est ut manu comprehendi ac moveri facilè possit colli verò summum orificium mensuræ terminus est, cujus quasi custodia est labrum illud superimpositum, quod mirabiles præstat usus. Primus ne è manibus decidat vas; secundus ne effluat, & deperdatur excedens mensuram liquor, manusve mensurantis inficiat. Tertius ut facile effundatur, in vas quodlibet conientus liquor, per gradus enim illos refrangitur effusi liquoris impetus, ita ut in angusti vasis orificio recipiatur, & ne gutta quidem deperdatur; sed hi communes sunt usus ille verò peculiaris quod ad exigendam romani pedes in vase longitudinem orificii illius crassitudo necessaria est. Hoc igitur sit primum, & maximi faciendum, quod vas illud præstat commodum, quia nimirum justam pedis Romani longitudinem ab ipsis Romanis antiquis exactam reddit non semel sed sæpius. Primum enim integri pedis altitudinem exprimit Vasis altitudo non tota, sed a summo labro ad summum torum illum inferiorem, ut in figura apparet. Habet enim vas ad pulchritudinem, & ad commoditatem, quo latius resideret, in imo torum illum, qui quoniam non semper paris crassitudinis efformari poterat, ita temperabatur summi labri crassitudo, ut justam redderet pedis longitudinem.* Hactenus cum Villalpardo locuti sumus, ut appareat quanti fieri debeat mensura proposita similis omninò alteri, quam a se visam scribit Villalpandus apud Eminentissimum D. Recardum Cardinalem Farnesium.

Aliud vas est in Musæo hic delineatum n. 2. ex ære antiquo, quod formam propositi Congii imitatur, sed sine superiori illius labro. Mensuram antiquam fuisse suspicatus fueram fortasse Sextarium, cujus mensuras sex continet Congius juxta definitionem Fannii, quem citat Villalpandus cap. 6. part. 2. tom. 3. in hoc disticho loquens de Sextario.

Qui quater assumptus sit grajo nomine Choenix.
Adde duas, Chius fiet, qui est congius idem.

Et cum experimentum fecerim inveni omninò tali Mensuræ respondere. Aqua enim sexies tali vase mensurata congium implevit, nec plures quam uncias 20. & congius 120. contineat ideſt decem libras, & libra duodecim unciis absolvatur. Quamobrem hæ binæ mensuræ, cum non adeo facilè inveniri alibi possint, ut præclara Antiquitatis Monumenta in nostro Musæo recensentur. Numeratur etiam Hemina, quæ duodecim pars congii continetur.

TALUS.

EXtat etiam antiquissimi moris monumentum, ideſt Talus eburneus, ea magnitudine, quæ in Tab. LVIII. ærea delineata apparet sub num. 1. Illum Authores Tesseram lusoriam appellarunt, quæ sex latera æqualia habet, quibusdam punctis distincta, de illa Julius Capitolinus in Ælio Vero. *Post convivium lusum est Tesseris, usque ad lucem.* Similem huic exhibuit in Musæo Romano D. Michael Angelus Causeus, e Musæo Petri Bellori acceptum, & deinde Eruditissimus Begerus in tertio Tomo Thesauri Brandeburgici, ad quem translatum

fuit

fuit Musæum ejusdem Bellori, quam viridi encausto illitam fuisse affirmat: nostra quidem antiqui eboris flavedinem refert; habet tamen rotundum foramen in ea parte, quæ quatuor punctis signatur, quod etiam in Tessera Bellori fuisse affirmat Causeus. Id cui rei servierit, inquirens Begerus tom. 3. pag. 415. suspicatur fraudolenti cujusdam fuisse artificium; indito enim argento vivo, & objicibus utrinque objectis in quodcunque latus eò facilius derivari potuisse. Sed cũ rem oppidò difficilem explicatu indicet, ex eo foramine, atque ex insueta Tesseræ mole argumentum desumo suspicandi, non fuisse in ludis adhibitam, in quibus non unicus, sed plures tali solent ex cavo cylindro, seu turricula emitti, mole quidem minores, & sine foramine efficti; sed fortasse in bellica supellectili vinculo aliquo per foramen traducto servatum ad sortes desumendas pro Militum decimatione.

Duplicem sortiendi formam extitisse apud Antiquos Israelitas in lege Mosis docet Scacchus ex Sacris Oraculis Myroth. 3. cap. 13. aliam videlicet, quæ jactis tesseris, aut talis sive aliquod aliud hujusmodi fieret, illique destinaretur res in sorte posita, cujus jactus absolutior exisset; aliam, in qua jactu non fieret, sed extractione alicujus tesseræ aliquo charactere signatæ, quo indicaretur cui res destinanda foret; Ita pariter apud Romanos hanc sortiendi formam servatam fuisse præsertim in militibus puniendis, multiplici Scriptorum auctoritate comprobatur, quod ut clarius pateat recensenda hic sunt, quæ narrat Rosinus de Antiq. Roman. cap. 25. lib. 10. Non in hostes tantùm, ait, sed in proprios milites Romani graviter animadvertebant, quin etiam in Cohortes, & Legiones, si quid deliquissent, exemplo ad disciplinam conservandam maximè necessario, quæ animadversiones duplices erant pro cujusque delicti ratione, aliæ scilicet leviores, aliæ verò acerbiores. His duplicibus animadversionibus enarratis, subdit idem Rosinus. Quod si aliquando hæc eadem circa plures fieri contigerit, omnes fustè cædere, aut interficere, non approbant, sed rei solutionem inveniunt, utilem pariter terribilemque. Quippe convocato exercitu Tribunus productos in medium desertores, acusat, invehiturque acerbè, denique quinque, aut octo, interdum etiam viginti, atque in totum habita ratione multitudinis, ut decima ad summum existat pars delinquentium, hos ex omnibus illis, qui timidè se gesserint, sorte eximit fustè cædit &c. nulla deprecationi admissa. Et post pauca addit. Centuriones, qui reliquerant Ordines virgis Cæsos securi percussit, intellige, *Appius Consul*. Cætera multitudo decimus quisque ad supplicium lecti.

Rationem autem hujus exequendi imperii præter Polybium Livius exposuit, ubi de Scipione, de seditioso exercitu ita scripsit. *Præconis audita voce citantis nomina damnatorum, in Consilio, nudi in medium protrahebantur, deligati ad palum virgisque cæsi, & securi percussi.* Cur autem decimatio instituta sit, rationem reddit Cicero elegantissime orat. pro Cluentio. *Statuerant*, inquit, *ita majores nostri, ut si a multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœnà ad paucos perveniret.* Hactenus Rosinus, qui tamen sortitionis modum non explicat. Ita cœteri, inter quos Justus Lipsius de militia Romana lib. 5. cap. 18. Comment. ad Polybium de pœnis &c. Ad multitudinem semper respiciens, ut decima ferè pars delinquentium sit. Hos ex omnibus ignavis sortitur, & in quos ea sors cecidit sine ulla deprecatione &c. Ita Dionysius. *Ex alia multitudine cujusque decuriæ Vir unus, quem sors designasset, ante cæteros periit.* Appianus etiam Cæsarem alloquentem milites faciens, *Vtar lege patria, decimumquemque sorte ad mortem ducam.* His adde Vegetium de re milit. lib. 3. cap. 4. & Godesalvum Stevechium in Comment. *Sunt qui hoc genus pœnæ, ideſt Decimationis ab Appio Claudio editum primum putent. Fiebat decimatio adhibita sorte.* Plutarchus denique in Scipione. *Cæsar negligentiam Senatorum, qui Senatum rarius venirent, sorte quoque castigavit, cum enim nimis multò essent, jussit inter eos sortes duci, & quintumquemque puniri.*

Vides igitur a nullo sortiendi genus explicari; non tamen à mea opinione recedam, mihi suadens talorum jactu faciliùs expediri potuisse sortitionem, quàm schedis, in quibus Reorum nomina primùm inscriberentur, deinde ex arcula, seu Urna aut militari Casside, seu galea ab aliquo eædem educerentur, in quo fraus subesse poterat, non verò in talorum jactu, ab ipsis met reis facto, quod Belli non rarò evenire scimus, & in Vita militis in tabulis æneis excellenti arte insculpta Callotius expressit, scilicet unum ex militibus multis furca damnatis supra bellicum tympanum talos proicientem, sua Vita Sorti commissa. Atque hæc de proposito talo liceat opinari, donec ab aliis certiora docebor.

FI-

FIBULA, & BULLA EQUESTRIS.

EX fragmentis æneis, quæ in Musæo sunt, hic expressam nu. 2. & 3. vides fibulam, & bullam. Hanc Equi fræno ornamentum fuisse, illam verò ad lora conjungenda alicujus Bigæ, seu Quadrigæ adhibitam non dubito. Hoc enim ejus forma, & crassitudo suadent. Notum est eruditis quanta pompa, & luxu equos & currus exornarent Antiqui, præcipuè post Cæsaris tempora, cum Divorum Principum simulacra in Circensi pompa super *Thensas*, idest sacra vehicula ferebantur. De quibus Macrobius lib. 1. Saturn. & luculenter Panvinius qui lib. 2. exhibet octo Pompas Circenses in antiquis nummis expressas.

Fræna autem, & strata equorum primùm invenisse Pelethronium affirmat Plinius cap. 56. lib. 7. & Virgilius.

Fræna Pelethronii Lapithæ gaudentesque dedere
Impositi dorso &c.

Lapithas Pelethronius Virgilius nominat a Pelethronio Thessaliæ monte, quem incolebant, ubi primum domitos equas fuisse tradunt, uti notat Turr. cap. 9. lib. 2.

De Ephippio verò, quòd vulgus *Sellam* nominat, a sedendo ut affirmat Isidorus, dicendum est Antiquis pro Sella fuisse stragulam, hoc est parvum stratum, quod eleganter intextum præfert æneus equus Marci Aurelii Antonini in Romano Capitolio a Paulo III. Pont. Max. collocatus; at cum stapedibus careat, sicuti etiam apparet in pluribus equis lapideis: neque talis vox apud Antiquos usurpetur, dicendum est eo tempore adhuc non fuisse excogitatas, & ideò ex Plutarcho lib. 12. scimus eos, qui militares vias sternebant, collocasse in illis altiores quosdam lapides, veluti parva suggesta, ex quibus facile quilibet poterat equos ascendere. Confirmat hæc Julius Cæsar Bulengerus de Imp. Roman. lib. 3. cap. 20. dicens: *Equites olim non habuere staphas, & stapedas, sed a stratoribus, nempe militibus, qui nulli Ordini adscripti præsidis equum fræno tenebant, & Cosscendenti Magistratui opem ferebant, in equum efferebantur, vel ipsi insiliebant.* Plutarchus de Crasso. *Eum in equum sustulerunt*; & Eugenius lib. 3. cap. 24. *Theodoricus Gothus non solitus uti stapede, aut stratore in æquum insilvit.*

Calcaria verò quamvis illo Evo in usu fuerint, respuebat tamen illa equorum generositas. Gothos autem usos fuisse stapede, & calcaribus probant calcaria in Musæo posita longis stimulis munita, & stapedes, quæ olim fuisse auro circumtectæ apertè videntur, Amplissimæ illæ sunt, ut pedem integrum commodè recipiant, & undequaque circumdent, illis similes, quibus Turcæ equitantes utuntur.

PUER GYMNICUS IN PALESTRA.

BInas Statuas æneas dimidium palmum æquantes profero, quibus similem in nullo Musæo servatam vidi; & quidem optimo modulo efformatas, ut indicant num. 4. & 5. Pueros illæ exhibent nudos, pedibus, capite, & bracchiis gesticulantes, dum pondera, quæ manibus tenent, nituntur in altum attollere. Quid tali membrorum totiusque corporis gestu, quidve ponderibus hisce exprimere voluerit Artifex, diu dubitavi, tandem recolens Antiquitates Romanas a Rosino relatas lib. 5. cap. 5. Circenses Ludi, seu exercitationes in Circis exhibitæ in mentem venerunt, quos ludos, teste eodem Rosino *Gymnicos* aliqui a nuditate dixerunt, quòd ludentes corpora nudarent, aut saltem vestes exuerent, ut expeditiores, & agiliores ad certamina ludicra essent. Primarias horum formas, quæ in Circensibus exhibebantur idem Rosinus enumerat. *Prima erat pugna cum pugnis, cæstibus, gladiis, fustibus, hastis, pilis, similibusque armis certabatur.* Huc spectat gladiatoria, cum gladiatores variis modis dimicabant, idque spectante populo, ut juventus cædis, Sanguinis, & vulnerum aspectu assuescens in bello minus ista timeret. Huc quoque refertur pugna, & certamen cum Bestiis. Item Lucta, cum alter alterum in terram prosternere tum vi tum agilitate corporis nitebatur. Altera species est cursus, quam peragebant currendo certa stadia in campo, perveniebantque ad metam destinatam. Tertia erat Saltatio in æquo, campo, aut inferiore ad locum superiorem, & è contra; aut cum in equos curruve insiliebant, non tantùm nudi, sed etiam armati, & cataphracti. Quarta jaculatio discorum, saggittarum, pilarum, telorum &c. Alias species ludorum Rosinus prosequitur, ut de plerisque eorum multa eruditè collegit Hieronymus Mercurialis in secundo, & tertio libro artis gymnasticæ, ex quo qui plura desiderat petere ea potest. Nos hoc loco tantùm de Tertia quædam adjicimus, & præcipuè de Saltatione.

Hac, docente Vegetio lib. 1. de re militari cap. 9. Juvenes qui militiæ operam navare debebant, ad saltum præcipuè exercendi erant, quo vel fossæ transiliuntur, vel aliqua altitudo superatur; & cum ejusmodi difficultates evenirent, possent sine labore transire. Saltum autem in gymnasii duplici modo usurpatum invenio: altero quando saltantes vacuis manibus se ipsos in sublime agebant, de quo verba faciens

Aristo-

Ariſtoteles lib. de greſſu Animal. ſcripſit *arduum, & difficile eſſe ſaltu continentem agere motum*, argumentum afferrens equorum illorum, quos pompæ gratia ſeſſores ſuſtinere, nec progredi ſinere ſolent, & qui ita ſeſe moventes cito laxantur, & fatigationem ſentiunt: altero quando manibus pondera capiebant, ut illis firmati vehementius ſaltarent; Ariſtoteles ſect. 5. Probl. 8. ait, *omnes melius ſaltare, ſi lapidem, vel halteres manu geſtent, quàm ſi bracchio inani jactentur*. Neque ſolùm manibus ponduſcula ſaltantes habuiſſe invenio, immo verò, & graviora pondera, interdum ſupra caput, nonnunquam ſupra humeros, aliquando in pedibus geſtaſſe; quemadmodum videri poteſt in pictura vetuſtæ tabulæ, in qua ſaltantes repræſentantur, quam a Ligorio Mercurialis accepit, & ex qua Viri imaginem ſupradicta pondera ferentis, retulit Balduinus de calceo antiquo cap. 7. pag. 56. Aliam ſtatuam marmoream exhibuit Samuel Pitiſcius in notis ad vitam Caii Cæſaris Calligulæ ex aula Magni Ducis Hetruriæ translatam, quæ Juvenem nudum exhibet ſaltantem, & quatientem pedibus calceamenti genus lignei, quod *Scabillum* Latini dixerunt, & manibus rotundas, & concavas tabellas, *cymbala* appellatas.

Pueros, quorum duos referunt propoſita a nobis ſimulacra, frequentiſſimè in hujuſmodi ſaltationibus exerceri ſolitos narrant quamplurimi, inter quos eruditiſſimus Panvinius de Lud. Circenſ. lib. 2. cap. 2. aitque talem corporis exercitationem fuiſſe inſtitutam in Creta a Pyrro, a quo etiam *Pyrrica* appellata eſt, ut narrat Strabo lib. 10. Geograph. immò, & mulieres diverſimodè ſaltitaſſe addit Mercurialis, quas poſtmodum æreis ſtatuis repræſentaſſe Callimachum pictorem, ob nimiam diligentiam nuncupatum *Cacizotechnum*, Auctor eſt Plinius lib. 34. cap. 8. Erant quoque, qui ſupra utres oleo unctos, & vino plenos pedibns ſaltarent, inter quos Victores ii cenſebantur, qui ita ſe ſe dexterè gerebant, ut præ lubricitate humi non caderent, atque hi pro victoriæ præmio utrem cum vino ferebant; qui verò in terram prolapſi caderent, non ſine magna voluptate ſpectantes ad riſum movebant. Et hic ludus in honorem Bacchi exercebatur, utreſque ſaltibus calcabantur in contemptum Caprarum, quas Vitibus infeſtas credebant. De his Virg. 2. Georg.

——————— *Atque inter pocula læti*
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Loca autem, in quibus ſaltationes peragebantur primò fuere Vici, & Plateæ publicæ, deinde Theatra, a Theatris ad Paleſtras, ſive gymnaſia traductæ fuerunt. Id innuit Plutarchus in nono Sympoſiac. ubi mentionem cujuſdam facit, qui Pyrricham, ideſt ludum, in quo ſaltus edebantur, adeo egregiè ſaltaverat, ut Pueros in paleſtra geſticulantes excellere viſus eſſet. In conviviis etiam ſaltationem exerceri ſolitam fuiſſe, ſcripſit in Sympoſio ſuo Xenophon, ſicuti etiam Plutarchus. Apparet igitur quid Artifex in noſtro ſimulacro pueri manibus pondera ferentis indicare voluerit, ideſt morem antiquum exercendi pueros in ſaltibus, ſicuti, ut dictum eſt Fœminas ſaltitantes Callimachus exprimebat.

Hunc ſaltandi morem ſupra utres apertè ſignificat Lucerna antiqua fictilis a Petro Bartolo delineata part. 2. num. 23. in qua imago eſt Juvenis nudi, utrem mero plenam dorſo ferentis, & è cujus dextera tintinnabula annulo alligata dependent, quæ apud Antiquos in Choreis, & Saltibus adhibita fuiſſe quamplurima monumenta teſtantur. Idem Bartolus in eadem Tabula fragmentum fictile exponit, in quo fœmina bacchans apparet, tympanum manu geſtans, cui tintinnabula adhærent, in gyrum diſpoſita ad ſonitum edendum in motu. Aliud etiam Bacchantium Inſtrumentum in eadem tabula exhibuit ex Muſæo Petri Bellori, ideſt laminam rotundam, e cujus margine ſeptem tintinnabula beneficio mobilium annulorum dependent; quæ oblonga ſunt, & conum imitantur; alia verò in fictili fragmento expreſſa dimidiati globuli figuram habet. Hujus generis plura tintinnabula ex ære in Muſæo habemus ejus magnitudinis, quam in ærea tabula inciſam numero 6. indicat.

His ſimile in alio muſico inſtrumento antiquo dependens Mercurialis exhibuit cap. 8. lib. 3. de Arte gymnaſtica, quod Inſtrumentum eſt Circulus, quem *Trochum* appellat, & Ligorius affirmat a ſe acceptum ex vetuſtiſſimo monumento cujuſdam Comici poetæ in Via Tiburtina propè Romam. Quibus tintinnabulis exornatum fuiſſe Tympanum antiquorum ſcimus *cymbalum* etiam vocatum, & apud Catullum carm. 64.

Cybeles phrygia ad nemora Deæ
Ubi cymbalum ſonat; vox ubi tympana reboant.

Illud *crepitaculum* vocavit Begerus, quod in ſiſtri morem uſurpatum aſſeruit Tom. 3. Theſauri Brandeburgici pag. 401. illique rotunditatem eſſentialem fuiſſe, nam rotunditatem Univerſi indicabat, & raucedo ſonitus tonitruum raucedinem. Cybeles inſtrumentum fuit, & etiam Bacchantium, quod manu etiam percutiebatur, a verbo græco *Typto*, ideſt percutio, tympanum dictum, ob id Ovidius lib. 4. verſ. 29.

Fœmineæ voces impulſaq; tympana palmis.

Ut plurimum erat ex ligneo circulo, illique super inductum Corium, at Dempsterus ad Rosinum lib. 2. cap. 4. æreum fuisse scripsit, tintinnabula verò addebantur, ut sonus major ederetur. In omnibus antiquitatis monumentis rotunda prostant talia instrumenta, non tamen ut globi, sed disci instar hinc inde plana, quo percusso sonus edebatur.

TINTINNABULUM.

ALia insuper tintinnabula Musæum exornant, magnitudine quidem diversa, & forma dissimilia. Sunt enim ferè omnia in modum Coni producta, & in quadratam basim absoluta. Unum inter cætera conspicuum sub num. 7. expressum, inter antiqua Rudera repertum, Musæum obtinuit, quod in gyrum disposita hæc verba græca insculpta demonstrat, quamvis aliquantulum ob rubiginem deleta ita leguntur.

CHOUS ARTEMIS EPHISTION AIR MENI
Terra Diana Ignis Aer manet.

quibus quatuor elementorum perpetuitas significatur. Cur de illis mentio in Tintinnabulo facta fuerit, difficile est divinare. Fortasse subintelligi potuit, Æris agitationem, & sonitum a pulsatione editum statim evanescere, aerem verò sicuti cætera elementa semper permanere, nec ulla alteratione destrui unquam posse, ut Philosophi docent. Inserviisse etiam, hæc in Choreis, & Ludis Baccho sacris ratio suadet. Adeat Lector iuscriptiones Fabretti, qui cap. 6. pag. 429. imaginem profert pueri bacchantis, ternis tintinnabulorum ordinibus præcincti, existentem in Villa de Sacchettis ad Vallem Inferni dictam Romæ; Alia similis extabat inter Faunos Satyros, & Silenum in Sarcophago collocato in Musæo Christinæ Suecorum Reginæ.

Potuisse aliis usibus adhiberi, opinari possumus, non equidem omnibus. Multiplices enim erant apud antiquos Ethnicos tintinnabulorum usus, de quibus luculenter egerunt primò Hieronymus Magius Vir pereruditus, dura Turcarum servitute obstrictus, & crudeliter occisus; deinde Angelus Roccha Episcopus Tagastensis, & Apostolici Sacrarii Præfectus, demum Abbas Joannes Baptista Pacichellius in lucubratione autumnali de Tintinnabulo Nolano.

Fuerunt autem adhibita in Thermis, ad quas statis horis, vel advocari, vel admitti solebant, qui Balneis utebantur, ut innuit Martialis his carminibus.

Redde pilam, sonat ad Thermarum, ludere pergis?
Virgine, Vis sola lotus abire domum?

Pro mercatu etiam indicando, & in foro piscario tintinnabula pulsabantur, ut refert Guido Pancirolus, & ex Plutarcho. Hieronymus Mercurialis aliique. Item fuisse adhibita in funeribus Ethnicorum docet idem Pancirolus Tomo 2. & alii apud Roccham, eò quòd eorum sono superstitiosè crederent, spectra & Dæmonum ludibria averti, ut indicat Ovidius lib. 5. Fast.

Rursus aquam tangit, Temesæ aque concrepat æra
Et rogat ut tectis exeat umbra suis.

Sed ut optimè notat supra laudatus Roccha cap. 3. tam ii, qui ad Thermas, quàm qui ad pisces emendos invitabantur, cum longè distarent, vel in suis domibus, vel per vias Urbis, vel apud Præceptores, ut innuit Cicero in Quest. Tusculanis dicens; simul atque increpuit Thermarum campana, Romani, relictis Philosophis & Præceptoribus, unctum ire solebant; proculdubio non sonitu tintinnabuli, sed majoris campanæ tale signum edendum erat, ut audirent. Quamobrem notum fit tintinnabula a nobis delineata alium usum habuisse.

Et primò quidem mihi suadeo in sacris Ædibus potiùs ejusmodi parvula tintinnabula fuisse pulsata. Affirmat Apollodorus in libro de Diis Gentium, Hierophantam, hoc est Sacerdotem Proserpinæ, Tintinnabulum in Sacris pulsare consueviisse; item de Syriæ Sacerdote his verbis loquitur. *Sacerdos postquam ad summum Templi pervenit, preces pro unoquoque facit, precando autem pariter, & æreum quoddam tintinnabulum pulsat.* Appensa etiam fortasse fuerunt Triumphantium curribus, quibus cum tintinnabulo flagellum etiam appensum fuisse refert Rosinus lib. 10. cap. 29. quibus indicabatur, triumphantes in eam calamitatem incidere posse, ut & flagris cæderentur, & capite damnarentur; nam qui ob facinus supremò supplicio afficiebantur, tintinnabula gestare solebant, ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret.

Mos talis indicatus fuit a Plauto in Pseudulo his verbis: *Lanios inde aversam duos cum tintinnabulis. Tintinnaphori verò erant Carnifices tintinnabula ferentes*, dum extremo supplicio damnatos ad locum supplicii ducebant. Verùm quis vetet affirmare ea dependisse a rebus venalibus, vel bestiis illas ferentibus per Urbem, quorum sono qui vellent emere admonerentur, eo pacto, quo Joannes Schefferus de Re vehicularia Veterum lib. 2. cap. 33. dicit molitorum plaustris Argentorati appendi Tintinnabula, ut fru-

frumentum recipiant ad molam farinariam deportandum; nisi malimus credere dorso puerorum alligari, ut etiam nostro ævo vidimus argentea tintinnabula ab iis passim gestari, ut eorum sonitu cum blanditiis nutricum conjuncto exhilarari facilè possent, & vagitus opprimere. Atque hæc de propositis Tintinnabulis delibasse sit satis, quorum duas icones forma diversas retulimus sub num. 8. & 9.

Superiori Simulacro aliud marmoreum addo a num. 10. indicatum. Virum illud exhibet, qui vestibus exutus, brevi tantùm amiculo circa fœmora tectus, galea munitus lapides aliquot manu sinistra sustinet, dextra autem unum ex illis arripere videtur ut in hostem jaciat. Illum militem eaprimere ex iis non dubito, quos, ut refert Justus Lipsius in Observat. ad libros Polybii de militia lib. 3. dial. 1. *Ferentarios* dicebant, eò quòd fundis lapidibusque præliaturi ea ferrent, quæ in hostes jacerentur, vel etiam *Rorantes*, quòd id genus hominum, priusquam acies coirent, in modum rorantis tempestatis dimicarent. Hos Festus *Inermes* posuit, & veste sola velatos. Eisdem Romani usi sunt, quos Baleares. Cretenses, Numidæ subministrabant, qui inermes fuere, & fagula habebant solùm, vel cingula super fœmora. Talem descripsit, & exposuit Lipsius è monumento veteri, qui fagulo, vel clamydula reducta lapides sinu præfert. Cœterum nudatis pectore, brachiis, cruribus dimicabant, ut expeditiores essent ad laborem. De Balearibus scribens L. Florus lib. 3. cap. 8. hæc habuit. Baleares populi homines feri ac sylvestres, cum venientem ab alto Romanam Classem prospexissent, prædam portantes, ausi etiam occurrere, & primo impetu ingenti lapidum saxorumque nimbis classem operuere. Tribus quisque fundis præliatur, certos esse quis miretur ictus, cum hæc sola genti arma sint; id unum ab infantia studium.

SISTRUM.

SIstrum crepitaculum est ex arguti metalli lamina, Manubrium habens, quod dum concutitur, virgulæ quædam ex eodem metallo factæ, & per laminæ forulos transjectæ, aduncæ utrinque cuspide laminam ipsam percutiunt, quæ mox sonorum addit tinnitum. Apud Anti. quos non una semper fuit hujus instrumenti figura, sed diversa pro Regionum, Opificum, ac temporum genio. Erant sistra anguliformia, ovalia, virgulis munita variè manubriata, virgularum numero aucta, vel diminuta, pleraque omni symbolo destituta, aliqua eisdem exornata, ut patet in multiplici eorum Iconismo, quæ in Tabella exposuit Eruditus Pater D. Bernardus Bacchinus Monacus S. Benedicti in dissertatione edita de Sistris, ex antiquaria supellectile collecta. Hinc a veritate aberrant, qui de hac re agunt ita, ut unius formæ immutabilis sistrum fuisse autumant, vel eodem semper ornatu conflatum contendunt. Notat tamen idem Author summam Sistri partem frequentiùs in Emiciclum, seu ovalem figuram conformatam extitisse, quod etiam docuit Pignorius in aureo de Servis opere; Ea autem pars aliquando insignitur figuris, una scilicet felis humana facie in medio posita, altera Isidis in dextro latere, Tertia Nephtios in sinistra; aliquando loco felis extat sphingis figura, vel lothi flos, vel aliud quidpiam. Virgulæ ut plurimum numero sunt quatuor, quarum tres superiores tantùm æquali spatio invicem distant, quarta longius ad Manubrium accedit.

Hujusmodi instrumentum frequentissimum fuisse apud Ægyptios in Sacris Isidis referunt Historiæ, & præsertim Kircherus in tomo 1. Oedypi pag. 224. ubi describens Isiaca Sacra ita celebrari ait. *Sacerdotes die ejus Sacris peragendis instituto, civitatis plateas aberrantes vagabantur, summis gemitibus, & ejulationibus mortem Osiridis in memoriam revocantes plangebant, vestiti longa, eaque linea toga, portabant supra caput statuam Anubis dextra ramum de Absynthio marino, vel pinu, in sinistra Sistrum, instrumentum sonorum, & perstreperum, quo Ægyptii maximè diebus festis utebantur, vel ad Populum in plantu continendum, vel ad genios malignos avertendos.* De illo mentionem fecit Ovidius Eleg. 8. Amor.

— *Quid nunc Ægyptia prosunt Sistra?*

& Martialis lib. 12. Epig. 27.

Linigeri fugiunt calvi sistrataque turba.

Fuit etiam commune aliis Nationibus, Romanis præsertim, ad quos Isidis cultus ab Ægyptiis effluxit, sicut deducitur ex Lampridii loco, ubi Commodi sævitiam inter ipsa mysteria exercitam recensens refert, *eum Isiacos pineis usque ad perniciem pectus tundere coegisse.* Quam ob causam Romanum esse sistrum illud, quod repertum in Via Aurelia est in Musæo Illustrissimi Præsulis Leonis Strozzæ affirmat pag. 20. supralaudatus P. Bacchinus, ob nucem pineam, quam in latere laminæ exculptam habet, asserens pinearum usum in Isiacis nunquam a se repertum apud Ægyptios, quamvis *in eam rem universa Ægypti misteria in Oedypo Kircheriano referata, & Pignorii commentarium, ipsam Isiacam mensam lustraverit, consultis itidem Jamblico, Plutarcho, Luciano, Apulejo, cæterisque, qui ad manus fuere.* At verba Kircherii superius allata illud apertè indicant, cum dixit: *Sacerdotes Isiacos in ejus sacris portabant dextra ramum de*

Absynthio marino, vel pinu in sinistra sistrum &c. Ex quibus non obscurè indicatur, ornamentum nucis pineæ potuisse commune esse tam Sistris Romanis, quam Ægyptiis.

Quid autem indicaretur superiori parte in circularem figuram efformata docuit Plutarchus in libello de Iside, & Osiride, ideſt *Lunæ cælum significari, sub quo omnia ob generationem, ac interitum concutiuntur*: quod rotundum est, & circuli portionem refert, *propterea quatuor Virgulæ sunt mobiles*, illæ enim quatuor Elementa significant, tres quidem superiores Ignem, Aerem, & Aquam, ultima Terram. Quid verò felis imagine, quid Lothi flore, pinea, cœterisque symbolis significetur, fusè tradit Plutarchus in eodem Tractatu, ubi multa accuratè de Felis fœcunditate, multa de Luna, ac ejusdem effectuum convenientia disserit. Nos figuram Sistri sub numero 1. Tabulæ LIX. producimus, quod in Musæo asservatur.

LANCEA ANTIQUA ÆNEA.

ÆRe ut ferro usos Antiquos non uno comprobatur exemplo, nam haud diu in Portu Tiberino dum maceries quosdam diruerent inciderunt in Clavos æneos durissimos, & in Porticu Pantheonis ab Agrippa extructi ingentes ænei clavi Trabes Laquearis obfirmabant. Nihil apud Homerum frequentius, quàm Arma, & Cuspides æneæ. Sic Odiss.

Accepit autem validam hastam munitam acuto ære
Gravem, ingentem, fortem, qua domat Ordines Virorum.

Et quamvis multi hic pro ferro Æs usurpatum autument, si tamen fides Esiodo danda est, hic asseruit ex ære cusa, cum dixit.

Iis erant ænea arma, æneæ domus
Ære operabantur, cum non dum esset nigrum ferrum.

Ferrum namque, ut in marmore quodam oxoniensi computatur (referente P. Bernardo de Montefaucon Benedictino Monacho in Diario Italico, inventum fuit an. 186. ante Trojanum bellum, prisciſque ideò temporibus æs pro ferro usu veniſſe oportet. Lancea ænea, quam exhibemus id probat, probantque aliæ in Musæis diversorum servatæ, & plurima ærea armorum fragmenta ex ruderibus Romanarum antiquitatum effossa.

LIBER PLUMBEUS.

THecam plumbeam expressimus in Tabula LX. in formam libri compactam, in qua septem laminæ etiam plumbeæ includuntur, in quarum singulis plures characteres inciſi fuerunt verriculo, & quidem non unius idiomatis, sed variarum linguarum; sunt enim aliqui ex græco Alphabeto selecti, aliqui verò ex hæbraico, multi ex antiquo Ethruscorum, varii ex latino. Horum Characterum combinationes verba intelligibilia efformant, quæ nec Græcus, nec hæbraici, neque latini sermonis licet peritissimus intelligere nunquam potuit. Singulis etiam laminis adjecta sunt aliqua symbola, at ex nullo eorum deduci potest, quid Artifex mente conceperit, quod indicaret. Quamobrem in genere Talismanorum enumerandam esse judico, in quibus Antiquorum superstitio id exprimebat, quod erronea mente conceperat, putabatque optimum esse remedium, vel ad mala avertenda, vel ad dœmones fugandos, aut tutissimam viam ad bonorum consecutionem, quæ sibi augurabatur. Fuit hic plumbeus liber repertus in antiquo Sarcophago, in quo cineres demortui fuerant inclusi. Constat autem ex pluribus monumentis, ab Æthnicis præcipuè Ægyptiis non rarò in sepulchris aliqua deposita fuisse, quæ ad placandos Manes, vel ad Dœmones fugandos utilia esse opinabantur. Ex Cornelio Tacito Annal. lib. 2. habemus, cum refert Mortem Germanici veneno interfecti, *Carmina, & devotiones, & nomen Germanici, plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres ac tabe obliti, aliaque maleficia, & animas Numinibus infernis sacrari*. Ubi notat Ludovicus Dorleans in suis novis cogitationibus, Antiquos plumbeis laminis usos esse, ne facilè illa nomina delerentur.

NUMISMA ANTIQUUM.

DUo Numismata ænea in eadem Tabula indico num. 2. & 3. quæ in antica parte Jani bifrontis imaginem præferunt, in aversa verò Rostrum Navis, sub quo legitur ROMA. Ejusmodi Numismata putarunt aliqui fuisse pondera antiqua Romanorum, cum valdè gibbosa sint, & ponderosa; alii verò cum Erizzo primæ monetæ signa, quam Romani effecerunt, postquam, absoluto bello Carthaginensi, Janum Regem Latini salutarunt. Hoc innuit Ovidius Fast. lib. 1.

At bona Posteritas puppim formavit in Ære
Hospitis adventum testificata Dei.

Fuit enim habitus antiquissimus Italiæ Deus, a quo

quo rerum omnium factum putabant initium. Illum duplici facie exprimebant ob ejus ſingularem prudentiam, quæ, ut Tullius ait lib. de Senectute, *Sita eſt in præteritorum memoria, & providentia futurorum*; idcircò Vir prudens debet habere quaſi duplicem cultum, ut perſpectis quæ a tergo, & futura ſunt, pro innata ſagacitate mentis, & maturitate conſilii rerum cauſas, & principia videat; earum progreſſus, & tanquam anteceſſiones percipiat, componat ſimilitudines, conſequentia cernat, futura percipiat, & ſubtili comprehenſione præteritis futura connectat.

CALIGA.

CUm duplicem Antiquorum Caligam ſub lucernæ ſpecie n. 30. & 33. Muſæum exhibuerit, hoc eſt ſoleam ſine obſtragulo pedi habenis alligatam, alteram quidem ſimplicem, alteram verò multis minutiſque clavis infernâ ſuffixam; non injucundum erit ſi aliqua hic proferam, quæ circa caligam notatu digna inter legendum ſelegi. Atque in primis ex Smaragdo, originem ejus nominis præmitto, qui in Regulam 15. S. Benedicti affirmat caligam dictam, vel a collo pedum, vel quia ligatur: cum enim ſimplici ſolea conſtet pedi ſuppoſita, illi debet alligari, ut pes, cum gradiendo movetur eandem ſuſtineat.

Eam ab Adamo primo omnium parente excogitatam fuiſſe putavit Balduinus in cap. prim. eruditi libelli, quem de calceo compoſuit; cum enim contra illum Deus verba dixerit. *Maledicta Terra ſpinas, & tribulos germinabit tibi*, ne teneras pedum plantas ſpinis, & tribulis miſere vulnerari pateretur, credibile eſt illum ſoleas, e cæſorum animalium pellibus pedibus aptaſſe, ſicut per tunicam pelliceam Adami nuditati voluit Deus eſſe conſultum. Hæc verò pellicea calceorum materia pro vario gentium ritu, & varia perſonarum conditione varia deinde etiam fuit, nam calcei alii fuerunt papyracei, alii ſpartei, ſeu juncei, alii lintei, alii ſerici, alii lignei, alii ferrei, ærei, argentei, ac etiam aurei. Singulos recenſuit idem Balduinus, atque omnia, quæ ſcripſit ſuis authoribus confirmavit.

Verùm ut in dies variæ fiunt rebus inventis acceſſiones, ita paulatim factum eſt, ut tandem caligæ, quæ olim imis tantum pedum plantis adverſus itineris offendicula muniendis ſerviebant, integumenta receperint, quæ ſi talum excipias totos pedes operirent, ac demum ſuis auctæ pedum integumentis pedem undequaque circumveſtirent. Hinc multiplex ex varia earum forma ac nomina apud Scriptores, tum Veteres, tum Recentiores, ut non vulgari ſtudio eorum ſignificationes omnino percipere valeamus, quamvis in omnibus pedum tegumenta referantur. Quanta enim Scriptores in ſuis paginis retulerunt, ut explicarent Caligam, Crepidas, Sandalia, Cothurnos, Soccos, Perones, Campagos, ſeu Gambagos, Tzangas, Scythicos, Iphicratides, Anaxirides, Embades, Embatas, Pedilas, Dipodia, Plyntra, Antepodia, cæteraque hujuſmodi calceamentorum genera, quibus diverſas appellationes obtigerunt cum a Gentibus, & Urbibus, apud quas eaſdem primum inventa ſunt, tum etiam a perſonis, quibus illa familiaria fuerunt, quæ quidem inter ſe ſimilia non fuiſſe credendum eſt, ſed ſingula a ſingulis peculiari quodam diſcrimine diſtincta, prout varia fuit Inventorum, atque utentium libido, ſicut nunc videmus apud Italos, Gallos, Hiſpanos alioſque calceos eſſe valdè inter ſe diverſos. Verùm noſtrum non eſt ea omnia recenſere, ſed aliqua tantùm indicare circa veterum Caligam, quæ notatu digna Lucernæ delineatæ exhibuere.

Atque in primis illud recenſendum, quod Julius Nigronius aſſeruit, tract. de Caliga c. 3. ideſt Caligam fuiſſe prima ſui inſtitutione calceamentum militare, ſed poſtea uſurpatum, etiam ab Urbanis, Viatoribus, Ruſticis, Apoſtolis, Religioſis, & mulieribus. Sic Cajum Cæſarem denominatum Caligulam ſcimus ex Auſonio a Caſtrenſi Caliga militari joco. Sic L. Seneca de brevit. vitæ cap. 17. *Marius*, inquit, *Caligas dimiſit, conſulatum exercet*, hoc eſt dimiſſa militia ad conſulatum pervenit, & idem lib. 5. de benef. cap. 16. *Ingratus C. Marius ad Conſulatum a Caliga perductus*, ideſt ab infimo militiæ ordine ad ſummam dignitatem. Hinc Militia caligata dicitur, apud Tertullianum lib. de Idol. cap. 19.

Secundò notandum eſt, quod altera lucerna indicat, ſoleam habens ſpiſſis clavis munitum; Peculiare enim fuit Caligarum militarium, ut hos clavos frequentes haberent, & quidem ſolum verſus acutos, quod Plinius indicavit lib. 9. cap. 18. cum ſcripſit de aliquibus piſcibus, *ſquamis ſunt conſpicui crebris, atque peracutis clavorum caligarum effigie*. Eos habebant milites ea potiſſimum de cauſa, ut in ipſo congreſſu firmius conſiſterent; & minus eſſent ad fugam idonei: ſed cum inter milites alii aliis eſſent ornatiores, dubium non eſt, quin, ut in cętero habitu, ita, & in Caligis aliquod eſſet diſcrimen, quo qui priorum erant claſſium, quique in militia gradum aliquem tenebant ab Inferioribus diſtinguerentur, & id ſanè in clavis erat poſitum, qui caligæ ſuffixi caligares dicebantur, horum autem alii erant ferrei, alii argentei,

tei, alii denique aurei, quod non obscurè Justinus innuit lib. 46. dum Antiochi Regis luxum in ipso etiam bello ita describit. *Argenti certè aurique tantum ut etiam gregarii milites caligas auro suffigerent, proculcarentque materiam, cujus amore populi ferro dimicant.*

Calceatas Soleas etiam adhibitas fuisse ab antiquis Monachis legitur apud Menardum in concordia Regularum S. Benedicti cap. 62. & in notis P. Mabilonii tom. 2. Actorum, cum dicitur *S. Equitius Abbas primus Generalis post obitum S. Benedicti accersitus fuisse Romam a Summo Pontifice, sine cujus licentia verbum Dei prædicabat, & vocatus dum fœnum secabat venisse Vir Dei clavatis calceatus caligis, falcem fœnariam in Collo deferens.*

Utriusque generis Caligam exhibuit Nigronius, insuper, & Caligam triplici modo compactam sine clavis, omnes acceptas ex columna marmorea Trajano Imperatori Romæ erecta, in qua bellum Dacicum feliciter gestum exculptum cernitur, & ex Arcu Constantino extructo in Foro Boario. Nos plures exponemus delineatas, quæ in Musæo ad studiosorum eruditionem conservantur, ex variis antiquissimis statuis mutuatas, & quamvis in omnibus solea videatur, quæ pedis plantam munit, sine obstragulis, quæ superiorem partem tegantur, habenis tamen constringitur supernis sæpius circumductis, quæ supra talos Tibiam circumvolunt, Aliquæ elegantiores decussatas supra pedes corrigias, atque inter priores digitos ductas habent, aliquæ circumvolutas varias supra pedem tantùm, non inter digitos habenas, aliquæ reticulatas demonstrant, aliquæ decusatim instar crucis ostendunt. De his omnibus eruditè Authores egerunt, inter quos præsertim Turnebus, Lipsius, Balduinus, Ferrarius, Binæus, & alii complures. Ea ferè omnia in Tab. LXI. & sequentibus indicata patebunt. Quæ ex nummis, & veterum statuis accepimus, atq; etiam aliquarum Caligarum, & Calceorum Icones addemus, qui ex variis Terrarum plagis, ubi adhibentur, ad Musæum missi sunt, & spectatorum oculos non parum oblectant eæque sunt.

1. Caliga militis ex Columua Antonini delineata.
2. Caliga in Arcu Constantini exculpta.
3. Caliga Apollinis Pythi in hortis Vaticanis.
4. Caliga ex Columna Antonini.
5. Caliga diversa in pede Apollinis Pythi.
6. Caliga ex Columna Antonini.
7. Caliga in Simulacro Dircis in Ædibus Farnesiorum.
8. Ex Columna Antonini.
9. Caliga pedis antiqui ex marmore Alabastrite, quod vulgò dicitur *Fiorito* in Musæo Illustrissimi Præsulis Leonis Strozzæ.
10. Ex pede marmoreo Meleagri existentis in Villa Excell. Ducis Strozzæ.
11. Ex pede marmoreo in nostro Musæo collocato.
12. Ex pede marmoreo pueri antiquo in eodem Musæo.
13 Caliga cum Solea clavata ex arcu Constantini.
14. Ex pede antiquo nostri Musæi.
15. Campagus pedis antiqui in Musæo Illustrissimi Præsulis Strozzæ.
16. Ejusdem latus.
17. Ex statua antiqua mulieris apud Ferrarium, & Binæum.
18. Caliga Fratrum Minorum S. Francisci qui dicuntur Capuccini, & vocatur Apostolica.
19. Soccus ligneus proprius Fratrum Gallorum, qui dicuntur Tertii Ordinis S. Francisci Reformati.
20. Caliga ex corio adhibita a Fratribus S. Augustini discalceatis.
21. Caliga antiqua ex Balduino pag. 100.
22. Calceus ex sparto ab antiquis hispanis adhibitus ex Bald. pag. 22.
23. Calceus ex Canabe a Religiosis discalceatis hispanis adhibitus, qui dicuntur Sanctissimæ Trinitatis.
24. Alius ex canabe, quo utuntur Moniales Carmelitæ, quæ dicuntur discalceatæ.
25. Calceus ex canabe apud Hispanos frequens.
26. Calceus ex corio qua Romæ, utuntur Moniales S. Teresiæ.
27. Calceus coriaceus a Fratribus Carmelitanis discalceatis adhibitus.
28. Nartha qua supra glaciem ollandi utuntur dicta *Schaatsen*.
29. Solea lignea qua supra aquas frigore constrictas Ludibundi erant in partibus Septentrionalibus.
30. Calceus Sinensis ex serico, sub quo solea funiculis inter se constrictis constat.
31. Soccus ligneus Malabaricus. Illo utuntur Missionarii præcipuè ambulantes per arenas fervido sole incalescentes: discalceati pedes inter primos digitos inserunt bacillum in anteriori parte eminentem, ut soccum sustineant, non sine dolore, usque dum callum inter digitos obdurescat.
32. Soleæ ligneæ a veteribus Germanis adhibitæ apud Balduinum pag. 34.
43. Calceus uncipes, seu Uncinatus, & in altum reflexus apud euudem pag. 67.
34. Socci apud antiquas Venetorum mulieres ex Titiano, & Bald. pag. 119. & 149.

36. Cal-

36. Calcei lignei apud Gallos præſertim ruſticos frequens dictu *Sabò*.

37. Calceus Turcicus, & a Polonis etiam adhibitus.

38. Caliga in imagine Redemptoris, in opere muſivo expreſſa, quod conſtruxit S. Exuperantius Epiſcopus in templo S. Agathæ majoris Ravennæ anno circiter 400. ab Illuſtriſſimo Ciampino relatum cap. 20. de vet. monin.

39. Caliga qua ornantur pedes imaginum Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum in muſivo expreſſorum, quo antiquum templum S. Andreæ in Barbara appellatum decoravit Simplicius Papa anno 643. apud Ciampinum cap. 27. Vet. monim.

40. Caliga ex ſimulacro marmoreo antiquo Protoſcriniarii in Ædibus Marchionis Camilli de Maximis Romæ.

41. Ultimo loco Calceos ponimus, quibus mulieres nobiles in Regno Sinarum utuntur. Eorum magnitudo illa eſt, quam imago delineata ad amuſſim ſub num. 41. repræſentat: ſi parvitatem ſpectes, incredibilem eorum uſum judicabis, at omnium Scriptorum relationibus certum eſt Sinenſes mulieres, non quidem ruſticas, ſed nobiles pulchritudinem tum ex puſilla ſtatura, tum ex pedum parvitate æſtimare, adeoq; quod nobis indecorũ monſtroſumq; videri poſſit id illę inter pulchritudinis argumenta reponant; unde vel a prima ætate vix natę pedes faſciarum involucris, adeò arcte conſtringunt, uſque dum vivunt, ut ſine gravi doloris ſenſu incedere vix queant talibus tormentis detentæ; ſi ratio hujus rei ab ipſis petatur, referentibus P. Martino Martini in decade prima Sinicæ hiſtoriæ lib. 3. & P. Athanaſio Kirchero in China illuſtrata cap. 9. aliud reſpondere neſciunt, niſi quod hanc conſuetudinem ad ſe jam a bis mille, & octingentis annis derivatam ſervent, exemplo Tachiæ conjugis Imperatoris Chei, qui ante octingentos ſupra bis mille annos Imperium Sinicum moderabatur, quamque ad raram, & incredibilem pulchritudinem inter Deas relatam ineptè putant, eaque de cauſa Venerem Sinicam æſtimare conſueverunt, & hujus quidem venuſtatem non aliunde, quàm ex arcta pedum colligatione, & eorum parvitate ortam fingunt. Alii verò dicunt, hanc pedum coarctationem ex lege Sapientum inſtitutam fuiſſe, ut Fœminæ non per puplica loca vagari, ſed domi ſedere diſcant, ſi non voluntarie, ſaltem pedum beneficio impeditæ: unde non niſi rarò illis exeundi domo poteſtas conceditur, quam, ſi quandoque ex neceſſitate obtineant, extructis ſedilibus includuntur, ut ne rima quidem ad ſe manifeſtandas relinquatur. Conſtant ejuſmodi Calcei ex ſerico, floribus, & foliis acu pictis exornato. Solea etiam cum calcaneo ex ſerico pedi ſubjicitur in eam formam, quæ num. 42. delineata vero calceo omninò reſpondet.

T. LI

1
ALEXANDRI AVG.
2
MAXIMO ET PATERNO COS.
3
4
IVLIÆ MAMIÆ MATRIS AVG.N
ÆLI MAXIMI AVGIORVM LIBERT
5
6
7
8
9
10
11




2
2
2
2
3
4
1
7
5
6
9
8



Tab. LIII




1
1
2
1
3
3
3
4
5
6


OPTIMO PRINCIPI
COS




T·FLAVI
TITIANI
CMVCI
POLLIONIS
VRSINI
AVRELIAE
CEMELLAE
AROSVCT
VMXMMM
SIFIZIE
SVFIMEI
VLPIMARC
A·IVL
P·IVL
M·VALERIO
HERMAE
P·CAMRS
2
V
TEMPL·OPIS
AVG
II
TEMPL·OPIS
AVG
3
VIIII·M·F·A·
4
PONDO·CXXV·
TALENTVM
SICLORVM
III




SEXTARIVS
SEXTA PARS CONGII




CHOVS ARTEMIS







1
2
7
3
6
4
5
6



9
10
15
11
12
16
13
14

17
Tab. LXIII
16
196
19
20
21
24
22
23



197. 1
25
26
28
27
30
29
31
32



33
36
38
37
34
40
39
41
Solea calcei sinenis



CLASSIS SEXTA

Continens Lapides, Fossilia, aliasque glebas, à Natura effigie aliqua donatas.

SI aliqua sunt in Musæo, e quorum visu æquè admiratione capiatur ingenium humanum, ac philosophandi cupidine, lapidosa quidem sunt rerum viventium simulacra, e variis Terrarum partibus in eo congesta. Antequam illorum brevem descriptionem aggrediamur, celebrem disceptationem circa ipsa placet indicare, quæ tum antiquorum, tum recentiorum Philosophorum ingenia non parum defatigavit. Quæritur enim An illa aliquando vixerint, puta Ligna, Pisces, Cochleas, Tubera, atque his similia vi succi lapidescentis in saxa commutata; An potius sint rudimenta Naturæ in humo ipsa fabrefacta, vera viventia gignere condiscentis. Succum lapidescentem, & vim lapidificam inesse, non tantùm aquis permixtam, sed etiam in terra latentem docuit inter multos Georgius Agricola lib. de Natura Fossilium. Patet eruditis in multis fontibus, ac fluviis radices, stipites, ramos cortices, fructus, flores, & folia iis immissa mutari in lapides, sicut sub terra multa similia effodiuntur. At discrimen intercedere inter hæc, & alia, quæ sub terra mutantur in lapides scite notat idē Agricola, nam omne id genus lapides præduri esse solent, at lapides, qui è solo succo aqueo lapidescente cōcreverunt, plerumq; sunt molles, & fragiles, quod argumento esse potest, dari aliam vim lapidificam præter illum succum, quæ duros efficiat lapides, ut docuit Albertus Magnus lib. de ortu, & causis subterraneorum; vim scilicet metallicam formantem lapides in materie ad id aptata, emanantem a siderum occulta vi, sive aliunde, non secus ac in generatione metallorum concrescit humor ad ipsa idoneus. Ea igitur vi in lapidem mutari posse quidquid in terra est, & sicuti in mari Natura plures terrenas formas effecit, sic in terra plures marinos fœtus, ut sunt omnia ex genere ostreaceo, ruditer repræsentavit; quamobrem in altis montium Visceribus plura ex iis effodi docet experientia.

Cesalpinus hac de re scribens lib. 1. cap. 2. in re metallica, hæc habuit. Cum in Fodinis metallorum, sive marmorum aliorumque saxorum, nunquam corpus vivens reperiatur, & si aliquando in eorum cæsura ostrearum testæ, aut cætera conchylia reperta sint, hæc recedente mari, & lapidescente solo, inibi derelicta in lapides concreverunt; Ubique enim, ubi nunc est arida, aliquando adfuisse mare testatur Aristoteles. Hoc enim modo censere, magis consonum rationi est, quàm putare vim animalem intra lapides gignere rudimenta Animalium ac Plantarum, ut aliqui affirmant. Sed majori admiratione dignum est quo pacto, hæc fuerint illuc delata, si viva aliquando fuerunt. Sibi quamplurimi suaserunt hujusmodi lapides jactatos fuisse eo tempore, quo Aquarum colluvie universale diluvium montes superavit. At opinionem hanc improbavit Fracastorius, tum quia aquæ, quæ montes superarunt, non fuerunt Maris, sed inundationes è Cœlo, tum quòd oporteret videri Conchas, & alia ejas generis in verticibus, non in viscеribus montium.

In aliam sententiam abjerunt alii dicentes, esse in montibus humorem quemdam, & *Alcali* salsum, ut vocant, & varium, quo sæpè vera animalia maritima generantur, ut Balani, & Dactyli, qui in mediis saxis nascuntur, & perficiuntur; adeoque non vera animalia fieri, sed quæ vera imitantur, quæque lapidescunt ob loci frigiditatem. Hanc etiam sententiam eidem Fracastorio non placuisse refert Torellus Sarayna apud Calceolarium pag. 408. quoniam, ait ille, hæc aut unquam vixere, aut non. Si vixerunt, non jam jocatur Natura, sed verum animal facit, quale in mari gignitur, & aliquando oporteret illa animalia erui è mōtibus viventia, sicut, & Balani: si verò nunquam vixerunt, & solùm ea animalia imitantur, experientiæ repugnat; eruuntur enim Conchæ non paucæ, quarum pars in lapidem concrevit, pars veræ conchæ rationem habet.

Existimavit igitur supradictus Sarayna, hæc olim vera animantia fuisse illuc a mari jactata, & in mari enata, affirmans montes omnes factos ex arena maris, & fuisse olim mare, ubi nunc montes extant; eosq; detectos cum mare recessit, quod sæpè videtur fieri in multis locis, in quibus mare longè abest a locis ubi olim fuerat.

Improbatur tamen ejus sententia, cum montes ante diluvium extiterint, & concharum testæ, seu lapides, conchas, & pisces, referentes detegantur in locis, quæ nunquam sub marinis undis latuerunt.

De Glossopetris majoribus nec dum decisa lis est, sint ne dentes Canis Carcariæ, an lapides a terra producti, scilicet corpora similia partibus Animalium, quæ è terra eruuntur. Ita loquitur accuratissimus Stenonius relatus a Gerardo Blasio in anatome Animalium pag. 263. Animalium istis in locis olim degentium spolia esse voluernnt nonnulli, alii sine Animalium concursu ibidem producta credunt, deinde hæc addit. Ex hactenus observatis illa argumenta producam, quibus ea corpora animalibus adscribuntur, semper verum judicium a meliora doctis expectans. Tandem positis diversis observationibus, conjecturas varias deducit, ut credat corpora illa non fuisse producta a terra, unde eruuntur, sed terram illam aquis olim tectam fuisse, unde postea relicta fuerint ostrea, & similia, his verbis concludens: Dum meam opinionem verò similem ostendo, contrariæ sententiæ patronos falli non arguo. Pluribus modis idem Phœnomenon explicari poterit, imò eundem finem diversis mediis in suis operationibus assequitur Natura. Imprudentis itaque esset unum ex omnibus modum solùm pro vero agnoscere, reliquos omnes ut erroneos damnare. Multi, & magni Viri sunt, qui eadem corpora sine animalium concursu producta credunt, namque ut publico notos taceam, Mercatus Miniatensis eandem sententiam tuetur, quod etiam agit in suis Scenis hetruscis Antonius Nardi, quem librum manuscriptum possidebat Clariss. Franciscus Redi Sereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis Archiater. Habent & hi suas rationes, quæ tantò minus rejiciendæ sunt, quantò major numerus est admirandarum Naturæ operationum, quæ in singulos dies novum nobis incutiunt stuporem. Ut ad propositum redeam, Glossopetras majores esse Canis Carchariæ dentes figura illarum suadet, cum plana planis, latera lateribus, basis basi, quamsimillima sint. Si credimus historis; è medio mari novæ subsilvere insulæ, & quis Melitæ prima in cunnabula novit? Forsitan mari olim suppositа ea terra canum marinorum latibulum fuit, quorum dentes cænoso fundo olim insepulti, mutato fundi situ, per subterraneorum halituum præceps incendium modò in media insula reperiuntur. Nec frequens Glossopetrarum numerus, quæ ex illa Insula afferuntur difficultatem parit. In eodem pisce ducenti dentes, & amplius numerantur, quibus in dies novi alii succrescunt.

Sed quidquid sit de hujus generis lapidibus, de quibus eruditissimum tractatum, typis edidit Augustinus Scylla, negari a nullo potest multos lapides inveniri, quorum aliquos succus lapidificus effecit: sive plura fuisse vegetabilia, & sensitiva Animalia, quæ in lapidem conversa miramur, pluresque etiam lapides, in effigiem multorum vegetabilium a Natura efformatos. Ex utraque classe copiosam segetem Musæum servat, quibus rerum naturalium Perscrutatores mirè oblectantur. Eorum perbrevem catalogum subjiciam, & primò.

EBUR FOSSILE.

PArtem cornu numerat, quod Ebur fossile a Clusio, a quibusdam Dens Elephantis petrefactus nominatur. Duos palmos æquat in longitudine, & palmum in diametro habet. Denti elephantino omnino simile in Apulia detectum fuit ab aquarum eluvione anno 1698. & palmos duodecim sua longitudine superabat.

Reperiri hujusmodi dentes non solùm in Italia, sed in variis Germaniæ locis, idest propè Elbingendam Silvæ Herciniæ, propè Neichelbergam, Hildeshemium in Moravia, Silesia, & Saxonia refert Vormius. Ejusmodi cornu fossilis meminit Calceolarius pag. 473. atque illud accurate descriptum fuisse ab Imperato Pharmacopæo celeberrimi nominis. Imperatus autem lib. 15. pag. 603. ita illud describit.

L'Unicorno fossile è pietra tenera, simile all'osso brugiato, rimosa secondo li versi, e fratture, che sogliono patire le ossa, anzi si divide in cruste ritonde. de quali l'una abbraccia l'altra, simile a lastre d'Avorio, onde alcuni gli danno nome di Avorio fossile, mà l'avorio fossile habbiam visto essere nel numero di Gemme, sotto numero di Cameo.

Igitur ex hujus aliorumque Auctorum documentis inferendum est, Ebur fossile nunquam fuisse dentem Elephantis, sed talem dici propter quandam similitudinem, quam cum illo habet. Docet insuper experientia, ut plurimum hujusmodi Ebur inveniri, in quo pars inferior, sive basis, non est vacua, ut est in dentibus Elephantis, sed ubique densa. Quo autem modo illud generetur conatus est exprimere Anselmus Boetius a Boet. his verbis. *Materiam proximam generationis horum cornuum, Margam, vel margæ speciem esse existimo; quæ dum lapidescente, & subterranea aqua fluente irrigatur, solvitur, & lactis instar fluit per terræ cavitates, in quibus si a terra adstante aquæ serosior pars absorbetur, aut imbibitur, vel præterfluit, tum crassior pars cavitates implendo sistitur, & absumpto omni humore coalescit, lapidis-*

pidisque formam, & cornu præsefert, aut Margæ tantùm, si secus exiguam vim lapidificam habuerit. Hæc causa est quod interdum ejusmodi frusta crassa, interdum exigua, & tenuia conspiciantur. Docet tamen idem Anselmus, quòd si lacteus humor non in cavitatem terræ, sed in lignum aliquod jam vetustate arefactum incidat, illiusque corpus jam leve, & porosum subeat, & exhalata aquæ tenuiore portione crassior remaneat, lignum transmutat, ejusque partes sibi assimilat; ita tamen ut species ligni nosci possit. Quod ligno contigit, id etiam cornibus cervinis, dentique elephantis, aliisque Quadrupedum partibus, si in hujusmodi, loca decidant contingere potest.

Non defuerunt qui cornua hujusmodi aliqua ejus generis ossa, & ligna, quæ sub terra petrefacta inveniuntur, existimaverint reliquias esse Animalium, ab universali diluvio dispersas, quam sententiam nullam probabilitatem habere Vormius asseruit.

At dum hæc scriberem allata sunt Romam a Rusticis quibusdam quamplurima ingentium ossium, ac dentium fragmenta, quorum aliqua in lapideam substantiam abjerunt, aliqua decocto lapidi simillima erant. Dubitarunt nonnulli an vera ossa Animalium puta gigantum extiterint, aut potius a ludente Natura efformata illa fuerint. Sed omnis dubitatio dempta est, cum ad me aliquæ eorum partes delatæ sunt, & quidem integræ, scilicet inferiores maxillæ dentibus molaribus munitæ, de quibus dubitari nullo modo potest, illas reliquias esse alicujus elephantini cadaveris, quod in Universali aquarum eluvione eo in loco, relictum fuisse aliqui sunt arbitrati. Eorum tamen sententiam, etsi tanquam omninò falsam non improbaverim, pro certo potius mihi suasi eas fuisse Elephantis, tempore Antonini Pii ex Affrica in Italiam adu-cti. Narrat enim Julius Capitolinus in Vita Antonini edita, *ab illo munera, in quibus Elephantes, & Crocutas, & Tigrides, & Rhinocerotas, & Crocodilos etiam, atque Hippopotamos, & omnia ex toto Orbe Terrarum, cum Tigridibus exhibuit. Centum etiam Leones una missione edidisse.*

Si autem quæras cur potius ad Antonini ætatem, quàm ad aliam illa refertam, non levis est ratio. Hæc enim ossa in agro effossa sunt propè Castrum, quod nunc *Guidi* vulgò dicitur, in Via Aurelia, duodecim mille passuum ab Urbe Romana distans, ubi olim *Villa Lanuvina*, seu *Villa Lauri* erat, in qua Villa, referente Julio Capitolino, ipse Antoninus Pius natus est, sub Domitiano XII. & Cornelio Dolabella Coss. & in *Lauro* educatus, ubi postea Palatium extruxit, cujus hodie reliquiæ manent. Cum autem, eodem Capitolino narrante, Antoninus in Agris frequentissimè vixerit, ubi *piscando, & venando multùm se oblectavit*, atque, ut diximus Elephantes, cœteraque ex toto Orbe Terrarum Animalia in publicis spectaculis exhibuisset, non absque ratione dixerim, aliquos ex iis in Villa eadem aluisse, ut venando oblectaretur, ibiq; eorum ossa sub terra diu latuisse, unde nunc effossa in Urbem delata sunt, ad ornatum nostri Musæi, & ingeniornm exercitationem.

His maxillis addidimus aliquos dentes in loco eodem effossos longo temporis intervallo in lapideam substantiam conversos adeò duram, ut ferè calcedonii lapidis duritiem æquet, & Calybeam aciem retundat. Dentes etiam majores visuntur, quos cornua Elephantis vocarunt aliqui Auctores, nec potest dubitari fuisse hujus Animalis, ratione substantiæ, & figuræ, cavitatem insuper habent in parte inferiori in conum productam.

RES IN LAPIDEM CONVERSÆ.

UT ut hæc sint, negandum non est, ut diximus, multa inveniri petrefacta beneficio humoris aquei, quæ antea vera ossa, arbores, radices, flores, & fructus extiterint. Notum enim est pluribus in locis fontes existere, quorum aquæ vim lapidificam obtinuerunt, in quibus quidquid immergitur, penetrante humore illo, indurescit ut lapis. ¦Celeberrimus fons ille est, quem refert Georgius Agricola lib. 2. celeberrimi sunt illi quos Aldrovandus numerat.

Imò vestes,& calceamenta illata in lapidicinâ, quæ est in Asso Troadis, lapides fieri Mutianus retulit. Notat tamen diligenter Agricola lib. 2. de nat. Fossil. cum Natura lapides arborum similes procreat, diligenter videndum est, an corticem, & medullam aliaque habeant, quæ si absunt, non stipites in lapides conversi sunt, sed natura fecit lapides stirpium simillimos.

Ex utroque horum genere multa congesta sunt in Musæo; ultra Ebur fossile, quod indicavimus. Numerantur enim alia Eboris fossilis fragmenta, non tamen in figuram dentis efformata, sed aliqua magis dura, aliqua porosa, & cornu cervi referentia: Numerantur etiam variæ succi lapidei concreti species. Ejusmodi sunt lapides, quos vulgus *Tartaros* vocat, facti sub aqua, multis tuberculis referti ad instar fecis vini. Alii veluti ubera demonstrant, quæ aqua formavit, cum guttatim stillans in rotundam figuram paulatim effluens conglaciata remansit. Item è tubo plumbeo piriformam referente fontis aquæ felicis, ejus figuræ lapis, succo concreto visitur, in cujus centro ejusdem

figuræ canaliculus patet. Item plures ex aquis ſtillantibus, diverſæque formæ fragmenta.

Præter hæc caput hominis videtur cum integro ejus thorace conjunctum, ſed in lapideam ſubſtantiam converſo, & cruſta lapidea undique obducto, quo probatur vera eſſe, quæ narrat Aldrovandus in Muſæo Metallico cap. 63. de variis cadaveribus in lapidem converſis; Eſt illud viſentibus non minori oblectamento, quo Romæ in Villa Ludoviſiana aliud ſimile conſpicitur, tanquam rerum Naturæ portentum. Noſtrum fuit repertum in Cœmeterio juxta Romæ, mœnia, quod dicitur Priſcillæ ſub Via-Salaria ſitum, & Muſæo donatum ab humaniſſimo D. Marco Boldetto Sacrarum Cryptarum Præfecto, & Sacra rerum antiquarum eruditione admodum exculto.

Sunt etiam lapides, quos natura ita procreavit, ut aliquam animalis partem demonſtrarent; Eſt lapis quem Aldrovandus Chiritem nominat a figura manus humanæ quam imitatur, ſed articulos non obſervat in digitis.

Oculos fallunt coriandri ſemina lapidea veluti ſaccaro condita tam affabre, ut dentes, & appetitum puerorum valeant decipere. Ad Stalactitis ſpeciem retulit Vormius pag. 52. hujuſmodi ſemina, quorum multa diverſæ magnitudinis, & in varias figuras adeò bene conformata inveniuntur, ut ſemina fructuum, aromata, & amygdala ſaccaro incruſtata omninò referant. Propterea ab Italis vocantur *Confetti di Tivoli*. Reperiuntur enim propè Tibur, ubi aqua decurrit, quam Albula dicunt. Eorum ſubſtantia non valdè dura eſt, ſed friabilis, & candidiſſima.

Gleba eſt ex guttis aquarum rotundis coagmentata, & in lapidem induratis, coloris albi ad fuſcum inclinantis. In Thermis Carolinis hujuſmodi ſpeciem formari refert Vormius, ideoque vocari vulgò *Piſa Carolina*, ſed *Stalactitem* a Latinis, maſſam ovorum piſcium majorum exprimit.

Echini marini ſaxei valdè vivis perſimiles, papillis undique exornati, quibus ſpinas, ſeu aculeos conjunctos fuiſſe dubitari non poteſt. In littore Calabriæ, quod Fretum Meſſanenſe alluit, reperti fuerunt, lapidea ſubſtantia repleti ut ſaxa potius videantur ad ſpeciem Echinorum a Natura conformata. Alios in Inſula Melitenſi effoſſos ſervat Muſæum diverſæ formæ, ſed elegantiſſima omnium partium diſpoſitione conformatos; eorum teſta ſpinis ſpoliata cernitur: at in aliis glebis ſpinæ apparent diſperſæ, quales in adjecta Tab. LXV. ſub nu. 1. exhibuimus conſiderandas.

Cornu vulgò dictum Ammonis, ſub n. 2. quod inter Gemmas recenſuit Plinius. Eſt illud veluti cornu arietis in ſe revolutum, & pluribus ſpinis circumflexum. Agricola lib. 5. de Natura Foſſilium hæc habet. *Similiter Cornu Ammonis, & alii lapides armantur, ſed eorum arma ex auro vel orichalco polito plerumque videntur eſſe facta.* Illud Ethiopes falsò credunt divina ſomnia repræſentare. Ejus italicam deſcriptionem invenies in Muſæo Imperati lib. 24. cap. 26. Vormius autem pag. 91. ita ſcripſit. *Cornu Ammonis, inſtar cornu bovini eſt involutum, rugis per tranſverſum ornatum; quoddam criſtam habet per longitudinem excreſcentem, inſtar funis. Illa quæ parum torquentur cornua dicuntur, quæ verò gyrantur, & contorquentur in ſpiram ſerpentes aſſimilant. Ortum trahunt a terra viſcoſa, & lapidis calcarii ſunt conſiſtentia. Quædam colorem habent ſubruſum, quædam cinereum, & ſi eorum minora in Marchaſitam inciderit, veſtiuntar tunica metallica, quam armaturam vocant.*

Gloſſopatræ a n. 3. indicatę quamplurimę diverſę magnitudinis ita dictę quaſi linguę lapideę, & quòd linguam Pici Avis figura referant, linguam ſerpentis exprimere illas aliqui putant, nihilque aliud eſſe niſi linguas ſerpentum in lapidem converſas, ſed error hic facile refelli notat Vormius ab iis, qui linguas ſerpentum teretes, & biſidas eſſe norunt. Lapis eſt ut plurimum triangularis baſi craſſiori ſcabra, toto alioquin corpore levi, & quaſi corneo, minutis ſæpe quibuſdam denticulis ad latera crenato, colore quandoque cæſio nigricante, qaandoque luteo albicante, longitudine diverſa. Aliquæ ſunt in Muſæo, quæ uncias quinque æquant, aliæ minores ſunt. Ut plurimum dentes canis carchariæ piſcis referunt, quos in lapides converſos putant multi, inter quos Auguſtinus Scilla in ſuo tractatu de corporis petrefactis, ut alibi explicuimus. Eruditiſſimus Vormius cap. 10. ſui Muſæi arbitratur dentes hujuſmodi duorum generum reperiri. Alterum eſt quod dentes Lamiæ petrificatos continet, & illos exactè repræſentat; Alterum quod figura, & colore aliquantulum diſcrepat, & in mediterraneis reperitur, præſertim in Inſula Melita, in Germaniæ fodinis aluminoſis, propè Luneburgum etiam generantur. De virtute earum lapidum multa ſcripſit ipſe Vormius, & Thomas Bartholinus, & ante illos Geſnerus.

Lapidoſorum Lignorum, & Plantarum fruſta Muſæum intuentibus profert, quæ verè dixeris ex ſucco lapideſcente concreta, vel donata corticibus, vel eorundem expertia. Docuit Fallopius herbas illas non poſſe ſuccum illum lapideſcentem pro alimento attrahere, quin ſimul aquam attrahant, idcirco in aqua non lapideſcere, quoniam ea eſt impedimento, ſed extra-

ctas,

ctas, & exsiccatas lapidescere: alii tamen contraria narrant, cum referunt multa lapidescere in aquam immersa, in qua vis illa insit lapidifica. Varia, quæ in Musæo cernuntur, puta truncos folia arborum diversa, filicum ramos, calamos, paleas, herbarum surculos &c. ex ripis collecta fuere, quas madefacit humor aquarum ex Monte Velino, decidentium in agro Interamnensi.

Lapides etiam sub n.4. quos Judaicos vocant aliqui a loco Judeę, ubi inveniuntur; quidā verò Syriacos ex Syria propè Montem Libanum. Ut plurimum glandem, seu nucleum olivæ referunt, exterius colore cinereo, oblongum, & striis inæqualibus a basi in apicem asperum: Interius, si frangantur lapidem repræsentant. Quamvis olivarum nucleis similes sint, nunquam tamen fructus ejusmodi extitisse censendum est, sed lapides a Natura tali forma donatos. Referunt eos in pulverem redactos calculos hominis resolvere, sed medicis hanc disputationem relinquimus. Alterum genus est hujusmodi lapidum, quos *trochites* vocat Anselmus Boetius, quia rotæ seu tympani ferunt effigiem: fructus hic lapis, radios ut in rotis ostendit, simul ad centrum coeuntes ut sub num.5.

Lapides numerantur, qui variorum piscium imagines repręsentant indicati a n.6. Hos *Eislebianos* vocavit cum Agricola Aldrovandus, & affirmavit Lucii imaginem ut plurimum exprimere, aut Percæ, & Passeris Marini. Illi in Arvis propè montem Libanum frequenter deteguntur, & pisces adeò exactè exprimunt, & quidem colore diverso a substantia lapidis, ut ipsis impressi videantur. Hujusmodi pisces plures recensentur in Musæo non solum ex monte Libano allati, sed etiam ex Monte Vestaphaliæ in ditione Baroneum Tuichel dicto *Boumbergh* ubi effodiuntur. Si ejusmodi lapides bifariam dividantur in duas veluti laminas, Piscis expressus apparet in utraque, & duplex naturæ portentum curioso Naturæ rimatori subministrat. Rationem quærens Kircherus, qua tales pisces in saxo Natura impresserit, ita concludit. *Novimus magnas multis in locis inundationes fluminum fieri hiberno tempore, quibus consequenter ingens limi copia in campis collibusque coacervetur, hisce itaque complures pisces una ejectos, limoque involutos constitisse; limum verò successu temporis spiritu lapidifico in saxum conversum fuisse; cui cum multi pisces involuti fuerint, illi in limo tanquam in modulo quodam, & matrice nativam formam suam impressisse inde demonstrari potest, quod spinæ adhuc exititiæ cum squammis, & partes pulposæ veluti abstractæ violenter, & lacerata spectantur, & una cum spinosa substantia exprimuntur, ut ne pictor quidem perita manu ad naturæ prototypon pertingere queat. Quod verò nulla pulpa, aut intestina intus compareant, cum saxum bifariam dividitur, mirum non est, cum tota illa mollis substantia corruptioni maxime subjecta consumpta, & calore exiccata, in pulverem conversa fuerit. Atque hæc est origo eorum piscium, quos Physici fossiles appellant, quique in Musæis eruditorum hominum extant?* Hactenus Kircherus, & quidem aptè; sed difficultas remanet circa eos, qui è visceribus montium eruuntur, atque par est difficultas, quæ circa testacea fossilia semper exercuit Philosophorum ingenia.

Ejus genetis lapides producere hic possem. Puta murices, muscolos, ostrea conchilia omnium ferè specierum è variis collecta regionibus, videlicet è Monte Pelia propè Urbem Veterem, e Monte Paderno, apud Bononiam, in Agro Volaterano, in collibus Senensibus, in Insula Melitensi &c. inter omnia eminet Ostreum, cujus diameter ferè palmum æquat; Integrum cum accepissem illud aperire conatus sum, eodemque sine ulla fractura diviso, rudis quædam massa inclusa apparuit colore subfusco valdè a testa dissimilis, sed lapidea, in qua sine dubitatione animal ostraceum in lapidem conversum deprehendi, illudque mirificè oculos eruditorum oblectat.

Cancer petrefactus num.7. indicatur Japonius dictus, eò quòd in Littoribus Japonicis reperiatur, Si enim frangrantur glebæ colore argillaceo diritiè silicea, ejusmodi cancri in lapidem conversi deteguntur; At nunquam integri. Maximi extimantur ab Incolis, cum iis vim inesse credant, qua lapides Bezoarici potiuntur.

Ex Classe rerum, quas humor lapideus induravit, ut saxa, ad lapides ipsos stylum convertimus, ut illos tantùm indicemus: si enim singulorum descriptionem aliquis cuperet, Naturæ potius pennicillo opus esset, quàm Relatoris calamo. *Marmorum Genera, & colores non attinet dicere in tanta notitia*, inquit Plinius, lib. 36. cap. 7. *nec facilè est enumerare in tanta multitudine; quoto quoque enim loco non suum marmor invenitur?* Octingentesimum numerum excedunt ea, quæ ordine perpulchro dispositа in Musæo ostenduntur. Aliqua inter illa versicolores notas ostendunt, aliqua coloribus inter se dilutis variegata, multa minutatim punctis aspersa, pleraque maculis aut in vortices inflexis, aut in lacunas circumductis. Rubet Porphyrites ex Ægypto, atque ex eo, quòd candidis intervenientibus punctis Leucostichos appellatur ex Æthiopia; Ferrei coloris nigricat Basaltes, & Luculleum albicat, Parium, & Ligusticum. His pretiosissimi generis Lacedæmonium viridè jungitur, nec deest undatim crispum

pum in vortices, quod dicitur Augustum, & Tiberjum sparsim convoluta canitie; non Syenites circa Sienen Thebaidis repertum, non Pyrrhopecilon, ex quo magnas trabes Antiqui confecerunt, non ex Classe Alabastritis quamplurima, puta quod circa Thebas, Ægyptios, & Damascum Syriæ, vel Cappadociam effoditur. His cœteris candidus ex Caramania, atque ex Indiis adductum. In genere lapidum Achatis, atque Jaspidis adeo multis variisque coloribus aspersi emicant, ut pennicillo etiam non tantùm calamo subjici oculis non possint. Quidquid enim, ut verbo omnia complectar, variarum Regionum Lapidicinæ obtulerunt, ostenditur in Musæo. Thebaicum, aut Persicum aureis guttis interstinctum etiam micat, cum alabandico ad purpuram declinante.

Verùm lapides intuenti Magnes occurrit, de quo sic Plinius cap. 18. *Quid enim mirabilius, aut qua in parte naturæ major improbitas? Trahitur namque a Magnete lapide, domitrix illa rerum omnium materia, quæ ad inane nescio quid currit, atque ut proprius venit, exilit, teneturque, & complexu hæret. Siderites alio nomine appellatur ab Inventore, repertus in Ida clavis crepidarum, & baculi cuspide hærentibus, cum armenta pasceret.* Hactenus Plinius, qui etiam addidit ex Sotaco quinque genera Magnetis inveniri; Æthiopicum primum, secundum in Magnesia Macedoniæ contermina tertium in Echio Boetiæ, quartum circa Alexandriam, quintum in Magnesia Asiæ. Compertum item tantò meliorem esse, quantò magis est cæruleus. Æthiopico laudem summam dari ponduſque argenti rependi.

Hujusmodi Naturæ miraculum, etsi ferè omnibus notum, videmus in Musæo, ubi variis ejus lapidis fragmentis chalybea fascia circumdatis ferrea pondera adhærent. Inter cœtera unum est duas uncias suo pondere numerans, a quo ultra decem libræ ferri trahuntur, & pendulæ sustentantur. Sed omnes hujus generis lapides, qui ex Gazophylaciis per totam Europam dispersis recenseri possunt, fragmenta superant, quæ in Musæo Illustrissimi Præsulis Leonis Strozzæ Romæ servantur; Eorum alterum suo pondere unciam non accedit, libras tamen ultra decem sustinet; alterum verò dimidiam unciam æquans, octodecim uncias amplectitur, rarissimo Magneticæ Virtutis exemplo. Cernitur etiam in Musæo magnes ille qui in Insula Ilua vulgò Elba inter Corsicam, & Italiam effoditur, sed effetæ Virtutis.

De attractionis ratione non est hic locus differendi, nec desunt, qui de ea integros libros descripserint. Legatur Joannes Baptista Porta in tractatu de Magia naturali libro septimo. Joannes Jotstonus in Thaumatographia naturali classe 4. cap. 15. Athanasius Kircherus in libro Magnetis, qui etiam edidit Artem Magneticam, qua Magnetis natura, ejusque in omnibus usus explicatur, & præterea è viribus Magneticarum motionum in Elementis, Lapidibus, Plantis, Animalibusque eluceſcentium plurima nova huc usque experimenta recluduntur.

Ejusque Magnetis admirandam artem Kircherus, dum inter nos degeret curiosè ostendebat in Musæo quod incœperat, aliquibus machinis. Occurrebat primò parvulus genius ad clavum Cymbæ crystallinæ sedens, qui in ludicro mari arcana vi motrice circumagebatur, & errabundus hac illacque discurrebat, nec motuum aliam causam ostendebat, quàm magneticam lapidis sub vase repositi.

Secundò conspiciebatur Mons aquis incubans spatia viginti quatuor horarum describens. in mediis enim undis multis cavernis horrens Mons veluti insula innatabat. In circuli limbo sub humana figura imagines sceptris instructæ videbantur juxta 24. horarum spatia ita dispositæ, ut unaquæque habitum referret Provinciæ cujus horam indicabat; In limbo verò vasis sphærico totidemque intervallis diviso, & horarum numeris distincto, Magnericus circulus per sceptra imaginum clandestino motu omnium Regionum currentem horam curioso artificio demonstrabat.

Tertio. Occurrebat Architæ columba; Machina scilicet, in qua Tholus binis columnis suffultus, cujus circumferentiam intrinsecè plano speculo obtegebatur. In ejus tholi superficie recondebatur Machinula rotatilis, quæ etiam horologium esse poterat, & horas in speculo ritè descriptas exhiberet; sub speculo veluti in monte collocatum Architæ simulacrum supra fulcrum aciculare, ut se commodè vertere posset, tenuissimo filo levissimam ex carta columbam ligatam tenebat. Huic aviculæ inserta erat acus, magnetica vi instructa, & ex ejusdem rostro aliquantulum prominens. Cum ergo in machina rotatili simul lapis magneticus circumageretur, tunc una secum trahebat acum in avicula insertam, & columba per tholi girum pari volatu lapidem circumactum consectabatur, nunquam quiescens, nisi ipse arcanus motor subsisteret.

Hac etiam methodo Dædali statuam ambulantem, Serapidis Quadrigas, aliaque Poetarum Commenta exprimi potuissent. Denique sphæras Archimedis eadem Ars Magnetica in Musæo ostentabat. Tres erant Vitrei globi aqua pleni, quorum medius amplior pendulum Orbem terrenum in centro referebat, qui motu

occul-

occulti magnetis, circa suum centrum 24. horarum spatia distinguebat, indice Angelo, qui in media aqua fixus manebat. Secundus globus in exteriori superficie circulos habebat Solis, ac Lunæ motus referentes. Genius inclusus, & pendulus, sceptro, quod manibus gestabat, vi Magnetica circumvolutus, indicabat horas in circulis exterioribus, coloribus expressas. Tertius Zodiacum referens alterum pariter Genium, magnete etiam instructum fixa fidera ostendentem, singulis horis in nostrum Horizontem commeantia includebar. His columnæ jungebantur duæ, quarum altera horas italicas, altera astronomicas designabat, ascendentibus imaginibus Solis, & Lunæ compactis ex charta, cui acus chalybea ita adnectebatur, ut eas libere abstrahere, & in suo loco reponere pro libito liceret. Hujus machinæ figuram vide in secunda editione Artis magnæ lucis, & Umbræ. Columbam autem Architæ expressam reperies in Descriptione Musæi pag. 20. Hic eas indicasse sufficiat, quæ nescio cujus incuria diffractæ fuerint, & deperditi lapides magnetici, quorum beneficio compositæ erant, facili alioqui negotio restituendæ si ad hæc otium suppeteret.

Post Magnetem aliquos alios lapides indicabimus, quibus peculiaris aliqua prærogativa inest, vel proprietas cæteris non communis, & primò.

Lapis visitur, Ætites, vocatus (vulgò Aquilina) *qui ex argumento nominis*, inquit Plinius, *magnam famam habet*. Ejusmodi lapides reperiri in nidis Aquilarum, idem Plinius refert, aitque binos reperiri idest marem, & fœminam, nec sine iis Aquilas parere. Quatuor genera eorum narrantur. Illum qui nascitur in Affrica pusillum, ac mollem dicunt habentem intra se argillam candidam, & friabilem esse, illumque fœminei sexus putant; Marem autem qui in Arabia nascitur, durum, gallæ similem, aut sub rutilum, habentem in alvo durum lapidem. Tertius in Cypro invenitur, similis colore illis qui in Affrica reperiuntur, amplior tamen atque dilatatus; cæteris enim globosa est facies, in alvo habet arenam, & lapillos, ipse autem tam mollis est, ut etiam digitis frietur. Quarti generis appellatur Taphiusius, nescens juxta Leucadem. Invenitur in Flumlnibus candidus, & rotundus. Huic inest Lapis, qui vocatur Callimus nec quisquam tenerius. Hæc omnia ex Plinii lib. 36. cap. 21. De cyprio lapide ait Jonstonus cap. 18. classis 4. Taumatographiæ aurum continere. Is, ut quidem perhibet, sinistro bracchio gravidæ mulieris alligatus, ubi digitum annularem versus arteria decurrit, continet fœtum ne lubricè excidat, at si dextera apponatur, parturientem adjuvat, sed amoveri citò debet, ne uterus omninò solvatur. Refert Franciscus Valeriola lib. 1. hunc alligatum uxori cujusdam civis Valentini adminiculum in partu fuisse; non abstractum, mortem.

Similem proprietatem plures expertæ sunt nobiles Puerperæ Romæ beneficio cujusdam lapidis, & Indiis orientalibus allati. An ex genere Ætitis ille fuerit, in certum. Invenitur etiam in Musæo hujus generis lapis, albus, & rotundus, qui si frangatur, observetur compositus ex variis crustis instar lapidis Bezoarici, quare nonnulli illum vocant Bezoar fossile: sed inutilem esse scripsit Boetius, nisi quis lapidibus hujus generis in explodendis majoribus bombardis uti velit.

Lapis sequitur in Tab. LXVI. sub n. 8. cui nomẽ est Astroites, seu Stellaris, exhibens stellarum figuras in suo corpore, Dracõtius a Marsilio Ficino dicitur, est moderatè durus, colore ut plurimum cinereo, vel fusco, stellulis undiq; nigrantibus. Æquat aliquando molẽ capitis homani, invenitur ut plurimum in Comitatu Tirolensi, & circa Arcem Cimeriam, sicuti in Gotlandia; loco stellarum aliquando refert rosas, & vermium spiras. Aceto si imponatur, movetur, non nisi quia aceto per poros lapidis ingrediente, aer illis inclusus premitur, & dum exitum molitur, lapidem movet.

Inter Astroites lapis numeratur, qui nomen stellæ magis, quàm alii lapides promeretur; etenim stellas habet plures ita invicem superpositas, ut facilè separari possint, quandoquidem una seorsim stella seorsim pingitur; radii stellæ suis angulis eminentes apparent, & singuli radii cavitatem mediam habent, & margines striis transversis sulcatos. Hic lapis refertur ab Aldrovando in Musæo Metall. lib. 4. pag. 877. invenitur frequens in fodinis Insulæ Melitensis, colore cinereo, sed durus.

Huic affinis lapis est, quem Crucis dicunt, & ex eodem genere esse multi credunt, eo quod Crux ad stellæ figuram proximè accedat ut sub nu. 9. Duplicis generis tales lapides habet Musæum, alter est, qui in cinereo colore crucem ostentat candidam, alter, qui crucem nigram præfert. Eos in monte D. Petri de Rubia in Galicia, aut Asturia, hispaniæ Provincia erui refert Andreas Chioccus in Musæo Calceolario. Ego tamen illos recepi ex novo Regno Hispaniæ Americanæ, ubi plurimi æstimantur ab Incolis, eò quòd credant illis inesse efficacem virtutem ad morbos depellendos, & præcipuè fugandos Dœmones. De hoc lapide egit Vormius pag. 68. & Anselmus Boetius, item Septalius in Epistola ad Chioccum.

Alios ejusdem generis lapides servat Musæum, quos idem Boethius ex Gesnero descripsit lib. 2. cap. 148.

cap. 148. ex Hafnia miſſos, his verbis. *Coloris* ſunt ex cinereo fuſco, duodecim cohærentibus ſtellulis conſtantes, figura quinquangulari cylindrica; extremitates tamen ſtellularum, non in acutos apices, ſed obtuſos deſinunt, at potius flores expanſos Pentaphylli, quàm ſtellas referant; ſubſtantia eſt prædura, ut non facilè ſeparari poſſit.

Inter ſtellarios lapides recenſeri judico alios lapillos fere in globulos, ſeu talos efformatos a Natura, quinque ut plurimum planas ſuperficies habentes, in quarum ſingulis crux apparet, brachiis æquè longis, quæ ex angulo acuto in latam baſem porriguntur, ut ſubjecta præfert figura num. 10.

Galactitem Genus lapidum includit, qui mollis eſt, & lubricus, ſubviridi vel cinereo colore, qui veſtigia alba, poſt ſe relinquit ex affrictu, quare Sartores pannos ſignare illo ſolent. Si ſupra cotem cum aqua fricetur, ſuccum lacteum emittit, quo in Colliriis utuntur medici; exſiccat enim ſine mordacitate, ſi pectori adhærens portetur a Mulieribus, lactis copiam augere creditur.

Lapis numeratur qui dicitur Nephriticus, cui tribuitur Virtus contra calculos ſi lateribus alligatus geſtetur, præcipuè argento circumdatus. Tractatum integrum de hoc lapide ſcripſit Gaſpar Bartholinus, multa etiam retulit Vormius pag. 95. Ut plurimum viridi colore eſt, eoque ſaturo, aliquando a viriditate nigreſcit, aliquando flavedinem quandam habet. Si in laminam tenuem redigatur, quodam modo eſt pellucidus, nunquam tamen exactè poliri poteſt, ſemper pinguedine quadam obductus. Aliquos inveniri in America ad ripas fluminis Amazonum refert D. de Lact. lib. 1. de Gemmis cap. 23. & in nova hiſpania, invenitur etiam inter lapides, quos mare ad littus transfert. Plures, & diverſi coloris viſuntur in Muſæo. Si punctulis albis ſit notatus hic lapis, maximè commendatur.

Inter lapides, quibus Natura arcanas virtutes incluſit, non ultimum locum habet lapis, qui dicitur Bononienſis, eò quòd apud Bononiam in Monte Paderno reperiatur. In agro Tolfenſi, ubi lapides Aluminis eruuntur, aliquando generari docuit Kircherus. Vocatur etiam a quibuſdam *Spongia Solis*, *ab aliis Spongia Lunæ*, *Lapis illuminabilis*, *Lapis Lucifer*, *& Phoſphorus*. Foſſilis ille eſt, & multum Arſenici, Antimonii, & Chalcanthi admixtum habere putatur, vix invenitur pugno major, & ſine ulla certa figura, colore vario, aliquando cinerei eſt, aliquando nigrioris, vel flacci, vel rubiginoſi, & ſubcærulei. Quatuor ejus genera obſervaverunt. Quidam enim hujuſmodi lapides, in lamellas ſunt ſciſſiles, quidam ſtrias habent, in modum ſtyli radiantes, & candicantes, quidam cortice, vel levi, vel aſpero, ubique ſtriis, vel rectis, vel obliquis ad centrum tendentibus ut ſub num. 11.

De hoc lapide ingeniosè diſſeruit in Epiſtola, quam collectoribus Actorum eruditorum Lipſiæ inſcripſit anno 1698. Comes Aloyſius Ferdinandus Marſilius, & ante illum Fortunius Licetus. In primis commendatur hic lapis, quòd ſingulari proprietate polleat attrahendi lucem, & illam conſervandi: Si enim in libero aere ponatur, per aliquod temporis ſpatium; ſic luce imbibitur, ut inde translatus ad locum obſcurum lucem demonſtret, ut Carbo accenſus, idque toties, quoties luci exponitur, non tamen Solis, ut Vormius docuit; nam etiam ſi lucem ab illo attrahat, talis Virtus paulatim abſumitur, quæ alioquin duobus annis ſolet conſervari, ſi clauſus inter goſſipium cuſtodiatur. Verùm ut hanc Virtutem exercere poſſit, neceſſe eſt, ut peculiari arte preparetur. Docet Vormius cum aliquibus, illum in pollinem tenuiſſimum redactum albumine ovorum, vel aqua communi in unam maſſam redigendum, deinde in furnulo ad id conſtructo calcinari debere, quæ calcinatio toties repetenda eſt, donec lucem poſſit attrahere. Sed hic modus rejicitur ab aliis, & diverſum docet ſupralaudatus Comes Marſilius pagina 20. quem optimum inter cœteros ſe expertum eſſe fatetur his verbis.

Si pigliano le pietre di colore argenteo, e non plumbeo, perche piene d' impurità, ſi lavino in acqua pura polendole con una lima. Nettate le pietre s' infondino in acqua vita ben raffinata indi ſi rivolghino in polvere della pietra medeſima triturata a parte in un mortaro, e bene ſetacciata, quale con l' umido dell' acqua vita forma un glutine, che tutta l' inveſte. Così ſi ponga nel fornello per ricevere la Cottura, e ogni fornello a vento è al caſo. In eſſo baſta, che ſi ponga una graticola di ferro, che ſoſtenga le pietre, e ſopra per dare riverbero al fuoco, ſi ponga un coperchio di ferro, con quattro ſufficienti aperture in croce, ò pure ſi accommodino mattoni cotti in modo, che laſciando le aperture rendino lo ſteſſo benefitio del riverbero. Sopra la gratticola ſi ſtenda un ſolaro di carbone dolce, di altezza di quattro deta, triturato in pezzi, come una noce in circa, ſopra queſto ſtrato ſi ſtendono le pietre in modo, che habbiano fra di loro la diſtanza d' un deto, acciòche tutte ſi cuocino egualmente. Sopra le pietre ſi ponga altro carbone della forma deſcritta, e ſe ne riempia il fornello ſino alla bocca. Ciò preparato, altro non reſta, che darvi fuoco, e coprire il fornello col deſcritto coperchio, laſciando che ſi conſumino i detti

ti carboni, il che ſuccede in poco più d' un' ora. Finita l' operazione ſi laſciano del tutto raffreddare, altrimenti ſi romperebero. Raffreddate, con un cortello ſi ſpoglino della Croſta fatta dalla polvere meſchiata con l' acqua vita, ne di altro hanno biſogno per imbeverarſi della luce, che l' eſporle ſemplicemente all' aria.

Qua verò vi hic lapis lucem attrahat, a multis diu quæſitum. Kircherus noſter lib. 5. de Magnete pag. 505. concludit, illum Siccitate ſua bibula non ſecus ac Spongia, lucis vaporem intra poros recipere, ubi actuali frigiditate lapidis cogitur, & in unum corpus lucidum coaleſcit. Quia verò vapidum illud illuminatum lapidi adjunctum a calce, cui permiſtum eſt facile abſumitur, lumen quoque una cum vapido deſtrui neceſſe eſt.

Nec minus prodigioſus eſt lapis Amianthus, quem olim pretio excellentium Margaritarum æquaſſe ſcripſit Plinius, & fuiſſe inventu rarum. Hodie tamen, & ſi vili pretio vendatur, dotes ſuas non amiſit. De illo ita Vormius ſcripſit cap. 7. Amiantus alias Asbeſtinus lapis, quòd non comburatur, a Paulo Veneto Salamandra dicitur ob eandem cauſam. Zoroaſtro *Boſtrychites*, a quibuſdam Pelia, ab aliis Cortoides, quia canitiem præſefert, Linum quia manibus netur, & texitur, ſed Asbeſtinum quia ex Asbeſto factum; a Plinio vivum, quòd igne non ſoleat mori, a Pauſania Caryſtium, quia effoditur apud Cariſtium, Alumen a Quadrigario propter ſimilitudinem, quam cum alumine ſciſſili habet, a quo tamen differt ob id quòd Alumen ſciſſile adſtringat, Amiantus parum pungat linguam, & non adſtringat. Lapis eſt alumini ſchiſto ſimillimus ignem reſpuens, adeo ut non modo uri non poſſit, ſed purior reddatur, colore ad viriditatem obſcuram tendente, quandoque, & ferreo, attritione facilè in tenuia ſilamenta ſolubilis, mollis enim eſt, & quod efflorescit dum teritur plumas refert, unde flos petræ a quibuſdam vocatur.

Naſcitur in deſertis Indiæ ad Caryſtiam Eubææ oppidum, in Norvegia quandoque, ſed pulchrum cernitur in Muſæo, allatum è littore Inſulæ Corſicæ, ubi prope ſinum S. Florentii, & littora, quæ dicuntur Canari, & Nonza, optimum invenitur; item habemus ex Inſula Ilva, & in Cypro collectum. Olim in fila aptabatur, & mappæ ex eo tanquam lino fiebant, quæ ſordibus conſpurcatæ puriores in igne reddebantur, modus verò, quo ex eo fiant jam penitus ignoratur. Joannes Baptiſta Porta in Magia naturali lib. 4. cap. 25. affirmat Venetiis a muliere Cypria in hoſpitio Arcis ſibi copiam factam fuiſſe videndi modum pectendi, at modum tacet. Pater Kircherus in Mundo ſubterraneo lib. 8. ſect. 3. cap. 2. affirmat ſe ſcire, ſed ſummo ſub ſecreto tenendum, & ore tenus Regibus tantùm, & Principibus communicandum, ne quod in tanta æſtimatione ſemper fuerit, id modò omnibus etiam viliſſimis hominibus innoteſcat; docet tamen modum chartæ conficiendæ ex aſbeſto, qui non differt a modo, quo charta vulgaris fabricatur.

Vormius rationem illud preparandi ſibi ab amico communicatam vulgavit his verbis. Recipe Amianti fibris longioribus prædiți, & infunde in Lixivio præparato ex cineribus quercus putridæ, & duobus manipulis cinerum clavellatorum, bulliat in eo per quadrantem horæ, auferas ab igne, & maceretur in eo menſis unius ſpatio, ſic lanæ carptæ modo mollis evadit: Aqua dulcis aliquoties materiam hanc ablue, & exſicca, ſic modo lini communis pecti pro lubito poteſt. Ex Alchimia experimentali Joannis Helffrici Jungken cap. 9. ſect. 4. alium modum didici, quem ſubjicio ejus verbis.

Recipe, inquit, Amianti ſive Aluminis plumoſi quantum libet: maceretur fortiſſimo lixivio ſaponario per diem, vel in Sole, vel B. M. tum eximè, & exicca, ac tunc imbibatur aceto deſtillato decies, ſemper prius exiccando amiantum, antequam recenti imbibas aceto. Hoc facto iterato cum lixivio macera, & aceto imprægna, ac hoc tertia repetè vice. Poſtea recipe doliolum pervum, quod intus charta oleo olivarum intincta obtexatur: hoc peracto imponè amiantum maceratum craſſitie aliquot digitorum, & huic oleum olivarum affunde ad digiti eminentiam: tum rurſus amiantum, & oleum: atque ita fac ad vaſculi repletionem tunc Chartam impone, & vaſculum claude, vel ſi vaſculum Amianto non ſit repletum, aggravetur, claudatur, & reponatur per menſes tres, vel quinque, donec in fila deduci queat, id quod primò ſtatim menſe probare poteris.

Diverſum modum communicavit mihi D. Benedictus Guerrini, militum Præfectus, a quibus Arx Liburni cuſtoditur. Scilicet, per horæ ſpatium conſervetur Asbeſtum in aqua aluminis; deinde in polubro candentibus carbonibus impone, ubi ceræ inſtar molle evadit: Circumtegatur hac materia filum ſericum, quod per varia foramina primum ampliora, poſtea anguſtiora attenuabitur. Hujuſmodi filis tela contexitur, & deinde ſerica in igne abſumuntur. An ratio hæc ad optatum finem perducat, experientia docebit, faciliorem puto ſi asbeſti ſilamenta cum ſtuppa, vel lino ſimul in fila producatur, deinde facta mappa injiciatur in ignem, quo ſtuppa in favillas abeunte, purum textum ex asbeſto remanebit. Quod nam ex propoſitis arcanis genuinum ſit ad fila ex amianto deducenda,

cenda, experimentis tantùm agnoſci poterit; quæ curioſo lectori relinquo. Ex hoc lapide eſt in Muſæo funiculus, eſt Charta ex eodem elaborata; Si plura deſideres vide Boetium lib. 2. de Gemmis cap. 204. Simile amianto eſt lignum quoddam ex Indiis orientalibus adductũ quod ſi igne accendatur nunquam comburitur, cujus nam arboris ſit ignotum eſt. Tale lignum indicatur etiam in Muſæo Septaliano pag. 127.

Saxo odorem violarum reddente exornatur Muſæum, quod obtinui ab Amico edocente Mathematicas diſciplinas in Urbe Pragenſi. Illud ex Monte *Calemberg* in Miſnia eruitur. Colore præditum eſt cinereo, maculis quibuſdam ſubnigris, & vireſcentibus cum micis aureis aſperſo. Naribus admotum ſuavem ſpirat violæ odorem, qui manifeſtius exhalat, ſi lapis aliquantulum calefiat. Hujus generis lapidum mentionem feciſſe videtur Agricola de nat. Foſſil. lib. 5. cap. 17. ubi inter multa hæc habet. *Non ſolùm aliquando Æthitis lapis; ſed etiam ſaxa ſuaviter olent, in* Calembergo *ad Aldenburgum reperta; tum Silices in Berningero Monte in confinits Miſniæ, & Boemiæ ſito.* Quem tamen odorem putat non ab ipſo ſaxo, ſed a Muſco ipſi adhæreſcente effluere. Sed Vormius affirmat apud ſe ſaxum, fuiſſe quòd jam aliquot annis ſine Muſco adhuc Violas olebat; Tale eſt, quod in noſtro Muſæo inter lapides numeratur.

Lapis etiam, quem Armenum dicunt multi, eò quòd ex Armenia adferatur, *vulgo Vetriolo di Cipro*, ſuadent enim ſibi in Inſula Cypro illum inxeniri. Colorem cœruleum ad viriditatem vergentem habet, tactu levis carens aſperitate, olim ex Armenia deferebatur, jam in variis Germaniæ locis reperitur, ut in Tyrolenſi comitatu, aliiſque argenti fodinis.

Huic affinis eſt lapis, qui a Civitate *Lipſis* in novo Orbe ſita in Provincia dicta Pontoſe; Ab incolis *Lipſis* dicitur. Colorem habet etiam cæruleum; venditur in taleolas redactus, guſtu acris eſt, & mordax. De eo egit Zacutus Luſitanus lib. 1. obſervat. 83. & Joannes de Laet. Hiſt. Ind. Occident. in erudito de gemmis tractatu lib. 1. cap. 26.

Oſtreocolla in claſſe lapidum numeratur; ab aliquibus dicitur *Lapis Oſſifragus, Oſteites, Stelochites &c.* Illum naſci in locis arenoſis Palatinatus non procul a Spira propè Idelbergam refert Vormius cap. 6. illumque per arenam creſcere inſtar Corallii, & videri quandam ſpeciem eſſe margæ per meatus terræ diſcurrentis, & etiam putat eſſe ſpumam maris congelatam, cujus virtus ad fracturas oſſium ſanandas maximè commendatur. Fruſtum, quo ditatur Muſæum ex littore Novi Regni Americani delatum, poroſum eſt & leve, colore oſſeo ſapore inſuavi. An illi Virtus inſit ſupradicta incertum.

Fungus petrificatus vocatur lapis, in figuram fungi efformatus a Natura. Fungus tamen non fuit, ſed ſub undis generatur ut Corallium, ut plurimum in mari rubro invenitur, & etiam illum ex flumine Nilo accipi refert Carolus Cluſius Exotic. lib. 6. cap. 10. An ii qui Muſæum exornant, ſint ex Nilo vel mari rubro ignotum eſt. Inter cœteros unus eſt, cujus Diameter ſex uncias æquat, totus ſubalbidus. Suprema pars ab umbilico ad circumferentiam multis proſundis ſtriis ornatur, in inferna minus elatis, ſed quodammodo inſtar ſerræ dentium aſperis, a circumferentia pariter ad pediculi locum productis, pediculo tamen eſt orbatus.

Quandoquidem fungi mentionem fecimus, lapidem alium iudicamus, qui lapidis fungiferi nomen obtinuit: At maſſa potius terrea dicenda eſſet, cui lapidis fruſtula ſunt incluſa. Fungifer dicitur, quòd ex eo fungi ſpontè enaſcantur, præcipuè ſi in loco humido ſervetur. Sexies in annos fungos ex eo natos colligi, ait Porta lib. 10. quorum ambitus pedem Romanum aliquando ſuperat, affertur ex Veſuvio Monte, atque etiam ex altiſſimo Monte Fageto propè Surrentum, & Gargano Apuliæ. Vide Scaligerum Exercit. 137. ſect. 2. Hujus generis lapidem ſervat Muſæum in horto ſimplicium, quem colit Pharmacopola Collegii Romani dono acceptum ab Illuſtriſſimo Abbate Cæſare Cincio Romano Patritio, & Baſilicæ Lateranenſis Canonico. De his lapidibus egit Kircherus in lib. 10. ſect. 4. cap. 7. mundi ſubterranei. Ferrantes Imperatus in ſua hiſtoria naturali, & alii multi.

Inter lapides recenſendum judico fragmentum plumbi in agro Velitrenſi repertum, in formam glandis conformatum, non quidem a natura, nec ab arte hominum, ſed a Cœleſti; e cœlo enim cecidit ſub anno 596. quando Urbs Velitrenſis (ex relatione Buccellini in Menologio Benedict.) gravi obſidione ab hoſtibus premebatur, orationibus S. Gerardi ejus Epiſcopi liberata fuit cum plumbeam ſuper eos grandinem è cœlo deduxiſſet; Tale prodigium refert etiam Ughellius in Italia Sacra tom. 1. in Epiſc. Velitr. his verbis. *Hic*, ideſt Gerardus, *cum aliquando Velitres Inimici cinxiſſent corona, ſuis precibus obſidium ſolvit, cum prius plumbeam grandinem orans è cœlo excuſſiſſet in hoſtes.* Addit Mancinellus lib. 5. ſerm. *Legiſtis enim ejus imprecatione hoſtium plurimos plumbea grandine glandium formam referente, quæ paſſim in agro adhuc videntur oppreſſos.* Hujus generis glandes plumbeæ cuſtodiuntur ab aliquibus tanquam inſignis miraculi monimenta. Quam ſervat Muſæum

ſæũ dono accepimus a Præclaro Juvene Alexandro Borgia nobili Velitrenſi, modo Nuntii Pont. Auditore Coloniæ Agrippinæ. Illã indicat n. 12.

Eminet inter lapides Alabaſtrites, ex qua vaſa unguentaria conficiuntur, quoniam optimè illa ſervare dicitur. *Alabaſtrum*, inquit Cardanus lib. 7. de ſubtilit. *robuſtius vitro, metallicis purius, figulinis præſtat quòd minùs combibat, aut remittat unguenti, ergo & illius neceſſarius uſus fuit*. Plures ejus ſpecies ſervat Muſæum, aliud venas translucidas habet, cum lacteis miſtas, aliud mellei coloris eſt, aliud candidum ſine ulla macula. Ex his omnibus viſuntur Vaſa diverſa. Aliqua ſunt ex Alabaſtrite Drepanitano exculpta, aliqua verò ex Volaterano, aliqua in oppido Calabriæ elaborata, quod *Rotam* appellant. Unum addo ex albaſtro Mexicano, cui nomen *Tecalæ*, quæ vox apud Indos lapidem album ſignificat. His alia vaſa conjunguntur, ex Bohemia allata; eorum lapis *Ophitis* ſeu *Serpentinus* dicitur, nam ob colorem vireſcentem maculis nigris aſperſum Serpentum exuvias imitatur. Marmor *Zeiblicium* vocatur a Vormio, illumque effodi refert in Provincia Miſniæ. Cæterum ejus generis Vaſa in varias formas eleganter torno elaborata conficiuntur in quodam loco Bohemiæ triginta leucis a Praga diſtante cui nomen *Zepoli*.

Lapides ſubnecto, in quibus naturæ artificioſa cælatura, Plantæ in figuram Abrotoni viſuntur. Iconem unius ſubjicimus numero 13. ex diverſis ſpeciebus, quibus ex variis locis collectis Muſæum exornatur. Aliquis eſt repertus inter ſaxa Alvei, in quo flumen Arnus in Etruria decurrit, colore flaveſcente, aliquando ad cœruleum inclinante: nec valdè eſt durus. Alius ex Inſula Ilva, & quidem duriſſimus colore albo, ſimilem huic ex Inſula Siciliæ recepi. In omnibus tamen ſimiles maculæ in figuram arbuſculorum diſpoſitæ nigreſcunt. *Dendritem* vocant hunc lapidem Authores; ſi talis lapis in varia ſegmenta ſcindatur ejuſmodi Arbores in partibus internis conſpiciuntur. Inveniuntur etiam a Natura depictæ in lapide Calcidonio pellucido, & duriſſimo.

Huc etiam ſpectat Marmor, quod maxima ex parte cinereo colore imbutum, maculis fuſcis, & lineis obſcurioribus hinc inde diſcurrentibus diſtinguitur, quæ veluti ædes, montes, atque integras exhibent urbes, adeò bene expreſſas, ut pennicillo videantur delineatæ. Tale marmor *Florentinum* appellavit Vormius pag. 94. eò quòd in agro florentino effodiatur.

Malum citrium diceres ſeu potius fructum *Baobab*, quo ad ſitim extinguendam Æthiopes utuntur, quem inter fructus recenſuimus, ob ſimilitudinem quam cum illo habet, alius lapis in Muſæo collocatus. Subſtantia eſt ponderoſa, ferè Silicea. Hic ut plurimum ſi bifariam ſecetur, cavitatem oſtendit, in qua fluores lapidei Cryſtallo ſimiles cernuntur.

Non ſunt omittendi bini lapides, in quibus Natura Geometricam artem exercuit. In iis plura latera ſunt, ita diſpoſita, ut aliqua eorum Pentagona, aliqua exagona, nec non triangulari, & quadrata figura circumſcribantur. Iconem eorum ſi cernas, ſub num. 14. arte adulteratos fuiſſe ſuſpicaberis, adeo benè ſunt ſupradictæ figuræ delineatæ.

Cubicos lapillas his adjunge, quos in fodina quadam calabriæ reperiri narrat P. Kircheros ſect. 1. lib. 8. mundi ſubterr. atque ſibi donatus fuiſſe a P. Mattheo Taberna, S. I. curioſo rerum naturalium exploratore. Hi tamen omnes perfere in Muſæo ab illo Inſtituto, ſed loco eorũ videntur in Reſtituto alii pariter ut ſub n. 15. perfecta forma cubica circũſcripti, in quibus inciſa ſunt puncta ab unitate, uſque ad numerum ſenarium, ut in talis luſoriis. An ab arte fuerint diſpoſita, incertum eſt. Hi enim lapides in pago quodam Badenſi, perennitate nunquam deficiente eruuntur, & ad Muſæum miſſi fuerunt, ut in iis non ad luſum Accedentes uterentur, ſed ſerio negotio philoſophantium exercerentur Ingenia.

Cæteros lapides meo judicio ſuperat lamina ex Gagate Diaphana, cujus diameter tres digitos æquat. Hanc ut rariſſimam, & viſu digniſſimam curioſi admirantur. E centro enim ejus radii circumquaqne diffunduntur, non quidem in acutos mucrones deſinentes, ſed inſtar pennicillorum ita expanſi, ut radiantem ſolem referant, ſed opacitate in diaphano expreſſum, ut in ejus icone num. 16. oſtendit.

Hæc Natura in lapidibus expreſſit, quod ſi Artis labores contemplari quis velit, adſunt quamplurimi, & quidem duriſſimi lapilli, quorum multi annulis ſunt incluſi. In his egregio artificio Inciſorum manus res varias effinxit, puta flores, litteras, Piſces, Quadrupedes, Aves, Homines &c. & alia, quæ ſingillatim nec ſcalpro exprimere poſſum nec calamo deſcribere. Catalogum tamen eorum exhibitum forſan habebis in appendice.

Lapides recenſendi ſunt in variis Animalibus reperti; Natura enim etiam in Regno ſenſitivo ubicunque ſuccum ad lapidem generandum invenerit, ibi ſuam virtutem exercet, ac proinde in omnibus Animalibus, & eorum partibus calculi efformantur, aliquæ tamen partes ſunt propriæ lapidum fodinæ, ut manifeſtum eſt in veſſica, & renibus humanis, in capite piſcium, & ſimilibus. Ne omnia proſequamur, ejus generis lapides propono, qui in Muſæo conſpiciuntur. Et primò

Lapis est, qui a similitudine umbilici nomen obtinuit, & dicitur Umbilicus Veneris, a Cretensibus *oculus Marinus*, quòd gestatus oculis prodesse putetur. E cochleis marinis habetur colore rubicundo albedine mixto in superiori parte, quæ aliquantulum eminet; altera pars compressa est, & nigricans, spirarum delineamenta ostendit, ut cochlea, aliquando invenitur, uudequaque albicans. Utriusque generis multi suum locum habent in Musæo, in quo etiam servatur alius Umbilicus Marinus magnus ex India allatus. Hos omnes ex limosa cochlearum sanie indurata, & excrementis viscidis ortum trahere judicavit Vormius pag. 73.

Adferuntur ex insula Melitensi lapilli Chelidonii dicti, eò quòd putent ab Hirundinibus haberi in ventriculis. Lapilli sunt exigui figura planosphærica, colore luteo obscuro, splendente parte convexa, & rotundiore. Incolæ Melitenses vocant illos oculos serpentum petrificatos: Sunt qui putant esse opercula concharum minutarum instar umbilicorum marinorum; alii dentes piscium. Videtur in Musæo massa quædam licet parva mole, ex meris hisce lapillis constans; videntur & plurimi hujus generis lapilli, figura, magnitudine, & colore discrepantes, e terra etiam Melitensi petiti. Eorum vires pete a Vormio in cap. 11.

Calculi aliquot videntur reperti in corporibus humanis in varias figuras conformati. Unus inter cæteros ovum gallinaceum mole, & forma refert, ponderatque ferè uncias undecim. Repertus fuit pendulus in Vessica Urinæ P. Leonis Sanctii nostræ Societatis, Viri scriptis, & eruditione celeberrimi, nec non in Collegio Romano studiorum Præfecti, qui spatio multorum annorum affectu nephritico torquebatur. Colore est luteo, ex corticibus ita coagmentatus ut lapides Bezoarici. Quomodo autem in corporibus humanis generentur hujusmodi lapides, discrepant Auctorum sententiæ. Par tamen est ratio de lapide Bezoar, qui præcipuè in Capreis Pervanis invenitur, ac de humano.

Duplex autem ejus genus est, alterum dicitur Orientale, alterum verò occidentale. Lapis, qui ex oriente defertur, scilicet a Regionibus ut plurimum Persidis, Chinæ, & Cathaii, generatur in visceribus cujusdam animalis, quod Persæ vocant *Pazan*, quod capræ silvestris cornutæ species quædam est, illud delineavit Clusius ad lib. 1. Garziæ cap. 45. Occidentalis verò ut plurimum defertur ex Peruvia, ubi generari ait Nierimbergius in quadam capra, quam Pervani *Vicanam* vocant. Franciscus verò Hernandus varia recensuit Animalia, in quibus hi lapides reperiuntur, quamvis eos solùm efficaces statuat, qui eruuntur ex Animalibus, quæ herbas salubres depascuntur.

Dum de lapide Bexoar sermo est, unum exhibemus in Musæo cæteris majorem, ovalem figuram habentem, duodecim uncias ille æquat pondere, tunicis subalbidis ceparum instar com. positus. Mirum dictu est quantùm aliquando in ventriculo aliquorum Animalium augeatur hic lapis, præcipuè in bobus Sylvestribus Regni Pervani, & in Cervis campestribus Brasiliæ. Unus cernitur Romæ in Gazophylacio proximo Bibliothecæ Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini. Alium possidet Magnus Dux Ethruriæ, illi allatum, e Brasiliæ Regno, duodecim libris ponderantē. Docet autē Menardus Tract. de lapide bezoardico Indos adulterare hos lapides, cujus generis ille est, qui in Musæo Calceolarii extat ovi Anserini magnitudinem æquans in Brasilia elaboratus ex Resina, fructu Crumacino, Radice Draxenæ, Contraierua, Lusitanis dicta, qui in superficie flavescit, intus cinerei est coloris. Qui plura desiderat consulat Vormium lib. 1. sect. 2. cap. 12. & Bahuini tractatum.

Quartus lapis est, qui ex limacibus extrahitur, idest illis, qui sine testis vagantur, colore fusco. Hi in capite lapillum candidum habent ovalis figuræ, tenuem, & planum, aliquantulum connexum, pondere exili, ut multi requirantur ad pondus unius unciæ. Gestatus hic lapis Quartanam solvere dicitur.

Quinto Lapilli sunt, qui Oculi cancrorum communiter nominantur, non tamen sunt eorum oculi, sed quia figuram oculi referant. Ut plurimum exigui sunt, albicantes, duri, & scabri in ea parte, qua corpus non Cancrorum, sed Gammarorum terram tangit; inveniuntur, ut plurimum, cum exuvias Gammari fluviatiles deponunt, & novam crustam inducunt. Illos in plenilunio crescere affirmat Albertus. De his scripsit Agricola lib. 6. de nat. Fossilium, Cardanus lib. 7. de subtilitate, & Calceolarius sect. 3. pag. 369.

Sexto. Alius lapis ex Urbe Goana acceptus exponitur, communiter lapis serpentis dictus, figura ovalis non tam tumente sed plana, colore nigro. Ejus meminerunt plures Scriptores, qui referunt talem lapidem erui ex capite cujusdam serpentis in Ora Melindæ reptantis, quem Lusitani appellant *Cobra de Capelos*, sed experientia docuit, ut monet D. Tavernier in suis itineribus, & Nicolaus Lemery in tractatu universali simplicium pag. 412. talem lapidem Arte componi, ex argilla simul cum succis herbarum salubrium. Referunt magno pretio apud Indos haberi, eò quòd si applicetur vulneri veneno aliquo infecto, omnem noxium humorem

rem inſtar ſpongiæ attrahendo exugat.

Septimo. In Regno Mexicano reperitur Lacerta magna, & veneno valdè noxia. Iguana dicitur ab Incolis. In capite hujus reptilis invenitur lapis albus, & gypſeus facilè friabilis. Ex eo in pulverem redacto ſcrupulus ſumitur in vino contra veſicæ morbos, præcipuè ad calculos emittendas. Hujuſmodi lapidem reliquit in Muſæo Pater de Olea, qui anno 1700. Romam petiit noſtræ Provinciæ Mexicanæ Procurator. Iguanæ imaginem dat num. 17.

Octavo. Inveniri in felle Taurorum lapillos plures Scriptores referunt, quos nominat Calceolarius in ſuo Muſæo ſect. 3. pag. 381. ſed diſcrepant in eorum deſcriptione. Illi qui reperiuntur in noſtro Muſeo colorem habent flavum in rubedinem declinantem: coloris aurei illum eſſe, qui in Muſæo Calceolarii reperiebatur tunc temporis, ſcripſit Joannes Baptiſta Olivus Medicus Cremonenſis, cum edidit catalogum reconditarum, & præcipuarum rerum ejuſdem Muſæi. Mole autem nucem aliqui, avellanam alii imitantur, tunicis variis compoſiti ut lapis Bezoar. Apud Turcas maximi æſtimari refertur, quòd nullum præſentius remedium ad morbum regium propulſandum agnoſcant.

Nono. Tophum adnectimus ex brevibus pilorum fragmentis compactum. De illo Plinius lib. 11. cap. 37. his verbis egit. Eſt in Juvencarum ſecundo ventre pilæ rotunditate nigricans Tophus nullo pondere, ſingulare, ut putant remedium ægre parientibus, ſi tellurem non attigerit. Duos ſervat Muſæum, qui exterius cortice levi nigricante tecti ſunt, & leviſſimi, reliquum verò corpus ex pilis leviſſimis conflatum. Horum generationem perſcrutatus Olaus Vormius in ſuo Muſæo cap. 8. arbitratus eſt non ſolùm Juvencas, ſed & alia animalia, in quibus aſſerit ſimiles tophos repertos eſſe, dum ſe lingunt, linguis, pilos quoſdam evellere, quos cum deglutiunt, una cum ſaliva in ventriculo retenti uniuntur ac conſtipantur, atque ab aſſumpto alimento rotantur, donec figuram rotundam acquirant. Chylo verò aut muco ventriculi obliti, dum ab uno loco in alium detruduntur, volutatione hac ſphæricam figuram acquirere, aut aliam ei vicinam. Calore verò ventriculo inſito cum maſſa, eique adhærens mucus exiccatur, induratur refert corticem. Quo verò in ventriculo diutius fuerint retenti, eò ſolidior evadit extima ſuperficies. Hæc quoque cauſa eſt, (ut idem aſſerit) cur qui, e junioribus eximuntur animalibus cruſta careant exteriori, & nigricante, quam habent illi, qui ex ſenioribus depromuntur. Subdit huic ſententiæ adhæſiſſe Joannem Vierum de præſtigiis Dæmonum lib. 3. ubi hæc habet. Vituli adhuc lactè viventes materno, ſi quando alimonia deſtituti, vel alioquin petulca ætate inſolentes ad parentem, vel aliam accurrunt Vaccam, ejus ſuras, vel quamcunque contingerint locum hirtum maximè poſteriorum coxarum, tam exugunt avide; ut etiam depilem reddant, pilique valido crebroque ſuctu in ventriculum attracti, & frequenti motu ſaltuque laſcivo paulatim conglomerati, plerumque chylo obvoluntur, aut pituitoſo ſuccui lento, qui temporis ſucceſſu tenacior redditus, membranæ induit faciem, quemadmodum ſubſtantia limoſa albida, ſtatim a ſuctione viſa eſt primùm obducta, hac pallicula, quæ deinde exſiccata pedetentim corio tincto etiam nigritie aſſimilabatur, quo una in parte cultro nonnihil exciſa, ejuſmodi uniformes pili molles admodum compacti apparuerunt.

Cum verò multis in locis, & præcipuè propè oſtia Tiberis ſimiles pilas mare eructet, quæ tamen cruſta illi nigricante carent, horum authorum ſententiis non acquievi, ſed cupidus veritatem penitius inſpiciendi, utrorumque examen inſtitui, & exemptas ex iis particulas optimo microſcopio ſubjectas diligentiſſimè obſervavi, num verè pilorum bovinorum fragmenta illa eſſent, quibus componebantur, pluries tandem facta comparatione inter pilos Juvencarum & tophorum, recognovi horum particulas a pilis valdè diſſimiles eſſe, aliquus alios è littore acceptos concluſos habere aliquando lapillos, aliquando cancellos, vel quid ſimile.

Aliquos alios lapides ex animalibus generatos ſubnectimus qui in Muſæo ſunt, relictis cæteris, quorum catalogum Authores confecerunt, adeat qui plura deſiderat eruditiſſimum tractatum, quem de calculis præſertim in corpore humano concretis Romæ publicavit anno 1699. Excell. Medicinæ Doctor Bononienſis, Joannes Baptiſta Contulus.

Lapis igitur in Muſæo inſpicienti objicitur, qui in ſue ſpinoſo, quem Hiſtricem dicunt, non rarò invenitur. Illum in ejus ciſta fellea generari ſcripſit Aldrovandus, ejus tamen hiſtricis, quem in Regno Malacenſi Incolæ venantur. Sed experientia docuit in Italia etiam reperiri, præſertim in agro Romano, ubi hiſtrice diſſecto ſimiles lapides non in felle, ſed in ejus ventriculo generatos oculati teſtes retulerunt. Guſtui amari illi ſunt colore nigricante, & quadam lanea cuticula ſubalba tactui lubrica circumtecti.

Inter cætera animalia præſertim aquatica lapidibus ſcatent ut ſunt Piſces, Carpiones, Lucii, Cinediæ, Tiburones &c. Ex piſce coracino lapis eſt candidus, oſſeus, figuræ ovalis, incurvus, aliquantulum parte convexa levi protuberant

præ-

preditus, sed juxta extremitatem alteram, quamdam asperitatem habens. Pars connexa tota levis est, & splendida, & circumferentia denticulata apparet, longitudine unciam æquat. Invenitur in capite piscis quem describit Aldrovandus lib. 1. de Piscibus cap. 15.

In Capris alpinis repertus lapis ostenditur, quem pilam potius Rupicapræ appellabo cum Vormio: est enim veluti masa ex herbarum fibris conflata, quibus depastæ sunt capræ, quæ in excelsis Rhætorum alpibus Episcopatus Salisburgensis vivunt. Pondere est levis, forma oblonga, & compressa trium transversorum digitorum longitudinem vix superans, aliquando cute coriacea nigra spiendente rugosa obducta, sapore aromatico, instar Cinamomi, aliarumque herbarum odoratarum. Ejus virtutes, (quas experimento probatas credo) hic placet enumerare, quales Vormius recenset. Vi pollet calefaciendi, siccandi, & cerebrum roborandi, qui contra vertiginem utuntur, animi alacritatem miram, spirituumque promptitudinem conferre volunt cum vino, ægrè parturientibus singulare est remedium, ad secundinas pellendas, menses promovendos, dyssentericum fluxum, colicos dolores valet. Tritos exhibent in aqua aliqua appropriata ad febres malignas: grana quindecim aut viginti in aqua aliqua Cordiali dantur. Eodem modo adversus venena propinatur. Contra pestem præservationis loco grana quatuor, aut quinque cum tantillo vini jejuno mane exhibentur. Si amuleti loco de collo gestetur carnemque tangat, vertigini resistere volunt. De hoc lapide seu Topho agit etiam Gaspar Bartholinus cap. 13. de Lapide Bezoar.

DE METALLIS.

LApidum Musæi descriptione absoluta, in describendis metallicis corporibus, quæ in locuplete hoc naturæ Penu conduntur, versabimur, omissis tamen disputationibus, quæ circa ea possent institui. Nomine autem metallicorum intelligimus, tam ipsa metalla, propriè sic dicta, quam corpora metallis affinia, quæ in ipsis fodinis propè metalla reperiuntur; nec facile dictu est quanto oblectamento capiantur oculi in metallorum contemplatione. De his differens Plinius in Proemio lib. 33. meritò hæc verba enunciavit. Illa (Metalla) nos premunt, illa nos ad Inferos agunt, quæ occultavit tellus, atque demersit. Illa quæ non nascuntur, ut repentè mens ad inane evolans reputet, quæ deinde futura sit finis, sæculis omnibus exhauriendi eam, quousque penetret avaritia. Quàm innocens, quàm beata immo verò, & delicata esset vita, si nihil aliud, quàm supra terras concupiscere, nisi quod secum est? Eruitur Aurum, & Chrysocolla juxta, ut pretiosior videatur, nomen ex auro custodiens. Parum enim erat unam vitæ inveniſſe partem, nisi in pretio esset auri etiam sanies. Quærebat argentum avaritia, boni consulvit interim inveniſſe minium, rubentisque terræ excogitavit usum. Heu prodigiosa ingenia, quot modis auximus pretia rerum: hæc Plinius.

In hoc ergo rerum naturalium Thesauro, primum locum obtinet Aurum, cujus puritas ab omni injuria corruptionis aliena est; nec unica ostenditur in Musæo hujus metalli minera. Videtur enim mixtum cum cœteris metallis, videtur purum, & etiam inter arenas diversas. Gleba est nigra ex Anglia delata, in qua auri ramenta sunt permixta. Alia est colore luteo subviridi, & rubro, in qua integra auri grana passim refulgent, Alia, cui ineſſe argentum color candidus indicat. Quarta est coloris subcinericii satis gravis ex Bohemiæ fodinis allata, quinta etiam ex Bohemiæ fodinis habita, ubi è lapide subrubri coloris in aurum fluere videtur, cui cuprum ihsito colore emicans conjungitur. Nec deest Aurum ex Pervana regione allatum, quæ dicitur *Potosi* in qua die 21. Aprilis anno salutis quadragesimo quinto post milleſimum, & quingenteſimum multi Auri fodinæ recluſæ sunt, ubi aurum purum, quod appellant *Obrizum*, e rimis albi lapidis educitur. Ex Montibus etiam Maxicani regni erutum aurum obrizum fulget in gleba subrubri coloris, quod omne aurum in pretio superat, utpotè quod ab omni impuritate sejunctum. Præter ista aliæ glebæ, visuntur ex montibus Styriæ ac Tyroli, & Hungariæ fodinis, in quibus auri puri ramenta refulgent. Eas Musæo addidit P. Joannes Despotoviz Rector Collegii Græcensis, & in Urbem Procurator Provinciæ Austriæ missus anno 1700. Visuntur & alia Minerarum fragmenta eruta ex Monte Tomino, propè promontoriorum Insulæ Corsicæ, quod dicunt *Capo Corso*; ex insula in lacu Comensi jacente aureis punctis nitentia, colore tamen argento potius similia. His adde arenas in ejusdem insulæ littore collectas, atque alias ex flumine in agro Messanensi præterfluente, quod *Nise* appellant, e quibus plurima auri granula seliguntur.

De auro multa docte scripsit Agricola, præcipuè lib. 8. de natura Fossilium, multa Plinius, Barbarus, Cesalpinus, Cardanus, Scaliger, & alii, quorum dicta ineptè a nobis huc transferrentur. Placet tantùm Plinii verba referre contra aurum sic invehentis lib. 33. cap. 1. *Utinam posset, & vita in totum abdicari aurum; Sacra fames, ut*

cele-

celeberrimi auctores dixere, ad perniciem vitæ repertum. Quantùm feliciori ævo, cum res ipsæ permutabantur inter se, sicut & Trojanis temporibus factitatum Homero credi convenit.

ARGENTUM.

POst aurum inter metalla secundum locum Argentum occupare omnes existimant. Inveniri hoc cum cœteris metallis mixtum sciunt periti, atque etiam proprias fodinas, & cunas in terræ visceribus possidere. Tanta autem colorum varietas in venis argenti visitur, ut non possit de his certus assignari caracter, aliquando enim est ruber cœruleo conspersus, aliquando plumbeus aliquando luteus, vel cinereus, vel viridis, & Rufus. Figura etiam diversum apparet Argentum, nam aliquando tanquam in bracteolas lapidi adhærentes extensum videtur: Sæpius Uvæ speciem repræsentat, sæpè filicum, & Virgularum figuras, aliquando in granula conglobatum, aliquando acuminatum in plures angulos, vel in multis capillamentis simul intortis formatum. Hujusmodi varietatem in glebis cernimus, quæ ex diversis Regionibus in Musæum aduectæ sunt. Prima est lapis satis ponderosus, colore ad cinereum vergente, cum massa argenti copulatus, ex Regno Peruano habitus. Alius lapis ex eadem Regione, in quo Argentea capillamenta simul contorta serpunt, & aliæ particulæ instar filicum adhærent. Tertius est ex Minera Regionis Tirolensis; qui cum colore albo aliquam viriditatem monstrat, guttulis argenteis aspersam. Quarta ex fodinis Bohemiæ est Argentum & Aurum continens in saxo diverso colore consperso. In quinta observatur argentum cum cinnabaro mixtum in lapide, ad flavedinem inclinante. Sexta argenti minera suecica est, in colore nigro aliquam viriditatem permixtam præferens, atque etiam cuprum innatum ostendit.

Argenti vivi minera his adjungitur ex Goritia. Lapis ponderosus est albedine saturatus, quam tamen particulæ subrubræ, & flavæ distinguunt. Ex eo tamen Argentum vivum non defluit, sed si in pulverem redigatur in fornace aliquando educitur, nam ut plurimum spontè rimas saxorum defluit. Plura de argento vivo addi possent, sed illud lectori repeto, quod alibi dictum est. Nos rerum ortus, & causas non tradere, sed solùm Musæum describere, aliquibus dumtaxat indicatis, quæ passim obvia non sunt.

FERRUM.

FErrum sequitur e fodinis diversis acceptum. Hoc metallum nonnulli ferrum nuncupatum existimant a ferendo, cum nemo sit, qui ob magnam utilitatem illud secum non ferat. Alii putant cum Isidoro lib. 16. Orig. ferrum dici, quoniam farra, & semina frugum in agris condit, alii a feriendo, sed cum etiam ex ære, & ligno olim arma fiebant in perniciem aliorum, potius a feritate hoc nomen deductum quidam æxistimant cum Aldrovando lib. 1. Musæi metallici juxta illud distichon.

Quis fuit ex ferro primus, qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit!

Hoc igitur metallam in pluribus mineris effoditur, & in nonnullis locis instar virgularum, turget in aliis, in quibusdam modò nitidas modò asperas glebas repræsentat. In aliquibus in folia multiplicia excrescit: aliquando veluti crystallus nigro tamen colore in acumina abiit diversorum laterum simul coeuntium. Quamplurimas glebas Musæum enumerat ex diversis fodinis allata, in quibus naturæ ludentis ingenium contemplari fas est. Aliæ enim veluti spongiæ, sed durissimæ undequaque hiant, aliæ densissimam substantiam ostentant, quædam talcosas bracteas simul compactas, quædam verò quasi gemmas undequaque micantes imitantur, quæ si luci diverso modo objiciantur, carbunculos diceres rubescere, & smaragdos fulgere. Licet omnibus color insit nigerrimus; in pluribus apparet aureus, argenteus, & æreus intermicant. Gleba inter cœteras singularis est, in cujus cavitate cylindrica crystallus effulget, in angulos plures conformata, hinc inde in aciem coeuntes. Aliæ etiam numerantur partim lapideæ, partim ferreæ, quibus argentea quædam, atque etiam aurea massa adhæret; nec desunt ferri fragmenta rubigine undique obducta, & bolo rufo circumvestita.

Loca ubi eruitur ferrum Aldrovandus recenset in Musæo Metallico pag. 139. juxta seriem alphabeticam, inter quæ, ait, primatum occupare Ilua vulgo Elba insula Tyrrheni Maris. In hac autem insula ferrum in hunc usque diem effoditur, quod nisi vehatur in continentem, nunquam in massas redigi potest. De hac insula Virgilius cecinit.

Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.

Præcipuas & nobiliores ferri glebas, quibus Musæum ditatur in ejus insulæ fodinis pro sua humanitate dignatus est seligere D. Benedictus Guer-

Guerrini, dum in Arce portus, quem dicunt *Ferrajo* præsidiarios milites Magni Ducis Hetruriæ regebat.

Inter ferreas glebas visitur Ferri flos elegantissimus, totus niveus coralliorum instar in ramulos conformatus. Hujusmodi flos in ferri fodinis Stiriæ aliquando reperitur, & plurimi merito æstimatur.

CUPRUM.

CUm Metallis huc usque indicatis, sæpe mixtum invenitur Æs, quod Latinis Cuprum dicitur, colore ad rubedinem inclinans, & ab illis ignis beneficio separatur. At est etiam nativum in propria Minera, quod in Musæo videtur ex Alpibus Rhæticis adductum. Adhæret illud lapidi sub colore violaceo, cæruleo, & aliis, qui, quando igne purgatur, evanescunt: Videtur etiam Cuprum purum, quod inter lapidum rimas invenitur apud Mansfeldienses fodinas. Aliud ex Hungaria addidimus purissimum, & ductile instar argenti. Colligitur hoc in aqua cujusdam fontis, si per tres menses relinquantur in illa immersa frusta ferrea, quibus cupri ramenta, aqua decurrente adhærent, & simul ipsum ferrum consumitur. Rem ita perfici narrat Kircherus in lib. 10. sect. 4. cap. 8. mundi subterranei.

Invenitur sub profundissimis montibus, ubi cupri Mineræ magnæ sunt effossæ parvulus rivus aquæ Vitriolatæ. Hac aliqua vasa lignea impleri curant, in quæ vasa injiciunt laminas ex antiquo ferro formatas, puta ex Securibus, rastris, & hujusmodi instrumentis, quæ jam usui nulli sunt utilia; atque hæ laminæ post tres menses in cuprum versæ apparent, quod quidem cuprum hoc habet peculiare præ alio, quod non tredecim aut quatuordecim ignes subire debeat, ut cuprum ex mineris eliquatum, sed immediatè ad quemcumque usum elaborari potest, & aptius est, quam aliud ad calices, & opera delicatiora. Ex hoc phœnomeno multi sibi suaserunt ferrum in cuprum transmutari; sed Kircherus validis rationibus suffultus omninò negat lib. 11. Mundi Subterr. sect. 2. cap. 2. docetque corpuscula æris, quæ aquæ illi insunt cum vitriolo latentia statim ac ferrum invenerit, illud tenacissimo amplexu stringere, & sua acrimonia ferrum in scoriam resolvere, qua soluta destruitur ferrum, & cuprum remanet.

PLUMBUM.

INter metalla, quæ dura sunt, mollia etiam inveniuntur, atque ex his Plumbum apparet in Musæo in duplicem speciem divisum, Plumbum enim datur candidum, quod duritie nigrum superat. Stannum dicitur ab Auctoribus, quod difficilius plumbo nigro fusionem admittens; cum primò effoditur album non est, sed postquam igne excoquitur. Apparet in lapillis modò nigris, modò flavis, vel candidis, quandoque angulos habet quatuor, quinque, aut sex, quandoque botrum refert. Ex fodinis Angliæ hujus metalli glebæ transmissæ sunt; plumbi autem nigri Minera ex Polonia, & Germaniæ allata.

Præter hæc duo Plumbi genera, tertium numerant Metallici, quod plumbum cinereum vocat Agricola, Marchesitam Argenteam Cesalpinus. Nitet enim argenti colore simile antimonio, sed colore præstantius. Quandoque ejus minera Argentum in se continet. Lapidi adhæret durissimo. In Anglia, & Misnia reperitur, in venis Argentariis. Plumbo candido, seu stanno admisceri solet, ut splendorem, & duritiem ei conciliet, & liquefactum facilius decurrat, ex quo vasa conflata, colore argentum æmulantur.

ANTIMONIUM

ANtimonium inter Metalla recensetur, ab aliquibus Stibium vocatum. Ejus Mineram numeramus ex agro Senensi allatam, sed aliud optimum ex Hungaria, & Bohemia eruitur; Constat Cylindris seu columeliis crassitie aciculæ, sed mire invicem nexis. Conspiciuntur enim rectæ, paralellæ, obliquæ, transversæ &c. quia porosa est hæc materia, & colore cæruleo splendido instar politi ferri.

MARCHESITA.

CUm metallis affinitatem habent alia, vel quia in venis metallorum reperiuntur, vel quia in se ipsis aliquid veri metalli continent, sub nomine Phyritis, vel Marchesitæ comprehenduntur; Lapides tamen sunt duritie ferrea, atque ignem, si percutiantur, producunt. Inveniuntur etiam sæpè ubi metalla non sunt, &

pro-

proprias fodinas habent. Cohærent tanquam lapilli angulares, ut in cryſtallo, non in cuſpidem deſinentes, ſed teſſeris potius ſimiles. Si ponantur in fornace, fluere affirmant omnes, & cum defluxerint, denuò concreſcere, & in corpus durum, & inutile degenerare.

Nullus fortaſſe eſt lapis, qui majori copia differentiarum redundet, quàm Pyrites, tum ſubſtantiæ ratione, tum coloris, & figuræ. Pyriti aliquando fluores cryſtallini adnaſcuntur, interdum Irides, & Berilli; colores etiam ferè omnium metallorum refert, invenitur viridis, cæruleus, purpureus, cinereus, aureus, argenteus, æreus, & ferreus. Quoad figuram eſt rotundus, teſſellatus, anguloſus, oblongus, ovalis, planus, turbinatus, ſpongioſus ſimilis botro, aliquando ut arena friabilis. Numerantur in Muſæo quamplurimæ hujus generis glebæ, in quibus tum colores, tum figuræ indicatæ apparent, ex variis locis collectæ, ac præcipuè ex fodinis ferri Inſulæ Iluæ, in quibus præclari lapides hujus generis reperiuntur. Aliquis eſt argentei coloris. Ejus maſſa rudis eſt, quæ in lapide nigricante micas argenti junctas oſtendit, quibuſdam in locis aurei pyritis venas oſtendens. Alia aurei coloris, majoribus conſtans granis, auri maſſam fermè refert, intermicantibus trigonis quibuſdam granis ſplendidiſſimis. Aurea alia eſt teſſellata, conſtat granis angularibus aureis, quibus quiddam cærulei, & viriditatis eſt admixtum. Ex auro, & argento miſtus fulget etiam Pyrites ponderoſus valde, colore in aliqua ſui parte albicante. Non deeſt Cinereus, & minutiſſimis veluti arenis compactus ſed aureis. Friabilis ille eſt, licet ponderoſus. Luſum Naturæ diceres in coloribus hiſce miſcendis. At operæ pretium non eſt ſingula minutatim deſcribere.

FOSSILIA.

POſt metallorum enumerationem ea recenſenda ſunt, quæ metallis affinia cenſentur, vel quòd in venis metallorum reperiantur, vel quòd effodiantur ut metalla. Et primo loco Talcus eſt foſſilis, qui lapis conſtat ex tenuiſſimis laminis flexibilibus, quæ facilè ſeparantur. In igne neque funditur, neque comburitur, aut colorem amittit, niſi maximo artificio. Ejus minera viſitur cinereo colore, & bracteolis ſcintillantibus permixta; alia huic jungitur nigro colore ſaturata, ponderoſa, ſed friabilis. In Regno Calabriæ, & Moſcoviticis montibus eruitur.

Talco affinis eſt lapis qui dicitur ſpecularis, faciliter finditur in tenues cruſtas. Illum Hiſpania tantùm circa Segobriam olim dabat, Jam, & Cyprus, Capadocia, Sicilia, & Affrica. Eſt etiam in agro Bononienſi, licet brevis, maculoſus, & ſilicibus alligatus: nunquam repertus quinque pedum longitudine, ampliorem aſſerit Aldrovandus in Muſæo metallico. Humorem hunc terræ glaciatum quidam æxiſtimant.

Aliud lapidis genus eſt in Comenſi agro effoſi, qui facilè tornatur in vaſa coquendis cibis utilia, vel ad uſus Eſculentorum. Calefactus oleo nigreſcit, dureſcitque, cæterum natura mollis.

Sunt varia fragmenta, quæ primo aſpectu lignea videntur, ſed pondere, & duritie produntur contrectanti lapidea. An ex ſucco lapideſcente intra terram, vel in aquis latente ſaxeam hanc duritiem ſint nacta, valdè dubitandum eſt. Putat Calceolarius pag. 423. potius ex partibus terreis humidioribus, exaſperantibus oriri, Ariſtotele, & Platone in Timæo docentibus: *lapidem fieri, dum congelata aqua, quando in commiſtione deficit, in aeris ſpeciem tranſit, & terram ab aere indiſſolubiliter cum aqua coactam lapides concreare*, quibus verbis clarè oſtenditur ex majori terræ portione, quàm aquæ lapides fieri. Igitur ex foſſilibus hujus generis, quæ ligna dicuntur, duplicem ſpeciem dari docuit. Kircherus cap. 3. ſect. 2. lib. 8. Mundi ſubterr. Sunt nonnulla, quæ olim arbores fuerunt, & ſucceſſu temporis vi lapidificæ facultatis in ſaxum converſa, quorum particulas aliquas Muſæum noſtrum exhibet; aliqua enim ligna, ut Ilex, & Quercus facile in ſaxum indurantur. Alia ſunt, quæ pura naturæ opera in imis terræ viſceribus reperiuntur ad ſimilitudinem lignorum efformata. Tale lignum eſt, quod in agro Aquaſpartano in Ditione Ducis Ceſij effoditur, & Muſæo donatum ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Epiſcopo Tudertino Pianetto, Viro ob vaſtam eruditionem, & litterariam ſupellectilem, qua mentem ditavit, nulli hujus Ævi ſecundus. De eo eximium Opuſculum edidit eruditiſſimus Vir Franciſcus Stellatus. Cum ſub terra latet, aliquantum molle eſt, ſed aeri expoſitum in ligneam ſubſtantiam indureſcit, ita ut non ſecus ac Ebenum facilè ſcindi, dolari, & expoliri poſſit. Attamen nec terra nec ſaxum, neque lignum dici poteſt: non terra, quia nullo modo eſt friabile: non lapis quia lapidi nec duritie, neque gravitate reſpondet: Non lignum, cum nullis fibris conſtet, quibus arbores a Natura inſtruuntur; cum poſsit in omni parte eadem facilitate ſecari. Itaque dicendum potius eſſe, e genere foſsilium, & peculiari ingenio fuiſſe a Natura productum.

Alia ligna foſsilia numerantur, quæ ſemjuſta

judicares; sunt enim adeo arefacta, ut in crustas, & frusta facilè solvantur, si tamen igneſcant, pinguedinem quamdam sulphuream, & ingrato odore scatentem ostendunt in flamma non lucida, sed cyanea: sub aliquibus collibus prope Urbem Politianam in Hetruria deteguntur sub terræ glebis, quas Torrentes aquarum rapidi secum deferunt.

His lignis affines sunt Terræ bituminosæ, & præcipuè Cespes bituminosus in Belgio fossus, quem patrio nomine *Turf* appellant: effoditur etiam in multis Provinciis, ideſt Geldria, Brabantia, Hollandia, Frisia, & in Germania, ut in Montanis Misniæ locis id genus terræ bituminosæ, quod sole excoctum igni pabulum præbet. Sic enim provida Natura Populis illis prospexit. Est autem igni pabulum ob copiam admixti bituminis, quod odor gravis indicat, cum accenditur. Hujus terræ plures glebæ seu plura genera, colore, levitate, & pondere diversa recensentur. Quod ponderosum est, & nigrum duritiem laterum coctilium imitatur, tardeque ignem concipit, sed conceptum diutissimè servat. Omnium verò deterrimum est inane, & fungosum, quod accensum odorem mephitis terræ exhalat, & nitrosa quadam fuligine oculos circumstantium mordet.

Est aliud ex Brabantiæ campis minimè bituminosum, quod nil aliud est nisi gleba ex marcidis lignis coacta. Constat enim (ut refert Aldrovandus in Musæo Merallico) ante multos annorum decursus ab exundatione quadam enormi sylvas integras hujus regionis submersas fuisse, quarum arbores paulatim putrefactæ ævo, & imbribus talem putredinem conceperunt, & inde genus quoddam terræ spongiosæ tesultavit.

Lapis est colore atro imbutus, qui ad succos concretos, seu lapides bituminosos refertur. Gagatem illum nominant, alii succinum nigrum, cum succino videatur affinis. Carbo tamen fossilis est, cum expoliri ut verus Gagetes non possit. In multis locis effoditur, & referente Matthiolo, etiam in agro Brixiano, & in Comitatu Tirolensi non procul ab Oeniponte; In agro etiam Urbinate. Glebas servat Musæum, quæ ex agro Volaterano missæ sunt. Alias etiam quas ex agro Massilienſi P. Bellusius nostræ Societatis colligi curavit, omnes nigerrimo colore Saturatæ sunt, & si frangantur levorem quemdam ostendunt, qualis in diffracto Gagate apparet.

Cum de Succino facta sit mentio, placet hoc in loco glebas succini indicare, quibus exornatur Musæum. Prima est ferè dimidio palmo longa, in qua exhibetur inclusa lacerta, ita integra, ut nullum in ea membrum sit, quod non distinctè magna intuentium admiratione spectetur. Illam præteritis annis, dum Kircherus viveret, ad eum misit Seren. Augustus Dux Brunsvicensis, & Luneburgensis. Alia est ejusdem ferè magnitudinis, omninò pellucida ut crystallus, intra quam videntur plura animalcula inclusa puta Papiliones, Masciculas, & Culices. Similes etiam videntur in Decade precaria, cujus globuli ex succino aliquod simile animal inclusum continet. Musæo addita est a Rever. D. Valentino Quech pro Provinciis Germaniæ apud nostrum P. Generalem Romæ Assistente.

Hujusmodi animantium cadaveribus succino tanquam in sepulchro conditis Martialis hoc alludit Epitaphio:

Et latet, & lucet Phaethonti condita gutta
Et videtur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Quomodo autem talem pretiosum carcerem obtinuerint, non unica est Philosophantium sententia, Legantur Calceolarius, Vormius, & Kircherus noster, qui in cap. 4. sect. 3. lib. 8. de Mundo subterraneo ita scribit. *Cum bitumen molle ideſt succinum, maris fluctibus ad littora devolvatur; fit ut ibidem inter arenas, & saxa collectum, siccitate aeris lenteſcat, unde animalcula hujusmodi sapore, & odore attracta, velut visco quodam corripiantur, a quo cum se expedire non valeant, interim decumanis maris fluctibus mobilis adhuc materia paulatim in globos, aut aliam formam subigitur, atque hoc pacto unda, & unda trudente materiam, animalcula inviscata in meditullium obvoluta secedunt. Atque hanc ego rationem esse existimo salvo aliorum judicio.* Hæc Kircherus.

Quid autem succinum sit adhuc quæritur magnis Authorum dissidiis. Sunt qui lacrimam arboris credunt; alii ex Urina Lyncis fieri existimant; alii quoddam bitumen oleaginum esse deprædicant; alii spumæ marinæ conglaciatæ, & depuratæ particulas. In Actis eruditorum Lipsiæ mense Julii an. 1700. pag. 333. refertur Liber impressus Berolini an. 1699. a Philippo Jacobo Hartmanno medicinæ Professore, cui titulus est, *Succinta Succini Prussici Historia, & Demonstratio*. Divisit hic in sex sectiones Tractatum, & in prima negat inveniri in Affrica, Asia, & America succinum, idque sentiendum pronunciat de Provinciis Europæ, Italiæ, Hispaniæ, Britannicæ, & Pannoniæ, in quibus tantùm est Gagates, succini nigri appellatione dictus, sed de Polonibus, Silesiacis, Bohemicis succinis esse certissima monumenta; Loca in primis mari Balthico vicina succini observari feracissima ex eo magnum proventum oriri in Suecia,

cia, Dania, & Insulis Cimbriam, & Holsatiam allambentibus. Etiam in Samogitia, Curinia, & Livonia copiosissimum esse. In Prussiæ autem locis maritimis abundare. Cum autem matricem succini indagare conatur, affirmat. Aliud ex aqua maris hauriri, aliud legi in littore, aliud denique fossile acquiri; & quodcunque colligatur, nunquam molle inveniri, sed durum. Putat animalcula succino inclusa remanere cum in latebris, & cavernis somno sepulta, à liquore bituminoso distillante implicantur, ut nullum inveniant effugium, sed negat, animalia perfectiora, ut ranas, lacertos, pisciculos, posse condi, nisi fiat artis fallacia. Aquarum verò guttarum, quæ intra succinum aliquando occlusæ reperiuntur hanc dicit rationem. Uda scilicet matrice a calida bituminosa exhalatione obsepta, aquam intro compulsam a calore subterraneo consumi nesciam, ob copiam circumstantis bituminosi laticis, nullam rimam, qua diffluat invenire; præcluso itaque exitu captivam remanere. Succinum denique nec inter metalla, cum neque ductile sit, nec liquabile, nec inter terras aut sales, cum terris arctius cohæreat, & salibus sit pinguius, utrisque etiam humidius; non inter bitumina, & sulphura, cum sit nimis durum ac solidum, sed inter lapides ratione duritiei, inter gemmas ratione splendoris collocat. Sed hæc omnia omittimus, cum nostri Instituti nō sit philosophicas disceptationes instituere; Unicam tantùm ejus proprietatem indicabimus, ut via sit ad aliqua experimenta inter cætera, quæ magna cum mentis oblectatione una cum Viris cordatis non rarò fiunt in Musæo.

Virtus illa est ad se attrahendi omnibus nota, licet communi sententia solùm paleas, & quæque leviſſima attrahere credatur. Hunc esse errorem scripsit Kircherus cap. 5. lib. 8. sect. 3. & experimentis didicisse affirmat ponderosissima omnis generis metalla decem, & viginti librarum posse attrahi, dummodo obex succino agenti non ponatur: experimentum sanè pulchrum descripsit Kircherus in lib. de Magnete, quo non exiguum pondus potuit attrahi. Illum adeat Curiosus. Eundem affectum præstant omnia mixta naturę cognatione similia, uti Gagates, bitumen durum, & videtur quodammodo magis mira hæc virtus electrica attrahendi, qua succinum pollet, quàm Virtus magnetis. Hic enim determinatam rem ideſt ferrum trahit, omnia autem succinum.

Succino pellucido, & flavo alia fragmenta adnectuntur succini albi, quod lacte imbutum cum videatur, minimè sunt diaphana, sed opaca. Multò minus diaphana est gleba, ex succino nigro, quod Gagatem aliqui appellant; convenit cum succino flavo, sed tantùm discrepat colore; expolitur ut succinum, & nitorem retinet in superficie, & proinde capsulas ex eo conficiunt Artifices, monilia, simulacra Sanctorum, Globulos precarios, & similia.

SALIA.

UT succos concretos ordine prosequamur Sal est observandus, qui inter omnes præstantissimus est, & in omnibus universæ naturæ mixtis reperitur quasi condimentum ejus sit, & omnium rerum Virtus ac vigor. Relicto sale dulci seu indico, qui Saccharum dicitur, illum intelligimus, qui frigido, & humido liquatur, & calido, & sicco concrescit. Dividitur in nativum, & factitium; de primo sermo est, nam factitius qui ex omnibus rebus arte eruitur, ad Chimicos pertinet, & Alchimiæ professores.

Sal igitur qui dicitur Gemmeus primum locum occupat inter cæteros. Instar Crystalli radiat ex fodinis Calabriæ erutus. Illi affinis est alius Sal fossilis ex agro Campaniæ felicis habitus non ita diaphanus.

A sale fossili non recedit sal Ammoniacus, quem in arenis Libyæ inveniri referunt; cæterum qui in officinis venditur arte paratur, & è regionibus Syriæ, & ex Germania formatus in glebas obscuritate quadam velatus defertur.

Sequitur Salnitrum cujus variæ mundi partes sunt feraces, apparet in multis veluti ros in superficie saxorum, in glebis terrestribus, & alibi, sed dum coquitur in columnulas angulosas, & pellucidas densatur instar crystalli, & vocatur Salnitrum, modum præparandi illud docet Aldrovandus in Musæo Metallico lib. 3. Kircherus in Mundo subterraneo lib. 6. cap. 1. sect. 2. his verbis. Fit Salnitrum hodie ex acerrimo lixivio, quod excolatur ex fimo, stercoreve antiquato, vel putidis etiam cemeteriorum maceriis terrisque simul studio quodam putrefactis, effusa pluries in vasis ligneis aqua, qua eadem hoc lixivium in magnis lebetibus coquitur, fitque Salnitrum longis Salis ad instar fibris in fundo vasis concrescentibus.

Extrahitur etiam è saxis igne decoctis sal qui Alumen vocatur, eò quòd lumen coloribus pannos inficientibus præstet. In agro Romano præcipuè propè Tolfam elaboratur, & à fecibus separatur, ubi venas in rupibus latentes, referente Volaterano, invenit quidam Joannes de Castro Longobardus tempore Pii Secundi Pontificis Max. Conficitur autem hac ratione. Lapides Aluminis ex fodina erutos, & in calcem coctos aqua resolvunt. Hujusmodi calcem in prægrandem cacabum, cujus fundus est ex ære

campano conjiciunt, & suppositò igne validissimo, aqua, in quam calx resolvitur, per canales in vasa quædam ex tabulis quernis, vel Ilicinis,(nam aliud lignum huic operi est ineptum) ruditer parata ducitur. Ibi Alumen ab aqua separatur, ita ut latera vasorum tota crystalina esse videantur, singulis particulis plerumque in figuras hexagonas abeuntibus pellucidis, & candidis. Hoc alumen etiam interdum ex candido rubescit, & varias acquirit figuras, quandoquidem octagonon, Dodecagonon, & Pangonion visitur. Invenitur etiam in aliis locis. Lapis è fodina erutus videtur in Musæo, rursus alius ejusdem generis igne decoctus, insuper fragmenta aluminis in varias figuras concreti.

Post Alumen Calcanthus indicatur in saxo, colore ex cinereo nigricante, propè quem succus est ex illo erutus, & concretus, qui alio nomine vocatur Atramentum Sutorium, seu Vitriolum. Multiplex invenitur. Primus est Calcanthus Cyprius pellucidus, & colore cœruleus. Est Italicus cognomento Romanus viridis, & maculis albicantibus flavisque varius; est etiam Anglicus, qui viriditatem magis puram ostentat. Romanum in agro Viterbiensi colligitur, & in Volaterano apud Montem Bibienum, simul cum terra nigra à qua separatur hoc modo. Eruunt cujusdam terræ glebas coloris cinerei, quales in Musæo conspiciuntur, intermixtis maculis viribus, & rufis, odore viroso, fossoribus valdè noxio, quapropter illas non in cuniculis, sed aperto cœlo effodiunt; Hujus materię acervos spatio semestri imbribus, & soli exponunt, deinde totidem diebus sub tecto servant; deinde aqua solvunt, & in vasis plumbeis coquunt; sola enim materia plumbea ab acredine succi hujus concreti non corroditur. Hac igitur aqua refrigerata, & vasis ligneis transfusa paulatim in Calcanthum concrescit.

Sulphur calcantho succedit, quo nomine succum illum concretum intelligimus, quod facilè inflammatur, & factitium, quod igne perficitur, & quidem in multis locis, & modis. Vidi in ora maritima duobus milliariis ab Antio disita fodinam in libero aere apertam, in qua venas cinerei cujusdã luti effussores detegebant. Acceptas ex illo glebas, ex quibus aliquas in Musæum transtuli, imponebant vasis fictilibus, quæ calce, & lateribus undique circumsepta ignem in fundo tantùm sentiebant. Sic enim purior substantia liquata ascendebat ad superiorem vasorum regionem, & per rostrum, seu canaliculum in aliud vas ligneum recepta, instar olei, paulatim dilabebatur sulphur liquatum, quod postea ab igne remotum concrescebat. Ultra sulphur factitium, quod ex glebis terræ deducitur, est etiam nativum, quod in multis locis invenitur.

Cujusdam generis sulphur conservatur in Musæo colore ex flavo albescente, & levi tactu friabile. Generatur hoc in quibusdam lapidibus,calculis fluminum valdè similibus, vel lapidem Geodem referentibus, quem dicunt Aquilinum. In his veluti nucleus in Amygdalis, & Avellanis, materia sulphurea inest, sub cortice lapideo, tophacea duritie prædito. Illud ex Sicilia largitus fuit R. P. Hieremias, e Panormo PP. Capuccinorum Provincialis Præpositus, Vir pari humanitate ac eruditione præditus, significans tale sulphur generari in agro propè Urbem Agrigentum vulgò *Gergenti*.

Antequam ad cœtera calamum convertamus non erit incongruum hic referre aliquas lapideas glebas ex montibus Ætnæ, & Vesuvio acceptas, nitro, & sulphure fœtas. Saxum quod Ætna anno 1696. eructavit atro colore imbutum est, & ponderosum, parumque dissimile Scoriæ ferri in igne purgati, redoletque ingratum sulphuris fœtorem. Illi jungitur massa bituminis ex eodem monte eructati, coloris castanei subobscuri, & ponderosa. Ejus pars igne examinata in cinerem abiit inutilem. Saxum verò Vesuvii nigrum, & pumicosum est, sed ponderans in cujus superficie nitrum efflorescit. Huic adjunctum est curiosum numisma formatum ex plumbo, cujus frons exhibet montem flammas, & fumum eructantem; in aversa verò hæc verba leguntur.

Ex plumbo ipsius incendii
VEVVIUS ARDENS MDCXXXI.
calore liquefacto an. 1632.

Illud accepit ab Excellentissimo Ursino Bracchiani Duce Augustinus Scilla Pictor nostri Ævi eximius, qui in hoc Musæo tanquam æternum sui amoris pignus tale numisma collocavit. Plumbum autem ex quo constat, ex bitumine separatum fuit, quod Mons ignivomus eructavit.

Facta enumeratione salium, qui in Globo terraqueo reperiuntur, Ordinis ratio postulat ut succos concretos prosequamur,seuvarietatem terrarum proponamus, quæ ex ejusdem terreni globi venis extrahuntur, cum mineralibus succis mixtæ quos colores indicant, quique multiplicem usum habent, in variis Artium operibus, ac præsertim a Medicinæ Professoribus adhibentur. Non autem omnes exponendi animus est: innumeri enim sunt, atque ut Kircherus demonstrat in Arte Combinatoria, si terræ simplices differentias duodecim inter se combinaveris, enascentur 479001600 differentis terræ

mi-

miſcellæ. Solas igitur enumerabimus, e quibus multiplex Vaſorum diverſorum congeries Muſæum exornat, & quidem candidas, Albas, rubras, flavas, nigras, ſulphureas &c.

Primum inter omnes locum tenent Vaſa, quæ cetera pretio ſuperant, utpotè quæ in unica Regni Sinenſis Provincia conficiuntur. Vulgus terram, ex qua conficiuntur *Porcellanam* appellat, hoc nomine fortè inſignitam, quoniàm Vaſa ex ea compacta, tanquam Achates ſint translucida: ſiquidem hæc gemma a nonnullis Porcellana vocatur. Aliqui putarunt ideò porcellanam vocari, quòd ſibi ſuaſerint fieri ex teſtis conchyliorum maris, quæ Vulgus vocat *Porcelletas*, inter quos fuit Guido Pancirolus qui in parte ſecunda rerum deperditarum tit. 2. ita ſcripſit. *Superioribus ſæculis nunquam fuerunt viſæ Porcellanæ; ſunt autem maſſa quædam ex gypſo, ovo trito, putamine locuſtæ marinæ, & aliis ſpeciebus compoſita, quæ ſi probè ſtipata, & denſata fuerit, ſub terra in locum aliquem ſecretiorem reconditur, quem Pater Liberis ſuis deſignat, atque ibi octoginta annos manet recondita, quo tempore elapſo filii, vel nepotes eam eruunt, eaque rurſum ſubacta, & ad elaborandum idonea reddita, pretioſa illa vaſa conficiunt aſpectu pulcherrima &c.* In hac etiam ſententia fuit Scaliger. Opiniones aliorum recenſet Aldrovandus pag. 230. Muſæi Metallici, qui deinde ſubdit Patrem Alvarum è noſtra Societate, qui per Regnum Chinenſe diu vagatus eſt, retuliſſe, vaſa Porcellanica, in quadam tantùm villa Provinciæ Kiamſi fabricari, ejus tamen maximam copiam toti Regno, imò Orbi Terrarum diſtribui. Argillam tamen eo in loco non erui, ſed aliunde illuc deferri propter aquam illius loci, quæ perſpicuitatem Vaſis conciliat. Colorem cæruleum illis impertiuntur Artifices Anil, quo abundant; ſubditque ejuſmodi vaſa in noſtris Regionibus, deficiente tali argilla, & aqua fabricari non poſſe diu creditum eſſe; Nihilominus Magnum Hetruriæ Ducem Franciſcum Vaſa Chinenſibus ſimilia fieri curaſſe, licet non adeò ſubtilia. Hanc Aldrovandi relationem comprobat Vas unicum Florentiæ compactum, quod Muſæum noſtrum exornat, ab Illuſtriſs. Præſule Leone Strozza liberali manu aliis ſuis muneribus adjunctum. Relationem Aldrovandi confirmat P. Martinus Martini noſter in ſuo Atlante Sinico pag. 86. reſcriptam a Kirchero in Mundo ſubterraneo lib. 7. pag. 343. In aliquibus tamen diſcrepat ab Aldrovando. Sic enim ille ſcripſit de Urbe Jaocheu in Provincia Kiangnam at quod maximè eam commendat, eſt elaboratio, & copia ſcutellarum Sinenſium, quas porcellanas, neſcio unde petito nomine, vulgò vocant, quæ nullibi in toto regno fiunt præſtentiores, quàm in pago Feuleang civitatis, licet enim alibi terram, ex qua forte confici poſſent, habeant, nullo modo ad eas accedunt, quæ in hoc pago fiunt; immo quod admiratione dignum, terram, ex qua eas efformant, non ex hujus Provinciæ ſolo, hauriunt, ſed ex Kiangnan Provinciæ Urbe Hoeicheu advectam accipiunt, neque ibi, licet tanta illius adſit terræ copia, ullo modo effingere illas queunt. Sunt qui illud aquarum temperaturæ adſcribant. Ex hoc ergo hujus Urbis pago omnes ſcutellæ illæ ac vaſa Sinenſia ſunt, quæ a ruſticis rudibuſque hominibus figlina arte elaborantur, eodem modo, quo Faenſes in Italia. Colore varia ſunt licet omnia ex ſubtiliſsima illa argilla ut aliquantulum diaphana conſtent, quæ colore illinuntur croceo, variis Draconum figuris illuſa ſunt, regio deſtinatur palatio, pro vulgò fiunt rubra, lutea ac cœruleo colore, ad quem effingendum glaſtum a Sinis adhiberi ſolet, quòd ibi magna reperitur copia, quo etiam ad tingendum veſtes utuntur. Quanta verò horum vaſorum ſit copia facilè quivis colliget ex ea, quem quotidie videmus in Europa noſtra. At miror unde hic increbuerit rumor, ex ovorum teſtis, aut contuſis conchulis marinis præparari hanc materiam, idque ex relatione quorundam centum annorum ſpatio repoſitam, ab Avis pro ſucceſſuris nepotibus, planè rerum gnaris ridicula ſunt hæc & merè commentitia, namque omnia ex terra, quæ ad hunc pagum ex Urbe vicina Noeicheu advehitur, figlina arte fiunt; terra autem illa non pinguis ut creta eſt, ſed veluti arenula pellucida, quam macerant, & adſperſa aqua in maſſam cogunt. Hæc P. Martinus. Dicunt hæc vaſa ad præſentiam venenorum frangi. At id experimento non comperitur.

Porcellanis Vaſis ſecundo loco reſpondent Vaſa, quæ in Japponia conficiuntur ex argilla, adeò candida, ut lactè videantur ſaturata, non tamen pellucida, & diaphana ſunt, ut Chinenſia, ſed picturis exornata variis, variiſque coloribus ſimul cum auro intermixtis.

Tertio loco Vaſa Chinenſia æmulantur ea, quæ paucis ab hinc annis in Urbe Delphi Hollandi compingunt, & quidem tali artis induſtria, ut qui non optimè Porcellanica norit, ea putet in Sinis fabrefacta. His non cedunt pulchritudine, & ſubtilitate alia, quæ fabricantur in Fano S. Clodvaldi, vulgò S. Cloud Burgo Galliæ cultiſſimo ad ſequanam fluvium duabus leucis infra Lutetiam in Occaſum. Alba ſunt omnia, & floribus, foliis, avibuſque colore cœruleo exornata. Ex ſingulis horum ſpeciebus plura vaſcula in diverſas formas compacta exornant Muſæum.

Alia sunt ex aliis Regionibus advecta, quæ etsi Porcellanis æquiparari non possint, suum tamen pretium merentur, vel propter ipsam Argillam ex qua sunt compacta, vel propter superinductam tunicam, qua levor, & pulchritudo illis additur. Modum conficiendi, hanc incrustationem, præsertim candidissimam, quam a loco Majoricæ, Majolicam dicunt Italici, docuit subtilissimus Scaliger exercitatione 92. & 120. sic. Aluminis catini, quod Salchali vocant quidam, Tartari usti singulorum uncia accipitur, & arenæ lucidissimæ, ex qua conflatur Vitrum sex quiuncia, mista coquuntur in fornace, usque dum in massam lapidescant, repositа servantur, deinde sumitur plumbi pondus uncia una, cassiteri unc. 10. quæ in fornace reverberationis calcinentur, hæc item seorsum servanda sunt. Ex hoc posteriore calcinato trientem unum, ex Superiore materia trientes duas in aqua tere, deinde spongia figulina, atque in pelvi conde, ubi voles uti, conturbato, vasaque figulina oblinito, quod si candorem, atque splendorem augere, vis, ejus Cassiteri, quod Angli vocant Glaciale ponito uncias XV. hæc Scaliger. Plura igitur numerantur ex rubra, & subtilissima argilla, quę undique obscuro circumtegitur, sed nitente velamine, duobus coloribus simul admixtis, idest pullaceo, & rufescenti undatim penicillo dispositis. Conficiuntur hæc in quodam Pago, apud Avenionem inter pontem S. Spiritus, & Teinsito, qui a Gallis dicitur *Airome*.

His ferè similia sunt, quæ fabricantur Savonę Urbis Liguriæ celebris, sed colore alio vestiuntur, supra quem flores ex auro eximia arte efformant, & guttas etiam aureas, vel argenteas minutatim dispergunt. Effodiunt etiam apud Savonam argillam aliam albam, quæ ad miram subtilitatem extendi se patitur. Hanc candido amictu circumtegunt, cœruleo colore diversimodè exornato.

Colore nigerrimo, sed instar vitri pellucido obvelata conficiuntur ex vulgari argilla tum Savonæ; tum in Vico ad ripam Tiberis propè Perusium, qui dicitur *Fratta*, atque etiam alibi.

Papiæ Urbis Italiæ nobilissimæ quędam compinguntur, ex tenuissima atque levissima creta, quam velo ex livido cinereo contegunt, illudque postea floribus ex albo, & atro colore perita manu dispositis exornant.

Alba sunt Vasa (ut communia, quæ in pluribus locis fabricantur) ex Urbe Aprutii citerioris in ora Maris Adriatici cognomento *Ortona a Mare*, duodecim milliaribus a Theate in Ortum distante, sed picturis adeo egregiis exornata, ut pretium vasorum ex porcellana sæpissimè superent.

Vulgaria essent, quæ fiunt apud Valentiam Urbem Hispaniæ in quodam loco *Manises* appellato, sed adeo effulgent ob cupreas bracteas, quibus obvelantur, ut ex ære compacta videantur; & inter cœtera Musæum mirificè exornant.

Ex Asia minore, & locis Turcicæ Ditioni subjectis non valdè ab Urbe Constantinopolitana dissitis similia figulina vasa obtinui alba, sed floribus foliisque viridis, cœruleis, & flavis perpulchrè exornata, Turcæ enim nunquam humanas figuras coloribus exprimunt, sed tantùm flores iisque similia.

Alia magis delicata, & figulina manu melius fabricata apparent, quæ ex Urbe Tripolitana attulit quidam Maronita. Vascula sunt parva quibus passim Turcæ utuntur ad sumendam potionem, quæ ex semine dicto *Kaffè* conficitur.

Ad eundem usum facta quamplurima numerantur, & quidem diversæ formæ, variisque coloribus exornata. Illata sunt ex Regionibus Persicis. Alia enim cyaneo, alia subobscuro, æneoque colore vestita, flores aureos ostentant, non tantùm in externa, sed etiam in interna alba superficie. Terra ex qua conficiuntur Porcellanam Sinensem duritiæ, & albedine æmulatur. Nec deest quoddam vas, in quo Persæ potionem ex Kaffè servant. Ventricosum illud est, & Siphunculum è ventre emittit, usque ad os elevatum, deinde reflexum, ita ut litteram S, imitetur, angusto hiatu patulum.

Tria etiam vasa sunt nigerrimo colore circumtecta, quem tamen cyaneus, flavus, viridis, & candidus belle dispositi exornant. In Regno Bohemiæ communia sunt ad potum servandum, ac proinde operculum claviculo alligatum habent ex selecto stamno, quod argentum æmulatur.

Non desunt alia magis vulgaria, quæ Romæ, Faventiæ, & aliis in locis Italiæ ex diversis argillis compinguntur, Unicum inter omnia eminet antiquissimum detectum in arvis, ubi olim Urbs Vejum florebat. Ex argilla est candido velamine obducta, sed in areolis parum extantibus plures colores ita splendent, ut encaustica arte dispositа judicares.

Enumeratis terræ speciebus, quæ figulina arte compactæ igne deinde indurantur, & quadam alia tunica circumteguntur, ut splendeant: Aliæ proponuntur in Musæo magis simplices nullo indumento obvelatæ, sed nativo colore etiam in igne servato æstimabiles. Hæ tenues ita sunt, ut in quamcumque partem ductiles sint, & exsiccatæ non dehiscant, Communi nomine juxta sententiam Plinii Auctores vocant Argillas, aliqui Terras figulinas. Alia earum est candida, alia alba, alia nigra, aliæ luteæ, vel puniceæ,

niceæ, vel cinereæ, ex quibus vaſa efficta Muſæum exhibet. Item Argillam odoriferam inveniri in Regno Bengalæ, ſcribit Aldrovandus, ex qua fictilia egregia formantur, & in Monte Majelle in Aprutiis terram cineream, quæ ſulphuris odorem ſpargit.

Uſum fictilium fuiſſe antiquiſſimum inde colligimus, quoniam ſub terra pulcherrima fictilia aliquando inventa ſunt, quibus plerumque collum eſt anguſtum, & venter tumidus. Horum quædam anſam unicam habent, quædam binas, alia quatuor, ut in Muſæo obſervari poſſunt. Referente Aldrovando in Muſæo Metall. pagina 228. oſtendebantur olim Romæ duo fictilia in templo conſecrata propter tenuitatem Argillæ ex certamine duorum figulorum, uter eorum tenuiorem argillam duxiſſet. Fictilibus etiam potionem ſumpſiſſe Veteres Propertius refert lib. 1. hoc carmine.

Fictilia antiquus primùm ſibi fecit agreſtis
Pocula de facili, compoſuitque luto.

Imò ſequentibus temporibus etiam Reges fictilibus uſos, in multis patet. Non Agathoclem adducam, qui originis ſuæ in memoriam fictilibus cænaſſe memoratur, ſed Maſſiniſſam Regem Libyæ, qui cœnam fictilibus intruxiſſe apud Athæneum ex Ptolemæo refertur. Denique more Romano ad Ætatem Macedonum morem eum duraſſe, idem narrat. Plinius, Patinæ Vitellii faciundæ fornacem in campis ædificatam tradit, eòque luxuriam perveniſſe, ut etiam pluris fictilia conſtiterint, quàm Murrhina. Notat Georgius Vaſarus part. 3. de Vitis Pictorum pag. 43. Nullum vas antiquum adhuc repertum eſſe, quod cruſta ferè vitrea, & pellucida, & coloribus exornata, fuerit circumtectum, ſed omnia ex ſimplici argilla conſtare, quam color, aut niger, aut ruber cum albo mixti ruditer exornat. Hujus generis aliquot ſunt in Muſæo, ſed imperita manu depicta. Egregia ſervantur Romæ præſertim in Gazophylacio Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini.

His præmiſſis, occurrunt primò duo Vaſa operculo, & Manubrio argenteo munita ex terra Sileſiana confecta, alterum eorum colore eſt albicante, alterum ad rubedinem tendente; Ambo floribus,e colore diverſo exornata, atque ſigillo munita. Has terras ſe primò inveniſſe in Sileſia ſcribit Joannes Montanus medicinæ Doctor in ſuo latino tractatu edito Francofurti anno 1583. triginta annis prius. Quanquam verò in pluribus locis inveniatur, præſtantiſſima eſt in Ducatu SchWidnicenſi ſtrigæ, quod eſt oppidum Sileſiæ non procul a SchWidnicio, ubi in antiquis auri fodinis intra ſaxa deprehenditur. De ea agens Montanus, ait, flavam,quæ ad rubedinem tendit, ſuam originem trahere ex aſcendentibus Auri vaporibus; albam autem ex argenteis, ideoque in argenti fodinis inveniri. Varias earum virtutes idem Author recenſet præcipuè medendi vulneribus, quæ arma venenata infligunt. Inſuper, ait, reſiſtit morſibus venenatorum animalium, habet ſingularem Sympathiam cum corde, quod mirificè confortat, cerebrum recreat, pellit dolorem cordis, ſiſtit fluxum ſanguinis, & Alvi, celeriter ſanat membra combuſta a plumbo liquefacto, ſi cito adhibeatur &c. juxta taxam Uratislavienſem venditur in Apothecis uncia ejus quatuor cruciferis, ſed de hac ſatis.

Vaſa alia numeranda ſunt ex terra, quæ dicitur Lemnia, hæc pinguis, & tenax linguæ adhæret, guſtu non mordaci: & ſi aqua ſolvatur cæræ mollitiem adipiſcitur, color illi eſt rubricæ, non tamen manus tangentium commaculat. Locus eſt Lemnos Inſula maris Ægei; pro illa, ait Aldrovandus, hodie Bolum Armenum uſurpari, quæ terra ex Regione Armeniæ finitima Cappadociæ defertur. Hodie tamen rarum eſſe ſubdit, & illud quod apud Pharmacopeos adhibetur ad colorem rubricæ accedens, advehi ex Hiſpania, aut Normannia.

Ad argillarum genus Terram Samiam meritò reduxerunt Scriptores, quandoquidem ex hac fiunt Vaſa, multorum ſcriptis nobilitata, quæque ad fercula, & vina fundenda in Sacrificiis olim adhibebantur. Nomen habet a natali loco, nimirum a Samo Ægei maris inſula, quæ cum eſſet Thraciæ proxima, Samothracia nuncupata eſt. Hodie inculta ſilviſque horrida jacet. Hæc terra ſibi a Natura has comparavit conditiones a Dioſcoride recitatas, nimirum eſt candida, mollis, levis,pinguis,& admota linguæ vehementer adhæret; unde Galenus leviorem illam dixit terra Lemnia.

Non abſimilis eſt Terra Chia ab inſula Chio Maris Ægei denominata. Apud Arabes vocatur *Tinbalad a Camaſtichi*, quaſi dixeris Terram Regionis Maſtiches, quoniam ex Inſula propter Maſtichen lacrymam Lentiſci commendatus. Hæc candida conſpicitur ad colorem cinereum vergens. Tres ejus ſpecies in Muſæo ſunt, ab Aldrovando obſervatæ. Prima eſt candida ſimilis illi, quæ in agro Vicentino eruitur, & vocatur *Fioretto di Scio*. Secunda eſt candidiſſima ad inſtar Amyli, quæ inter venas ferri invenitur. Tertia pinguis colore carneo rubeſcens, modicè adhærens linguæ. Vaſa ex hujuſmodi argilla præſtanti artificio compinguntur in variis Regionibus Regni Turcici, præſertim Byzantii, quæ deinde coloribus, & aureis floribus exornantur.

Ex Luſitania triplicis generis vaſa obtinuimus

ex

ex argilla compoſita. Præcipua rubra ſunt, quæ ex terra colata conſtant. Hæc adeo ſunt glutinoſa, ut admota linguæ penſilia hæreant. In his liquores infuſi mirum in modum refrigerantur, etſi venenata potio ex his ſumatur, illam non lædere ſcripſit Aldrovandus. Mulieres præcipuè prægnantes horum vaſorum fragmenta edunt. Adeo tenuis, & ductilis eſt, ut in quamcunque formam flecti poſſit. Egregia proinde vaſa, & quidem ampla efformantur, & pretium omne excederent, niſi fragilitas illud minueret. In menſis, & cubiculis magnatum ut pretioſa ſervantur. Pulchriora, quæ numerantur in noſtro Muſæo dignatus fuit elargiri Eminentiſſim. Cardinalis Coloredus Sacro Pœnitentieriæ Tribunali ſummus Præſes, & in Collegio Purpuratorum ob vitæ integritatem doctrinamque conſpicuus. Locus Ubi hæc vaſa fabricantur, dicitur *Eſtremoſa*, qui pagus eſt per aliquot milliaria ab Ulyſſipone diſtans.

His adde aliquot vaſa ex argilla Sinenſi compacta colore ex rubro in fuſcum inclinante. Magni illa æſtimantur ob laborem, quo artifices eorum ſuperficiem exornant addendo flores, encarpia, volucres &c. opere anaglyptico exculptas. Talis argilla vitro non abſimilis in igne ſummam duritiem licet adepta ſit, facilè rumpitur. Si leviter percutiatur Chalybe ſonum edit. Inter cætera Vas eſt cum Manubrio, cui opponitur Siphunculus: in ſummitate operculo claditur. In ejuſmodi vaſis aqua ferventi plenis folia illa immittunt, quæ Arboris Tè, ſeu Cià communiter vocant, ut potionem, in Regno Sinarum communem efficiant. Talia vaſa Muſæo adjunxit hoc anno P. Caſparus Caſtner ex eo Regno Romam miſſus rerum noſtrarum apud P. Generalem Procurator.

In alio loco ejuſdem Regni Luſitani, qui Mollellos appellatur, alia vaſa fabricantur, ex quadam argilla coloris ex plumbeo nigricantis. In eorum ſuperficie intermicant puncta quædam ut in antimonio videntur.

Tertii Generis Ulyſſipone adferuntur ex argilla coloris carnei, ab artificis cujuſdam nomine dicuntur Vaſa *della Maja*. Subtiliſſima ea ſunt, & odorem gratum exhalant, ſi aqua impleantur, quam purgari, & frige fieri exiſtimant, antequam abſorbeatur.

Creta nigerrima in Regionibus novæ Hiſpaniæ præſertim Chilenſi eruitur, ex qua Vaſa aliquot Muſeũ poſſidet in egregias formas compacta

Alia ſubalbida ex Urbe Guadalaxara Regni Mexicani. His copulantur, quorum ſuperficies pluribus coloribus, ſed rudi arte diſpoſitis apparent exornatæ. Eandem Argillam atro colore nigram reddunt, ut vaſa conficiant Chilenſibus ſimilia.

In oppido Calabriæ citerioris, cui nomen Paula fabricantur Vaſa ex argilla Rubra, & ſubtiliſſima, quæ Vaſa Luſitanica æmulantur, at illis in colore non adeò vivido cedunt.

Inter hæc Vaſa Rubra ſunt alia alternatim diſpoſita coloris ex cinereo in ſulphureum tendente, & quidem duplici in loco compacta. Aliqua enim in Sacca Urbe, in ora Siciliæ Auſtrali poſita, alia verò in Urbe Syracuſarum. At hæc non adeò ſubtilia ſunt, ut Saccentina, fortaſſe ob Figulorum imperitiam. Hæc omnia ſi aqua impleantur humorem imbibunt, poroſa enim ſunt, & rara, ſine velamine ſuperaddito.

Multo magis ſolvuntur Vaſa, quæ è terra Melitenſi candida, vulgò dicta *di S. Pavolo*, efficiuntur. Melitæ tamen alia vaſa conduntur ex quadam argilla coloris rubricæ, quæ albis picturis ruditer exornantur.

Ex Argilla Ipſenſi ſunt efficta Vaſa trigona, quæ communiter crucibula nuncupantur. Ips autem eſt oppidum Norici ad Danubium in Auſtria Laureaco finitiſſimum, quod alii dicunt Urbium. Hæc vaſa ad fundenda metalla adhibentur. Igni enim reſiſtunt.

Ad fundendum Orichalcum apta etiam ſunt vaſa ex terra cinerea Norimbergenſi. Terra autem apud Piſas, e Monte Carolo effoditur, ex quo Vaſa finguntur ad Vitrum fuſum in fornace continendum.

Bolus in agro Romano, propè viam Prænestinam effoſſus hoc anno 1703. qui pinguis, & oleoſus notas veri boli armeni oſtendit, præter colorem: ſubrufus enim eſt ad nigrum inclinans, & Lineolis quibuſdam flavis diſtinctus.

Harum terrarum ſpecies in fictilibus vaſis recognoſcuntur, quæ in pluribus Armariis ordine diſpoſita oculos accedentium oblectant. His adde terram aliam, quam ſub nomine boli candidi comprehendi poſſe judico, nam terra eſt candidiſſima, & leviſſima tangentium manus nequaquam inficiens, dentibus confricata ſuccoſam admodum ſe præbet ut terra ſamia. Huic ſimile terra feliciſſimo eventu ſe uſum eſſe adverſus febres, quæ ex venenata qualitate in humoribus exiſtente ortum trahunt, aſſeruit Calceolarius in Muſæo ſect. 2. pag. 122. & addidit, aliis quoque morbis eſſe antidotum. Ex agro Urbis Veteris effoſſam miſit ad Muſæum Comes Bernardinus Saracinellus, cujus obitum adhuc Patria deplorat.

Ex agro Senenſi ſimilem terram recepi ſub nomine Agarici foſſilis. Subſtantiam enim Agarico ſimilem habet levem albam, ſed friabilem, non tamen amaram. Tale agaricum deſcripſit Imperatus, cujus verba in latinum tranſtulit Chiocchus in Muſæi Calceolarii deſcriptione ſect. 4. pag. 468. Terram ait exiſtere ita

voca-

vocatam, candore calci similem, levitate dissimilem, quæ in Agarico summa esse solet, in specuum fornicibus inveniri, consistentiæ mollis dum solvitur, fibrosi aliquid præferre; sed denique terrarum aliarum instar liquescere, nec ejus ortum a veri Agarici ortu diversum videri, quemadmodum etiam effigie omninò ipsum refert; linguæ adhærescere, quapropter, & credi, esse terram samiam, & pro ea à multis peritis medicis usurpari. Sanguinis per os rejectionibus prodesse, generatim ad ea omnia adhiberi, quibus Samia terra est conducibilis. Lac Lunæ nonnulli appellant ob mollitiem, & candorem, quam præfert, dum in propriis locis colligitur.

Terra ex Melita insula effossa in ea specu, in qua D. Paulus habitasse dicitur, tactu est aspera, color albus ad cinereum vergens, mollis tamen est, & candida, si lotione partes crassiores separentur. Gratia Divi Pauli appellatur, eò quòd tali terræ vim efficacissimam impetravit contra serpentium, & canis rabidi morsus, infantibus etiam vermibus oppressis mirabiliter succurrit.

Antequam a Classe Terrarum fictilium discedamus, mentio facienda est Vasorum, quæ præclarus civis Tuscanellensis Alphonsus Donninus, & Senatus Populique Romani a Secretis, pro sua erga nostram Societatem benevolentia Collegio Romano liberali manu adscripsit in Testamento, quod condidit anno 1652. & publicis tabulis mandavit, a Notario Binante servatis. Octo, & triginta complanata Pollubra illa sunt, variæ magnitudinis, & formæ, quare majora ferè tertium palmum in diamento explent alia palmo minorem habent, variis tum arabicis tractibus tum Sacris, tum prophanis historiis, vel poeticis figmentis illustrata, pretiosa opera æstimantur, eò quòd Raphaelis Urbinatis manu depicta existimentur. Verùm nescio quo errore percrebuerit fama hæc, cùm nunquam figulina vasa suo penicillo Raphael exornaverit, sed diversi ejus Alumni, qui in hac arte, quam hodie deperditam ploramus, ejus tempore floruerunt. Talem vulgi opinioni locum non relinquit Vasarus, dum narrat in Vita Baptistæ Franci Pictoris Veneti, fere innumeras imagines ac historias ab ipso delineatas fuisse ex auctographis Raphaelis ex mandato Ducis Urbini, ut eas in figulinis Vasis alii Pictores coloribus explicent. Placet verba Vasari huc adducere. *Pensando quel Duca, che i disegni di Battista messi in opera da coloro; che lavoravano eccellentemente vasi di terra a Castel Durante, i quali si erano molto serviti delle stampe di Rafaello da Urbino, e di quelle di altri Valent' huominiròuscirebbono benissimo, fece fare a Battista infiniti disegni, che messi in opera in quella sorte di terra gentilissima sopra tutte le altre d' Italia riuscirono cosa rara; onde ne furono fatti, e di tante sorti di vasi, quanti sarebbono bastati in una credenza reale. Ne mandò il detto Duca una credenza doppia a Carlo V. Imperatore, e una al Cardinal Farnese.* Vasarus part. 3. vol. 2. pag. 43.

Confirmat hanc relationem D. Vincentius Victoria Patritius Valentinus, & Canonicus in Ecclesia Xativæ Urbis in Regno Valentino munitissimæ, epistola ultima observationum circa librum, cui titulus est: *Felsina Pittrice*, ubi evidenter ostendit Raphaelem nunquam potuisse brevi suæ vitæ spatio exornare penicillo pene infinitam Vasorum congeriem, quæ per varias Europæ Regiones dispersa reperitur, præsertim cum extra patriam vixerit, ubi Vasa illa figulina compingebantur. His adde Epistolam ab ipso Raphaele ad Ducissam Urbinatem missam, in qua affirmat se perfecisse imagines ejus jussu delineatas, quibus aliqua Vasa figulina exornanda essent; Hanc Epistolam a se visam Venetiis apud Illustrissimum Baronem Octavium Tassis retulit Joseph Montanus, celebris Romæ Pictor; atque ex ea manifestè probatur, quàm injuriosa fuerit vox illa, qua Author Felsinæ Pictricis Raphaelem vocavit *il Boccalajo Urbinate*.

CRYSTALLA.

HActenus Terras indicavimus opacas, & densas. Sequuntur lapides seu glebæ, quæ ex terra eruuntur perspicuæ, & Diaphanæ relictis tamen, quæ Gemmæ nuncupantur, parvæ quidem, sed magno pretio habitæ. Fluores igitur primò occurrunt, qui quodammodo Gemmarum rudimenta sunt, & veluti Gemmarum congeries rudibus lapidibus affixa, non minus quàm ipsæ gemmæ oculos oblectant. Fluores nominantur, quoniam calore ignis, tanquam glacies calore solis, liquefiant, qua proprietate variæ gemmæ privantur. Plurimæ sunt eorum differentiæ, quibus ditatur Musæum. Aliqui enim sunt lapides, in quibus quædam tubercula anguloſa conspiciuntur, quæ aliquo modo Saccharum concretu imitantur. Secundo aliqui, in quibus tubercula quædam non diaphana, simul cum Diaphanis copulantur. Tertio alii in quibus fluores crystallini juxta partem superiorem lucidi, & in acumen desinentes, tribus vel quatuor triangulis insigniti, & juxta partem inferiorem, seu matricem non pellucidi. Quarto. Fluor est albicans substantiæ Amianti æmulus, qui cum pyrite mistus videtur. Quinto. Aliqui sunt crystallini, aliqui flavescentes, alii pur-

purpurei, alii amethystini, quales in multis Bohemiæ locis inveniuntur. Alios etiam habemus candidos, alios luteos, cinereos, & subnigros. Sexto. Fluores sunt parvi tanquam scintiliæ argenteæ in lapide amethystino existentes. Septimo. Fluores in diversos angulos efflorescentes supra lapidem Gagatem, & Jaspidem rubrum, ex montibus Siciliæ erutum. Octavo. Ultra fluores sunt crystalla, de quibus quæstio est, an ex glacie indurata generentur, ut docet Plinius & Marbodeus hoc carmine.

Crystallus glacies multos indurata per annos
Ut placuit doctis, qui sic scripsere, quibusdam,
Grandinis antiquæ frigus, tenet atque colorem.

An verò ex succo quodam terreno, ut adamantes, & aliæ gemmæ? (non enim in locis tantùm frigidissimis reperitur, sed calidissimis, ut sunt fodinæ metallorum.) Hanc sententiam examinat Paulus Maria Terfagus in Centonibus philosophicis, Centone primo. Alia etiam circa crystallum quæstio agitur, nempe circa figuram, quam a Natura, vel circularem, sed ut plurimum angularem, & hexagonam obtinet. Inde oriri affirmant, quoniam in hujus lapidis generatione terrestris materia subtilis semetipsam separans ab aqua, sese unire nititur, & singulæ particulæ quocunque modo centrum sui corporis ambiunt, & appetunt; quamobrem necesse est, ut vel circularem, vel hexagonam figuram induant, cum nulla alia præter circulum perfectior esse videatur, ut Aristoteles docet. Sed cur hexagonis nascatur lateribus non facilè ratio inveniri potest, eo magis, quòd neque mucronibus eadem species est, & ita absolutus est laterum lævor, ut nulla id arte possit æquari. Nos, relictis similibus disputationibus tanquam huc non pertinentibus, primò observamus cum Plinio Crystalla plurimis vitiis infestari, aliquando externa; insuper rufa inest rubigo, aliis capillamentum rimis simile. Differunt igitur maximè ratione coloris, & figurarum crystalla. Alia visuntur cum duodecim angulis, qui interdum inæquales sunt, quædam sex angulis genita, quædam acutis, quædam obtusis angulis formata: sunt etiam quæ triangulares apparent, ex variis regionibus collecta.

Inter cætera saxum est cum Beryllis tenaciter ipsi adhærescentibus, ideſt gemmulis splendorem eiaculantibus, & ita eleganter angulosis, ut Geometræ artificis manus rectius eos formare non potuisset. Differunt etiam hi ratione colorum, sunt enim ut aqua maris, aliquando vergunt ad colorem aureum &c.

Inter Crystalla Amethystus numeratur, qui inter gemmas vulgares locum obtinuit, quia facilius scalpi potest. Triplex est ob colorem, roseus, violaceus, & purpureus, seu ad calorem hyacinthi inclinans.

Ultra crystallos, quas natura in cautibus Alpium, & inviis plerumque locis generat, aliud genus Crystalli est, quod ab arte perficitur, & ex illo Vasa magni pretii ope ignis efformatur. De his loquens Plinius sic egregiè scripsit. *Murrhina, & Crystallina ex terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere quod posset, statim totum perire.* Ejus originem enarrat idem Plinius cap. 76. lib. 36. his verbis. *Fama est, appulsa nave mercatorum nitri, cum sparsi per littus epulas pararent (in Syria, quæ Phœnice vocatur, finitima judeæ, nascitur flumen Belus in mare profluens juxta Ptolemaidem Coloniam) nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glebas nitri, e navi subdidisse; quibus accensis permixta arena littoris translucentes nobilis liquoris fluxisse rivos, & hanc fuisse originem Vitri. Mox ut est astuta, & ingeniosa solertia non fuit contenta nitrum miscuisse; cœptus addi, & Magnes lapis, quoniam in se liquorem vitri quoque, ut ferrum trahere creditur. Simili modo, & calculi splendentes multifariam cœpti uri, deinde conchæ, & fossiles arenæ. Hæc fuit antiqua ratio vitri.*

Jam verò, & in Vulturno mari Italiæ arena alba nascens inter Cumas, atque Lucrinum, quæ mollissima est, teritur, dein miscetur tribus partibus nitri pondere, vel mensura, & liquata in alias fornaces transfunditur, ibi fit massa, quæ vocatur Hammonitrum, atque hæc recoquitur, & fit vitrum purum. Hactenus Plinii verba, ex quibus docemur, qua nam ratione eo vivente Vitrum conficeretur. Nunc autem eo modo perficitur, quem inter cæteros narrat D. Joannes Baptista Contulus Medicinæ Doctor Bononiensis in tractatu de Lapidibus in humano corpore productis cap. 27. his verbis: *Ægyptii herbam Kali, alio nomine Sodam nuncupatam accipiunt virescentem, & sine flamma super prunas comburunt, quam postea in cinerem commutatam nobis in massam transmittunt, hancque Vitrarii emunt pro vitro parando, & varia sortita fuit nomina. Alii enim hanc vocant Sodam, & alii alumen catinum, seu Riscoli cinerem. In hoc verò hi populares homines, quàmmaximè decipiuntur, cum verè non sit soda illa, quam diximus ab Ægyptiis manipulari, sed quid simile ipsi. Componitur verò vitrum sic. Recipe Arenæ Drepanitanæ lib. 76. Cineris sodæ lib. 20. & per setaceum cribratæ, pone in fornace, reverberio ignis calcina, continuoque cochleari ferreo agita, ut valeat facilius calcinari, & ne adhæreat fornaci, donec liquidum corpus evadat: ignem adde, quod plerumque evenire solet, spatio sex horarum circiter; quo completo massam coacervatam remove*

ab

ab igne, inde repone, & ad tui placitum pro vitro componendo accipe quantum lubet, & in vaſe proportionato accommoda in fornace, ipſique ignem præbe per horas duodecim, quo tempore impone tantum Silicis a Vitrariis Manganeſe *appellati, qui etiam cum maſſa fundetur, & hic advertè quod ex vitri vario colore ipſius perfectio cognoſcitur. Si enim vitrum apparebit rubrum, ſignum eſt quod major pars illius eſt ex dicto* Manganeſe, *& propterea imperfectam. Si viride parum aderit prædicti Silicis. Sin autem pellucidum, & Chryſtallinum, nihil prorſus hujuſmodi Silicis retinuit mixtum, & vitrum erit perfectiſſimum.* Huc uſque præfatus Doctor.

Ferunt Hiſtorici Tiberio Principe excogitatum Vitri temperamentum, ut flexibile eſſet, & totam officinam artificis ejus abolitam, ne æris, argenti, auri, metalli pretia diſtraherentur. eamquem famam crebriorem diu quàm certiorem fuiſſe. Inter alios uſus, uſum ad potandum argenti, & auri metalla pepulit. unde Plinius inclamat. Heu prodigioſa ingenia, quot modis auximus pretia rerum. Auxere, & artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines cælare juvit ac per obſcænitates bibere.

Hujus generis plura ſunt in Muſæo Vaſa cryſtallina ex Bohemia, & Hollandia allata, quæ haud quidem obſcænitates inciſa habent, ſed arbores, flores, animalia diverſa demonſtrant. Imo eſt vaſorum vitreorum delectu, & varietate refertiſſima congeries, diverſis coloribus ſaturata. Inter omnia enitent irides exhibentia, in quibus gemma ſimulatur, quem Gemmarii Opalum vocant. In candido enim carbunculi fulgorem, Amethyſti purpuram, & Smaragdi virorem oſtendunt. Sunt quæ adamantino ſcalpro affabre elaborata, atque ut omnia uno verbo complectar, viſitur quidquid artis vitrariæ peritiam indicare poteſt, atque ſtudioſorum naturæ mentem perficere ſolerti delectu ex Venetorum officinis aceeptum.

Hactenus candide Lector Lapillorum, gemmarum, metallorum, &c. quæ in hoc Muſæo aſſervatur, deſcriptionem ſumus proſequuti quantùm Inſtituti Nomenclatoris ratio patiebatur. Reliquum eſt, ut ad alia non minus curioſa gradum faciamus; ſed locus Senecæ recolendus, inquirentis, cur Natura tot metalla, & gemmas produxerit. In eo ſic reſpondet, lib. 1. nat. quæſt. capite ultimo. Summum Rerum Architetum, cum ſol omnibus rebus naturalibus pulchritudine, & dignitate præſtaret, voluiſſe nos in iis, tanquam in læviſſimis ſpeculis ejus fieri participes, dum lucem ejus mirar emur, quæ in proprio ſolis fonte conſpecta oculorum aciem perſtringeret, & offuſcaret.


1
2
3
4
5
6
6
6
7




6
9
9
10
12
15
13
14
16
17



CLASSIS SEPTIMA

Apparatus Rerum Peregrinarum, ex variis Orbis Plagis collectus.

PRimo loco ponimus, quod in fine cap. 6. ſui Muſæi poſuit Kircherus, hoc eſt cincturam Barbarorum Braſiliæ. Faſcia illa eſt palmaris latitudinis ex quodam lino contexta, ex qua dependent fila quamplurima ad palmum cum dimidio protenſa, nigris globulis veluti piperi granis tecta, atque eorum ſingula humanos dentes ſuſtinent. Hac multitudine dentium ſuæ feritatis facinora illos oſtentare retulit Kircherus, inquiens *tot dentes illam continere, quot hominum quorum carnes devoraverint in teſtimonium generoſi animi*, eamque ut tegumentum pubis portare. An veram relationem Kircherus habuerit non abſque ratione poſſumus dubitare; videtur enim incredibile unicum hominem potuiſſe tot homines devorare, quot dentes ex hac cinctura dependent; numerum enim ſexagenarium excedunt. Acceptos tamen ex cadaveribus hominum, quorum carnibus paſſi fuerint non eſt dubitandum; Scimus enim ex Giraldo de vario ſepeliendi ritu, diverſam ſemper fuiſſe ſepeliendi rationem, diverſamque & variam ſepulchrorum materiem. Inter cætera homines ipſi ſepulchra fuere apud eas gẽtes, quarum mos erat humana carne veſcendi, unde illis vocabula Androphagi, & Anthropophagi. Aliquos eſſe Indos legimus, qui parentes, priuſquam annis, aut morbo aliquo in maciem ſeniumque eant, veluti Deorum hoſtias mactant, cæſorumque Viſceribus epulari rem maximè piam exiſtimant; & ubi ſenectus aut morbus inceſſit, procul a cæteris abeunt, mortemque in ſolitudine nihil anxii expectant. Ex Alexandro Sardo de Ritibus Gentium lib. 1. cap. 23. *Derbices ſeptuagenarios viros jugulant, eduntque, fœminas ſuffocant, edunt etiam ægrotos, & Senes Padæi Indi, Viri viros, fœminas fœminæ. Ponti Accolæ, & Scythæ. Sic Eſſedones, capite tantùm ſervato, quo auro, & argento, gemmiſque exornato utuntur pro poculo.* Apud Herodotum lib. 1. Meſſagetæ grandi natu parentes jugulant, & ex eorum carnibus inſtructa menſa, cognati, & amici veſcuntur, quod mortis genus apud eos habetur beatiſſimum. Apud Apollodorum lib. 3. cap. 20. Eſſedones Aſiæ populi utramque Scythiam incolentes eundem obſervare morem dicuntur. Necatis enim, qui ætate proceſſete longius, invitant propinquos ad ferales epulas, ſatius exiſtimantes, & Sanctius ab homines honeſtè comedi, quàm a canibus fœde laniari, aut fetide conſumi a vermibus. At utcunque cinctura propoſita dentibus humanis exornata fuerit, inſigne eſt vel inhumanæ pietatis, vel ferociſſimi hominis monimentum.

2 Cingulum aliud non crudelitatis ſignum, ſed doctrinæ ex Regno Sinarum allatum. Illo enim cæteris ſapientiores, & in dignitate aliqua conſtituti olim utebantur, tamquam peculiari ſigno ſuæ conditionis. Ex corio conſtat, quadratis, & pellucidis bracteis exornato, & ſquamis cujuſdam piſcis, ſub quibus veluti bulla rubra aureo colore circumdata nitet. Latum eſt tres digitos, & ad palmos quatuor extenditur.

3 Aliud cingulum bino pollice latum ex nova Francia, ſeu Regno Canadenſi Americæ. Populi Hurones dicti mirabili artificio illud componunt, ex minutis particulis, & quidem æqualibus oſſium diverſarum volucrum anſerino calamo minorum. Eas particulas diverſo colore primùm ſaturatas præparant; deinde alternatim ſeligunt, & filo tali arte connectunt, ut flores, characteres, volucres, atque alia foliata opera effingant; quod in Muſæo eſt ex nigris tantùm, & candidis oſſibus conſtat. Vidi aliud ſemipalmari latitudine ex quatuor coloribus compoſitum, in quo legebantur verba ſalutationis Angelicæ: *Ave Maria gratia plena*, dono miſſum a Chriſtifidelibus ejus Regionis ad Domum Lauretanam Beatiſſimæ Virginis ſacram.

4 Torques præclarus, quem annulis ex fulvo, & plicabili auro contextum diceres, niſi eſſent pellucidi, validi tamen ſunt, & citharæ fidibus perquàm ſimiles. Mirantur omnes cum ſciunt ex viſceribus Bombycum exſiccatis compactum eſſe in Calabria, quæ magna Græcia olim dicebatur.

5 Torqui adnectimus monile ex Braſiliæ Regno allatum, quod incolunt Barbari vulgò *Kiriri*, Materiem ejus ſuperat opus, nam cum inſtrumentis aptis careant, illud improbo labore

componunt ex particulis osseis ferarum, vel ostrearum, quas solo cultro demunt, & in æquales lineolas paulatim radendo efformant. Has deinde ex gossipio contexto, per angustum foramen ducto in monile disponunt, quo Puellæ exornatæ ad nuptias incedunt, nec illis armillæ desunt ex integra ostrearum testa fabrefactæ. Circuli illæ sunt solidi, qui, bracchiis in tenera ætate insertis, noctu diuque semper gestantur, adeo ut adulta Virgo, intumente hinc inde carne nulla arte eas demere amplius possit. Hæc sunt præcipuè dotis partes quam sponso præferunt, vocantque hujusmodi monile *Bebà* illudque cum Equo commutare solent, qui pretio quatuor scutorum in ea Regione æstimatur.

6 Ex Brasilia pariter allata est Umbella. Compacta est ex plumis Struthiocameli variis coloribus ab arte superinductis. Avis est omnium maxima, si tamen avis est dicenda, de qua Plinius libro decimo capite primo. *Sunt etiam in Affrica, & Æthiopia hujusmodi Animalia, & in Brasilia majora, altitudinem capitis insidentis equo excedunt, & alacritate currentem vincunt. Cæterum non sunt volucres, nec a terra pennis tolluntur. Ungulæ iis cervinis similes, quibus dimicant, bisulcæ comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus. Concoquendi sine delectu devorata mira natura, sed non minor stoliditas in tanta reliqui corporis altitudine; quum colla frutice occultaverint, latere se existimant. Eorum ova propter amplitudinem, pro quibusdam habita vasis.* Ex illis quatuor sunt in Musæo palmi longitudinem æquantia. Tria albedinem referunt, aliud flavedine quadam obductum apparet. Tali autem artificio compactæ in Umbella pennæ sunt, ita in vertice coeuntes, & colligatæ, ut ligneo cuneo per axem promoto dilatari in gyrum facile possint, & umbellam efformare, qualem ex tela adhibent Europæi ad solis radius aptè retundendos.

7 Præter umbellam ex pennis compactam, Flabellum est ex plumis purpureo colore saturatis. Avis illæ sunt, in Brasilia præclaræ, quem dicunt *Guaraf*. De illa prodigiosa referunt, nam ovo excusa plumis tegitur coloris cinerei; ubi verò adoleverit, illæ nigrescunt, donec atratæ penitus, & corvis non absimiles appareant. Deinde evanescente paulatim nigredinæ purpureum colorem induunt, rostro tantùm nigro remanente, quod non modice extensum, & aduncum habet ad venatum. Ex hujusmodi plumis mira arte intextis flores conficiunt Brasiliani, Vestes insuper, & lectorum stragula, quæ magno pretio divendunt. Hæc omnia narrata sunt a Viris fide dignissimis qui multos annos in Regno Brasiliæ vitam traduxerunt, Margravius tamen de hac Ave ita scripsit Hist.nat. lib.5.c.8. *Hæc primùm excusa coloris est nigricantis, Hinc evadit cinerei deinceps albi, sensim autem rubescere cœpit, & secundo ætatis anno coloris est in totum, quem Columbin vocant, quoque magis senescit, eò magis elegantissimum illum colorem coccineum acquirit.*

8 Dum de plumis agimus, aliæ aviculæ sese offerunt ex Messico allatæ. Illas descripsit Joannes Faber Linceus relatus a Jo.Antonio Reccho de Animalibus Americæ pag. 705. his verbis. Rostrum oblongum, acutum, tenuè, & tantisper curvatum nigricat; cum hoc caput collumque, quod longum satis in magnitudine proportionem obtinet, colores niger viridisque saturatus adeò per minima commiscentur, ut oculis se quasi nostris ambo occultent, qui tamen parvorum instar punctorum ex croceo, aureoque pulcherrimo colore effulgent. Ex nigro viridique, sed diluto magis inferiorem colli partem color usque ad pectus, idemque dorsum venustat, nisi quòd in hoc albæ minimæque maculæ quædam apparent interspersæ. Putares in hac elegantissima, & exotica ave merum superbi Pavonis, aut Phatiani masculi, aut variegatum rutilantis columbæ collum intueri. Alæ nigricant, sed anteriores harum partes candidis maculis lucent, cauda subfusca ferme tota, principium tamen hujus viresçit, albescit extremitas, pedes habet longos nigricantes subtiles, tribus ante distinctos digitis, cum quarto posteriore. Hæc Avis quem Mexicani *Hoit zitziltotl*, Pervani verò *Pilleo* Hispani *Chuparosas* appellant, nihil comedit, nisi substantiam, & medullam florum spinis armatorum. Pennarum usus est in imaginibus conficiendis, picturis simillimis, & aliis hujusmodi pretii magni operibus; ex quibus, præter Aviculas, unum pulcherrimum servat Musæum. Corpore est non majore quàm crabronis, vel cicadæ vulgaris. Vide etiam Clusium, Consalvum. Ferdinandum Oviedum cap. 48. Josephum a Costa lib. 4. cap. 37. Thevetum cap. 48. Singularium Franciæ Antarticæ.

His junge aviculam Brasilienſem, quam dicunt *Guainumbi*, & *Guainambi*. Corporis totius longitudo ab initio rostri ad extremum caudæ tres digitos æquat. Color plumarum ad nigredinem inclinat: cauda, & alæ melleo maculantur. Guttur, & pectus viridi ac igneo mixto contra lucem exposita egregiè coruscant, caput verò in parte superiori purpureo splendet.

9 Non desunt ex Avibus illæ, quas Aves Paradisi vulgò dicunt, seu Manucodiatæ. Innumeri penè Auctores de hac ave scripserunt. Eam ita descripsit Kircherus in Musæo pag. 33. Manucodiata pedes ita modicos habet, ut care-

re

re iis videatur, duo longiſſima fila atri coloris, e corpore excurrunt, quæ in arborum ramis implicat, ſeque ſic iis ad quieſcendum ſuſpendit. Quo cibi genere veſcatur ignotum eſt: quin imò ex aere victitare ſunt qui perhibeant. Plerumque in continuo motu per auras defertur. Alas habet, ſed immediatè poſt prominulum roſtrum: exigua corporis moles variorum colorum, qui tamen maximè ad æruginem accedit, pennas verò ad duos palmos excurrentes paucis circa roſtrum, & lanuginoſis pennullis mira varietate contectum, videturque agglomerata quædam pennata maſſula vix carne conſtans. Cauda verò Pavonem more aureo ſplendore nitet aliis mixtim coloribus coruſca, hactenus Kircherus.

Nardus Antonius Recchus de rebus indicis novæ Hiſpaniæ lib. 9. cap. 6. hæc habet. Aves apodes, quæ per tot ſæcula homines latuerant, navigatio in Moluccas deprehendit; non enim habent pedes, ſed eorum loco pennas fulvas, hiſpidas, tenues, duas ſpithamas, & quatuor uncias longas, a medio circiter corpore prodeuntes, crinium craſſiorum inſtar, quorum uſus eſt (ſi unquam volatu ceſſant) arboribus appendere, quando conſedendi ſunt impotes. Sunt enim, qui affirmant perpetuos volatus edere, & ſublimi ſemper pondere cœlo, & ſi in ſolum deturbari caſu aliquo contingat, a pueris facili opera deprehendi. Solertiſſimus rerum naturalium Ulyſſes Aldrovandus hiſtoriam hujus avis, in opere Ornithologiæ proſequutus eſt, illamque Apodem eſſe affirmat. Eruditiſſimus tamen Andreas Chiocchus in deſcriptione Muſæi Calceolarii ſect. 6. luculentius, & verius, quam cœteri recenſuit, quæ ſequuntur.

Avis iſthæc avicula Dei, paradiſea, Manucodiata, & Chamæleon aereus etiam appellatur, de qua multa, & curioſa ſcripſere Scaliger, Cardanus, Corradus, Geſnerus, & alii multi. Nos quidem ex Guilandino, & Cluſio pot ſſi num attingemus, quo enim in his rebus recentiores ſunt Auctores, eò in rebus explorandis, & recenſendis veraciores fuiſſe videntur. Paradſeam ergo Avem pedibus carere, omnes, qui de ea tractarunt, cenſuiſſe viſi, præter Antonium Pigafettam, & Cluſium, quibus ego libens aſſentior; ille enim Magellano profectus, & toto Orbe perluſtrato, a longa navigatione redux, hujus avis notitiam Europeis hominibus primus dedit, & in navigationis ſuæ diario ait Cluſius. Pedes (Crura voluit dicere) palmum longos huic avi attribuit. In eadem erronea opinione ſe verſatum diu ingenuè profitetur Cluſius, ut eas aves apodes putaret; quod omnes a ſe conſpectæ manucodiatæ ſine pedibus erant, nec eo tempore curioſus eſſet ad obſervanda rerum diſcrimina: mox ex poſtremis in Indiam Batavorum navigationibus ſe ſententiam mutaſſe, cum certum ſit allatas hujus Aves Amſtelodamum integras, cruraque cum pedibus retinentes: Nautas certò affirmaſſe ſe ab iis, a quibus Manucodiatas coemebant, intellexiſſe, omnes pedibus eſſe præditos, incedere, & volare aliarum Avium inſtar, ſed incolas ſimul atque eas cœperint inteſtina ac pedes adimere, & abjicere, inde ſoli exponere, ut facilius areſcant, aridas aſſervare ut venundent, aut ſuis caſſidibus pennarum loco aptent. De iiſdem multa referri etiam ait, ſed omnia perſequi non eſt opus, ſicuti nec longam deſcriptionem reſcribere, quam Chiocchus eleganter concinnavit, poſtquam Manucodiatæ figuram expreſſam poſuit.

Ejuſdem ſententiam confirmat Olaus Vormius in ſuo Muſæo cap. 16. his verbis. Crura pro corporis ratione magna ſatis. Tibiæ enim longitudo ab infima fœmoris articulatione, ubi plumis raris, exiguis, colore fuſcis dotatur, ad pedem uſque unciarum eſt trium, membranaque ſublutea levi, & glabra veſtitur. Pes quatuor conſtat digitis, quorum unus inſtar calcaris poſteriorem conſtituit, partem reliqui tres anteriorem ut in Gallinis videre licet, inter eos medius reliquis longior. Quilibet verò digitus tribus dotatur articulis, quorum primus metapedium, reliqui digitos ipſos conſtituunt. Superius cruſta quaſi teguntur dura, aſpera, ſquammatim coagmentata, inferius calloſa. Qua ungues (qui adeo adunci ut ſemicirculum ferè conſtituant) digitis nectu tur; calloſa quædam protuberat pulpa commodiori proculdubio inceſſui deſtinata. Ungues ipſi quales avium rapacium eſſe ſolent, magni, acuti, cornei, colore ad albedinem inclinantes. A tibiæ extremitate ad unguium apices quinque numerantur unciæ, quas non attingit corpus ejus exſiccatum ſine plumis. Hæc accuratius delineanda erant, quod etiamnum multi conſtanter negant pedes habere, ex quorum numero eſt Nierimbergius. Hinc patet dubia illa, & difficillimos nodos, de quibus Aldrovandus loquitur, ex hac hiſtoria facilè enodari poſſe, imò per ſe evaneſcere. Quod enim omnes, paucis exceptis haſce aves apodes eſſe, & pedibus carere crediderint, id falſum eſſe ocularis docet demonſtratio. Hæc Vormius, cujus demonſtrationem confirmat Avis ipſa in noſtro Muſæo collocata pedibus prædita, quales Vormius deſcripſit, & nos expoſuimus in Tab. LXVII. ſub n. 1. Alia etiam eſt pedibus quidem orbata non a natura, ſed a Venatoribus Judicis ob rationem a Vormio allatam, quam etiam refert quidam Anonymus ſcriptor, e noſtra Societate in relatione Luſitanica de Origine fluminis Nili, quam Italicæ translatam Floren-

tiæ vulgavit Dominus Magalottus. Eaſdem aves pedibus prædítas ſe vidiſſe narrat D. Tavernier part. 2. lib. 3. cap. 2. his verbis. *Nell' Iſola di Ceilan queſto ucello venuto dalla parte Meridionale inghiotte le noci moſcate mature, quali imbriacano li detti uccelli, che vengono a turme come i ſtorni, onde cadono morti, e ſubito le formiche, delle quali abonda quel paeſe loro mangiano i piedi, e queſta è la ragione, che dicono non eſſerſi veduti tali uccelli co' piedi, il che non è vero, perche io ne hò veduti molti co'piedi.*

10 Peregrinarum etiã Avium exuvias aliquot ex Braſilia habuimus colorum varietate præclaras, & in Italia nunquam viſas. Inter cœteras Avis eſt, quam dicunt *Tuccano*, nigerrimis, & aureo fulgore nitentibus plumis condecorata. Roſtrum illi magnum, & atrato colore imbutum, qualem bubalina cornua oſtendunt levigata.

11 Aliud roſtrum intuentibus occurrit volucris, quẽ *Picam braſilianam* vocavit Kircherus in Muſæo pag. 32. alii a magnitudine *Rampháſtum*, alii *Abbatem ſuperbum*, vel *Rhinoceratem* dicunt. Quidquid ſit de nomine, ſi cœtera corporis membra roſtro convenerint, maxima inter volatilia dicenda eſſet. Roſtrum quippe aliquando duos palmos longitudine excedit, & quà capiti unitur, quatuor uncias in craſſitie ſuperat, in latitudine verò uncias ſeptem. Illud in acumen curvũ excreſcit, pluribuſq; denticulis acutiſſimis inſtar ſerrę hinc inde prominulis conſpicuum, ut videtur ſub num. 2. Tab. ejuſdem ſi relatoribus qui ex India ad Urbem acceſſerunt, credendum eſt, pretioſiſſima antidotaria virtute adverſus omnia venena præſtat, quare ab Indis maximi hæc roſtra fiunt. Quod in Muſæo eſt donum fuit Illuſtriſſimi Præſulis Leonis Strozzę Viri omnigena eruditione, & liberali humanitate præclari.

12 Nec omittendum eſt aliud roſtrum Avis quidem ignotæ ſed Indicæ, palmari longitudine extenſum, ſed adeo anguſtum in craſſitie, ut vix anſerinum calamum eccedat, ubi magis tumet, leviter arcuatum in acumen deſinit, quo facilè formicas, vermiculos, ſeu aliud ſemen minutiſſimum ſeligere poſſit. Caput cui unitur parvam nucem ſua mole non excedit; cœteræ avis partes ſunt incognitæ. Noſtrum expreſſimus ſub num. 3.

13 Onocratalus magnitudine a ſumma roſtri extremitate ad imos pedes, ſpithamas decem exſuperat Aldrovando teſtante. Alæ extenſæ ſpithamas decem perficiunt. Sub inferiore mandibala receptaculum illi, ceu uter quidam ejuſdem longitudinis cum ea, longius dependens. Tantæ autem illud capacitatis, ut ingentis ſtaturæ homo ocreatus pedem ad genu in fauces immiſerit. Quin parvum in eo repertum Æthiopem refert Sanctius. Mechlinæ tam ſublimi in aerem volatu quandoque evehebatur, ut hirundine nihilo appareret major. Ulnæ etiam alarum membrana integuntur, ex qua numero viginti quatuor oriuntur tendines, qui tam tenaciter in eas inſerti, ut nullo ſeparentur pacto. Circa Lauſanam in Lacu Lemano ſemel anno apparere ſcribit Geſnerus. Hæc omnia ſcripſit Jonſtonus in Taumatographia de Avibus cap. 25. Ejus roſtrum exhibetur in Muſæo acceptum ex Urbe Raguſina, ejuſque Iconem profert Tabula noſtra ſub num. 4.

14 Ad avium claſſem nidi, & ova referenda ſunt, in quibus raritas quædam occurrit. Et primò Nidi ſunt quos Vormius ita deſcripſit. Ex India Orientali dimidii ovi anſerini magnitudine, ſubſtantia Ichtyocollam referente, ad nos adferri cœperunt variis ramulis hujus ſubſtantię intertextis conſtantes, quas in Jure coquunt, & diſſolvunt, atque ita comedunt. De illis Joannes de Laet hiſtoriæ americanæ author hæc Vormio per litteras ſignificavit. Dedi operam, ut cognoſcerem qui nam nidi eſſent, de quibus ſcribis, & a duobus qui in India Orientali cum ſumma poteſtate præfuerunt, didici, ad oram Indiæ, quæ Coromandel vulgò dicitur, & præcipuè *Patanen*, eſſe aviculas quaſdam, quæ ex glutinoſa quadam ſubſtantia, ut res ipſa docet, conficiunt nidulos, hemiſphæricos, quos petris arduis, & abruptis affigunt, inſtar hirundinum, quos indigenæ avellunt, & opulento commercio ad Sinenſes, & alios mittunt. De facultatibus variant; alii enim aliquid Venereum illis tribuunt, alii non. Diluuntur, & coquuntur in juſculis, & materies cum ſit glutinoſa furculis decerpitur, cum voluptate quadam, ut ajunt, devoratur. Nomen autem avium ignoro, minimas eſſe teſtantur, a quibus hæc accepi.

15 Alium nidum ſuperiori jungo, qui ex Regno Lithuaniæ allatus eſt. Ex molli lana prodigioſa arte compacta ille conſtat, in formam ſacculi rotundi efformatus, ſeu potius crumenæ in ſummitate clauſæ ab Avicula, quæ a Polonis *Remis* dicitur. Hæc corpore minima, ingenio tamen maxima, cum inſidias ſerpentum ſuis pullis timeat, tali arte nidum componit, ut ſemper ab extremitate alicujus ramuſculi ſupra decurrentes aquas dependeat, ne ſerpentes inſidiantes ſuſtentare valeat: atque ut ipſa pullis ab ovo excluſis cibum venari poſſit, foramen relinquit apertum in ejuſdem nidi latere cui tamen veluti tectum inſtar ſubgrundii imminet, ne aqua è cœlo in nidum decidat; ut figura 5. oſtendit. In Provincia Volhynia hujuſmodi nidos Incolæ venantur, utpote qui catharro equorum remedium præbeant opportunum, ſi

ſub

ſub eorum naribus comburantur, immo & hominum, ſi cum lacte decocti cervici applicentur. Tales nidos, e Lithuania receperam, cum repente duos omnino ſimiles amicus attulit, repertos in Paludibus propè Lacum Thraſymenum ad Montis Politiani in Hetruria, ex quadam ſalice dependentes, & ovicula continentes; qui tamen an ejuſdem generis ſint cum ſuperius deſcriptis ignotum eſt.

Fere ſimiles nidos deſcripſit Jacobus Zanonus Bononieuſis in hiſtoria Botanica pag. 20. ubi expreſſit quamdam arborem indicam, cui quædam volucres, qui appellantur *Pardali*, affigunt nidos a nobis expreſſos his verbis. Artificioſiſſimi nidi ad arbores penſiles, & ad tecta domorum ſunt, quaſi tenuiſſimo ſerico texti, qui ex coccorum filis fabricantur; Mas extra, fœmina verò intus, operante roſtro, ex una parte eſt locus ſecurus, & fortius textus pro ovis, ex alia parte tuba longitudine duorum, vel trium palmorum tam tenuis ut perluceat; ex qua inferiori parte ſolùm avibus patet ad nidum aditus, deſinens in filum tenue, ne aqua deſuper commoretur; altera camera intus eſt, ut maſculus locum habeat dum fœmina fovet ova: & tam bene ſunt efformati ut ex eis Ruſtici ſumant aliquos magnos ad caput cooperiendum. De iiſdem hæc habuit P. Vincentius Maria S. Catharinæ Senenſis in ſuo Itinere Orientali. *Nel Pardale ritrovò l' artificio col quale forma il nido, la ſua grandezza forma. e figura è ſimile a noſtri Paſſeri: le piume a quelle de' Roſignoli, e ſenza canto. Con fili di Cairo, (che è la canapa dell' India, tirata dalle prime corteccie del Cocco fatto) teſſe con artificioſiſſima orditura come un ſacco lungo circa un braccio, e mezzo, nella parte ſuprema acuminato, che per una ſola cordicella ſi appende alla eſtremità de' rami delle piante, nell' inferiore aperto quanto baſta per dargli l' ingreſſo: tirati che ha li primi fili congiunti con quello, che li ſoſtiene, e gli ordina di ſotto nel circolo, che deve ſervire di porta: poi appoggiandoſi la femina a queſto, con il becco li ſtende, e lavorando di dentro, e il maſchio di fuori con il becco vanno gratioſamente porgendo gli altri fili per attraverſarli con quelli, che ſono ſtеſſi per longo, come ſe voleſſero teſſere una tela, torcendo, tagliando ove fà biſogno. Giunti con la teſſitura a mezzo del ſacco, lo dilatano in certa borſa ne lati, ove formano uno, o due luoghi per riporre le Uuova: poi tornando sù 'l dritto primiero ſeguitano ſino al fine con terminare in piramide la loro caſa tanto ben coperta, che reſta ſicuriſſima dall' acqua.* Placuit talium nidorum Iconem exponere ſub num. 6.

In Inſula Coromandel, quia ibi non ſunt fila, ſive materia apta pro nidificando, aves in petris dant octo, vel decem ova, roſtro illa confringunt, minutim, componentes cortices cum ſubſtantia ovi, qua parum ad ſolem exſiccata conſtruunt nidos duriſſimos, & camerulæ pro unoquaque ave ſiunt.

16 Vas è cornu Rhinocerotis factum apud Indos Orientales, Cymbâ imitatur, intus foriſque pellucidam. Referunt periti aquam, quæ in ejuſmodi vaſe per aliquod tempus permanſerit, virtutem efficacem contrahere contra venena, febreſque lethales, ob idque in magno pretio eſſe.

17 Formæ veſtimentorum, quibus utuntur cum Viri tum fœminæ in nova Francia, ſeu Regno dicto *Canadà*. Pars illud eſt, referente Michaele Antonio Baudrand in ſuo Lexico, ampliſſima Americæ Septentrionalis juxta fluvium Canadam, ſeu S. Laurentii longe lateque extenſa juxta terras Arcticas ad Boream, & Mare boreale ad Meridiem. Subeſt Dominio Francorum a centum quinquaginta annis, & in ea habent plurimas colonias, quarum præcipua eſt *Quebecum*. Virum, & fœminam ejus regionis in Tab. noſtra num. 7. & 8. exhibuimus. In iis obſervatione dignæ ſunt inciſuræ, ſeu ſtigmata, quibus frontem, genas, cœteraſque faciei partes deturpant. In ætate enim puerili traducto per acum filo, pinguedine quadam colorata imbuto cutem ſulcant, ſub qua indelebiles notæ permanent.

18 Exemplar cymbæ, quam ex cortice cujuſdam arboris ejuſdem Regni incolæ compingunt, ſexdecim palmis longam, ſed adeò levem, ut eam unicus homo ſine labore ſupra dorſum, e flumine ad Domum transferat. Illud indicat num. 9.

19 Ex eodem cortice cyathos, ſcutellas, & alia inſtrumenta pro potu, & cibis in menſa ſervandis mira arte conficiunt. Complicatis ejus fimbriis, quas ſimul adeo aptè conjungunt tenuiſſimis, e ligno quaſi philyris, ut nulla ex earum rimulis liquoris gutta decidat. Tria ejuſmodi vaſa diverſæ formæ ſervantur in Muſæo.

20 Retè miro artificio contextum in Regno Mexicano videtur palmis duodecim longũ, decem latum. Illo pro cubili, & pulvinari utuntur Mexicani, appenſis hinc inde extremitatibus vel arboribus in campis, vel parietibus in domo. Illud dicunt *Hamaca*. Ejus fila non admodum craſſa, ſed validiſſima ſunt ad ponderа ſuſtinenda. Deducuntur ejuſmodi fila ex foliis cujuſdam plantæ, quam Incolæ appellant *Maghei*, eſtque inter plantas omnium utiliſſima, nam ab ea quidquid ad humanos uſus attinet, ſubminiſtratur. Talem plantam deſcripſit cap. 12. libri octavi rerum indicarum novæ, hiſpaniæ Nardus Antonius Recchus his verbis.

Metl

Metl plantæ, quam Mexicani Maguei appellant, plures sunt. Una est, quæ folia Aloes fert, sed longè majora, & crassiora; (aliquando enim æquat longitudinem arboris mediocris) utrinque spinifera, atque in rigidum acutumque desinentia mucronem, caulem duplo majorem habet, & in ejus parte summa flores luteos oblongos juxta cacumen stellatos; radicem verò crassam, brevem, & fibris scatentem. E nulla re proventus est amplior. Planta hæc unica quidquid vitæ esse potest necessarium, præstare facile potest. Innumeri pene sunt usus, qui ab ea desumuntur. Tota enim illa lignorum, quibus agri sepiuntur, usum præstat: Caulas tignorum, folia verò tecta tegendi imbricum, lancium, Papyri, filique, ex quo calcei lintea, & alia vestium genera, quæ apud nos Lino, caunape, Gossipio, aliisque hujusmodi parari solent. E mucronibus fiunt clavi, & nuclei, quibus perforandis auribus, macerandi corporis gratia Indis uti mos erat, cum Dæmonum vacarent cultui. Item aciculæ usus, tribuli militares, & rastilla idonea pectendis subteminibus. Præterea, e succo manante, cujus evulsis germinibus internis, foliisque tenerioribus, in mediam cavitatem stillat, planta unica quinquaginta interdum amphoras, Vina, mel, acetum, & Saccharum parantur. Succus namque destillatione sit dulcior, decoctione, & dulcior, & spissior, donec tandem cogatur in Saccharum. Vinum sit ex eodem succo diluto fontana aqua, additis corticibus malorum medicorum limonumque, & aliis. E saccharo quod ex eodem succo parant acetum, nempè resoluto ex aqua, & novem diebus insolato, idem succus menses cient, alvum lenit, urinam evocat, renes, & vesicam emundat, lapides frangit. E radice quoque Restes fiunt firmissimæ, crassiores foliorum partes truncusque decocta sub terra, vulnera recentia conglutinant. Imaginem ejus hic Author expressit, ut in nostra tabula vides num. 10.

21 Crumena in Regno Pervano miro artificio contexta. Quinque enim fila diversis coloribus imbuta, simul implicantur, & alternis ductibus ita recurrunt, ut in intima, & extima facie eosdem penitus flores repræsentent. Hujusmodi panno, quod Peruani *Combe* appellant, Soli Reges olim induebantur; Constat illud ex pilis cujusdam animalis Camelo similis, sed mole minoris, quod patria lingua *Carneros della Tierra* dicitur. Pretium ejusdem crumenæ ex relatione habita cujusdam Itali in Regno Peruano commorantis quatuor nummos aureos æquat.

22 Liber Malabarico idiomate scriptus, ducentis quadraginta laciniis ex foliis Palmæ indicæ duos pedes Romanos oblongis constat, in quibus stylo ferreo acuto caracteres inciſi sunt, & nigro succo imbuti. Quoniam de scriptione in foliis palmæ sermo est, non incongruum erit hic ponere, quod promisimus, dum de stylis egimus, quibus in scribendo antiqui utebantur. Morem scribendi in foliis palmarum antiquissimum fuisse Plinius retulit lib. 13. cap. 11. ubi tamen pro *palmarum* foliis legendum esse *Malvarum* ex Guilandino docet Henricus Salmuth tit. 13. in notis ad Pancirolum, probatque Antiquos in foliis stirpium scripsisse, quem morem ab ipsis Indis præcipuè Malabricæ Provinciæ etiamnum servari narrat Osorius lib. 2. de rebus Emmanuelis Lusitaniæ Regis. *Inscribendo*, inquit, *neque charta utuntur, neque papyro, sed stylo in foliis arborum sylvestrium, quas propter nonnullam similitudinem palmas appellant, litteras exarant. Multa ejusmodi folia ita præcidunt, ut omnia longitudine paria sint, in quibus res historia dignas litteris mandant. Foliorum verò extremitates perforant, iis autem compingendis duo ligna complanata, & ad eum modum perforata conjungunt; tum foliis ordine compositis, & lignis extrinsecus adjectis utrinque per foramina funiculos immittunt, & omnia complicant, & arctè devinciunt, & quod funiculorum utrinque supereſt, circa illud involvunt, nodisque adstringunt, quos laxant quoties legere volunt.* Arbor ex qua folia supradicta conficiuntur *Tal* Indis dictam esse Petrus Martyr affirmat dec. 3. lib. 10.

Post hunc antiquissimum scribendi morem in foliis cœptum est scribi in tenuioribus arborum Philyris, sive tenuioris membranæ, quæ pars corticis est ligno adhærens ut Platani, Populi &c. hinc libri nomen retinent quæcunque scripta sunt. Fuerunt etiam elapsis temporibus libri ex plumbeis laminis in se convolutis, juxta illud Job cap. 19. *Quis mihi det, ut exarentur in libro, & stylo ferreo, & plumbi lamina* &c. Tabellæ etiam fuerunt accuratè expolitæ, supra quas indncta cera stylo ferreo, vel æneo scribebatur, apud Tuscos primùm referente Isidoro lib. 19. cap. 9. deinde apud Romanos, qui vetuerunt, ne graphium ferreum quis haberet, sed ejus loco osseum: & quòd styli parte aculeata scriptum fuerat, mox adversa illius parte latiori delebatur. Et quia tabulæ illæ non facilè deferri poterant, scribebant in membranis, & gapyris, ut dictum est; membranis quidem, quæ ex pelle ovium conficiebantur, papyris, quæ ex quadam Nili Planta in aquis primùm macerata, deinde malleis contusa, ut ex Plinio refert supradictus Henricus Salmuth; qui plura desiderat legat tractatum, quem de Papyro scripsit Melchior Guillandinus.

Quod noviſſimum fuit pro scriptione charta est, sive papyri genus, in qua scribimus, ex frustis

ſtis linteorum lineorum, aqua primùm maceratis, & in lanuginem quandam contritis, ita ut fruſtula ejus ſimul cohæreant, & humore exſiccato folium fiat aptum ad characteres excipiendos. Ejus conficiendi rationem Joannes Ruellius medicus deſcripſit lib. 1. de natura ſtirpium cap. 109. ſed cum omnibus nota ſit, ab ea explicatione ſuperſedeo. Inventum illud eſt non minus pulchrum quàm utile, nam quod majori olim cum ſumptu ſcribebatur, nunc tenuibus foliis facilè committitur, & libri conficiuntur, qui vili pecunia poſſunt a quolibet comparari.

23 Eam tamen quam Itali præcipuè conficiunt, ſuperat Charta in Regno Sinarum fabricata, & in ampla folia extenſa. Aliquot ex iis ſunt in Muſæo quinque palmis lata, & decem longa. In eis ob foliorum tenuitatem in una tantùm parte characteres imprimuntur. Scribunt autem Sinenſes a ſumma paginæ parte, ad imam deſcendendo, non calamo, ſed penicillo ex pilis leporinis arundini aptatis. Atramentum verò conſtat, ex terra bituminoſa nigra, & tenuiſſima, quæ glutine in tabellas compingitur oblongas, characteribus variis Sinenſibus inſignitas. Trigautius tamen aſſerit illud ex fumo olei præparari. Eas tabellas commodè ſecum ferunt loco atramenti Scriptorii, & aqua illas diſſolvunt, quoties characteres efformare deſiderant. Servat Muſæum pennicillos, & atramenti hujus plura fragmenta, inſuper laminam ex lapide gypſeo ſubviridi repagulo circumdatam, in qua cavitas eſt pro aqua conſervanda ad atramentum diluendum, ex qua deinde penicillo deſumitur, quem diverſimodè tractant ac Europeis, nam ut refert P. Daniel Bartolus part. 3. de Aſia lib. 1. *non guidato dalle tre prime dita, maſtretto in pugno, fuorche dal deto mignolo, in un partecolar modo a noi diſadat iſſimo, ad eſſi, che vi ſon deſtri, mirabilmente in acconcio.* Quamplurimæ voces, quas ſcribunt Monoſyllabæ ſunt, quamvis ſæpè duarum aut trium vocalium: ut rerum, ita vocum ſingularis ſuus eſt character, nec pauciores litteræ quàm voces numerantur, idemque apud ipſos eſt dictio, & ſyllaba. At licet pro rerum multitudine ſit numerus characterum, eos tamen inter ſe ita componunt, ut octuoginta millia non excedant. Ex iis qui decem millia noverit, eos ferè qui ad ſcribendum neceſſarii ſunt aſſecutus eſt.

Non omittenda ſunt alia folia Sinenſiæ chartæ. Alterum eorum delineatos præbet Deorum omnium figuras, quibus Sinenſium ſuperſtitio honores defert. Inſolitis veſtibus inuſitatiſque capitis ornamentis decori Arma manibus gerunt diverſa. Partem folii occupat Ditis Regia, in qua variis Dæmones, & inferna Numina aſpectu horrida. Omnia hæc nitent auro, & vividis coloribus exornata, notas Sinenſes aureas habeant. Alterum verò folium mulieris effigiem oſtentat, habitu ſinico circumamictam auro quidem pretioſo, ſed conformi modeſtiæ chriſtianæ. Sola facies detecta apparet, inter unionum lineas, quæ ex capite dependent. Sub pedibus tela ſerica ſternitur, floribus exornata, & lineolis circumdiſtinctis, quas non aurum, ſed charta bracteolis aureis tecta efformat; Aliud etiam folium triginta ſex palmis longum duobus latum, videtur, in quo depicta eſt rudi tamen penicillo pompa equitatus, qua per Sinenſes Urbes incedunt Primates Aulæ, quos Mandarinos vocant. Conſtat diverſis militum, tum pedeſtrium, tum equeſtrium ordinibus, & aliorum hominum famulatu, a quibus inſignia ejus dignitatis geſtantur. Hinc poſſunt enumerari librorum volumina multa, quæ in ipſo Muſæo ſunt, & in quibus noſtræ Societatis Scriptores, diverſos Scientiarum tractatus evulgarunt, demum vocabulorum Sinicorum Theſaurum, viginti Tomis comprehenſum.

Non deſunt aliarum Regionum chartæ, ideſt Japoniæ quæ craſſior eſt, & ſubalbida ex goſſipio compacta: Syriæ, & Perſidis, quæ licet alba ſit, craſſitudinem Japonicæ æmulantur. Nitidam, & admodum levigatam illam reddunt beneficio cochlearum, quas Venereas Authores nominant, e ſinu perſico delatas: Mexicani Regni ex cortice arboris compacta, & hieroglyphicis ſignata, quæ penicillus diverſis coloribus expreſſit, puta homines, & animalia monſtroſa, quibus aptari poſſunt carmina illa Bonomi Borromeid. lib. 2. verſ. 50.

Aut ſi qua eſt alibi fœda aut informis imago
Quam habuit Natura, aut ars ſibi finxerit aut mens.

Aliqua ex iis expreſſa retulit in Muſæo Ferdinandus Coſpi lib. 3. cap. 2.

Cum de charta Sinenſi ſermo fuerit, abs re non erit vulgarem errorem tollere eorum, qui ſibi ſuaſerunt illam ex Goſſipio, & Serico confici. Pater enim Ludovicus le Compte Societatis Jeſu, qui plures annos in Sinis commoratus fuit, in Epiſtola Pariſiis impreſſa anno 1698. ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Remenſem de ſtatu ejuſdem Regni, narrat Chartam qua Sinæ utuntur confici ex ſubtiliori cortice cujuſdam arboris valdè proceræ, & craſſæ, quæ vocatur *Bambù*. Illum primo in pura aqua optimè maceratum, & in minutiſſimas particulas redactum, ex eadem poſtea extrahunt beneficio inſtrumenti lignei, frequentibus filis æreis inſtructi, quæ veluti complanatam tabulam efformant, ita ut cum extrahitur, decidente inter rimas liquore, folium chartæ remaneat, quod deinde omnino arefactum, alumine in aqua diluto, iterum

rum madefaciunt, ne atramentum, vel colores exugat; Cum autem hujuſmodi inſtrumenta aliquando ad decem, vel duodecim pedes extendantur, hinc eſt, quod Sinenſis Chartæ folia eandem longitudinem habeant.

Ex charta itidem Sinenſi conficiunt flabella plicatilia, quæ geſtantur ab hominibus quocunque anni tempore: ſupra folia ejuſdem chartæ flores multos glutine appoſitos ſervat Muſæum, quos Fœminæ Sinarum ex ſerico mire colorato auroque interdiſtincto ſolerti arte conficiunt, non quidem acus beneficio per telam, ſeu chartam frequenter tranſmiſſæ: ſed gummi adeo bene conglutinant, ut acu picti videantur.

24 Hanc tamen artem ſuperat modus pingendi acu, quo utuntur moniales aliquot in Gallia. Sericis enim filiis, per ſubtiliſſimam chartam ſæpe traductis flores cujuſcunque generis, adeo egregiè efformant, ut iidem prorſus in utraque parte paginæ appareant. Hujus generis plures Muſæum exornant. Exornant etiam quamplurimæ paginæ in quibus materiem ſuperat opus; ſunt enim minutiſſimis inciſuris; ita diſſectæ ut ſi pannum aut tabulam nigro, vel alio colore tinctam ſubjicias, cernantur flores, animalia, arbores, characteres, & diverſi generis ornamenta, improbo labore efformata.

25 Non deſunt aliæ paginæ in quibus calamus imagines ſanctorum expreſſit, non quidem lineolis atramento ductis, ſed minutiſſimis characteribus, quos dedalea manus adeo ſolerter diſpoſuit, & umbras, ubi opus erat efficerent, eoſque, ubi temperatus color requirebatur, minore humore ſaturaret. Sunt autem characteres adeo exiles, & minuti, ut non niſi armato oculo perlegi poſſint.

26 Duo pilei, quorum altero Sinenſes caput operiunt hyeme, altero æſtate; hic dura charta conſtat, ſerico in utraque parte circumtecta, rubro in interiori, in exteriori verò albo; ex acumine, in quod deſinit liberè dependent fila ſerica rubra in gyrum diſpoſita. Illi autem, quo hyeme utuntur goſſipium addunt, & caput calidius foveat, ejuſque limbum villoſa pelle circumdant. E capite nunquam illud removent; ſed tantùm caput, humeroſque aliquantulum inflectunt, cum alios ſalutant.

27 Armarium eſt in Muſæo texturis plenum, quas manus Indica ex palmarum foliis, arborum corticibus, ſparto, & ſcirpis paluſtribus mira arte elaboravit; Inter eas mantilia duo ex ſubtiliſſimis filis ex arborum libro diverſimodè coloratis contexta in Regno Mexicano. Duo inſuper Tapetes, quorum alter ex inſula Borneo, alter ex ora Mozambiquana allatum fuit; hunc ſcirpi paluſtres ſubalbidi inter ſe alternatim contexti efformant; illum palmarum teniolæ partim nigræ partim ſubflavæ componunt, tali arte diſpoſitæ, ut teſſellatum veluti opus appareat quadratis lapillis compoſitum. Ejuſdem generis texturam oſtendit Biretum albis palmarum foliis in Braſilia contextum.

Quatuor ſunt Tapetes in Regno Angolano ad caput Bonæ Spei mira arrificum opera compoſiti. Flavum mentiuntur ſericum, licet ex minutiſſimis filis palmarum conſtent. Flores in iis apparent mira arte diſpoſiti, non abſimili modo, quo villoſa holoſerica oſtentant. Horum meminit Pigafetta in deſcriptione ejus Regni, aitque patrio idiomate vocari *Baidelcan*. Admirandum ſanè tantam apud Barbaros vigere artem, quæ Europæam, vel ſuperet, vel æquet.

Nec minori arte compoſita ſunt flabella duo, & capitis tegumentum inſtar pilei, quod geſtant Europæi. Hæc in Inſulis Canariis fœminea manus contexuit ex filis palmæ tali arte, ut retè appareat, ſupra quod flores, encarpia, ac ejuſmodi foliata ornamenta, acus beneficio efformata cernuntur. Inutile quidem pileum eſt, vel contra Solis radios, vel imbres; ſed mirum artificii argumentum, quo muliebre caput exornatur.

Ciſtam ex ſcirpo paluſtri intertextam, in Regno Mexicano, illum vocant *Tule*, & ſcindunt in lamellas, quibus rubro, nigro, & diverſis coloribus ſaturatis, alternatim recurrentibus fibris, reticulatum opus effingunt nullo foramine patenti. Donum fuit P. Nicolai de Vera, ex illo Regno Procuratoris in Urbe anno 1701. Item aliam ciſtam idem Pater dedit ex funiculis compactam in gyrum diſpoſitis, & ſimul colligatis alio ſubtiliori funiculo, qui omnes pluribus ſubtiliſſimis filis componuntur ex planta Maguei decerptis, quam ſupra explicuimus.

Peruana ſtrophiola ex arborum fibris, noſtram lineam telam æmulantia, quibus in Peruvia utuntur incolæ, dum potum ſumunt, quem *chocolatem* vocant. Hunc potum deſcripſit Joannes Laet lib. 7. cap. 2. deſcript. Indiar. Occident. damnavitque tanquam nauſeæ provocandæ aptum. In deſcriptione Muſæi Septaliani Paulus Maria Terſagus cap. 57. Sed quam immeritò, judicant ferè omnes cum Pervanis Europæi, quibus adeo ea potio arridet, ut qui ſemel illi aſſueverint, ſe ſine illa vivere poſſe negent.

28 Arcula Sinenſis undique circumtecta tela quadam non lineis filis contexta, ſed arundineis, & quidem ſubtiliſſimis quales ſunt pili equini. Huic ſimilis eſt crater viminibus minutiſſimis decuſſatim ſe interſecantibus contextus; ejus partem intimam bitumen quoddam contegit vernice Sinenſi ſuperinducta pellucidum.

29 Ba-

29 Bacilli, quorum aliqui eburnei, aliqui lignei, vel arundinei, characteribus Sinensibus exornati. His Sinenses fuscinulæ loco cibum capiunt, ut ori admoveant, & quidem tanta dexteritate, ut ne vel mica decidat. Manu enim tangere epulas indecorum esse apud Sinenses referunt Scriptores, adeoque mantilia in usu non sunt, cum manus nunquam cibis deturpent, pedem romanum bacilli æquant longitudine, crassitie verò calamum anserinum: ex tribus eorum partibus duæ rotundæ sunt tertia quadrata vel octangularis, ut sub num. 11.

30 Cochlearia, quorum aliqua ex cornu scythico, alia ex ligno durissimo elaborata, in parte anteriori latiora sunt, & admodum concava. His utuntur Tartari Crimenses propè Pontum Euxinum. Formam ferè similem habent alia Cochlearia lignea a Turcis adhibita, sed maculis diversorum colorum aspersa.

31 Duo atramentaria a Persis elaborata, & magno pretio habita, licet papyracea illa sint. Unumquodque componitur duobus veluti tubulis quadratis, quorum alter in altero tanquam vagina recipitur. Interior continet vasculum ex orichalco, vel argento aptatum pro atramento servando: Exterior flosculis aureo liquore efformatis, diversis coloribus interdistinctis, & nitidissima sandracca superinducta pellucidis eleganter exornantur.

Difficile dictu est, quàm solerti arte Persæ, atque Atabes talem vernicem componant, qua multa artefacta nitentia reddunt, puta arcus militares, sagittas, arma, capsulas, calamos ligneos, quibus funum tabacci ad Os attrahunt, & similia. Plura experimenta tentavi, ut similem conficerem, sed frustra, donec Sacerdos ex Syria Romam profugus in ea arte peritissimus modum genuinum ostendit vernicem illam componendi. Secum ille detulerat quandam gummi speciem, quam patrio nomine *Sandri* Arabes appellant; non tamen est sandracca vulgaris, licet illi similis, aliquantulum subalbidior. Illam lento igne liquatam calido oleo miscuit, ex lini semine expresso, sed primùm valdè decocto, iterumque brevi temporis spatio puta dimidii quadrantis ad ignem admovit, ut optimè ope bacilli illa duo simul commiscerentur. Deinde tabulam optimè levigatam, & colore seu glutine aliquo primùm superinducto, & exsiccato, vernice illa contexit. His peractis docuit exponendum esse opus in loco, ubi pulvis adhærere non possit, ut paulatim exsiccetur; vernicem demum leviter ungendam oleo, quod *Naphta* Syri appellant, & ejus loco posse adhiberi humorem illum, qui in Italia in agro Mutinensi e saxis defluit, & vocatur *Petræ oleum*.

32 Alia artefacta addenda hic sunt, quæ ex Regno Sinarum obtinuimus, idest Pyxides, arculæ, scyphi, cyathi, & alia hujusmodi, quæ omnia vernice pellucida contecta sunt, & floribus, aviculis, diversisque ornamentis, auro, & coloribus efformatis præclara. Talem vernicem compingendi modum unicè Sinenses habent, quamvis similem ubique terrarum diu noctuque excogitare permulti studeant, sed frustra; nam duritiem illius, licet æquè nitidam conficiant, assequi non possunt. omnes enim quotquot æmulari Sinenses conantur gummi lacca, vel succino, vel hujus generis bitumine alio, spiritu vini dissolutis utuntur; Sinenses verò utuntur oleo seu bitumine, quod ex peculiari arbore Regionis Sinicæ defluit. Ut omnia paucis comprehendam, expono epistolam, quam mihi inscripsit anno 1697. P. Petrus Van Hamme Bruxellensis, e nostra Societate in Sinis Missionarius, quem rogaveram, ut mihi vernicem Sinensem conficiendi modum sincere indicaret. Ita ille.

Quæ R. V. quærit de Vernice Sinica, ea hic expono quanta possum claritate, & brevitate. Vera vernix Sinica a Sinensibus vocatur *Ci* estque succus arborum, quæ arbores in altissimis montibus Provinciæ *Su chuen* inveniuntur, & nusquam alibi quod sciam. dicuntur esse valdè proceræ, & rectissimæ. Læditur autem cortex certis temporibus, & liquor inde stillans est Vernix Sinica legitima, quæ si non falsificetur; servari potest ad 20. annos, & quocunque transportari, si bene claudatur, & ventus excludatur ne paulatim siccetur, vel corrumpatur. Hæc vera vernix Sinica, sed a Sinensibus passim corrumpitur, vel falsificatur. Una libra plerumque venditur uno floreno belgico, sive tribus juliis romanis circiter. Qui eam falsificare volunt, miscent illam aqua, vel oleo. Quæ aqua vel oleo falsificata est, vix biennio servari potest, sed paulatim corrumpitur. Adhibetur autem hoc modo; obducitur cuicunque ligno, vel picturæ, vel cuilibet rei duro aliquo penicillo, cujus pili duriores sint, & breviores, & sic extenditur: tum exsiccatur paulatim non tamen solis radiis exponitur. Potest etiam bis, ter, aut etiam quater Vernix obduci pro libito. Ego hactenus distinguere non possum veram a falsificata, sed si possim emere aliquam veram, & legitimam, conabor quærere occasionem mittendi R. V. nam cuicunque vasculo, imò & arundini crassiori imponi potest: & si bene claudatur quòlibet transferri; sed vereor, ne mihi obtrudant falsificatam pro vera, quia Sinenses sunt gentiles, & ferè omnes suas merces falsificant. Hæc ille, ex quibus patet vanos esse labores eorum, qui vernicem Sinicam componi posse in

Europa sibi suadent, mendaceſque illos eſſe, qui bitumina a ſe compoſita pro vernice Sinica venditant imperitis.

33 Scrinium, & vaſcula alia recenſeo in Urbe Aſiæ Bengalenſi extra Gangem ſub imperio magni Mogolis fabrefacta, vernice Sinenſi atrato colore ſaturata, undequaque pellucida, & floribus inſuper aureis, fruſtuliſque conchyliorum argenteis maximo artificio exornata, quamobrem tum a Bengalenſibus, tum ab exteris Nationibus magno pretio habita.

34 Item Stateram Sinenſium qua aurum argentumque accuratè ponderant. Bacillus eſt eburneus craſſitie pennæ gallinaceæ punctis, & lineolis proportione aritmetica accuratè diſtinctus, nec non duobus tenuiſſimis filis inſtructus, quorum unum hypomachii vices ſubit, manu appendentis ſubſtentatus. In parte extrema lancem parvam habet, cui ponderandum aurum, & argentum imponitur. Hujus generis ſtateram ita Vormius deſcripſit lib. 4. cap. 5. Bacillus eburneas ſeptem unciarum longitudine, craſſitie pennæ columbinæ, punctis, & lineolis accuratiſſimè, & minutiſſimè diſtinctus, ex altera extremorum lancem parvam æneam dependentem obtinet, cui ponderandum aurum inditur, quod expendit pondus eorum quadratum, ſeu potius teſſellatum, quod filo ſuſpenſum tranſcurrit lineas, & puncta in baculo ſignata. Huic autem ponderi in duobus amplioribus lateribus inſculpta ſunt puncta quinque, in anguſtioribus tria. Totum verò pondus drachmam unam, & ſcrupulis duobus pendet. Univerſa hæc fabrica thecæ ligneæ clauditur, figura cochleare fermè referenti, in cujus Manubrii extremo, clavus eſt, circa quem voluitur, operculum ubi aperitur, vel clauditur. Ferunt Sinenſes Mercatores has libellas ad cingulum portare, ut oblata numiſmata iis ponderent, & de pretio ſtatuant.

35 Juxta illam eſt Vaſculum Moſcoviticum, pro tabacco ſervando, lacca rubra, & duriſſima obductum. Aliud etiam videtur in novo Regno Americano fabrefactum ex cochlea, quam Veneream appellant Authores, encarpiis argenteis exornata, cui gemmæ rubræ, & virides appoſitæ pretium addiderunt.

36 Sacculum ore latum in mucronem deſinens, quatuor ferè palmis extenſum, opere reticulato funicalis inter ſe pluries implicatis compoſitum in Braſilia, ubi incolæ illud vocant *Aiò*. Eodem mulieres utuntur ad pondera ſupra dorſum ferenda, puta lignorum, fructuum, Sacchari, & ſimilium.

37 Globus ex bractea ferrea compoſitus, cujus diameter dimidium palmum æquat. Pretioſum illud eſt ob foliatum opus, quo exornatur ex auro argentoque ipſi ferro mira arte inſertis. Aureos flores, & frondoſos ramuſculos argentea luna cornibus ſuis frequenter amplectitur. Illo enim utebatur in ultima obſidione Urbis Budæ præcipuus Turcarum Ductor, ut manus calefaceret. In parte enim ejus concava Vaſculum ineſt duplici circulo verſatili ita inhærens, ut nunquam è centro dimoveri poſſit, nec in partem contrariam obvolui, adeoque carbones ignitos, etſi globus in oppoſitas partes circumagitetur, ſemper in eodem ſitu retineat. Dividitur autem commodè inducas partes, ut carbones imponi poſſint, & firmè clauditur, beneficio duplicis retinaculi hinc inde appoſiti, & plura foraminula in eodem patent, ut aer receptus ignem conſervet, atque ex iiſdem fumus odoramentorum evaporet.

38 Theca rotunda ex ligno unius ferè palmi longa, corio rubro circumveſtita, & bullis ex onchalco exornata. Illam deferunt e cinctura dependentem in itinere Turcæ, aliique Viatores in Syria, & Aſia minore, cum pluribus vaſculis ex porcellana incluſis, quibus ad hauriendam potionem utuntur, ideſt aquam calidam, in qua ſemen vulgò dictum *Kaffè* decoctum fuerit.

39 Globuli precarii eburnei quibus utuntur Turcæ in ſuis precibus. Illi enim decem quaſdam cantilenas ſummo mane, meridie ac veſperè ſingulis diebus recitant: quamobrem numerum trigeſimum non excedunt globuli, quibus eas numerant. Has preces retulit D. Tavernier, & globulos P. Juſtinianus Capuccinus in ſua hiſtoria Turcarum typis data a Doctore Jacobo Cinelli part. 1. art. 3. pag. 15.

40 Aliud capitis tegumentum numeratur præter ea num. 26. relata, quod a Braſilia detulit P. Franciſcus Maria Bonuccius noſtræ Societatis in eo Regno Miſſionarius. Biretum illud eſt, quo Sacerdotes utuntur colore nigrum forma rotundum eſt, ultra palmarem altitudinem elevatum, cui ferè ſimile adhibetur etiam in Luſitania.

41 Nec deſunt opera mira arte abſoluta, præſertim ex ebore, quorum aliqua tantùm hic indicantur. Granum piperis, in vas conformatum, altæ ſed tereti baſi eburneæ innixum. In ejus perexigua cavitate continentur ultra quinquaginta pocula in formam calicis tornata, & ſingulorum pedē annulus ſubtiliſſimus circuit.

42 Eburnea cavea in qua avicula Pſittacum referens. Quantum Artifex laborem patienter tulerit in ea componenda, ſolùm qui eam videt, conjicere poteſt. Subtiliſſimis enim fulcris adnectuntur penè innumeri circuli, quibus invicem inſertis undequaque pervio Aeri patent ſpatiola.

43 Nec minoris artificii exemplum præbent duo artefacta ex minutiſſimis ſimilibus circulis compacta, in quibus proſtant brachiola in gyrum, & plures ordines diſpoſita, inſtar eorum, quibus in templis lampades ſuſtentantur. Alterum ex his ferè octingentas particulas numerat, quibus inter ſe connexis componitur, mira arte torno elaboratas.

44 Plures globuli ex cryſtallo, in quibus diverſa artefacta conſervantur per anguſtum eorum foramen immiſſa, puta animalium venatus. Pecudes in prato paſcentes, Chriſti Servatoris in cruce pendentis, imagines, quibus hinc inde B. Virginis D. Joannis, & Divæ Magdalenæ ſimulacra, ex ebore ſolerti arte expenſa. Hos globulos fulcra ſuſtentant ſubtiliſſimè tornata, floſculis pluribus adjectis, exili tunica eburnea in torno expreſſis.

45 Eburnei etiam ſunt diverſi globi, in quorum ſingulis aliquot foramina patent, per quæ alii minores globuli apparent incluſi, vel ſtellulæ totidem radiis foraminibus reſpondentes, quas inſtrumentum tornatile mira arte ex intima globulorum parte efformavit.

46 Globi majores videntur ex vitro, in quibus mirabili induſtria incluſa ſunt arte facta lignea per anguſtum eorum foramen immiſſa, & intus ſimul compoſita, aliqua etiam ferreis clavis bene repercuſſis ita colligata, ut non adeò facilè poſſit excogitari qua nam arte ſine vitri fractura potuerint illa perfici.

47 Numiſmata aliquot hanc artefactorum claſſem exornant ex ebore, & buxo, in quibus diverſæ imagines anaglypto opere eminent, a ſuperficie, non tamen ſcalpro efformatæ ſeu modulo, ſed ope inſtrumenti cujuſdam tornatilis, ingeniosè excogitati, in quo dum numiſma rotatur circa ſuum centrum, diverſis ſimul motibus progreditur, & perficitur. Auguſtæ Vindelicorum hujuſmodi numiſmata elaborantur, nec in Muſæo inter inſtrumenta fabrilia hæc machina tornatilis deeſt, quæ ſuo loco fortaſſe explicabitur.

48 Opera plurima ab arte elaborata numerantur, quorum exilitas etſi minima, maximo tamen pretio habetur. Si enim Microſcopio recognoſcantur, in iis apparet quidquid ſolerti arte in magnis potuit Artifex exprimere. Hujuſmodi ſunt ſimulacra Chriſti in cruce pendentis, adeò exigua, ut per foramen acus poſſint permeare: ferrei Peſſuli cum claviculis ceraſi nucleo minores; Globuli precarii chalibea catenula ſimul colligati, quæ potius Capillo quàm ſetis aſſimilatur.

49 Inter artefacta locum habent aliquæ ædiculæ ex ligno hieroſolymis elaboratæ quibus vel Chriſti ſepulchrum, vel Domus Nazarena, vel Præſepe Infantis Divini repræſentantur, ut plurimum teſſellato opere exornatæ, quod roſulæ vel floſculis ex concha margaritifera efformant.

50 Aliæ imagines puta B. Virginis, vel Infantis Jeſu in Urbe Goana, rudi quidem delineatione, ſed magno labore, & induſtria in ebore exculptæ, adjectis floribus, & frondibus etiam eburneis, quibus exornantur.

51 Pocula duo ex cornu Rhinocerotis rotunda, quæ pedes eburnei ſuſtinent: eadem contegunt duo opercula pariter eburna torno a perita manu elaborata. Cyathi ex ungula Alcis, & alii ex ungula onagri, quorum omnium partem exteriorem Artificis manus ſcalpro exornavit. Crux eburnea cum imagine Chriſti Redemptoris Baſi impoſita, in qua diverſa Sanctorum ſimulacra, quæ ex ebore ſingularis artificis induſtria perfecit. Cornu eburneum ex Affrica allatum cum figuris variis elegantiſſimè exculptis. Poculum ligneum, in ſe continens centum alia pocula torno elaborata tantæ tenuitatis, ut craſſitie chartam non ſuperent, & ſingula contactum vix patiantur. Ita verò compacta ſunt, & unum alterum excipiat ordine, donec ad minimum fuerit deventum: Primum, & maximum omnium pede, & Baſi munitur, quibus reliqua carent, claudit omnia theca lignea firmior, ut ſine periculo tractari poſſint. Tubuli lignei ex Urbe Aleppio, quibus tabacci fumus hauritur, quatuor pedum longitudine extenſi, qui in partes quatuor dividi poſſunt, ita ut una alteri inſeratur, exterius coloribus variis depicti, & lacca incruſtati.

52 Hanc artefactum claſſem claudat Catenula eburnea palmaris longitudinis, in cujus altera extremitate conjungitur corona ex tribus ſubtiliſſimis filis contexta, ſimul in gyrum implicatis, quorum nullum terminum habet nec principium; alteri verò columba eſt alligata, quæ roſtro ſuſtinet crucem cum imagine Divini Redemptoris affixa; Omnia hæc ex unico eburis fragmenta exculpta ſunt, mirabili artificio, nt quamvis fuerit in tenui labor, non tenuis ſit Artificis gloria.

ARMA BARBARORUM DIVERSA.

1 PRimum locum obtinet gladius Japonius plurimi æſtimendus, eò enim aliqui, e noſtra Societate transfixi ſunt in celebri perſecutione Regis Taicoſamæ. Tribus palmis ferè eſt longus, Manubrio eburneo munitus, & vagina tectus ex corio piſcis duriſſimo.

2 Duo baculi ſeu potius Clavæ ſex palmis longæ latiores in una extremitate remorum inſtar. Ex quodam ligno nigro, & ponderoſo conſtant, quod vocant *Japema*, eis aliqui Populi Braſiliæ appellati *Tapuye* utuntur, & aliquando faſciculum pennarum in extremitate eorum alligant, quod ornamentum vocant *Atirabebe*, & *Iatirabebe*.

3 Pharetra ſagittis gravida, quarum aliquæ ex Aſia minore aliquæ ex Arabia deſerta, allatæ diverſa cuſpide ferrea muniuntur; Aliquæ enim illam veluti lancea complanatam habent, aliquæ quadratam, aliæ rotundam, & ſolidiorem.

4 Manipuli Sagittarum, quas milites in Triremibus Pontificiis anno 1694. Piratis Affricanis eripuerunt, dum propè Centumcellas inſidias navibus Chriſtifidelium molirentur.

5 Manipulus alius Sagittarum, quarum cuſpides ultra palmum extenſæ, non ferreæ, ſed ligneæ ex ebeno nigro ſunt. Barbari illas conficiunt in Regno Braſiliæ dicti *Tapuiæ*, iiſque utuntur jactu ſine arcu, imponendo ligno cuidam excavato inſtar tubi per medium ſecundum longitudinem diſſecti.

6 In Regno etiam Braſiliæ Barbari montes incolentes vulgò dicti *Kiriri* aliis ſagittis utuntur, ſeu potius telis, octo ferè palmos longis, quorum cuſpides conſtant ex ligno rubro, & ponderoſo, dentibus inſtar ſerræ aſpero. Reliqua pars teli conſtat ex arundine paluſtri leviſſima, cui pennas avium adnectunt; vocant utramque rem nomine *Vuba*. Aliquibus etiam cuſpidem ex arundinibus hinc inde acutam jungunt, qua facilè in pugnis tranſverberantur, utpotè qui nudi penitus more belluarum incedunt. *Iurupara* appellant ſagittam hanc, quæ ex arundine *Iacoara* vocata, acumen habet. Illis arcus copulantur ex ligno ponderoſo, & & rotundo, ad palmos ferè novem extenſi, funiculi quibus inflectuntur, ſunt ex goſſipio, ſed valido. Tales arcus vocant *Guirapara*, & *Urapara*, lignum autem quo fiunt, *Guirapariba*, & *Urapariba* a Luſitanis dicitur *Pao d'arco*. Funes e Goſſipio *Guirapacuma* dicunt, ut narrat Georgius Margravius cap. 10. Tubas conficiunt hi Barbari ex oſſibus humanis, quos nominant *Canguenca*. Alias etiam tubas habent factas ex conchis marinis, quas *Guata*, *pignacu* dicunt, & ipſas Tubas *Nhum bugo acu*. Ejuſmodi ſagittis etiam utuntur ad feras cupiendas in ſilvis, & in fluviis piſces.

7 Arundo indica quinque palmis extenſa, & leviſſima in prælio tamen ea utuntur Barbari arena repleta, ut validiſſimis iſtibus hoſtes proſternant.

8 Clava Americana barbarorum ex duriſſima Silice more lentium opticarum elaborata, adeò ut Rhomboidem formet, & ob craſſitiem corporis ictus vibrationem augeat. In medio foramine exciſo Manubrium ligneum tripalmare inſeritur. Illa eſt venerabilis, eò quòd alicui è noſtris Miſſionariis effractis cervicibus cœli januas aperuerit, ut refert Kircherus in ſuo Muſæo pag. 34.

9 Cum eadem veneratione ſervatur Framea Japonica qua aliqui e Societate capite plexi fuerunt. Lamina eſt tripalmaris modicum inflexa, duarum unciarum latitudine, utrinque duplicata crenula exornata, ex una parte in acutam aciem, ex alia verò craſſiori dorſo inſtructa. Manubrium habet, & cupreum orbem ad manus defenſionem. Vagina lacca Sinenſi nitet nigricanti colore mixta.

10 Clava ex ligno duriſſimo, & ponderoſo, qua Barbari Americani utuntur, tribus ferè palmis extenſa, quatuor uncias in latitudine, duas æquat craſſitie; dimidium ejus palmum pro Manubrio eſt, reliquum utraque ex parte aciem habet inſtar gladii, qua facilè hoſtium capita finduntur. Alia inſuper eſt ſecuris inſtar elaborata, ſed ferri loco Silice duriſſima munitur.

11 His acceſſit donum Excellentiſſimi Herois Montecuculi, exercitus Cæſarei ſupremi Imperatoris contra Turcas, videlicet ſcutum, & framea Turcis erepta anno 1678. hæc eſt argento exornata: Scutum verò ex funiculis ſtrictè ſimul contortis, & colligatis conſtat. Hos oloſericum villoſum contegit Umbone ex lamina Chalybea ſuperaddito, leve quidem pondere, ſed validiſſimum eſt contra frameārum ictus, eritque ab eo relatæ victoriæ perenne monumentum.

FRUCTUS EXOTICI EX VARIIS INDIARUM REGIONIBUS.

INter fructus peregrinos ex Indiis advectos in Italiam, primum locum obtinet Coccus, quem de Maldiva appellant. Hæc de tali fructu Nardus Antonius Recchus protulit in lib. 3. cap. 40. de rebus indicis novæ hiſpaniæ. Maldivas Inſulas aliquando continentem fuiſſe, inundatione tamen ſubmerſam, & has remanſiſſe inſulas referunt, atque in iis fuiſſe palmas, quæ hos protuliſſent coccos. An verò plantæ differant a noſtris, cum nemo truncum, aut folia inſpexerit, certò quis afferere nequit. Soli namque cocci, nunc ſinguli, nunc bini con-

conjuncti in litora ejiciuntur, quos nemini colligere licet, nisi cum capitis periculo, eo quia ad Regem pertinet quidquid è mari in litus ejicitur. Inveniuntur autem ipsi Cocci interdum exigui figura ouali, magna ex parte nigro ac nitido cortice contecti, medulla seu pulpa interior, quæ siccata dura est, & candida, ad pallorem tamen inclinans, insuperficie rimosa est, & porosa, & nullum saporem habens. Magni fit hujus Cocci usus, præsertim pulpæ ejus apud earum Insularum indigenas adversus venena, ajuntque aquam in varis ex his nucibus paratis, aliquando conservatam, adjecta medullæ particula utilem esse ad coli dolorem pulsa causa per vomitum, nec non ad paralysim, Epilepsiam alioſve nervorum affectus. Ulyssipone hæc medulla siccata reperitur venalis, magno tamen pretio, & magni æstimatur.

Franciscus Calceolarius in suo Musæo sect. 5. pag. 620. figuram ejus cocci posuit, qualem nos hic exhibemus num. 12. illumque ita descripsit. De cocco, de Maldiva appellato scribit Garzias Hortus, & Clusius; non seligemus aliqua. Niger igitur est hujus Cocci cortex, & nitidior vulgari Cocco, figura ovali, magna ex parte ita rotunda, & vulgaris, medulla sive pulpa interior siccata dura est admodum, & candida, nonnihil tamen ad pallorem inclinans. Eorum qui in Musæo repositi cernuntur maximus est duobus palmis longus, & Sexquicubitalem Peripheriam æquat, ut omnino fatendum sit ab exoticarum rerum peritis nihil in eo genere nasci in Europa, quod cum eo jure conferri possit.

2 Plures alii Cocci, seu illos mavis nuces appellare, visuntur in Musæo, quæ ex diversis Indiarum Regionibus allatæ sunt, ubi producuntur; præsertim Americanis. Ex iis aliquæ sunt, quas Indi *Maron* Mexicani *Coyolli* appellant. Earum arbor est vasta palmæ magnitudine ac figura, fructus orbicularis at paulo longior, capitis humani amplitudine. Duplici contegitur cortice, externo villoso, interno nitido, præduro, & nigricanti colore. Intra trium mensium spatium racematim dependens matureſcit, interdum septem octove racemis centum sexaginta libris pendentibus arborem suam onerat. Ejus duo sunt præcipua genera, alterum fructui ferendo, alterum verò liquori idoneum. Nascitur passim præcipuè in maritimis locis. In nova Hispania non unicum observatur harum palmarum genus, diversaque alia genera observantur in aliis locis. Aliud namque est ferens fructum longè minorem prædicto. In Insulis Philippinis sunt aliæ arbores vocatæ *Babai* aliæ *Sacsac*. Universæ earum partes sunt usibus humanis aptissimæ, nam ex ligno foventur ignes, fabricantur naves, & aptantur mali, construuntur ædium tecta, stillat succus ex tenerrimis hujus racemis incisis, qui excipitur fistulis arundineis, & usurpatur pro vino prima die suavis, tribus sequentibus injucundus, deinde inutilis. Ex hoc vino servato acetum fit acerrimum, quod admotum igni omnem acrimoniam amittit. Ex eodem vino carbonibus admoto fit mel ac Saccharum suavissimum. Ex cortice parantur ellychnia inflammando pulveri bellicorum tormentorum opportuna, navium funes firmissimi, & salsi humoris injuriis non obnoxii, paratur materies stupea pro tabularum compagibus in navibus implendis. Interno altero cortice pocula fiunt auro, & argento exornata, & credunt potum utilissimum contra paralysim, & ad nervos curandos. Nucleus calidissimus saporem refert amygdalæ, miscetur cibariis præsertim orizæ; ejus tamen alimentum est concoctu difficile. Editur etiam loco castanearum. Si recens aqua fervida misceatur, & agitetur, oleum producit ad condienda fercula. Unaquæque etiam nux continet lac, sive liquorem candidum ad trium ferè librarum mensuram, ad morbos curandos aptissimum. Ex cortice seu foliis arboris interdum parantur soleæ calceamentorum; alios usus medicos, vide apud Nardum, & Antonium Recchum de rebus indicis.

3 Quatuor minores nuces oblongæ magnitudine malum citrinum imitantes, nigerrimo colore atratæ adeo ut ex ebeno nigro, seu potius ex bubalinis cornibus videantur artefactæ. Has Mexicani, & Hispani exornant argenteis bracteolis, & pedem illis addunt, ut eisdem utantur in potione indici nectaris, quod Coccolatam vocant.

4 Ejusdem formæ aliæ nuces sunt, in Mexico productæ, quarum cortex osseam flavedinem habet. Cocculi etiam alii non desunt diversi, inter quos fructus Branſilienſis dictus *caccimbo* ovum gallinaceum figura æmulans, quem villoso amictu si spoliaveris, & expoliveris, nitidam superficiem flavedine pallida saturatam ostendit, nascitur ex arbore quæ vocatur a Brasilienſibus *Priasaba*.

5 Cucurbitæ diversi generis etiam numerantur. Aliquæ sunt dimidium palmum æquantes, aliæ verò minores, & formæ diversæ, omnes tamen nigri coloris, & varia incisura exornatæ. In his Peruani, & Brasilienſes Balsama conservant, unde suaviſſimum odorem retinent, & exhalant. Barbari Brasilienſes ex illis conficiunt Lagenas, Cyathos, & hujusmodi Vasa.

6 Incolæ autem novi Regni Granatenſis eaſdem quadam lacca diverſo colore infecta undique contegunt, ut illis utantur ad potum hauriendum, & pro luſculis cibiſque apponendis in menſa. Aliquæ videntur in Muſæo. Major vocatur *Tutumma de Urabà*. Ex his etiam fructibus excipiunt ſæpè portionem rotundam, qua pro capitis tegumento utuntur.

7 In ejuſdem Regni Americani plaga, quam dicunt *Muſſo* ubi Smaragdi effodiuntur, fructus colligitur ex quadam arbore palmæ ſimili, ſed ſpinis aſpera, in quo nucleus eſt duriſſimus, & ejus cortex lineolis ſubalbidis mirè ſerpentibus exornatur. Aliquot ex illis numerantur in Muſæo.

8 Numerantur etiam quamplurimi cocculi ex Braſilia miſſi; avellanas mole non excedunt, ſed corticem craſſum, & valdè durum habent. Globulos precarios ex iis, & aliis ſimilibus conficiunt Indi.

9 Plures fructus ex procera arbore, quæ in Monte Libano perpetua fronde vireſcit, indicat num. 13. & vocantur cedri; Pinearum figuræ non multùm diſſimiles, ſed graciliores, dura & odorata ſubſtantia, nec non compactili ſquammarum ſtrue compoſiti ſubfulvi coloris. His Arabes utuntur loco thuris; ſi enim carbonibus ignitis ſuperimponantur, quidam humor exudat odoratus. Cœterum arbor, a qua producuntur utiliſſima eſt, & ramos latiſſimè ſpargit, ita ut ejus caudex quandoque a quatuor hominibus expanſis brachiis vix ambiri poſſit. Cortice eſt ſcabro, rami foliis tenuibus, & brevioribus abjetinis, non tamen acutis. Lignum ejus durum eſt, & ſenio vix conſumitur. Hinc Salomon in fabrica Templi Hieroſolymitani hoc ligno uſus eſt.

10 Avellanam iudicam ſubnecto, quam Clurius deſcripſit lib. 2. cap. 19. exoticorum. Ternas uncias longitudine ſuperat, latitudine unam, putamine craſſo, ſupina parte ſeſſili, rugoſo ſcabro, & cinereo; prona ſeu gibba parte lævi, ſubruſo, vèl potius ſpadiceo: nucleum continet gemellum ſubſtantia firma, ſubfuſca, pingui, & oleaginoſa, odore ſatis jucundo prædita, & ſapore non ingrato. Hanc eruditus Matthiolus Avellanam indicam appellat. Ejus figuram expreſſam exhibuit Calceolarius in Muſæo pag. 603. ut num. 14.

11 Amygdalæ Pervanæ ſequuntur, vulgò *Almendras de Peru*, ſic dictæ, quòd operimentum earum ſit ſimile ei, quod habet Amygdala, & nucleus etiam ſapore, & colore amygdalam referat. Fructus eſt triangularis dorſo lato in bina latera anguloſa, ſed anguſta, tota eſt ferè duarum unciarum longitudine, latitudine ferè unius. Hunc fructum fuſius deſcripſit Joannes de Laet, lib. 17. deſcript. Ind. Occid. cap. 4. his verbis. Reperitur in Sylvis juxta flumen Amazonum arbor Barbaris Ademoniæ *Totake* dicta cujus fructus *Totoke*. Illa procera eſt, & ramoſa foliis grandibus ulmi ſimilibus obſcurè virentibus, niſi quod poſtica parte nonnihil videantur candidiora. Nullos fert flores, ſed aliquas gemmas, quæ colore non differunt a foliis, quæ ſenſim craſſeſcunt, & protundunt fructum grandem, mole interdum capitis humani, pene rotundum, compreſſum nonnihil in antica parte, Cortice duro, ligneo admodum compreſſo, exterius ſtriato, & tuberoſo, coloris fuſci, & penè nigri. Dividitur interius certis ſeptis in ſex veluti nuces, arcte inter ſe conjunctas, quæ ſingulæ iterum ligneo duro, & ſatis craſſo cortice tectæ ſunt, plerumque triangulares una parte magis convexa, cum tribus veluti futuris, valdè rugoſæ, & aſperæ, minus tamen quàm exterior cortex. His continetur oblongus nucleus, totas implens inſtar amygdali rubicunda membrana tectus, carne candidiſſima, & ſolida, & non nihil oleoſa, ſapore magis videtur accedere ad Avellanas, quàm ad amygdalas quarum uſum ſupplere poteſt. Ejus figuram expoſuit Vormius in Muſæo pag. 181. & nos ſub num. 15.

12 Braſilienſes Caſtananeæ diverſæ ſpeciei, quarum aliquæ corticem adeo durum habent, ut potius inter nuces videantur recenſeri, colore caſtaneo ad nigrum inclinante contegunt, & valde nitido.

13 Fructus Braſiliæ dictus *Apeibà* figura ovali, nucleum album continet inſtar Amygdalæ ſub cortice duro, & ſpinoſo, cartanearum ricino ſimili.

14 Amygdala novi Regni dicitur fructus, qui a Cluſio lib. 2. Exotic. cap. 6. ſub nomine Guianenſis amygdali deſcribitur. Craſſo, & duro eſt putamine, ut hoc nomine inter nuces referri poſſit; Orbiculari fermè figura, niſi quòd altera parte in rectam lineam terminetur ac dehiſcat, depreſſior aliquanto. Nucleum continet candidiſſimum, & duriſſimum, & in binas partes ſeparatum. Arbor quæ eam fert, teſte Joanne de Laet lib. 9. cap. 4. deſcript. Ind. Occid. tereti trunco eſt ut pinus.

15 Anacardium fructus eſt a Luſitanis dictum *Faba Malaccana*. Duplex eſt, alterum, quod in Regno Malabrico naſcitur oblongiore, & porrecto collo; alterum, quod in Braſilia incurvo, & *Cajous* appellatur. Colore ambo ſunt nigro purpuraſcente, cordis parumper depreſſi figura leves, & politi: ſub cortice nucleus eſt parvæ amygdalæ ſimilis.

16 Aovai vel *Ahovay* fructus est castaneæ instar, figura proximè accedens ad triangularem, nucleum habens venenatum, putamen durissimum, & tinnulum; unde a Barbaris tintinnabulorum loco usurpatur, & brachiis cruribusque alligatur ornatus gratia. Crescit hic fructus in arbore quadam, quæ teterrimum spargit odorem, cum secatur, propterea a Barbaris ne quidem ad Pyras usurpatur. Cœterum arbor est Pyri magnitudine, foliis semper virentibus, & mali nostratis non absimilibus. Ejus iconem dedit in suo Musæo Calceolarius pagina 602. num. 5. & non exposuimus sub num. 16.

17 Exoticum fructum Musæum præbet *Bonduch* nomine a Turcis ex Alexandria Ægypti allatum, cui admirandas adscribunt Vires. Hunc infantibus gestatum amuletum esse præsentaneum ad quaslibet res adversas averrucandas a Plinio scriptum referunt, quem propterea infantium custodiam, sed falso, nuncupavit. Qui in nostra rerum naturalium congerie asservatur nucis parvæ crassitudinem obtinet: levis est, pellucidus, cinerei coloris, lapidea ferè duritie præditus, quanquam in aquam conjectus supernatare videatur.

18 Mirobalanum, ab Arabis dicitur *Dalegi*, fructus est prunis similis. Plures ejus species referunt Authores; Aliqui enim dicuntur citrini, alii indici &c. afferuntur ex agris Goæ, Bengalæ, Cambojæ, aliisque locis indiarum orientalium, & sicuti fructu ita foliorum diversitate inter se discrepant.

19 Phaseolus Ruber *Abrus* vocatus, de quo Alpinus in libro de Plantis. Ille è Siliquis colligitur, quæ intus habent semina parva rotunda, rubra, & dura, Phaseolorum saporem referentia: idcirco iis Ægyptii in jure elixis vescuntur. Arbor unde leguntur sarmentosa est volubilis, foliis tamarandi, sed longè minoribus, quæ occidente Sole clauduntur, oriente rursus aperiuntur.

20 Phaseoli Brasilienses, quorum alii fabam majorem imitantur, sed renum figura, colore albo, cum macula in medio nigerrima alii verò mole minores, fusco colore atrati, & serpentibus lineolis nigris exornati. Ex his oleum extrahitur, quo ardentes lucernæ nutriuntur. Alii denique grana piperis sed aliquantum oblongi referunt, sanguineo cortice micantes, quem nigerrima macula aut exornat, aut deturpat. Alii sunt Phaseoli ferè rotundi fabis nostratibus magnitudine similes. Corallia vividissimo colore æmulantur, tertia tamen eorum pars nigerrimo est tincta, allati sunt ex novo Regno Granatensi.

21 Fructus in America celebris *Cacao* dictus in Nicaruga Novi Orbis Provincia germinans. Minor est amygdalo non ingrati saporis, tanti æstimatus, ut Commerciorum magnam constituat partem in nova Hispania. Tenui tegitur membrana nigricante, nucleum continente, qui in binas aut ternas partes obliqua dividitur, subfuscum, & cinereis venis distinctum. Fructu hoc referente Vormio, cap. 24. utuntur Incolæ nummorum vice: eundem pauperibus erogant, sed usum potissimum in potu habent, quem ex illo conficiunt, *chocolate* dicto, qui ab Incolis valdè appetitur. Arbor ipsa ex qua producitur magnitudine, & foliis Aurantiæ, sed majoribus, fructus illius est longus, & similis Peponi, striatus, & rufus. Plenus est hic Cacao nucibus. Seritur in Silvis loco umbroso, & humido, de illo plura supradictus Vormius.

22 Fructus qui potissimum Cacao miscetur est similis piperi oblongo dicitur ab hispanis *Vainilla* ab Indis *Mecaxuchitl*, gratum saporem addit Cacao, & attenuat crassos humores. Colligantur hi fructus in fasciculos, & ad nos afferuntur, tenues instar funiculi. Herba qua producitur humi repit, caules habet teretes, & Leves, de his plura Jo. de Laet lib. 5. Ind. Occid. cap. 4.

23 Nux Pistacea, quam *Therebinthum indicam* Theophratus vocavit, Arbor est, Therebintho similis foliis colore ex viridi in luteum inclinantibus, Therebinthi modo, ramusculis utrinque emergentibus. Floret in cacuminibus racematim exiguo rubro flore. Nuces avellanam oblongam referunt, cortice albo, crustoso magis quàm osseo. Externa tunica arida, cinerea, medulla interna viridi, & dulci. Ex Persia, Arabia, & Syria afferri solet, quamvis in Italia quoque in hortis, & in Insula Siciliæ ex nucleis producatur.

24 Tribulus aquaticus, licet in Italiæ fluminibus, & lacubus alibique sit frequens, apud Hollandos tamen exoticum esse affirmat Vormius. Folia habet lata, subrotunda, crassa, parte aversa maculata, nervosa, per ambitum serrata, crassis pediculis, caulem crassum, pinguem. Radicem longam, fibrosam, capillaceam, fructus quadruplici armatus est mucrone, duobus aliis protuberantibus obtusis, in medio eorum extantibus, cortice membranoso, alba intus medulla, gustu castaneis ferè simili. In Annonæ defectu quandoque ex nucleo farinam conficiunt, ex qua panis gustui gratior.

25 Inter fructus peregrinos occurrit nux quædam ad rotunditatem accedens, sed non perfectam. Lapidem ferè imitatur, qualis in torrentibus aquarum invenitur, cortex durissi-

mus

mus illi eſt, & craſſus, colorem nucum vulgarium habens. Medulla mihi ignota, illa enim caret, cum per foramen, quod habet ablata fuerit.

26 Bombycinus fructus ex Melitenſi inſula, cortice tegitur cinereo ſcabro, inæquali, & duro, qui ubi ad maturitatem pervenerit, in tres æquales partes ut plurimum ſcinditur: pediculus fructui adnectitur. Sub involucro hoc tomentum ſeu lana eſt, quæ ſemina fovet rotunda. Lanugo verò candidiſſima eximitur, & Bombyx, Goſſipium, vel Xylon vocatur, ex quo veſtes fiunt calorem maximè foventes. Planta cubito altior eſſe ſolet, caule ſimili malvæ cum foliis angulosis vitis inſtar, ſed minoribus, flores ſunt lutei, in medio purpuraſcentes, figura floris malvæ.

27 Tria vaſa ex ligno nephritico torno elaborata, in quibus ſi aqua per aliquod temporis ſpatium maneat, eam colore cæruleo tinctam videbis. P. Kircherus ſcripſit in Arte magna lucis lib. 1. pag. 815. tale lignum in omne genus colorum aquam tingere: videtur enim colore varia, ſi luci expoſitam in diverſis partibus illam aſpicias. Naſcitur hoc lignum in Regionibus moderatè calidis, qualis eſt Mexicana. In eo Regno *Coattl* dicitur, & *Tlapalezpatli*, ab Hiſpanis lignum Nephriticum. In molem arboris excreſcit trunco craſſo inſtar Pyri arboris, foliis ciceris ſed minoribus. Aqua cæruleo tincta colore epota renes, & veſicam extergit, & refrigerat, urinæ acrimoniam temperat, & cholicis medetur. Saporem nullum aquæ communicat, tale lignum, ſed ſi per quindecim dies continuos aqua maceretur, illud virtute exui nec aquam ulterius tingere affirmavit Franciſcus Ximenes. Illud quod affertur ex nova hiſpania albicat, aliud quod in Braſilia vireſcit colore eſt ex fuſco nigricante.

28 Alia ſunt Vaſa torno eleganter facta ex lignis diverſis peregrinis, puta Santalo, rubro, & albo, Ebeno nigro, & rubro, e Braſilienſi, vulgò *Verzino*, Aloe, Ligno Sancto, ſive Lucino, Granatiliano, Serpentino, & ſimilibus. Globuli inſuper precarii ex lignis odoratis, inter quæ principem locum tenet lignum dictum *Calambà* ſeu Aquilæ. Author Muſæi Septaliani de illo agens refert relationem P. Chriſtophori Burri S. J. editam Romæ anno 1631. in qua agens de Regno Concincinæ c. 3. ita loquitur. Quandoquidem arborum incidit mentio, quibus Regio hæc ſupra omnes locupletata vireſcit, antequam ulterius progrediar, abs re non erit meminiſſe ligni mercium omnium, quæ a Concincina extrahuntur pretioſiſſimi. Celebratiſſimum hoc Aquilæ, & Calambà lignum eſt, ortum ſi ſpectes, idem eſt, ſi verò virtutem examinas, differunt. Harum arborum ſuperciliis læti umbroſique Kemeii montes in Cœlos aſcendunt, ut è Cœlis odoris rapiant ſuavitatem, quæ communicata arboribus beat inexplebiles viventiũ luxus. Cæduntur amœniſſimæ Silvæ non minore uſu, quàm auri fodinæ exercentur: & licet unicuique illam lignorum ſtruem conficere quantum velint, nulla prohibente lege, niſi truncum ſenio confectum offenderint, qui regio debetur ærario. Senectus enim arboris parit Calambà. Plantæ verò quæ minoris ætatis ſunt, paſſim occurrentes dicuntur *Palo d' Aquila*, odoris fragrantia impares, ſed tanti mercimonii, ut exteris Mercatoribus favente rege extractione conceſſa, ſi navem unam domum ſuam onuſtam revexerint, non eſt quòd vela amplius credant ventis, pauperiem evitaturi per ſaxa, per undas. Pretioſiſſimum autem perdifficile inventu eſſet, ni natura quos produxit, ſuos mortalibus abſcondens ſuos communicaret theſauros: *in ſummis* enim inacceſſibilibuſque montium jugis arbores hæ vireſcunt, quibus tempore exeſis trunci fatiſcentes in ſubjecta cadunt, qui a præcipitibus aquarum torrentibus decurrentibus per montium juga, vel rapiuntur deorſum, vel aliquando ſparſi inveniuntur; hæcque merx regia eſt, uti colligitur Calamba, quinque argenteorum æſtimatur in ſingulis libris: in portu Concincinæ, ubi maximè viget commercium, ſexdecim: ubi fuerit in Japonenſia Emporia delatum, ducentum. De ligno hoc pretioſo, hæc pauca tibi ſufficiant. Pater tamen Marinus in relatione Tunchini, quam edidit Romæ anno 1663. de eodem ligno agens non convenit cum Burro in omnibus.

29 Nucem præbet Muſæum ovalis figuræ magnitudine æquans ovum gallinaceum, ſed utrinque acuminatum cortice ligneo, & flavo, nucleum continet, qui concuſſo fructu reſonat. Illam exhibuit etiam Vormius pag. 202. ſed a qua Regione, & ex qua arbore proveniat, ſe neſcire faſſus eſt. Illam vide ſub num. 17.

30 Ex Regionibus Æthiopiæ fructus eſt allatus figura, & magnitudine referens malum citrinum, cortice ſubfuſco, & levi. Illum retulit Proſper Alpinus de Plantis Ægypti cap. 17. ſub nomine *Bahobab*, ita ſcribens. *Bahobab eſt fructus magnitudine mali citri, cucurbitæ ſimilis; intus ſemina nigra, dura, extremis in unum ſemiarcum quaſi inclinantibus, & ſubſtantiam cucurbitarum ſimilem habens, quæ in recentibus eſt humida rubra, ſapore acido non ingrato. Fructus recenter ab arbore exciſus guſtui admodum gratus eſt; In Æthiopiæ inflammatis locis acido ſapore, quem contemperant divites, Saccharo, ſitim valenter extinguit, multumque*

tumque refrigerat. Ibi utuntur omnes ad calidos affectus, febresque omnes putridas, præcipueque ad peſtilentes, tum ejus pulpam cum Saccharo comedentes, tum ſuccum expreſſum cum ſaccharo potantes. Cayri etiam, quo loco recens fructus non habetur, ejus pulpa in pulverem parata ii utuntur, quæ eſt adſtringenti acidoque ſapore guſtum ferions, qualis in terra lemnia obſervatus eſt familiariſſimus ejus uſus ad peſtiferas febres, ad ſputum ſanguinis, ad dyſſenteriam cruentumque hepaticum fluorem. Arbori folia inſunt, foliis Aurantii magnitudine ac figura valdè ſimilia. Hactenus Alpinus. Illum expoſitum vide ſub num. 18.

31 Globulos recenſeo ab Arbore productos in Braſilia, quam incolæ vocant *Quity*. Luſitanis dicitur *Pao de Sabon*, & fructus *Sabaon*. Arbor deſcribitur a Guilielmo Piſone lib. 3. cap. 8. pag. 113. hiſtoriæ rerum Braſiliæ his verbis. Arbor eſt cortice cinereo, ut Fraxinus, mediocris magnitudinis, ligno fragili, Folia latè viridia oblonga non ſerrata, ſplendentia, quatuor vel quinque digitos longa, vel ſibi oppoſita, vel ſolitariè poſita, nam inordinatè ponuntur. In ſingularibus ramulis multos fert fructus, quippe proprio pediculo inſidet, duplicem rotundam eminentiam habens inſtar natium, aut mammarum magnitudine globuli luſorii, rotundus, flavus, inſtar ceræ ſplendens, & tranſplendens, ita ut globulus niger, qui intus latet videri poſſit, qui fructu commoto ſtrepitum edit; nam ampla eſt cavitas, caro circumjecta haud craſſa cuticula tecta, lenta, & glutinoſa, ſaponis vicem explent; eodem enim modo ſpumam excitat; amariſſimi ſaporis, nec ab ulla ave guſtatur. Globulus in fructu contentus niger, duriſſimus, rotundus magnitudine ceraſi, ac in eo nucleus albus pellicula rufa inſtar avellanæ tectus. Ex hoc globuli precarii conficiuntur. De hoc fructu agit etiam Vormius pag. 203. Nicolaus Monar de ſimpl. med. cap. 65. & Oviedus lib. 9.

32 Non deeſt farina, quam Braſilienſes vocant *Mandioca* ex radice fruticis qui dicitur *Mandyba*. Idem Piſo illum ſic deſcribit. *Frutex eſt caule lignoſo, pollicis humani craſſitie, nodoſo cortice, corylino, in ſex aut ſeptem pedum altitudinem aſſurgens, continens medullam inſtar ſambuci. Superius in multos extenditur ramos, atque in horum quolibet tria, & plura folia anguſta in ſtellæ figuram diſpoſita. Radix fit duos vel tres pedes longa, ut tibia humana craſſa, coloris exterius inſtar corticis corylini obſcuri, interius albi eſtque fragilis, & continet ſuccum lacteum, qui lethalis eſt omnibus animantibus. Plures in Braſilia inveniuntur ſpecies. Radix extracta cultro ab exteriori cuticula liberatur, inde lavatur aqua, manu rotæ, indiametro quatuor pedes habenti admovetur, cujus ſuperficies convexa lamina cuprea armata, multis foraminibus perfuſa, acuta, dum rota circumagitur, radendo radicem, raſura decidit in ſuppoſitum linteum;* Raſa hæc radix inditur longo ſacco facto ex corticibus arborum, qui ſaccus immittitur prælo, & exprimitur ſuccus. Expreſſa raſura immittitur cribro, deinde ſecernitur, & in vaſe ex argilla, vel cupro, ſuppoſito igne ſiccatur, ſpatula lignea continuo agitata, hæc farina ad ſummum per annum poteſt ſervari ſi ab aqua caveatur, hanc farinam loco panis uſurpant formata placenta cum aqua ſimplici, & coquendo illam ſuper prunas, vocaturque à Braſilienſibus *Beiù*.

33 Dum hæc recenſebam, Liburno miſſæ fuerunt ad me aliqui fructus, quos *Fabas S. Ignatii* appellari ſignificavit Amicus Anglus qui eas ab indico litore in Europam detulerat. De illo breviter egit Vormius cap. 29. ſub nomine Nucis Vomicæ, ſcribens, non dum certò conſtare quid re vera ſit, aut ex qua arbore proveniat. Cupidus eas penitius dignoſcendi, caſu deſcriptas inveni in Actis Eruditorum Lipſiæ menſe Decembri anni 1700. ex Epiſtola P. Camelli, exhibita in Actis Anglicanis Soc. Regiæ an. 1699. pag. 87. his verbis. Fabæ S. Ignatii quas Indus *Igaſur*, & *Mananaog*, ideſt *Victoriolas*, Hiſpanus nucleos, ſeu *Pepitas*, de *Byſagos*, aut *Cathalogan* vocat, legitimæ ſunt Serapionis Nuces Vomicæ, quæ recentes ab argentea lanugine ſplendent, & inæquales variæque formæ deprehenduntur. Harum non rarò vigintiquatuor in fructu quodam Melone majore, qui delicatiſſima cuticula levi ſplendente, & viroris luridi, ſubter quam alius cortex delitescit ſubſtantiæ quaſi lapideſcentis cooperitur, coarctantur carne quadam flava, & molli interjecta. Sequitur hic fructus florem ſuum, & ſoboles eſt plantæ *Catalongay* dictæ, quæ arbores quamvis altiſſimas ſeſe involvendo ſcandit, & truncum lignoſum ad bracchii quandoque craſſitiem accedentem, atque folia ampla nervoſa, & amara obtinet. Fabæ exſiccatæ avellanæ nuci cum putamine pares, nodoſæ, & duriſſimæ, ſapore ſemine citri multo intenſius amaro: coloris autem inter album, & glaucum medii. In Inſulis Philippinis, quæ natale ipſi concedunt ſolum, magnarum æſtimatur virium. Amuleti inſtar collo pendentes ferunt, eò quòd æſtimatur præſervare contra maleficos. Ad compeſcendum venenum potiſſimum adhibetur, & ad vomitum ciendum. Nucis fragmentum, viperæ aliorumque animalium morſui, aut vulneri telo venenato inflicto impoſitum adhærendo extrahit, hæc in ſupradicta epiſtola, in quibus

tamen non dicitur cur Fabæ S. Ignatii appellentur.

Postquam hæc selegissem, Romam appulit ex Insulis Philippinis Procurator Rerum nostræ Societatis missus; Detulit hic aliquas hujusmodi fabas, quas Musæo adjunxit, asserens non alia de causa eo nomine insigniri, nisi quia a Patribus Missionariis nostræ Societatis ex insulis, ubi germinant, in publicum bonum deferuntur.

34 Vas è dimidia nuce indica flavescente efformatum ad potiones hauriendas, quod superficiem habet exornatam floribus, & encarpiis circumquaque anaglypho opere dispositis. Mirum est quàm improbo labore utantur Indi in hujusmodi durissimis corticibus incidendis.

35 Cannella alba Clusii a multis appellata, exoticus est cortex ante paucos annos deferri cœptus, albicans, in tubos convolutus. Affirmat Clusius se cognovisse ex Batavis, qui ex Moluccis redeunt, talem corticem non ex ramis arborum, sed ex radicibus detrahi, quod probat ex frequentibus nodis, quibus distinguitur. Odoratus est talis cortex, & maxima acrimenia præditus. Illum in suo Musæo indicat Calceolarius.

36 Nux Malabarica, ab Indis *Areca* dicitur, Fructus est coloris cinerei, substantia interiori variegata, involucro villoso, & aculeato tectus; coloris subfusci. Dentibus frequenter teri ab Indis referunt, eò quòd illos vacillantes obfirmet, Coctura succum ex eo extrahunt generosum, quem Malabarici Regni Incolæ exugunt.

37 Folia herbæ, quæ exsiccata ex Regno Sinarum in Europam defertur. Genuinam earum figuram describi non posse ait Vormius pag. 165. Musæi, cum exsiccando genuinam amittat; aqua tamen calida aliquantisper macerata explicari possunt folia ut cognoscatur. Similem a se deprehensam scribit folio fruticis rosarum. Hæc folia Sinenses in feruentem aquam conjiciunt, & post breve tempus talem liquorem calidum pro assiduo potu adhibent, non in mensa solùm, sed quoties in ædes hospes amicum visurus ingreditur. Talem potionem sicut, & Arborem vocant communiter *Cià*, at in aliqua provincia male pronuntiata littera C, dicunt *Tà*, ex qua voce corrupto vocabulo Angli efficiunt *Tè*, ideo in Europa *Tè*, & *Cia* hæc herba nominatur. Calida semper bibitur hæc potio, & palato non est insuavis, temperata quadam amaritudine; sed re vera est salutaris, nec una est hujus frondis præstantia, alia aliam solet superare, atque ita libram uno aureo, & sæpè duobus, aut tribus comparatur. Apud Japones præstantissima decem, aut sæpè duodecim aureis venit, apud quos etiam ejus usus, aliquando differt. Nam Japones folia hæc in pulverem redacta ferventis aquę ciatho miscent, eamque potionem ità permixtam sorbent; Sinenses verò in aquæ ferventis vasculum folia injiciunt, inde calida, postquam eorum vim imbiberit, epotatur, ipsa verò folia relinquunt. Si plura desideras, vide Bontium in historia fruticum indicorum, dialogo sexto. In Europa quoque ejus potionis usus apud multos probatur, ob insignes utilitates quas parit, & etiam suasos fortasse ab Hippocrate dicente: *frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro; calidum verò amicum*. Experientia autem docet, in Regno Sinarum nullum hominem calculorum morbo aut simili laborare, qui ex crudis, & indigestis ciborum particulis originem agnoscunt. Calida fortasse potione ob eandem causam Romani utebantur, a qua calicem nominaruut, ut docet Varro lib. 14. ob id Claudius, scribente Suetonio, Caldius Tiberius appellabatur: & Caligula ut ingentem luctum Populo Romano indiceret ob mortem Sororis Drusillæ, aquæ calidæ potum severa lege prohibuit.

38 Arundines indicæ, quæ *Bambù* seu juncos indicos dicunt, crassitie digitum æquant, sed vastis internodiis præditæ sunt. Ad longitudinem ultra viginti palmorum aliquando producuntur. Flexibiles ita sunt, ut in circulos spirasque circumducantur sine fractura instar nervorum. In plurimis Indiarum locis nascuntur; & in tractu Malabarico crassæ admodum, ut ex eis naviculæ viris duobus capiendis aptæ confici possint, ut referunt Scriptores, inter quos Plinius.

39 Rosa dicta Jerichuntina, ab aliquibus Rosa S. Mariæ; Rosæ tamen species nulla illi est, cum planta sit plurimis ramusculis prædita, qui simul complicantur quando siccatur. Illam in arvis Jerichuntinis non germinare retulit Bellonius lib. 2. Obs. cap. 86. his verbis: *Hæc apud Iericho non nascitur, sed eam in Arabia, deserto maris rubri litore, per arenas nascentem observamus*. Refert inter alios Gabriel Fallopius Tract. de Mat. med. cap. 116. in lib. 1. Dioscor. Plantæ virtutem inesse, qua mulieres in exclusione partus juventur: in aqua immersam dilatari, si fœtus in lucem feliciter edatur; secus verò si fœtus, vel puerpera mortem sit obitura. Rejicit has fabulas Author Musæi Colpiani pag. 140. cum aqueo humore madefacta, imò tempore humido semper dilatetur, ut docet experientia. Hæc scripseram cum ab Urbe Lipsia ad me missus fuit tractatus Valentini Moellenbrocii, cui titulus est *Cochlearia curiosa*. Hic Author in proemio libelli præmittens aliqua de plantis nonnullis mirabilibus ita

loqui-

loquitur de Roſa Jerichuntina. *Tradunt nonnulli, quòd quamvis exſucca, & centum annorum ſit, ſingulis tamen noctibus Nativitatis Chriſti, inter undecimam, & duodecimam horam ſponte ſua hiare incipiat, tandemque tota expandat ramos, atque eos poſtea iterum contrahat, & in glomum ſe colligat. Verùm id fabuloſum eſt, nam omni die ſi aquæ, vel vino imponatur, ſeſe aperit, ac ex iis extracta iterum contrahit, quod mihi ſi lubet videre licet; eſt enim mihi talis Roſa, quam eum in finem comparavi, ut mulieribus in partu laborantibus hauſtum vini, in quo hæc roſa prius ſeſe aperuit exhibere poſſem. Valdè enim aqua in qua ea infuſa fuit partum facilitare, a multis hactenus obſervatum eſt. Idque Eraſmus Franciſci notavit. Mihi vinum loco aquæ placet, quod & rationi magis conſentaneum videtur, quia aqua efficacius, & ad vires in partu difficili admodum neceſſarias reficiendas aptius. Dicitur hæc Roſa Hierichuntina, quòd non procul ab Hiericho Civitate in Paleſtina pereelebri, & quidem in ejus hortis, & agris provenire credatur. Quod autem falſum eſſe ex Bellonio 2. Obſer. cap. 86. & Munſtero in deſcriptione Civitatis Hiericho conſtat, ſcribentibus eam a peregrinis ibidem ex vicina Arabia, ubi ad litora maris in ſabulo naſcitur, translatam emi.* Iconem ejus domus ſub num. 19.

GUMMATA SEU SUCCI PINGUES PEREGRINI.

1 GUmmi primo loco numeratur, ſeu Reſinæ genus ex nova hiſpania delatum, quod ab Indis *Tacamacha* nuncupatur. Colligitur ex vulnerata arbore alta, ut populus, ad modum odorata, cujus fructus ruber eſt Pæoniæ ſeminis modo, ut refert Nicolaus Monardus. Celebris eſt ejus uſus, de quo fusè Calceolarius in ſuo Muſæo ſect. 5.

2 *Copal* Reſina eſt valdè candida lucens, & tranſparens ex nova hiſpania delata. Vulnerata arbore guttatim ſtillat liquor albus, qui ſtatim concreſcit. Cluſius refert alterum ejus genus rugoſum, & molle thuri ſimile, alterum præſtantius, citrio condito non diſſimile. Suffumigii loco Indi eo utuntur.

3 Ex eadem nova Hiſpania defertur Anima, quæ arboris eſt lacryma candida ad thuris colorem vergens magis oleaginoſa quam Gummi *Copal*, graviſſimi eſt odoris, & igni impoſita facilè liqueſcit. Colligitur ex arboribus vulneratis non aliter ac Thus.

4 *Liquidambar* Reſina eſt effluens ex arboribus vaſtæ magnitudinis, foliis hæderæ ſimilibus, cortice cinereo, qui inciſus craſſum *Liquidambar* emittit. Craſſa reſina eſt colore cinereo nigricanti, & ex nova hiſpania defertur. *Ocoxol* arborem Indi vocant.

5 *Styrax* Lacryma inſtar gummi ex arbore ſtillans malo cidonio ſimili, teſte Dioſcoride. E Cabella Urbe advehitur teſte Plinio.

6 *Cedria lacryma* eſt translucida, & ſolida, ex cortice arboris Cedri ſua ſponte deſudans, colore flavo; vehementi odore, ſed ſuavi, & jucundo prædita eſt. Ejus miras proprietates deſcribit Calceolarius in ſuo Muſæo pag. 629.

7 *Guayaceni* arboris Gummi, ex vulnerato cortice deſudans ex Inſula S. Trinitatis delatum, fuſci coloris, odorem prunis impoſitum exhalat acutum.

8 *Gummi Lacca* rubro colore, & minutiſſimis guttis concretum. Ex India Orientali defertur. Circa illius tamen ortum diſcrepant Authores. Affirmat Garzias, Medicus Luſitanus in India doctiſſimus, lib. 1. de Aromatum hiſtoria ſe comperiſſe in Pegu, & Martaban vaſtam arborem inveniri, foliis pruni, in cujus Surculis magnas formicas, e terra enatas hanc laccam elaborare, ut Apes mel conficiunt, materiem ex ipſa arbore exugentes. Hos deinde ramulos ab arbore revelli in umbra ſiccari: meliorem eſſe, quæ ſincera ſit, & ligni fragmentorum expertem. Alutas, & vervecinas pelles illa contuſa, & urina veteri macerata rubro colore ex altera parte infici. De hac lachryma ſcribens Vormius in ſuo Muſæo cap. 33. modum illam eliciendi ex arbore inveniſſe refert Guilhelmum Piſonem in Braſilia. Ignes luculenti ſtruuntur juxta arborem, quam dicunt *Caaopia* quorum poteſtate cortex dehiſcit, majoremque fundit lacrymæ copiam, quæ coagulata ſervatur. Arbor autem ſic deſcribitur. Caaopia humilis, & tenera eſt arbuſcula guttifera, a Luſitanis *Pao de lacra* dicta, quòd gummi ſeu gutta quædam viſcoſa ex ejus cortice defluat. Ligno eſt lento, e cinereo rufeſcente, folia habet ſolida inferiore parte ex viridi rufeſcente aſpera, ſuperne dilutè viridia. Cum adſtrictionis ſit particeps, & ſicca talis lacryma apud nos adhibetur ad Vernicem componendam, quæ a Sinica vernice ob nitorem nihil diſcrepare videtur; Quam vernicem primò excogitatam fuiſſe a R. P. Euſtachio Jamart Eremita Ordinis S. Auguſtini refert Pater Kircherus in China illuſtrata part. 5. cap. 1. ubi modum eam conficiendi narrat his verbis:

Primò. Recipe Gummi laccæ, quod ponatur in vase vitreo, ne frangatur, satis capaci. Secundò. Huic superfundatur Spiritus vini optimè rectificatus ad quatuor digitorum eminentiam. Tertiò, uno vel duobus diebus digeratur, in dies liquorem in vase spatula agitando, ne gummi vitro adhæreat. Quartò, hoc peracto illud per linteum transcoletur, identidem digitis exprimendo in vitreum aliquod vasculum. Quintò. Hoc in digestione pones in loco calido, vel balneo cinericio moderato per 24. circiter horas, & comperies vernicem supernatare limpidam, quam per inclinationem decantabis. Atque hæc est vernix rebus poliendis destinata. Huc usque P. Kircherus, qui etiam subdit modum imbuendi baculos, & aliam supellectilem. Cœterum, & si vernix ista a Sinica non videatur discrepare, sicuti multæ aliæ, quæ passim ab Anglis, Gallis, Italisque artificibus præparantur, de quibus plura docuit P. Joannes Zahn de Telescopio, Fundamento 3. Syntag. 3. cap. 9. plura etiam in sua Epitome Cosmographica Reverendissimus Pater Vincentius Coronellus lib. 3. cap. 32. longè tamen distant a Sinica, illa enim ita conficitur, ut refert P. Martinus Martinius in Atlante Sinico. Est in Regno Sinarum Provincia, quæ dicitur Chekiang montibus exasperata, quæ duas præ omnibus magni lucri, & emolumenti merces producit, quibus universum imperium beat. Prima quam producit est Papyri copia, qua melioris notæ in China non reperitur. Altera est gummi illud, quod *Cie* vocant, quod stillat ex arboribus, & haud simile est lacrymæ, quam Therebintus apud nos fundit. Æstate colligitur purgaturque a Sinis, & quo volunt colore inficiunt, nondum siccatum venenatam quamdam emittit exhalationem, cui non assueti intumescunt, & pallescunt vultu. Nam remedium quod ipsi Soli norunt, non statim adhibito, in phisia lapsi, lenta paulatim tabe moriuntur: remedium tamen sub initium morbi facilè paratum habent, antidotum infallibile. Arculæ ist iusmodi gummi, sive vernice illitæ, tarde, nisi in humido sint loco, siccantur. Ubi tamen exsiccata fuerint, nunquam amplius liquefactum defluit. Quam autem res sit elegans, jucunda, & splendida, jam dudum Europa ex capsulis, quæ ex Sinis adducuntur, didicit. Hæc omnia exposuit Kircherus loco citato pag. 220. ex Martino pag. 113. Supradictam venenatam exhalationem se fuisse expertum Florentiæ amicus meus mihi significavit, dum rei inscius vernice Sinica usus est, quam jussu Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ ex illo Regno in Italiam detulerunt aliqui. Utique non passus ille fuisset, ob exhalationem adeo noxiam, si remedium non ignorasset, quod mihi communicatum fuit, a P. Caspare Castner nostræ Societatis, qui è Sinis Romam nuper advenit. Retulit enim Artifices, qui in eo regno venenato hoc humore utuntur, lavare suas facies, & manus aqua calida, in qua per aliquod tempus pennæ gallinaceæ maceratæ sint ferventi ebullitione, atque hac lympha antidotum veneno opponere validissimum, quod ipsum pluries expertum se esse fassus est. Phialam vitream tali vernice plenam servo in Musæo, a cujus usu ob metum ejus pessimæ exhalationis abstinui.

9 Succus nono loco numeratur concretus, e Sinarum Regno allatus. Illum *Ghittaiemou* Sinenses, *Gottigummi* appellant Itali. Valde purus est, coloris flavi, quo aquam inficit si madefiat. Illo uti incolas testatur Clusius ad aqueos humores sine molestia evacuandos.

10 *Lacryma* sequitur arabici ligni, quod Cancamum vocant; Myrrhæ quodammodo similem esse dixit Dioscorides, quam ad suffimenta usurpant. Stillat ex proceris arboribus folia Myrthi habentibus.

11 *Lacryma* pariter ex myrrha, quæ in Arabia gignitur ex arbore Ægyptiæ spinæ non dissimili. Subnigra est, amara, & odorata.

12 Alia stillat ex arbore Arabica, eaque vocatur *Bdellium*, gustu amara, odorata, Arbor nigra est magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici natura. Gummi est translucidum simile ceræ.

13 Opobalsammum Peruanum, quod ex Peruana Regione defertur, tantique æstimatur, ut in Thesauris custodiri videatur. Ex arbore Pino persimili, non adeo tamen procera effluit: odorem exhalat suavissimum: liquidum etiam est, ut aqua melle infecta.

14 Aliud Balsamum Peruanum numeratur, solidum subnigro colore, quod facile liquescit, odorem etiam exhalat suavissimum: affertur etiam ex Regno Brasiliæ ubi ex piceis arboribus destillare traditur.

15 *Elemi* gummi, cujus sit arboris non liquido constare ait Vormius, quidam oleæ Ægyptiæ esse putant, alii arboris ignotæ.

16 *Opoponax*, succus est plantæ ferulaceæ: probatur amarissimus, ad auri colorem inclinans, levis, & pinguis.

17 *Tragacanthum* succus est Tragacanthæ plantæ spinosæ, ex cujus radice stillat. Probatur album, pellucidum, gracile, leve, saliva lentescens, parum differt a gummi arabico.

18 *Asa dulcis Belzovinum*, seu *Benzovinum*, & *Ben Iudæum*. Arbor ex qua provenit procera est, & vasta, caudice crasso; folia habet

bet minora foliis citri, non tamen adeo virentia. Nascitur in Silvis Malaccæ loco humidiore. Vulnerantur Arbores ut majori copia effluat. Præfertur Amygdaloides, quòd maculas candidas Amygdalarum instar admixtas habet, provenit etiam ex Insula Zeilan. Odoratum cum sit, in odoramentis locum obtinuit non infimum.

19 *Sanguis Draconis* succus est ex arbore, quæ Draco dicitur, & in Cartagine Americana nascitur. Arbor magna est cortice tenui, ex quo inciso effluit liquor, coloris est rubicundi instar cinabrii: Pictoribus inservit ad colorem rubicundum inducendum.

20 *Sandracha* Arabum seu Vernix, est gummi ex Junipero; Vernix dicitur, quia verno tempore colligitur; dicitur etiam Sandracha Arabum, ad distinctionem Sandrachæ Græcorum, quæ metallicum est Auripigmento affine, & venenum exitiosum. Eligitur pellucida, & recens, vetus flavescit. Ex ea Vernix conficitur liquida addito oleo lini ad tabulas illustrandas.

21 *Mastiche* lacryma, quam Lentiscus arbor, gummi instar sudat. Lauditissima est candida, quæ in Insula Chio colligitur.

22 Aliud gummi ex Regno Peruano ad nos defertur, quod suavissimum odorem exhalat, præcipuè cum accensis carbonibus imponitur. Illud incolæ colligunt ex arbore, ex qua stillat, & in bacillos uno palmo oblongos compingunt, & involunt cortice seu membrana ex foliis arborum decerpta. Patrio nomine dicitur *Ciucupai*.

23 *Manna* non deest, quæ etsi vulgaris sit, & notissima in classe tamen humorum stillantium ex arboribus recensenda est. Quamvis plurimi doceant cum Dioscoride Rorem esse, seu liquorem suavem, qui ex aere productus sublucanis temporibus in ramis arborum, frondibus, herbis, lapidibus invenitur, & brevi spatio temporis coalescens in gummi morem efficitur. Alterum ex India Orientali, alterum ex Calabria ad nos advehitur. Donatus verò ab Altomari existimat Mannam, e cœlo haudquaquam decidere, sed ex ipsa planta desudare. Idque argumento esse, quod inciso arboris fraxini cortice, ardente Syrio, absque cœli rore exudat, & in lacrymas concrescit.

24 Gummi in Regno Brasiliæ collectum, quod potius succinum purissimum diceres. Flavescit enim, & Diaphanum apparet ut succinum. Copiosè defluit ex quadam arbore, quam Incolæ vocant *Cagiù*. Procera illa est, extenditque suos ramos, ut Arbor Castanearum, in quibus ramis sapidissimi fructus matureſcunt.

MUMIA.

POst humores indicatos, qui ex corticibus arborum stillantes congelantur, incongruum non erit Mumiam referre, cujus pes in Musæo recensetur. Quippe plures ex illis humoribus ad eam conficiendam adhibentur, ut patebit ex infra dicendis.

Mumia igitur idem significat ex voce Persica, ac cadaver exsiccatum. Ejus virtutes, etsi plures medici copiosè descripserint, nulli tamen ejus condiendi rationem tradiderunt. Putant aliqui nulla certa conditura præparari, sed solo naturę artificio; referunt enim esse in Affrica Regionem desertam arena repletam, quæ fabulosi maris nomen obtinuit, quia arenæ ventis concitatę sævas tempestates movent, ut arenis in clivos aggestis turbinum violentia, jumenta & Viatores vivos sepeliant. Maris hujus sævitiem Cambysen cum toto ferè exercitu fuisse expertum refert Herodotus. Inter has arenas dicunt aliqui Mumias confici, dum cadavera longo temporis intervallo exsiccata ferventissimæ hujus arenæ ac solis calore in hunc statum degenerant. Hæc quidem, etsi vera esse possint, & pes integer cadaveris in Musæo reperiatur perfectè induratus, non tamen, judico illum esse cadaveris sub tali arena exsiccati sed Mumiæ, quo nomine ferè omnes intelligunt cadaver arte conditum, qua apud Ægyptios præcipuè antiqui utebantur, nobis tamen ignota.

Inter cœteros, qui illam excogitare studuerunt, fuit solertimus medicus Joannes Nardius hoc pacto scribens. *Quandoquidem Asphaltus liquabile mistum est, caloreque præsente mollescit, præsertim si congener accedat substantia, quale est fluidum bitumen, quod* naphtam *appellant. Ut igitur congruo in lebete jungebantur hæc simul igne cogente, bituminoso immergebant balneo cadaver, macerabantque tandiu, donec altè imbibisse conjicerent contubernalem liquorem. Neque controvertere, fas est dum hæc agerentur, ac pepercerit tunc ignis cadaveris adipi atque carnibus, par namque est credere his liquescentibus insigne accessisse auctarium arescenti bitumini. Exemptum tandem inde cadaver deponere cogebant superfluum humorem calidi ambientis opera, dum interim illius membra ad libitum componerent. Quæ verò me conducunt, ut prænarrato adhærererem artificio, æqualis illa bituminis distributio in singula membra compacti adhuc bitumine crines, cilia superciliaque, & frustula ejusdem bituminis comæ nonnunquam hærentia.* Huc usque Nardius cui etiam P. Kircherus noster assentitur in Sphinge Mystagoga cap. 2. asserens

ſerens hanc methodum condiendi corpora ſe legiſſe apud Arabes Auctores.

Coſſardus autem exponens varia ſepulchra antiqua tom. 2. pag. 27. modum condiendi corpora apud Ægyptios tribus potiſſimum modis factum fuiſſe affirmat his verbis. Corpus igitur poſt mortem exquiſitis lavacris accuratè lavabant, & abluebant omnes ſordes, ſi quæ contractæ eſſent ex morbo, vel alia ratione. Ea deinde munda committebantur Pollinctoribus, qui procurabant eviſcerationes, & alia quæ a cadavere propter putredinem erant eximenda. Hi primùm præparatis ad hunc uſum inſtrumentis argenteis, vel ferreis uncinis, & volſellis per narium concavitatem, & meatus cerebrum extrahebant, vacuumque cranium replebant fragrantibus aromatibus, poſtea cultello acutiſſimo confecto ex lapide Æthiopico ventrem inſcindebant, & eximebant omnia inteſtina præter cor, & renes, diligentique lotione ex vino abluebant omnia inteſtina corporis, quæ replebant myrrha, cinnamomo, caſſia, & aliis balſamis, & odoribus putredinem prohibentibus, excepto thure, quod ad ſacra Deorum deſtinatum erat. His peractis cooperiebant corpus totum gummi liquido cedri, & macerabant Sale præparato, totaque hæc condiendi cura producebatur per dies triginta, vel ſexaginta, prout ſumptus exquiſitiores fiebant. Demum cadaver faſcia Xylina oblonga, & lata dimidium pedem involvebatur a capite uſque ad pedes, poſtea includebatur ſimulacro ligneo, quod Defuncti formam exprimebat, feretroque impoſitum proponebatur arte ſepulchrum cum ſcripto, quod omnia geſta mortui continebat.

In ſepeliendis mulieribus (de quibus agit Diodorus Siculus lib. 2. cap. 5. & Herodotus in Euterpe, & Plutarchus in Sympoſio Sapientum) cum aromatibus immiſcebant gemmas, monilia, & alia ejuſmodi, quibus uſæ eſſent dum viverent. Addebant aliquando libros magicos, ſigilla metallica clauſa phialis cryſtallinis, aureis vel argenteis &c.

Plebeii eundem modum ſepeliendi mortuos ſervabant pro facultatibus uniuſcujuſque, nam corpora bene lota, & excrementis expurgata nitro, vel ſale tegebant, & aromatibus minus exquiſitis, & pretioſis, liniebant interdum melle, vel cera tegebant, unde fit ut Mumia illa, quæ ex Ægypto in Europam adfertur ad uſus medicos, cum nil aliud ſit, quam cadavera defunctorum, alia aliam ſuperet dignitate, & efficacia, prout balſami copia, & aromatibus precioſioribus conſtat; unde apparet ridendam eſſe ignorantiam eorum, qui hanc Mumiam dicunt eſſe cadavera mortuorum, qui ſuffocantur in deſertis ab arenis, quas venti agitant, & acervatim accumulant in ſolitudinibus aridis. Hæc Boiſſardus nulla fultus auctoritate recenſuit: circa quæ duo animadverſione digna non ſunt omittenda. Alterum ad involucra pertinet, quibus cadaver circumligabatur, alterum ad inſcriptiones, & characteres, quibus Mumiarum lignea tegumenta exornabant. Docet Kircherus in fine Sphingis Myſtagogæ, non hiſtorias nec geſta demortui in eis contineri, ut Boiſſardus affirmat. Sed altioris doctrinæ dictamina, de quibus in eodem opere, & in Oedypo fusè agit. Faſcias verò Xylinas, ſeu ex Goſſipio non ſemper latas fuiſſe dimidium pedem, prout idem Boiſſardus refert, ſed duobus ferè digitis, aut minus, eiſque non tantùm a capite uſque ad pedes cadaver quomodocumque involvi; nam miro artificio ita circumducebantur, ut modò ſuppoſitæ modò ſubnexæ, & per anfractus recurrentes rete quoddam efficerent, prout apparet in Mumiis graphicè delineatis in eodem opere Kircherii pag. 6. & in ipſis Mumiis, quas celeberrimus Petrus a Valle Patritius Romanus, nobilitate generis illuſtris, copia præterea lingnarum, & eruditione Veterum apprimè exculti ſſimis luſtrato toto oriente, India Mogorum Imperio, Perſia Armenia, Aſia minori, Paleſtina, Babylonia, & Ægypto ſecum detulit. Servantur adhuc illæ apud Illuſtriſſimum D. Abbatem a Valle ejus digniſſimum filium, qui ob pietatem, eruditionem, facundiam, ceteraſque ſui Animi dotes Urbi Romanæ ſplendorem addit, & ob ſuam erga me benevolentiam pluries dignatus eſt meis oculis illas exponere.

Unde natus ſit apud Ægyptios iſte curioſus ritus condiendi corpora ſi quæramus; notum erit, non niſi a ſpe reſurrectionis, quam poſt conſumationem ſæculi futuram exiſtimabant, ac propterea corpora condiebant; ut integra ad tempus ſi fieri poſſet ſervarentur. Servius autem in 3. Æneid. ait, illos ſecutos Stoicorum ſententiam ſibi ſuaviſſe tandiu animam durare, quandiu duraret, & corpus; & Kircherus noſter eruditè de illis agit in Tomo 3. Oedypi Syntag. 13. cap. 2. pag. 393.

Ideoque crederent immanem, quamdam eſſe belluam, quæ ubi devoraſſet omnia, cum iiſdem conſumi pariter ac extingui. Addit Herodotus lib. 2. morem etiam fuiſſe apud eoſdem Populos, ut ſi quis vel advena, vel indigena, Nili undis præfocatus, aut necatus eſſet a Crocodilo, cadaver, uti rem ſacram (quòd Nilum, & Crocodilum in Diis haberent Ægyptii) Sacerdotes loci illius, in quo fortè repertum fuiſſet, magna religione, cæremoniaque lotum, perpurgatum, atque conditum, propriis ſepelirent manibus, ne parentibus quidem permiſſis illud attingere.

Illud

Illud verò non prætereundum ſilentio, quod a moltis eſt obſervatum narrante Goropio in ſuis Hieroglyph. cap. 7. Inveniri videlicet exiguas ex ære, marmore gypſo, aliave materia, ſtatuas inſertas cadaveribus Ægyptiorum, referentes ſpeciem hominis demortui, a pectore ad imos uſque pedes involuti linteo, manibus in crucem commiſſis, obvelato capite, ſudarioque faciem tegente, unius fermè palmi longitudine; De quibus cum varii varia ſentiant, eorum opinionem probabiliorem putavit P. Franciſcus Pomey in ſua Libitina, qui putant imagines fuiſſe Numinum Ægyptiorum, Oſiridis nimirum, & Iſidis; quos Plutarchus eo libro, quem de illis ſcripſit Plutonem ait eſſe, ac Proſerpinam Deos Infernorum, quod idcircò mortuis in Inferos migraturis, ut propitiarent, eorum fortaſſe effigies cadaveribus includebant.

Multò minus prætermittendus ille ritus relatus a Porphirio de Abſt. Animal. quoties medicatum quodpiam funus curarent Ægyptii, eximere ſolitos, ut modò diximus, inteſtina, ſeu ventriculum, deinde cum Pollinctor ad ſolem obvertiſſet cadaver, defuncti nomine Solem Cœliteſque omnes ſic conteſtari conſueviſſe: Sol rerum domine, voſque Superi, qui Mortalibus vitam datis, me accipite, veſtrumque in numerum adſcribite. Equidem Numina veſtra piè ac religiosè colui, dum vixi, nec ullum aliud commiſi crimen: Quod ſi quid edendo bibendoque a me factum eſt, e ratione diſſonum, id verò non mea, ſed hujus (ſimul indicabat digito inteſtina ſeorſim poſita) cauſa commiſſum eſt; Ille venter eſt omnium origo malorum, quæ feci; His dictis, arcam in qua inteſtina clauſerat, in profluentem jaciebat.

Cadavere ita condito indicebatur funus, deque Sepulturæ die monebantur Judices; & poſt funus ſepeliebant mortuos domi, aut rure, Domi quidem, vel incluſos in loculis quibuſdam ad parietem applicatis, vel inſertos parieti, vel in terra poſitos, vel collocatos in lectulis, quaſi ſomnum caperent, vel etiam menſis adhibitos velut convivas aſſervabant. Quod tamen non tam de ipſis mortuorum corporibus, quàm de illorum effigie ad vivum expreſſa intelligendum videtur ex Herodoto de Luctu, dum ſcribit ad cœnam locupletiorem circumferri ſolitos in loculo mortuos, e duriori materia, ſæpiuſque ex argento fictos, pictura imitante verum, cubitali, aut bicubitali longitudine ſinguliſque oſtendi convivis cum hac admiratione. *In hunc reſpiciens pota, & oblectare, talis poſt mortem futurus.*

Extra urbes etiam in vaſtis nudiſque ſolitudinibus ſepulchra ponebant, Pyramidibus plerumque ſuper excitatis ſtructura adeò mirabili, ſtupendoque ſumptu, ut fidem penè ſuperet, quæ de earum aliquibus noſtra etiamnum ætate perſtantibus oculati teſtes ſcripto tradiderunt. Legatur P. Pomeii in Libitina cap. 5. §. 1. & Joſeph Lanzonus in Libello de Balſamatione cadaverum, aliique Authores, apud quos plura referuntur de Ritibus ſepeliendi cadavera Mortuorum, tum apud Ægyptios, tum apud Græcos, Hebræos, Romanos, aliaſque Nationes. Nos Muſæi deſcriptionem proſequamur.

In hoc igitur cum pede Mumiæ Aegyptiacæ recenſentur ſub campanis vitreis plura integra cadavera infantium, & diverſi humani fœtus, quorum aliqui ad ætatem quadraginta dierum, aliqui ad duorum menſium, alii ad quatuor, alii ad ſeptem pervenerunt, atque ex his aliquot carne conſumpta, & abraſa omnium oſſium diſpoſitionem oſtendunt, quæ Anatomicæ facultatis ſtudioſis adjumento ſunt, ut non parum proficiant. His adde quamplurima ſceleta diverſarum volucrium, & Quadrupedum Anatomico cultro a carne purgata. Inter cętera ſunt Aquila, Upupa, Pica, Alauda, Turdus &c. ſunt duæ Braſilienſes Simiæ, Felis cum mure, Talpa cum Hericino, Muſculus ſilveſtris, Rana, & Chameleon. Inter omnia eminet ſceletum adultæ fœminæ, quod oſſa omnia inter ſe optimè colligata demonſtrat, & quamvis oculis ſit orbatum, obtutum defigere in ſpectatores videtur, & Vitam amiſſam deplorare.

CLAS-


11
9
12
13
15




6
10
11
12
9

13
14
15
16
17
18
19



CLASSIS OCTAVA

Exponuntur Plantæ Marinæ, frutices, & Animalia tum Marina, tum Terreſtria.

EX iis omnibus, quæ ex marina ſegete in Muſæum, veluti naturæ theſaurus ſunt translata placet exordium ſumere a Coralio, uti planta nobiliſſima, ſummeque admiranda, quam *rubentis maris gemmam* vocavit Calceolarius. Planta illud eſt, non quidem herbarum ritu in aere creſcens, ſed ſub undis ſine frondibus, & ſine fructu, mirando prorſus incremento, ſaxea ſubſtantia prædita. Fuit quidem Antiquorum opinio illam ſub aquis mollem plantam primò eſſe, & viridem, ſed mollitie poſtmodum relicta, e profundo maris exemptam, & aeri expoſitam, in lapidis ſoliditatem ſtatim abire, non ſecus ac ferrum igne emollitum, aquæ poſtea immerſum illico ſolideſcit. Quam proprietatem eruditè deſcripſit Ovidius in fabula de Andromada, & Perſeo Metam. lib. 1.

Hinc quoque Coraliis eadem natura remanſit,
Duritiem tacto capiant ut ab aere, quodque
Vimen in æquore erat, fiat ſuper æquora ſaxum.

& alibi idem Ovidius lib. 15.

Sic & Coralium, quò primùm contigit auras
Tempore, dureſcit; mollis fuit herba ſub undis.

Hoc idem expreſſit Marbodeus Gallus Poeta in Dactylot. cap. 20. ſcribens

Corallus lapis eſt, dum vivit in æquore vimen:
Retibus avulſus, vel cæſus acumine ferri
Aere contacto fit durior, & lapideſcit.

Accedit his auctoritas Anſelmi Boetii referentis apud antiquarium Imperatorum conſervari coralia, quorum ſurculi lignei adhuc erant. Arbuſculorum ſimilium partim ligneorum partim lapideorum meminit Ulyſſes Aldrovandus in ſuo Muſæo Metallico lib. 3. cap. 2. cui Bernardinus Cæſius in ſua Mineorologia aſſentitur lib. 4. part. 1. ſect. 5.

At Coralia ſub aquis mollia non eſſe experimentis probat Pelsho Werus in ultima Tyrocinii chimici editione Vittembergæ facta anno 1650. In ea lib. 2. cap. 10. pag. 153. ita ſcripſit. Joannes Baptiſta de Nicolò eques Maſſilienſis, & regius Piſcationis Coraliorum in Regno Tunetano Præfectus, certo mihi confirmavit, quòd cum anno 1585. menſe Julio in mari Bizertino Regni illius Tunetani Piſcationem inſtituiſſet cupiditate naturæ Caraliorum inveſtigandæ adductus, juvenem funibus ſufficienter longis alligatum, & pondere vigintiquinque librarum in utraque manu ad deſcenſum liberiorem in mare, iſtum centum perticas in profundum demiſerit, ipſique in mandatis dederit corallum ut evelleret, & inter evellendum curiosè, attenteque obſervaret, an molle durumve eſſet. Qui ubi rurſus aſcendiſſet, utraque manu corrallum attulerit, conſtanterque aſſeruerit illud non minus in ſuo mari, quàm ſupra illud durum eſſe. Immo quòd ipſemet etiam, cum relationi ejus fidem adeo non haberet, in mare, cum retia, quibus in mari coralia piſcari ſolent, contrahenda eſſent, antequam in ipſum aerem efferrentur, ad profunditatem unius perticæ ſe immerſerit, & coralium reti adhærens manu prehenderit, idque tum æquè durum, ac cum aeri externo eſſet expoſitum obſervaſſe. Idem etiam confirmavit D. dela Poitier nobilis Lugdunenſis qui anno 1613. ab hujuſmodi piſcatione reverſus eſt. Quod cum ita ſit, pergit idem Author, magno quidem in errore hactenus verſati ſunt Præceptores noſtri contrarium docentes.

Retulit quoque D. de Nicolai, quòd vere, quando Coralium evellitur, & frangitur, liquor quidam ſeu ſperma lacteum ex eo emanat, quo remanente ſupra lapidem, lignum, ferrum, aut aliquid aliud, coralium producitur. Non tamen negandum eſt illud extractum ex undis novam, & majorem duritiem acquirere, uti ferè lapidibus, & foſſilibus omnibus accidit, quæ ſub terra minus dura ſunt, quàm aeri expoſita.

Habet igitur coralium ſubſtantiam lapideam, licet vegetabile ſit, & circumtegitur tunica quadam tenera, qua dempta color rubicundus apparet, & expoliri poteſt. In mari Tyrrheno circa Maſſiliam, aliiſque locis adjacentibus Rubrum expiſcatur. Item in Mari Drepanitano, & propè Inſulam quam *Lilium* appellamus. In Regno Algerii fretum eſt propè Inſulam, quæ dicitur *Tabarca*, cujus dominium pertinet ad Lomellinos Genuenſes, ubi ejus nominis Urbs

est, Coralii tùm albi tum rubri Piscatione dives.

Coraliorum autem variæ sunt differentiæ tam ratione colorum, quàm formæ; sunt enim rubicunda, alba, nigra, striata, stellata, articulata, solida, fistulosa, scabra, porosa, racemosa &c. Ea quæ Musæem exhibet breviter indicabimus.

1 Primo loco quamplurimæ arbusculæ visuntur coralii quidem rubri, quarum tamen aliquæ sanguineo rubore videntur saturatæ, aliæ purpureo suffusæ, in fuscum inclinante, aliæ carneum colorem referunt, aliæ puniceum, & malo aurantio similem. Planta inter omnes est singularis, cujus ramus, etsi tota vivide rubescat, ille nigerrimo colore infectus, apparet ut sub num. 1. Nec desunt ramusculi rubore quodam albescente leviter tincti. Docet Anselmus Boetius simili tinctura suffundi coralia, & nativum ruborem posse deperdere, dum ab ægrotante morti proximo gestantur, sed rursus amissum colorem posse recuperare. Ita ille lib. 2. de gemmis cap. 154. *Si Sinapi semine obruatur, aut pane madefacto lavetur; alii urinam puerorum antiquam, & quæ residentiam deposuit, in vas vitreum effundunt, ac in ea corallos demergunt, & vase occluso sinunt quiescere per quatriduum: tum exiccant, ac rubro panno albos redditos fricant, donec egregiè rubescant.* Alii coralia ut pristinum colorem recipiant, supra sterquilinum appendunt per multos dies, ita tamen ne stercus attingant, hoc enim pulchra redduntur.

2 Visuntur etiam quamplures saxorum glebæ, e profundo mari extractæ, quibus plurimæ coraliorum plantæ adhærescunt. His nullæ radices caudicesque rimulas saxi penetrantes, sed ejus superficiem quodammodo complectuntur, fibris tenacissimis in gyrum extensis in eum modum, quo cuti humanę gluten aliquod vel medicata cera firmiter adhæret. Inter eas præcipua est massa quædam, quæ videtur ex plurimis purpureisque coraliorum fragmentis, & argilla molli subalbida simul compacta, durissima tamen est, ob idque admodum pretiosa, & veluti naturæ ludentis rarissimum argumentum.

3 Non minus rara concha est ex eo genere, quod Pectines complectitur, concava, ex una parte, gibbosa, & striata ex altera; in cujus vertice, ubi appendices extant, quas auricolas vocant Authores, eminent duo coralia cornibus ramosis cervi similia. Illam e mari Drepanitano in Musæum translatam, tanquam rarissimum coraliorum prodigium omnes admirantur. Huic plurima ex genere Tastaceorum adjunguntur conchylia, quorum singulis inhærent coraliorum ramusculi, ex quibus manifestè apparet, Coralium enasci ubicumque lacteus ejus humor adhæret. Sic se vidisse Pisis fruticem elegantem Cranio humano innatum Vormius affirmat in suo Musæo cap. 35.

4 Coraliorum arborum plantæ aliquot recensentur, ramis frequentibus, & inter se implicatis ex mari Tabracæ acceptæ. Præduram substantiam habent, & valdè ponderosam. In parte exteriore frequentes notæ quædam sunt, veluti tubercula, natura sic ludente. Coralium porosum ob id dici potest, cum Ferrante Imperato lib. 27. cap. 2. qui docet plantas hujusmodi coralii majores cæteris esse, nec unquam rotundam figuram induere, ut rubra, sed planam instar foliorum ficus indicæ.

5 Album pariter est aliud coralii genus ramosum satis, & durum. Hoc sanè ingeniosè est a Natura constructum, ut juncturas Animalium, & veluti ossa illa exprimere videatur, quorum beneficio dearticulationes in corporibus invicem connectuntur, ob idque ab eodem Authore Coralium articulatum nominatur.

6 Præter hoc numeratur coralium album, quod dici potest fistulosum; si enim rumpatur, licet in exteriori superficie rimulam nullam habeat, interius tamen medullam ostendit veluti in stellæ modum constructam, & fistulis vacuis præditam.

7 Rubris coraliis adnectenda est. Planta in mari mediterraneo, & præcipuè in Dalmatico germinans. Hanc *immaturi coralii plantam vocavit Vormius cap. 35. fucum marinum dixerunt alii seu Coralloidem.* Neque enim coralii proprietates habet, plicatiles cum habeat ramos, priusquam perfectè arescat, ut cæteri terræ frutices, ad tres palmos sæpe in altitudine excrescit, caule quidem tereti, & anserino calamo ferè æquali, sed in frequentes tenuesque surculos divaricatum. Planta est ut ferè omnes marinæ, interiore substantia constans lignea, quæ exiccata facilè frangitur, coralina crusta, sed lanuginosa obducitur.

8 Ad coraliorum alborum genus alia referuntur maris vegetabilia, quæ etiam in Musæo locum suum obtinuerunt, & primo Massa quædam, quam Vormius pag. Musæi 233. Coralium tuberosum punctatum appellat. Planta illa est elegans admodum ex mari rubro evulsa, substantia potius tophacea, quàm lapidea, & porosa (facili enim negotio frangitur.) Ejus color externus ex albo flavescit, internus albicat. Ex ejus trunco admodum crasso, quo saxo adhæret minutissimis punctis per totum corpus signato, non secus ac ab arbore ramifera, multiplices germinant ramuli, miro ordine a Natura dispositi, qui in pyramidalem formam obtuso mucrone

crone terminatam deſinentes rotunditatem ſervant, aliquæ tamen partes ex eadem maſſa emergunt, quæ formas varias exprimunt, quas oculos melius in pictura intuebitur, quàm calamus poſſit deſcribere.

9 Extat marinum germen, quod Milleporam vocat Imperatus, ſubſtantia ad corallium accedente, ſed magis arenoſa. Ramos innumeros junctim effundit obtuſos, æquales, & in extremitate poroſos qui non ultra unciam longitudine ſe extendunt. Color illis eſt cinereus.

10 Idem Imperatus dedit nomen aliæ plantæ, quæ in Coraliorum penu oculos oblectat, vocando Reteporam. Inſtar folioli pergamenæ criſpæ illa eſt, ſine ullo ordine complicatæ, innumeris foraminibus prædita, ut exiguum retè aliquo modo referat colore ex albo in luteum tendit. In maſſam excreſcit, ſed facilè frangibilem, hinc rarò integram plantam retia attrahunt, quibus coralia, e fundo maris evelluntur.

11 Coralii nigri aliquot rami ſunt non recti, ſed per anfractus extenſi ut rubra coralia. Inter cœteros eminet planta valdè ramoſa, ex inſula Tabracæ coralii rubri, in qua propè caudicem ramus eſt partim atro colore ſaturatus, partim purpureo, quem ut rariſſimum Naturæ fœtum omnes admirantur. Sunt aliæ plantæ in ramos plures, & magis altos diffuſæ, quarum color ex fuſco nigricat, ſubſtantiæ quidem præduræ, non tamen ex coraliorum genere, licet corallia nigra ab indoctis nuncupentur, cenſendæ. Creſcunt illæ ſub undis, ſed more plantarum terreſtrium, atque ex undis erutæ duritiem pluſquam ligneam acquirunt. Ebeno intus nigro, foris ob colorem Buxo poteſt eorum color æquari. Scabroſus exiſtit hic frutex, ſed cortice deraſo inſigni levore perpolitus prodit; & quamvis non ita conſpicuus cenſeri poſſit, ut coralii rubri planta, ramorum multiplicitate eſt inſignis. Illi a trunco ſatis ampli in egregiam formam attolluntur, & ſæpe ſimul implicati, indiſſolubili glutine conjunguntur. *Antipathas* a Dioſcoride nominatur, *Coralium nigrum* a Latinis. De hoc Plinius lib. 15. cap. 25. ita ſcripſit. *Tradunt circa Troglodytarum inſulas Fruticem in alto reperiri, & vocari Iſidos Plocamon, Coralio ſimilem, ſine foliis, & præciſum, mutato colore in nigrum dureſcere; cum cadit, frangi.* Plantas, & quidem ſpecioſas, quæ in Muſæo ſunt, ex Mari Siculo extirpatas recepi.

12 Rariſſimum eſt coralium, quod ob lacteam albedinem album dicitur, non quidem fiſtuloſum ſed denſum, ea denſitate, quam Rubrum habet. Hujus generis aliqua fragmenta cernuntur in Muſæo, quæ licet parva ſint, claſſem tamen coraliorum perficiunt.

13 Aliud Coralii genus cernitur, album, cujus ſuperficies punctis notatur ſtellularum inſtar, propterea coralium ſtellatum illud vocarunt Scriptores. Ex oceano adferri dixit Imperatus, alii ex mari Rubro extrahi, eſtque illud in noſtris Tabulis indicatum ſub num. 11.

14 Frondiporam aliam vocavit Plantam, quæ ſuperius deſcriptæ aſſimilatur: Diſcrepat tamen ab illa; nam in ramos quidem complanatos diffunditur, ſed non adeò ſimul conjunctos, & anguſtioribus foraminulis notatos, fragilis, & vitrea ejus ſubſtantia eſt, colore ſubalbido. Vide num. 12.

15 Ad eandem claſſem reducitur marinum germen, quod Porum Cervinum Authores appellant. Illud vides ſub num. 13. Ramos habet breves, parumque altos, non rotundos ſed complanatos, & ſicut Cervorum cornua aſſurgentes, & mucronibus orbatos. Porus dicitur ab minutiſſimis, & frequentibus foraminulis, quibus undequaque notatur. Color illi eſt tophaceus ad albedinem inclinans.

16 Tubularam vocavit idem Imperatus maſſam aliam quam num. 14. indicat, quamque Alcionium Mileſium dixerunt alii. Tubulis innumeris illa conſtat rectè paralellis aſſurgentibus, Internodiis aut ſeptis quibuſdam diſtinctis, & colore purpureis. Ex mari Mediterraneo ſimul cum coraliis aliquando extrahitur. Quid natura ejuſmodi tubulorum, ſeu fiſtularum mira conſtructione aſſequi voluerit, adhuc incompertum eſt. Tubularam aliam vocavit Vormius pag. 237. maſſam quandam ex cruſtoſis albiſque vermiculorum tubulis conglobatam, & variè contortam, ſed cum ad Teſtaceorum genus referatur, illam hic omittimus.

17 Poſt coralliorum genus ſuccedit alia marinarum Plantarum Claſſis, quæ Alcyonia, & Spongias complectitur. Et primò Spongiarum variæ maſſæ ſunt coloribus diverſis ſaturatæ, puta albeſcenti, ſubflavo, melleo, & caſtaneo. Illas inter Zoophyta referunt multi, aliqui ad fungos pertinere aſſerunt: corpora ſunt fiſtuloſa ex lana quaſi ſtipata, & mucagine membranoſa compacta, creſcunt ſupra lapides, vimque habent motivam, qua ſe conſtringere, & dilatare poſſunt. Proprium illarum eſt humorem copioſè imbibere, ſcatent mucagine a qua ſe purgant in arenis evulſæ a ſcopulis. Variæ earum ſunt differentiæ ob duritiem, ſeu denſitatem, & figuram. Quædam exhibentur in Muſæo globoſæ, aliæ, quas Arboreas ſeu digitatas dixeris: ſunt enim velut in ramos conformatæ, ſed complanatos; aliquæ filis præduris, & aridis compoſitæ nullam denſitatem præferunt, ſed

rara textura reticulatum opus imitantur, aliquę verò adeo densa filorum dispositione compactæ, ut fungorum substantiam referant, foraminibus tamen instar stellularum frequenter notatam, ob idque spongia stellifera appellari posse videatur.

Videbitur fortasse alicui supervacaneum, seu indecorum esse hujusmodi maris vegetabilia recensere, & in Musæo asservari, quæ cum vulgaria sint, & frequenti usu adhibita, minimi fiunt, & nulla oculorum accurrata observatione digna existimantur. Sed apage adeo insulsæ mentis, & ineruditæ exprobationem; cum nihil in Naturæ theatro indicari possit, quod in erudito Musæo recenseri non mereatur; Adeo enim mirabili constructione spongia componitur, ut nunquam oculus assequi possit naturę artificium. Illam Microscopio subjectam in nostra Micrographia descriptam exhibebimus, hic tantùm recensemus inter vegetabilia, quæ è mari recepta Musæum exornant. Quod si de spongiarum usu sermo instituendus esset, quàm multa recenseri hic possent? Illum apud Antiquus, sicuti etiamnum, duplicem fuisse scimus, prophanum scilicet, & sacrum. In profanis pluribus usibus inserviisse spongias retulit Plinius nat. hist. lib. 30. cap. 11. frequentius tamen adhibebantur ad tergendas mensas, quare cecinit Martialis lib. 14. Epig. 144.

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis,
Utilis expresso, cum levis imbre tumet.

Delebantur insuper scripta, ut habetur ex Suetonio in Caligula cap. 20. Hinc Augustus apud eundem Suet. cap. 85. *Cum Tragœdiam Ajacem inscriptam, quam magno impetu scribendam susceperat, non succedente stylo, spongia deletili abolevisset*, quærentibus deinde amicis, quidnam Ajax ageret, lepide, scitèque respondit: *Ajacem suum in spongiam incubuisse*. Spongias præterea antiqui in deliciis habuerunt strigilum vices linteorumque ipsas usurpando ad emundanda corpora; ditioresque purpura eas tingebant, atque etiam candidas aliquando faciebant adhibita cura, quam describit Plinius loco citato.

In sacris etiam multiplex itidem fuit spongiarum usus, & in altari græco spongia, *Purificatorii* latinis dicti, munus egit. De his plura recensuit Joseph Vicecomes in Observat. Ecclesiasticis de Missæ apparatu lib. 7. cap. 18. & nuper eruditissimus Abbas Joannes Christophorus Battelli in Explicatione ritus annuæ ablutionis Altaris Majoris Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ cap. 6. num. 9. Nobis satis sit hæc innuisse, ne quis sibi suadeat, ignobile, & supervacaneum fuisse in nostro Musæo etiam spongias recensere.

18 Sphongiis copulantur substantiæ illæ, quæ Alcyonia dicuntur. Nomen hæc trahunt ab avibus, quæ *Halcyones* à Græcis, a Latinis *Alcedones* vocantur, quia ex iis mari innatantibus nidos construunt. Ortum ex mari habent, & ex ejus spuma (ut asserit Vormius pag. 48. quæ cum tenuissimis sordibus permixta, accedente succo lapidescente in varias figuras concrescunt. Duo eorum genera ille agnovit. Alterum mollius, quod spongiosam habet substantiam, alterum durius, & lapideum. Veteres quinque genera proponunt, primum figuram habet spongiæ spissum, & grave, secundum foraminibus plenum, leve, odore algæ simile. Tertium vermiculi figuram potius exprimit, & ad purpuræ colorem, sed molle est, *Milesium* vocant. Quartum pinguedine sordidum, & foraminibus. Quintum leve, & fungo simile, intus asperum, pumicem refert. Multa Alcyonia recensuit eruditissimus Calceolarius in suo Musæo sect. 1. Nos ea quæ habemus enumerabimus, & primò.

19 Alcyonium est, quod Dioscoridis secundum vocat Vormius pag. 236. Est massa quædam, constans ex innumeris pelliculis, seu vesicis iis similibus, quibus Pisa cocta spoliantur, dum coquuntur, invicem unitis, & spongiæ instar concretis, vacuis, colore ex albo flavescente, ut plurimum: nam aliquando inveniuntur ad rubiginem inclinantes, pugni quandoque magnitudine, quandoque majores, vel minores. De his differens Aristoteles hist. Animal. lib. 5. cap. 15. putavit generari ex eo, quod Purpuræ, Buccinæ, aliaque ejus generis ostracoderma, emittant lentorem quendam, seu humorem mucosum. Ex eo purpuris verno tempore congregatis, veluti favus ex putaminibus cicerum alborum inter se cohærentibus coagmentatur, quem pro Maris spuma Pharmacopolæ quidam falsò ostentant. Ut ut sit negari non potest, mirum in iis, non secus ac in spongiis naturæ artificium inesse, quod rudi quadam Minerva expressum in lamina exhibemus sub num. 15. ex Imperato pag. 639.

20 Aliud Alcionum ex Mari Adriatico acceptum visitur, quod *Tuberosum* vocavit Imperatus. Massa quædam illud est parum ponderans, & frequentibus tuberculis intumescens: mole sua Peponem æmulatur, colore cinereo circumquaque obductum, si in duas partes dividatur, massa detegitur compacta ex spinis piscium, ex frustulis concharum, ex cristis, algis aliisque ejus generis fragmentis, & humore quodam glutinoso, contegitur tamen cortice levi, & expolito, in ejus parte inferiori locus pedunculi apparet, quo fundo maris adhæret, ut fungus, quamobrem initio germen fuisse puto,

to, cui deinde, adhærescentibus diversis rerum particulis, ab undis agitatis, massa conficitur inæqualis, & ad informem rotunditatem conformata, quam deinde alius humor ferè lapidificus, & pinguior circumvestiat, deinde a radice evulsa, innatat aquis ob aerem inter particulas illas simul coagmentatas inclusum, non secus ac Alcyonis avis nidus, ut narrant historici.

21 Inter Alcyonia numeratur alia massa magis indurata, & ad lapidem proximè accedens, quam Muscum lapideum dixerunt aliqui, vel Alcyonium quintum Dioscoridis. Illum ex Imperato sub num. 16. delineavimus, ut oculis subjiciatur melius, quàm calamo describi possit. Assurgit ex saxo in plura, & spissa veluti folia semicircularia conformatum: lapidea substantia illi est non admodum gravis, & colore subalbido.

22 Alcyoniorum classi addimus aliud marinum vegetabile sub num. 17. quod vulgò fungus petrefactus appellatur, sed falsò, nam etsi fungi figuram imitetur, non tamen structura; nam rimulæ seu striæ, quæ a centro ad circumferentiam in fungis sunt, semper in parte inferiori humum respiciunt ex qua enascuntur, in hoc autem partem superiorem exornant. Fungum saxeum Nili majoris illum vocavit Carolus Clusius Exotic. lib. 6. cap. 10. Ejusmodi fungi tres numerantur in Musæo, quorum unus uncias sex habet in diametro, perfecta rotunditate absolutus, omnes tamen pediculo carent, quem in suo fuisse ait Clusius.

23 Alcyonium etiam cum Agricola, & aliis appellavit Calceolarius Globum, quem superius indicavimus, & quem Brasavolus, & Gesnerus inter spongias reposuit. Mari ille innatat, mollis, & rarus exilibus pilorum instar, & brevibus festucis cujusdam herbæ colore fuscis mutuo supra littus ex fluctu colliderite immista spuma intricatis confartus. Illum etiam retulit Galenus lib. de compos. medic. referens, quæ Crito ad conservandos, augendos, nec non a defluvio præservandos capillos scripsit. Qua de causa facilè crediderim fuisse hujusmodi globos a Puellis Veneri oblatos, ut ex Turnebo retulit Tomasinus de Donariis cap. 12. his verbis. *Dicant Veneri marinas pilas, reticula, & strophiola*; quæ verba apud Nonium Marcellum hoc modo leguntur. *Suspendit Laribus marinas molles pilas, retiola, & strophiola.*

24 Aliæ sunt plantæ saxis adhærentes, & in modum coralliorum assurgentes, quarum tamen rami teretes, seu Virgulæ multiplices sunt satis oblongæ, & flexibiles, franguntur tamen cum arescunt. Cutè obducuntur, plerumque rubescente. Plantam inter cæteras servat Musæum candidissima lanugine circumtectam, e parente saxo efflorescentem. Fucum hujusmodi fruticem appellanr aliqui cum Theophrasto.

Ad Animalia transitum facimus, quorum aut integra corpora aut partes in Musæo sunt, & primò, ne a Mari divagemur ubi Coralia cæteraque vegetabilia marina consideravimus, exceptis Testaceis Animalibus, quorum Classes, cum adeo variæ sint in Musæo, in fine addemus, eruntque descripti Musæi non ignobile complementum.

PISCIS CANIS.

PRimò se offert Piscis Canis sub num. 18. delineatus, qui Canis Carcaria dicitur a Plinio, eò quòd dentibus plurimum valeat. Oris scissura maxima illi est, in eo duplex mandibula, quam dentes triangularis figuræ acutissimi, & durissimi, quos sub numero 19. cernere poteris in sex ordines dispositi obarmant. Eorum primi extra os prominent, alii in os ipsum recurvi. Illos describens Illustrissimus Stenonius ait. *Cui usui dentes ita incurvatos Natura destinarit, non perspicio, cum carnes intra sepulti escæ comminuendæ nulla ratione potuerint inservire. Quid quod id generis animalia obvia quæque non comminuta deglutiunt, ut reperti in eorum stomacho integri homines testantur. Retinendæ prædæ, ne diffugiat forsitan, & diffringendæ majori, quàm quæ ventrem subire possit primi ordines inserviunt, reliqui verò nisi materiæ necessitati dicantur facti, non video cujus gratia sint confecti*; Piscem hunc descripsit Aristoteles hist. Animal. lib. 5. cap. 5. Maximus inter Canes Marinos est habitus, nec desunt qui illum carnivorum voraciissimum, & antropophagum nominant. Dicunt cadavera hominum etiam integra vorare. Apud Plinium lib. 13. cap. 25. hæc verba sunt; In Mari Rubro silvæ sunt caniculis refertę, ut vix prospicere, e navi tutum sit, remos plerumque ipsos invadentibus. Sunt etiam in Mediterraneo, & quidem diversi generis, prout Musæum ostendit, in quo alius rictus Piscis Canis conspicitur, dentibus tamen non ita copiosis munitus. Piscem hunc referunt adeo pruriginoso appetitu in corporis humani carnes nudas præcipuè, & candidas ardere solitum, ut aliquando has depascendi causa in terram exiliat; unde hac ratione, & ob duros aculeos venenum quoddam jaculantes (ut scribit Ælianus hist. Animal. lib. 1. cap. 56.) tunc temporis, & Piscatoribus, & Maris incolis sit formidabilis.

PISCIS LIBELLA.

NUmerus 20. Piscem demonstrat moustrosum ex genere Cetaceo, qui tamen aliquando parvus capitur propè littora. Dicitur Zygena, seu Libella a figura capitis, quo transversum libræ, ex quo lances dependent; simulat. Præ partibus cœteris admirationem oculi merentur, qui extremitatibus duabus capitis in longitudinem transversim procurrentibus utrinque infixi. De hoc Salvianus, Bellonius, Jonstonus, & alii egerunt.

PISCIS SERRA.

SUb num. 21. Piscem delineavimus Pristin dictum a secando Piscem sertam vocarunt alii ob rostrum, quo rictus munitur oblongum utrinque dentatum, dentes tamen sunt rectè hinc inde dispositi, & rotunditate absoluti, & validissimi. Rostrum quod Musæum possidet, ad palmos ferè septem extenditur, ex quibus deducitur juxta Clusii computum relatum a Vormio pag. 288. Piscem, qui illud gestavit, adeo magnum fuisse, ut inter Cetaceos censendus sit. Cutem asperam ejusmodi piscem habere retulit idem Clusius, in dorso fusci coloris, in ventre candicantis, sex pinnis esse præditum, scilicet in lateribus duas esse, sub podice duas, aliam supra caudę initium, in sextam caudam absolvi; caput in longum, & firmum rostrum exire, oculos in prona ejus parte esse, binas nares in supina, & infra illas oris scissuram transversam, in nulla nulli dentes.

PISCIS XIPHIA.

TAli Rostro aliud copulat num. 22. quo Piscis *Xiphia* vulgo *Spada* munitur. Piscis hic Delphinis magnitudine non impar dentibus caret, quorum loco gladium oblongum fronti seu rictui insertum gestat. Semipalmum in latitudine maximus æquat, octo verò longitudine validissimam, & osseam substantiam habet, eoque tanquam acuto utrinque ense retia discindit, & cuspide etiam navium latera vulnerat. Cœterum tantę docilitatis piscem hunc esse dicunt, ut etiam referant voces hominum distinguere. Hinc certò cantilenę genere Piscatores alliciunt ex undis, ut testis oculatus Kircherus noster affirmat in sua Musurgia lib. 9. cap. 7. Sic illectum Piscatores hasta vibrata illum configunt. Atque hoc quomodo contingat, cum multorum torserit ingenia, idem Kircherus explicat, docetque sine ulla superstitione hanc piscationem fieri.

TIBURO.

PEndet e laqueari Musæi Piscis a num. 23. indicatus sexdecim palmis longus, quem Tiburonem passim appellant. Illum Jonstonus his verbis describit hist. de Piscibus pag. 146. Tiburonis species minor Belgis *Een Cruysphage* a figura. Convenit cum majore, excepto capite, quod triangulare habet. Oculi parvi ad latera ipsius capitis. Os parvum triangulare longè infra positum, triplici ordine dentium Minorum, unde nocere non potest. Caro melius sapit, quàm majoris. Cum tamen quæ Jonstonus affirmat nostro Pisci non conveniant, plures species in genere Tiburonum inveniri deduco, & de alio simili loquutum esse P. Eusebium Nierimbergium in sua historia Naturali lib. 11. cap. 20. his verbis. Piscis qui hodie Tubero dicitur, Canis Carcharias esse vulgò creditur. At quia ille, quem Franciscus Hernandus describit exactè descriptioni, quam attulimus non respondet, ideo placet, & hanc opponere. Cetaceus piscis est, ex genere oblongorum, oceani incola, voraciſſimus, cursu velox bina humana corpora sæpenumero crassus, ore, quod nostro unciarum decem intervallo jacet, lunato vallatoque supernè trino dentium præacutorum, ac sese mutuo serræ modo sub intrantium rictu rostro ranæ obrotundo, pinnis utrinque juxta branchias, altera juxta caudam imminente dorso, cauda magna crassa, & falcata oculis modicis, longo inter se distantibus intervallo, corio cœterorum cartilagineorum, cum sese tendit nullis ictibus penetrabili. Maleficum animal est, atrox, ac hominum devorator, dum parvum est mediocre præstat alimentum, sed provectius durum ingratum, & insalubre. Unicum est illi intestinum satis amplum, unde tam improba contigit voracitas. Stomachus vastus est.

PASTINACA.

NUmerus 24. exprimit Piscem, quem vocant *Pastinacam* seu a colore, seu quod radio ceu pastino, instrumento fossorio fodiat, & pungat. Gallis dicitur Raja ob similitudinem, quam cum Raiis habet. Caudam habet longissimam spinosam crassam primùm, & paulatim in magnam tenuitatem diminutam, super eam in medio ferè aculeus est osseus longus acutissimus, & serratus. De ejusdem radii venenositate non est quod dubitemus: Arbores infixus radicibus necat, mitigat tamen dentium dolores, quos frangit, & extrahit.

RAIA.

SEquitur sub numero 25. Piscis ex Rajarum genere, quod nomen a Radendo Latini sumpsere. Græci a quadam cum Rubo similitudine, & dorso asper, spinas gerit frequentes, illi juxta oculos foramina sunt magna ampla, ad oris usque intima patentia. Ore aperto dilatantur, clausa magna ex parte occluduntur, cauda omnibus procera atque aspera; stellarem hujusmodi Rajam aliquam vocarunt, cum tota aculeis horreat, multi sunt breves, frequentes, peracuti & sine ordine per totum corpus dispositi. Os habet fere rotundum, & durissima substantia munitum, in qua frequentissimi oculei albi consimiles illis quos instrumenta gerunt, quibus lana carminatur. Illud delineavimus sub n. 19. sicuti etiam sub littera O indicantur aculei quibus munitur. Fullonicam talem Rajam vocavit Aldrovandus, quòd ubique in alis, corpore, capite, cauda, tota frequentissimis ejusmodi aculeis conspersa sit instar instrumenti illius, quod Fullones pannos poliunt, rara est, & pugnacissima esse creditur.

Ex his Piscibus exiccatis efformatur quidam alatus serpens, quem pro Basiliseo venditant aliqui, horrendum quidem visu, & informe animal apparet, quale Kircherus describit prout in Musæo est pag. 27. his verbis. Caput habet in altum exporrectum, hiante & patulo ore horridum, duabus oculorum cavernis formidabile, inque fastigium turbinatum excrescens, duobus acuminatis unguibus seu cornibus minore, collum oblongum a corpore segregatum, & in altum alatum, corpore tenui, sed amplis cartilagineis alis utrinque conspicuum, pedes spurios cartilagineæ pinnulæ conglutinatos habet, demum longam caudam, & aculeatam protendit in varias spinas contortam.

HIRUNDO.

PIscem *Hirundinem* appellatum damus sub num. 26. eo quòd alas habeat longissimas, & latissimas ex cæruleo virideſcentes, rarò si Salviano credimus, rapitur. Juxta litora, ubi minor insequentium piscium metus est, humilem exercet volatum. Ad lapidis ictum volatum protulisse, quatuor extra aquam cubitis eminens in Gallico Maris interni litore visus est. Qui ad Herculis columnas navigant, ibi horum piscium volantium turbam affirmant, ut aves aquatiles esse videantur. Piscem, & *Magnetem Æolium* vocavit Kircherus Mus. pag. 23. nam pendens è laqueari sub tabula in qua ventorum differentiæ ad mundi plagas collocatu expressæ sunt, continuo motu inquietus est, nisi sub ejus venti Rhombo, qui extra muros actu spirat, ideoque ad flantium ventorum varietatem, licet in loco ventis impervio, rostro suo ad Rhombum venti actu flantis se convertit.

PHOCA.

ANimal sub num. 27. exprimitur, quod Vormius pag. 289. his verbis descripsit. Phoca, Græcis bos vel vitulus Marinus, quibusdam lupus, corio tegitur duro, solido, piloso colore nigricante, & cinereo, quandoque maculoso, capite brevi, & parvo pro corporis ratione, dentibus serratis, & acutis, naribus vitulinis, ore mediocri, pilis longiusculis superciliorum loco, oculis versicoloribus, & splendentibus, lingua bisulca, meatibus auditoriis angustissimis, collo longo, quod pro arbitrio extendit, & contrahit, lato pectore, renibus vitulinis. Pedes habet brevissimos carpo humano respondentes ex multis ossibus constantes. Hisce pinnarum loco utitur. Amphibium est, litora amat, sed pedum in terra usus difficilis. In retia incidens ea rumpit, dormit extra aquam in arenis. Caro illius insuavis, pinguis adeo, ut lardum potius referat. Calceamenta, & vestes ex ejus pelle conficiunt Gronlandi, cuti cani marino simile, buca vaccæ, nisi quod duos dentes prominentes, & ante recurvos habeat, cubito nonnunquam longos, quorum usus, & pretium obori comparatur. Ab Hollando viro erudito didici pro hujusmodi dentibus solui ut plurimum septem vel octo aureorum, iisque virtutem inesse contra sanguinis effusiones spontaneas. Hunc piscem etiam describit Joannes Laet in descriptione Indiæ Occidentalis lib. 2. cap. 6. Tres ejusmodi dentes Musæum habet tres uncias latitudine æquantes, & duos palmos sua longitudine, eburnea substantia constant, recurvi sunt instar elephantorum dentium, & obtuso mucrone absoluti, non tamen perfecte rotundi.

ARANEUS.

NUmerus 28. Pisciculum demonstrat in litore Mediterranei Maris frequentissimum, ad quatuor digitorum latitudinem extensum; Piscatoribus in summo odio habetur; indorso enim duos aculeos gerit breves quidem sed validissimos, & acutissimos instar aciculæ calybeæ, quibus si feriat venenatum humorem vulneri immittit, quo aliquando morte occumbunt vulnerati. Araneum Maris illum vocant Latini.

ASTACUS.

EX Genere Crustatorum sub num. 29. Animal ponimus quòd Latini Gammarum dicunt. Quatuor hujus generis species enumerat Aritoteles. Cæteris omissis illam indicamus, quæ Astacos continet. Aliquos habet Musæum miræ magnitudinis, palmos enim quatuor a caudæ extremitate ad pedum verticem enumerant. Crusta obteguntur valida, nigricante, & ad cæruleum tendente, si coquantur in aqua, rubedinem induunt, quæ cum exiccantur ad carneum colorem vergit, pedibus octo sunt præditi, insuper duabus chelis, seu forcipibus majoribus dentatis, quorum una solet aliam superare. Ex his pedibus quatuor anteriores extremitates bifurcatas habent, reliqui in acutum desinunt mucronem. Cornua, quæ flagella etiam appellantur, ante oculos longa sunt, & sectionibus multis plicabilia. His viam pertentant. Refert Vormius in Ollandia horum Cancrorum chelas appendi solere clavibus, ut sepositæ facilius inveniantur.

CANCER.

CAncer sequitur sub numer. 30. quem inter rotunda Animalia Scaliger enumerat, licet caudam habeat, quæ brevis est, & quasi operculum alui; non tamen eum supponimus, qui fere inter omnes maris scopulos stabulatur, & frequentissimus est, sed qui è genere majorum ad tres ferè palmos chelas suas extendit. Ex Dalmatino Mari illum accepi, figura fere cor refert, in anteriore parte in acutum desinens, duplicatis aculeis late prominentibus horridus, caudam ex multis laminis sub ventre reconditam habet, in ambitu mollibus spinis refertam. Pedes octo longos spinis asperos, seu articulis divisos, in extremitate acutos, non verò bifurcatos, anteriores tamen forcipibus dotantur, quorum dexter major est sinistro. Cortex seu Lorica superior, qua tegitur tuberculis aspera est, & aculeis plena.

Cancer alius est sub num. 31. non absimilis illi, quem Joannes de Laet in descriptione Indiæ Occidentalis lib. 2. cap. 19. Araneum Marinum vocavit, & Clusius Exot. lib. 6. cap. 14. Cancrum Moluccarum, eo quòd circa Insulas moluccas stabuletur. Ex mari siculo unum accepi crusta fragili obtectum, pars superior gibbosa est, & tuberculis aspera, figura ferè ovalis, caudam habet breviſſimam, qua secessus obtegitur, brachia octo enumerat, duasque chelas exiguas circa os, quibus cibum abripit, omniaque pro corporis exilitate sunt longissima, hirsuta insuper, & aculeata.

Aliud Aranei seu Cancri genus ex eodem mari numeratur a num. 32. qui superiorem valdè mole superat, orbicularem figurum imitatur, duobus oculis prominentibus præditus, & pedibus octo, quibus adduntur duo alii adeo in longum producti, ut totum corpus bis excedant longitudine, chelis illi absolvuntur, quibus prædam abripit. Cæterum pilis robustis undique circumtegitur.

Non desunt cancri majores rotundi inter quos numerantur Paguri ex Adriatico Mari. Illos numer. 36. demonstrat, & describit Vormius cap. 5. his verbis. Pagurus italis quobusdam *Granciporro* dictus, crusta valida tegitur, crura utrinque quatuor habet, villis hirta, ternis articulationibus geniculata, in quibus ungues acuti, & obliqui non bifidi. Brachia bisulca parte anteriore, binis articulis intercepta forcipibus in extremo nigris, quibus constringunt quæ edunt, & dura quoque confringunt; ossea enim sunt duritie, caudam sub corpore reflexam habent, Branchias utrinque in lateribus dispositas ostendunt, sub tergoris crusta senis ordinibus ad tribiorum radices insertas. In pedalem longitudinem aliquando crescit. Ferunt musica è cavernis evocari.

Cæterorum Cancrorum descriptionem omittimus cum Italis notissimi sint, atque de iis eruditissime disseruerint Jonstonus, & D. de Sachs in sua Gammarologia.

Caudam subnectimus palmis fere decem extensam ex molucris Insulis missam. Piscis illa est, quem Sirenam vulgus dicit, Lusitani autem *Pesce Mugera*, in latitudine majori palmum æquat, unde in acumen paulatim diminuitur. Non tamen putandum est vera esse Poetarum figmenta, quæ Syrenes, seu mulieres degentes sub undis more piscium excogitarunt. Retulit quidem Barlæus agens de rebus gestis Mauritii in Brasilia, pag. 134. in eo mari Tritones inveniri, *Upupiapras* Indigenæ dicunt, qui humanos vultus quodammodo referunt, & cæsariæ femellas ostentant. Homines eorum complexu necari opinio est non consilio sed naturali instinctu, an hæc maris monstra eadem sint ac Syrenes, seu piscis de quo sermo est nihil pro certo dicam; addam tamen ejusmodi manum, & costam descriptam me inveniſſe apud Vormium pag. 276. referentem quæ P. Kircherus lib. 3. de Magnete part. 6. cap. 1. §. 6. pag. 551. de Syrenibus habuit his verbis. Capitur certis temporibus anni in Mari Orientali Indiæ ad Insulas Visayas, quas Insulas Pictorum vocant, sub Hyspanorum dominio Piscis quidam humana prorsus figura

quem

quem ideo *Peſce Muger* vocant, ab Indigenis dicitur *Duyon*. Caput habet rotundum, nulla colli intercapedine trunco compactum, extremæ aurium fibræ, quæ & auriculæ nominantur, ex cartilaginea carne eleganter veſtitæ, quarum interior pars ampliſſimis formata anfractibus veram hominis refert aurem, oculos ornatos palpebris, ſituque & colore non piſcis ſed, hominis judicares. Naſo nonnihil aberant, malam inter utramque non uſquequaque eminet, ſed levi tramite bipartitur, ſub eo verò labra magnitudine ſpecieque noſtris ſimillima, dentium non quales inſunt piſcium generi ſerratilium, ſed planorum, & candidiſſimorum continua ſeries. Pectus alba cute contectum, hinc atque inde paulo latius, quàm pro corpore in mammas exueberans, neque eas ut fœminis pendulas, ſed quales Virginibus globoſas plenas lactis candidiſſimi. Brachia non longa, ſed lata ad natandum apta, nullis tamen ipſa cubitis, ulnis, manibus, articuliſque diſtincta, poſt hæc in piſcem cauda deſinit. Hæc Kircherus. Aliam ejus generis narrationem habet Vormius curioſiſſimam ex Eraſmo Læto in Hiſtoria Chriſtiani IV. acceptam.

CAPITOLIUM.

IConem ſubjungimus num. 34. Piſcis generis cetacei, quem *Capodoglio* Itali appellant. Illum deſcripſit Aldrovandus retulitque Oceani Incolam eſſe, & aliquando in Mediterraneo Mari viſum. Viſus profecto fuit anno 1702. cum poſt ingentes procellas marinis fluctibus placatis detruncatum ejus cadaver apparuit partim in arena ſepultum in litore qropinquo Turri, quam dicunt di *Maccareſe*, ubi olim extitiſſe ſilvam nigram, poſtea candidam appellatam, putant nonnulli ſcriptores. Adeo immane illud erat, ut duos ſupra ſeptuaginta palmos in ſua longitudine excederet, & fere triginta in altitudine ubi dorſum intumeſcebat; præter dorſi ſpinam, & coſtas fere totum molli pulpa ſine oſſibus compactum erat, & laceram ab ictibus ſclopetorum, quos prope inſulam Iluam italice *Elba* milites Præſidiarii in illud exploderunt; Quindecim juga Bubalorum omni ſuo conatu ex arena maris ad litus illud tranſtulerunt juſſu Excellentiſſimi Ducis Zagaroli qui tunc ibi in proximis ſilvis Cervorum venatu recreabatur, ut immanis inter maximos piſces oceani partus e proximo conſpici ab omnibus poſſet. Vertebram ejuſdem ſub numero 36. expreſſam ſervat Muſæum, quæ ultra nonaginta libras ponderat. Mandibulam etiam inferiorem numerus 35. indicat, quæ e fornice Muſæi dependet palmos fere viginti longa. Duobus ſupra viginti dentibus rotundis raris, & validis munitur. Fuit hæc mandibula a capite detruncata reperta a Piſcatoribus prope oſtia Tiberis, & Romam allata ad Illuſtriſſimum Comitem Paulum Spada, qui munifica manu in noſtro Muſæo illam collocavit.

De his immanibus Piſcibus Authores permulti multa ſcripſerunt. Omnia nos omittimus, & verum putamus quod aliqui referunt, ſcilicet eorum oſſium compagem tantam eſſe, ut ea veluti ſepe ad hortos cingendos in Islandia utantur, & ad ducentos cubitos longitudine ſua extendi.

Exuvias Teſtudinum marinarum validiſſima non deſunt, quarum icones omittimus, quia frequenter obiiciuntur oculis omnium; ſunt tamen ſpectabiles ob magnitudinem, & aliquæ magni clypei vices ſubire poſſent. Ex Mari Adriatico fuerunt advectæ; Cæterum prope Braſiliam adeo amplas produci referunt, ut octoginta hominibus cœnam unica ex illis poſſit ſuppeditare; & in mari indico earum corticibus Cymbaram loco utantur, & tuta tecta adverſus cœli injurias conficiant. Animal illud eſt viſu horridum ſed innoxium, quatuor pedibus munitum, unguibus acuminatis, quibus ex undis tanquam remis ad natandum utitur, & in litore tanquam uncinis telluri fixis ſui corporis molem protrahit.

STELLÆ.

NUmerantur etiam diverſæ magnitudinis, & figuræ Stellæ, quarum radii circa rotundum corpus diſpoſiti, initio ſatis lati angulum acutum in fine conſtituunt, Aliæ ſunt quæ ſuos radios expandunt rotundos, veluti ex ſquamis compoſitos. Aliæ aculeis parvis ſunt munitæ, quædam pectinatim longioribus aculeis exornantur, quædam tuberculis, quædam in ramoſas lacinias diffunduntur. De his ſcribens Plinius lib. 9. cap. 60. ait. *Ea figura eſt parva admodum, caro intus duriore callo, huic igneum fervorem eſſe tradunt, ut omnia in mari contacta adurat.*

Inter cæteras Stella arborea ſeu arboreſcens emicat, Radios illa habet quinque, in quorum medio os, cum quinque appendicibus, quæ parvis ſpinis horrent, dividitur verò quivis radius in binos, horum quilibet rurſus in alios binos, atque ita totum corpus ramis ordinatur uſque ad tenuiſſimum. Hi ramuli ſimillimi ſubſtantia ſunt Aſtacorum antennis, & ejuſdem

ferme texturæ, nisi quòd molliores sunt incisuris pene infinitis præditi, ac crispati, colore cinereo ad rubicundum inclinante. Hippocampus insectum aquatile est, & apode, pollicum septem longitudinem æquans. Cauda quæ corpore reliquo tenujor est quadrata forma producitur, & aculeis instructa, ac veluti ex circulis cartilagineis compacta. Apud Puteolos, & in sinubus Mediterranei Maris copiosè hoc insectum reperitur.

CROCODILUS.

IN genere Aquatilium numeratur etiam Crocodilus monstrum informe, & ingens, diversæque magnitudinis. E Musæi fornice unus dependet quindecim palmos longus, munificum donum Principis Joannis Federici Ducis Brusvicensis, & Luneburgensis Athanasio Kirchero Venetiis transmissum. Lacertæ forma assimilatur, os illi ad aures usque pertingit, faucium rictu horridus est, dentibus acutissimis non valde longis, sed validissimis, adeo ut omnes in unam maxillam coalescant, eburneo candore nitentes, quorum numerus facile ad sexaginta sese extendit. Illum describens Vormius pag. 315. aliquando inesse septuaginta refert, & in uno sese numerasse sexaginta sex. Linguam ei Natura negavit, pedes habet quatuor in obliquum detortos, & acutis unguibus formidabiles. Cauda reliquo corpore non multum minor in acumen deflectit, venter ejus molliculus subalbidus; tergum verò solidum adeo durum robustumque, ut telorum ictus excutiat. In terris agit sæpe, & noctu plerumque sub undis. Incola est Nili fluminis in Ægypto, & frequentissimus invenitur in fluminibus Americæ, aliarumque Regionum Indiarum Orientalium, præcipue qua parte Ganges Fretum multis ostiis ingreditur. Illum hominem aggredi referunt, aliqui, & pedum unguibus adstringere, donec interficiat. Ubi verò exanimatum videt, prius mœrore plangere, demum sibi in escam devorare, unde Proverbium *Lachrymæ Crocodili*. Duos casus recenset Kircherus in pag. 24. Musæi ex aliis acceptos, sed fides sit penes Authorem; cum mihi hoc anno Missionarius nostræ Societatis in Æthiopia tanquam testis oculatus retulerit, Crocodilos in Ægypto animalia esse timida, quare homines fugiunt, ut Lacertæ vulgares, & in reptatu esse maxime pigros, illosque in escam capi ab Ægyptiis. Mihi tamen suadeo esse Animalia voracia, & pernicioſa, ut Vormius refert, cum irritantur, sicuti quamplurimos Serpentes experimur. Ejus iconem damus sub num. 37.

SERPENS INDICUS.

PRæter Crocodilum in alia laquearis parte appense dependent immanis Serpentis exuviæ, quem numerus 38. in nostra Tabula indicat. Illum in Paludibus Brasiliæ Incolæ venantur ad vescendum, sicuti Itali Anguillas. Palmorum duodecim longitudinem æquant, sed ad palmos quadraginta hujusmodi Serpentem extendi aliquando significavit nostræ Societatis Missionarius in Brasilia, & in spiras contortum Vitulum devincire, quem suctu paulatim devorat, ut Bufones aliqui Serpentes deglutiunt. Cæterum veneno caret, & dentibus minutissimis ejus os munitur. Collum angustum est, & caudam versus paulatim in angustum contrahitur. Tota pellis squammis tecta serie pulchra dispositis, prona parte minoribus, supina majoribus, colorum varietate eleganti; nam dorsum a capite ad extremam caudam continuo ordine secundum longitudinem nigricantibus quasi clypeiformibus maculis ornatur, extrema verò cauda ovalis formæ maculis nigricantibus distincta, latera alterius formæ maculis instar foliorum mali depicta sunt specie venusta, colore subfusco. Talem Serpentem sub nomine Serpentis Americani retulit Vormius pag. 263. Illius etiam mentionem fecit Andreas Cleyerus in observ. 7. Decuriæ 2. tom. 2. Ephemerid. Germanicarum pag. 18. qui illum ait degere in Ambona Moluccarum insula. In Brasilia *Boiguacu* vocari ajunt, atque in primis in eo Regno nascuntur similes Serpentes.

Hujus vel similis Serpentis mentionem fecit in suo Commentario ad Historiam Æthyopicam Jobus Ludolfus pag. 166. aitque illum in Italia quoque olim notum, scribente Plinio lib. 8. cap. 14. *Faciunt his Serpentibus maximis indicis fidem in Italia appellatæ Boæ in tantam magnitudinem excrescentes, ut D. Claudio Principæ occisæ in Vaticano, solidus in alvo spectatus sit infans.* Aluntur primò *Bubuli lactis suctu unde nomen traxere.* D. tamen Hieronymus in vita S. Hilarionis: *Draco*, inquit, *miræ magnitudinis (quos gentili sermone Boas vocant) ab eo quod tam grandes sint, ut Boves glutire soleant, omnem latè vastabat Provinciam &c.*

LACERTA MAIOR BRASILIÆ.

EX Regno Brasiliæ Lacertam accepi, quæ ab Incolis vocatur *Lagarto*, vulgaribus Lacertis corpore similem, ut numerus 39. ostendit. Hanc describens Calceolarius pagin. 615. vocavit Crocodilum Terrestrem, quamvis a Nilotico differat, quòd caudam habeat tuberculis

culis elatioribus aſperam, teretem, & in longum productam. Ejus iconem poſui ſub numero 39. Ea cauda, Bellonio teſte, corpora, quibus inſultat atrociſſime diverberare ajunt, idcirco hoc animal *Caudiverberum* nonnulli vocitant. Ejus longitudo vulna major, latitudo decem digitorum tranſverſorum, corpus ſquammis multis minutis, & ſplendidis tegitur, aquæ impatientem adeo eſſe dicunt, ut ſi quis in os illam iniiciat ſtatim moriatur. Veneno caret, ſed a quoquis e cavis effoditur, & in cibum ſumitur, nec alius ejus carnis ſapor quàm Teſtudinis.

ARMADILLVS.

TEſtudinem etiam ſapit aliud animal, ſub numero 40. poſitum cujus exuviæ in Muſæo ſunt, in Regno mexicano, & Braſiliano frequens. Hujus meminit Oviedus qui illud vocat *Bardato* Petrus Martyr *Phaleratum* dixit, Græcis & Latinis *Cathafractum* appellari poteſt; Hiſpani *Armadillum* dicunt, Braſiliani *Tatou* Geſnerus *Herinaceum Braſilianum*. Tres ejus ſpecies reperiri aſſerit Cluſius. Exuviæ quæ in Muſæo ſunt e roſtri extremitate ad caudæ apicem tres ferme æquant pedes. Tegmen durum teſtaceum ſive oſſeum, color ex albo flaveſcente, caput tenue, & exile inſtar porcelli, rictu mediocri, nullis dentibus horrido, frons ab auribus ad roſtri extremitatem corneo, & teſſellato munitur ſcuto, oculos ambiente, inferior maxilla cute veſtitur, auriculæ patulæ, & tenues. Dorſum ſupra ſcapulas amplo, & lato tegitur ſcuto, & orbiculatis teſſellis conſtante, niſi quod longiores ſint verſus extremum. Reliquum dorſi novem ambitur circulis figuris pyramidalibus depictis, lumbos tegit lamina ſimilis, ei, qua ſcapulæ teguntur, cauda conſtat annulis duodecim, paulatim magnitudine decreſcentibus, ac teſſulis, quæ in apicem ſquammoſum, & acutum terminantur. Pedes, & crurum pars eis vicina teſſellis etiam obducitur, pedes anteriores quatuor prædíti ſunt digitis, unguibus acutis armatis, quorum duo anteriores longiſſimi poſteriores minores. Specubus, ut Cuniculus latet, una nocte leucæ ſpatium excavare referunt, niſi ligetur, vix ſe includi patitur, cubat ſupinus cauda ori admota, qua recta, procedentes formicæ incidunt in inſidias, & cibum deludenti ſuggerunt. Cum fugit, in præceps caput caudamque ventri applicat, ac cruſta tuetur ſeſe in ſpiram convolvens. In lacubus verſatur, lumbricis, & vermiculis veſcens, & etiam pomis in terra.

VIPERA, ET ASPIS.

INter Animalia, quæ Inſectorum Claſſem exornant, Viperæ, & Aſpides non ultimum locum tenent, quæ etſi in Italia frequentes, & vulgares, ab Incolis tamen Regionum exterarum, ubi non generantur, conſpiciuntur libenter, & pertractantur innoxiè. Servantur enim aliquot hujus generis animalia incluſa phialis vitreis, ſpiritu vini repletis exanimata quidē ſed incorrupta adeo ut exuviarum maculæ variis coloribus pulchre diſpoſitis, oculi, dentes, & lingua diſtincte inſpici poſſint, ac ſi actu viverent. Vipera vocatur, quaſi Vivipera, quòd cum reliqui Serpentes ova pariant, hæc ſola vivos fœtus; gerit tamen illos in ventre ſeorſim incluſos in aliquibus veluti ſacculis, e quibus excluduntur antequam in lucem emittantur; quos ſacculos ſeu mavis dicere veſſiculas etiam in ſpiritu vini ſervatos oſtendit Muſæum ad oculos curioſorum oblectandos, & eruditionem ſtudioſorum augendam. Quidquid de his Serpentibus, quos numeri 41. & 42. delineatos oſtendunt, dici poſſet, vel ad medicos uſus ſpectat, vel ad naturalem hiſtoriam; De illis conſulendi ſunt Authores, præcipue Severinum in Tractatu de Vipera, ne a deſcriptione Muſæi divagemur.

VIPERA BRASILIÆ CAUDISONA.

VIperis Italicis proxima eſt cauda Serpentis Braſiliani ſub numero 43. delineati, quem Viperam Caudiſonam vocat Eduardus Tyſon Medicus Londinenſis, eo quòd crepitaculo a natura inſtructum ſit Animal, in pleriſque ſimile Viperæ. Apud Jonſtonum, Nierimbergium, Margravium alioſque dicitur *Boigininca*, & *Boiquira* Braſiliano idiomate. Luſitanis *Caſcavela*, & *Tangador*; Mexicanis *Teutlaco cauhqui*, ideſt *Domina Serpentum*. Ex virginia inſula tranſmiſſa hæc Vipera ſectionem ſuſcepit ſupradictus Tyſon dexteritate anatomica clarus, cujus obſervationes potiſſimas referunt Acta Lipſienſia anni 1684. pag. 138. his verbis.

Ultimæ caudæ Vertebræ annectebantur interveniente muſculo quodam craſſiore (ut apparet in addita figura) & membranis cuti continuis crepitacula, quæ quinque erant, ſed videbantur quædam eſſe abrupta. Sunt enim ea nihil aliud, quàm concava tenuja dura & ſicca, & ſonora valde officula, cuncta rigida gaudent epiphyſi, ita ut extremitas ſuperioris officuli bina inferiora ſubeat, per quam conformationem articulatione non ſolùm egregia pollent, ſed

multiplicatum magis sonum edunt, quo admoniti homines æque ac bruta tempestive sibi cavere possint a tam pernicioso colubro. Nierimbergius, Piso, & alii asserunt singulis annis novum horum ossium accedere, unde Grevu in Musæo regio Viperæ hujus ætatem sexdecim annorum suspicatur, cum totidem ut plurimum in illa observentur junctura, quamvis nonnulli earum ultra viginti se vidisse perhibeant.

CAMÆLEON.

CAmæleon hic describendus est a num. 44. expressus cujus sceleton a carne omnino expurgatum in Musæo est. Colore inter indicum, & viridem ambiguo est, quem ex luteo in fulvum commutare solet, unde versicolorem illum antiqui appellarunt. Capite est cristato, duobus utrinque ossibus in summa fronte prominentibus, lucidissimis oculis pisi magnitudine sola pelle contectis, admodum flexilibus, ut altero sursum aut deorsum inspiciente, alter præter cæterorum animalium morem aliò intentus esse possit. Iners est animal, neque currere ut Lacerta potest; quamobrem hominum conspectum non refugit, nec facile terretur. Arbusta conscendit ob Viperarum metum. Famem interdum annum fere integrum tolerat; unde falsò creditum est illud nihil edere. Oris rictum amplum, maxillas dentibus serratis supra, & infra communitas, linguam teretem sesquipalmum longam, quam a longe in insecta, quibus maxime vescitur, vibrat, & mucore, quem in extremo spongiosum habet, muscas, & Formicas ad se adducit; adeo artificiose in hujus animalis pedibus natura lusit, ut anterioribus ternos intra digitus, extra binos; posterioribus autem ternos extra, intra binos posuerit. Duodecim ova excludit longa Lacertarum modo &c. Hæc fere ad verbum ex Bellonio lib. 1. de aquatilibus. Plura alia recensuit Scaliger relatus a Calceolario in Musæi pag. 659. Defertur ad varias Mundi Regiones ex insula Cypro, ubi pueri frequenter illum venantur. In Ægypto majorem esse scripsit Bellonius. Illum Musæo donavit Excellentiss. D. Alexander Albanus Æques Hyerosolimitanus, & Summi Pontificis CLEMENTIS XI. ex Fratre Nepos, excelsæ indolis Adolescens, ingenio atque animi dotibus teneram ætatem superans. Ejus iconem damus sub num. 44. in qua exoticum, & mirificum animal non sine admiratione conspicitur.

SCINCUS.

SCincus sub numero sequenti 45. quem Crocodilum terrestrem vocat Vormius pag. 315. parvam Lacertam magnitudine non superat, crassitie pollicis, colore cinereo, squammosus, cauda rotunda, capite oblongo, rostro acuto, pedibus quasi alatis, quatuor digitis, quinis unguiculis armatis. Arabia hoc gignit Animal, & prope Mecham reperiri referunt, alii juxta Nilum degere.

LACERTA CUM DUPLICI CAUDA.

LAcerta in spiritu vini inclusa etiam videtur, ut a num. 46. repræsentatur, Animal cæteroqui vulgare, & frequens, in Italia præsertim, sed cum duplicem caudam habeat, tanquam monstram, & rarum Lacertarum fœtus in pretio habetur, ejus descriptione omittimus, cum omnibus hujusmodi animalia sint notissima.

Non tamen omittenda est alia Lacerta major num. 47. quam *Lacertam viridem* dixit Vormius. Græci *Sylvaticum Ophiomachum* appellant a superandis Serpentibus, singulari enim naturæ instinctu Serpentes adoritur, & cum illis præliatur æstivo tempore. Viridis admodum illa est, & simul eleganter variegata intermistis maculis cæruleis. A rostri extremitate ad caudam palmum excedit, Oris rictum habet dentibus utrinque minimis, & acutis præditum. Duo narium foramina in extrema, & acuminata maxillæ superioris parte sita, oculi præ corporis magnitudine mediocres, pedes anteriores unciarum duarum longitudine, squammis viridibus, & ad flavum tendentibus præditi, digitis quinque acutis, & incurvis ungulis dotati. Hinc dorsum sequitur pulcherrime variegatum, venter verò squammis tegitur flavescentibus, cujus ambitus est unciarum quinque. Crura posteriora prioribus crassiora, majora, & longiora uncias superant tres, digitis etiam quinque præditi sunt, illam Itali vocant *Ragano* animal pulcherrimum visu, & innoxium.

STELLIO.

NUmerus 48. aliud Lacertarum genus ostendit, quarum cutem maculæ exornant instar Stellularum, ac propterea *Stelliones* dicuntur. Animal est cæteroqui horridum visu. Apud Italicos *Tarantula* vocatur; non tamen est Genere earum, quæ ex agro Tarentino delatæ

in

in Musæo ostenduntur. Hæ potius Araneæ dicendæ essent, cum Aranearum formam habeant, licet mole majorem. De harum forma, natura, & proprietatibus fusæ tractavit P. Kircherus in sua Arte Magnetica, & in Musurgia universali lib. 9. cap. 4. Nos sub microscopio recognitas exhibuimus in §. 6. fig. 70. ubi illas descripsimus.

SCORPIO TUNETANUS.

CUm aliis Insectis, ex quibus littera A. demonstrat Scarabæum qui Cervus volans dicitur ob cornua ramosa quibus ornatur, Grillotalpam indicat, Animal validissimis pedibus instructum, quibus sub terra viam sibi aperit ut Tulpa, & littera C. exponit Scarabæum alatum nomine Rhinocerotis a cæteris distinctum, ob cornu recurvum in rictu prominens. Observantur in Musæo Scorpiones e Regno Tunetano habiti, ejus formæ ac magnitudinis, qualis a numero 49. ostenditur.

Animal illud est veneno maxime noxium, quod in Vulnus immittit, cùm cauda uncinata illud infligit. An verò tale virus ex foramine ipsius caudæ effluat, vel alia ratione, dubitant aliqui. Adeat curiosus Lector Experimenta Francisci Redi circa Generationem Insectorum. Nobis sufficiat illud indicasse.

HYPOPOTAMUS.

AD aliam Animalium Classem gradum facimus, quorum plurimas exuvias seu partes in Musæo conspicimus, puta Dentes Ungulas, & Cornua, quæ omnia tanquam Arma illis Natura concessit. *Quidquid enim* (ut cum Claudiano loquar in 2. Cont. Stilicon.) *tremendum dentibus, aut insigne lubis, aut nobile Cornu, aut rigidum setis Natura proponit, observatione dignissimum est.* Caput ante omnia numeremus quod in Musæo est Æqui marini, seu fluviatilis, quem *Hypopotamum* vocant multi; Animal hoc est quadrupes, & amphibium, quod licet inter aquas degat, inter terrestria quoque pascitur. Illud descripsit Kircherus pag. 31. *Bestia* est, quæ in altitudine ad quinque cubitos excrescit, pedes, aures, cauda & vox cum æquis omnino conveniunt, solùm quòd ungulæ pedum in modum Taurorum bifidæ sunt, nares habet patulas, labia repanda, rictum magnum, & vastum in quo utrinque tres magnos sed obtusos, & prominentes dentes habet. Diversas descriptiones exposuerunt Scaliger, Bellonius, Herodotus, & Plinius, quas in suo Musæo sect. 6. pag. 694. Calceolarius retulit, quasque omnes vir prudentissimus veras esse putavit, pro Regionum, & Provinciarum diversitate, in quibus tale animal progenitum fuit; *ut enim*, ait illa, *planta ejusdem speciei mira varietas, quod etiam peculiariter in canibus belgicis, & batavis observavi, si cum nostris comparentur; Cœli enim vis, aeris, aquarum, & terræ conditio, & semina, & alimenta plurimum discriminat; ita non videtur rationi dissentaneum Hyppopotamum Ægyptium ab aliarum Regionum Hyppopotamo in multis discrepare quæ tamen speciem, & primigeniam naturam non variarent.*

Utcumque sit, caput, quod in Musæo est, æquimo assimilatur, sed rictu amplissimo. Dentes illi pariter equini insunt, ex quibus quatuor, duo scilicet ex superiori mandibula, duoque ex inferiori exerti valde sunt, & reflexi, ut in Elephante; non tamen levigati, sed striis in longum productis asperi, candore ebori pares, sed magis duri, & ponderantes; Ad dimidiam usque partem concavi. Illos esse sesquipede majores asserit Calceolarius. Duos habet Musæum bipalmares, perennæ munificentiæ argumentum, qua Illustrissimus Præsul Leo Srozza illud ditare dignatus est. Sunt qui asserunt hos dentes obstare veneno, & sanguinis fluxum sistere. In Ægypti plagis frequens est hoc animal, & ferox. Aristoteles de mirabilibus Indiæ scribens, hæc verba Alexandri refert. *Ducentos milites levibus armis missi, per amnem nataturos; itaque quartam fluminis partem nataverunt, cum horrenda visu res nobis conspecta est, Hyppopotami inter profundos aquarum ruerunt gurgites, raptosque milites nobis flentibus absumpserunt.*

Inter multos, & recentiores exactam ejus belluæ imaginem exposuit Jobus Ludolphus in historia Æthiopica lib. 1. cap. 11. sub nomine æqui fluviantilis Æthiopicè, *Bibat*. Corium illi est adeo durum, ut ex recenti relatione Theucnotii in itinerario suo referatur, a Jannizzaris Sclopetorum ictu ægre occisum fuisse; globuli enim vix cutem transiverunt, præter unum, qui maxillam percussit, & belluam prostravit. Tale corium crassissimum ad varios usus, in primis ad scuta adhiberi addit Ludolphus. Flagellum est in Musæo ex tali corio in rotundam virgam pollice uno crassam accommodato, & paulatim gracilescentem sex fere palmis longam. Durissima illa est ligni instar, tenera tamen, & flexilis ejus summitas, quam flexibilitatem peculiari quadam arte, & liquore obtinent, in quo maceratur sub arena. Ejusmodi virga Camelos

urgent in itinere Æthiopes, a quibus appellatur *Hhalangà* Arabice verò *Sfott*. Tale animal ex Tabulis Jonstoni acceptum expressimus sub num. 50. & num. 51. dentes ejus demonstrat.

DENS APRI AFRICANI.

DEntem alium sub num. 52. damus ex quatuor qui sunt in Musæo minorem Dentem Hyppopotami, sed figura Denti Aprorum similem colore in superficie subfusco, sed in parte interiori eburneo, & durissimum. Animalis illud est, quod Incolæ Regni Angolani in Africa venantur, appellantque *Engala*, Aprum Sylvestrem illud esse referunt, cujus autem formæ sit a nullo descriptum inveni, referunt particulas ejusmodi Dentium in tenuissimum pulverem redactas, si cum vino deglutiantur, validissimum remedium afferre exitialibus morbis, & veneno infectis. Atque ob id magno pretio venduntur a Venatoribus Africanis, & in Italiam a Lusitanis aliisque mercatoribus afferuntur.

Jam ad Classem cornuum transeundum est, quorum quanta sit varietas, quantusque in iis Naturæ lusus, verbis Plinii referam. Sic autem ille lib. 1. cap. 23. Nec alibi major lascivia lusit Animalium armis. Sparsit hæc in racemos ut Cervorum, aliis simplicia tribuit. Aliorum finxit in palmas digitosque emisit, ex iis, unde Platicerotas vocant. Dedit racemosa Capreis, sed parva, nec fecit decidua, convoluta in anfractum arietum generi, ut cœstus duret, infesta Tauris, in hoc quidem genere, & fœminis tribuit, in multis tantùm maribus; Rupicapris in dorsum adunca, Damis in adversum, erecta autem, rugarumque ambitu contorta, & in leve fastigium acuta, ut lyras diceres: Strepsiceroti, quem Addacem Arfica appellat, Mobilia eadem ut aures, Phrygiæ armentis Trogloditarum in terram directa, qua de causa obliqua cervice pascuntur. Aliis singula & hoc in medio capite ut naribus; Jamque aliis ad incursum robusta, aliis ad ictum, aliis adunca, aliis reduncа, aliis ad ictum pluribus modis supina conversa, connexa omnia in mucronem migrantia. In quodam genere pro manibus ad scabendum corpus, cochleis ad prætentandum iter, corporea hæc, sicut in cerastis aliquando & singula, cochleis semper bina, & ut prætendantur, ac resiliant, hæc Plinius.

Tot diversis modis cum ludat Natura in cornuum fabrica ut vix ad certas classes reduci possint, in iis recensendis irritus est labor. Quamobrem ea quæ in Musæo sunt enumeremus.

ALCIS CORNUA.

NOn desunt Cornua, & ungulæ Alcis, quem *Onagrum* Olaus Magnus appellavit, vulgò dicitur *Gran Bestia*. Animal est speciei cujusdam mediæ inter Equum, & Cervum, quem expressimus sub num. 53. nares habet, & aures prominulas, cornua fere Cervi instar, sed ramis in patulas quasi frondes dispertitis. In Russia est frequens, & si juvenis capiatur, mansuescit adeo, ut non solùm canum more Dominum suum sequatur, sed cibum humanum potumque ambiat. De illo quamplurimi scripserunt, inter quos Scaliger, Cardanus, Appollonius, quos lector consulere potest, & apud eosdem diversis nominibus appellatum illud inveniet. Ajunt hoc animal comitiali morbo sæpe corripi, a quo non liberatur, nisi appositа prius fuerit auri altera posterior ungula. Cornua (ait Menabenus apud Calceolarium) esse illi perpetua non decidua ut Cervis. Cæterum illud quæsitum est a *Viris eruditis*, utrum omnibus unguibus, quorum plures sunt in Musæo, proprietas sanandi morbum epipleticum, seu comitialem conveniat? Quidam posterioribus tantùm unguibus hanc vim tribuerunt, & potissimum sinistri pedis. Cum uterque unguis auri admoveatur ab animali, ut Epilepsiam propellat: anteriores ea facultate spoliandos putat Calceolarius, nam si Cornibus ejus ea vis inest, quanto magis anterioribus inesse pedibus, qui specie non differunt a posterioribus censendum est? Licet anteriores non ita commode auri possint admoveri. Illud etiam in dubium revocatur an vivente Alce præcidendi sint ungues, aut potius defuncto? Magnis argumentis utrinque agitatur Controversia, quæ ad Musæi nostri descriptionem non conferunt, adeat Curiosus Calceolarii descriptionem, qui multa de hoc argumento congessit.

CORNU RHINOCEROTIS.

ALcis Cornibus Cornua Rhinocerotis jungimus sub num. 54. quæ longe majori pretio habentur. Rhinocerotem plurimi cum Monocerote animali confundunt; quare Cardanum in scribendo præcipitem damnat Scaliger, qui Monocerota sub Rhinocerotis nomine pinxerat; Duas scilicet belluas longe diversas a Pictura Rhinocerotis se vidisse ait, cujus cadaver e naufragio ejectum erat in Tyrrhenum litus capite suillo, tergore munito scutulato. Monocerotis verò figuram describit æqui magnitudine, cruribus, pedibus, capite Cervi,

Æqui

Æqui juba rariore, & breviore, coxis villosis. Cornu unum integrum Niceæ a se visum, subfulvum unum, unum subluteum. Præter Plinium, Ælianum, Gesnerum, & alios, qui Monocerota describunt, discrepantem valde a Rhinocerote, Cornu dicunt, illud esse unicum in acutissimum mucronem desinens.

Garsias Horus, & Clusius, qui certiora testimonia de iis accipere potuerunt, ita habent lib. de Arom. hist. cap. 14. Est Rhinoceros vastum Animal, Cornu in nare gerens, quod difficulter domari potest, multos in Camboya, Bengala finitima inveniri tradunt, & ab Incolis *Gandat* vocari: Mihi hactenus Rhinocerontem videre non contigit (ait Garzias) illud tamen Scio Bengalæ incolas ejus Cornu adversus venena usurpare, Unicornu esse existimantes tametsi non sit, ut ii referunt, qui se probe scire autumant. De Unicornu verò sic Garzias capite citato loquitur. Ego hoc loco referam, quæ a Viris fide dignis accepi. Inter Promontorium bonæ spei, & aliud Promontorium vulgo de *Currentes* nuncupatum, vidisse se affirmabant terrestre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput, & Jubam equi habet, minime tamen marinum equum esse, Cornu præditum, duos palmos oblongo mobili, quodque nunc in dextram, nunc in sinistram obverteret, modò attolleret, modò demitteret, id animal cum Elephante ferociter præliari; ejusque Cornu adversus venena laudari. Hæc Garzias, ex quibus intelligimus ita differre Unicornum a Rhinocerote, ut Equus ab Elephante, & utriusque animalis Cornibus vim insignem inesse contra venena.

Huic narrationi relationem addo Italicam Florentiæ impressam ann. 1693. de origine fluminis Nili Lingua Lusitanica olim vulgatam a quodam nostræ Societatis Authore. In ea hæc habentur. *In Affrica nel Regno degli Abissini detto Damote è una Provincia delle maggiori, che si chiama Agaos, che hà un Territorio detto Tanuca, il più rinomato che si vanta essere l'unica Patria del tanto famoso Unicorno, la Patria di cui niuno Autore riferisce, quale è diverso dal Rinoceronte, mentre ha un sol Corno dritto, e il Rinoceronte due. E della grandezza d'un Cavallo, mantello scuro, la coda, e crini neri. Il Corno è di cinque palmi in mezzo alla fronte di color bianchiccio dritto, e gentile.* Est autem Unicornis, *dice S. Basilio hom. in Psal.* 28. Animal imperiosum homini non subditum, nullis viribus domabile, perpetuò in solitudine agens uno Cornu fecurum. In eadem narratione narratur, *che da un Capitano Portoghese gli fù detto, che mentre in un prato pasceva i Cavalli di venti suoi Soldati, viddero un'Unicorno uscire dalla Selva, e si accostò alli Cavalli, quali si rallegrarono conoscendolo per la loro specie, parve ombroso, poiche subbito fuggì vedendo i Soldati, e si rintanò, e conobbero non esser favola quella dell'Unicorno.*

Utcumque hæc se habeant, certissimum est Cornua, quæ sub nomine Unicorni venditantur, Rhinocerotis illa esse, magno quidem pretio habita olim a Lusitanis præcipuè, sibi suadentibus optimum antidotum esse contra venena. Tribus ejus generis cornibus ditatur Musæum, quorum unum ex basi semipalmari semper gracilescens producitur ad acumen aliquantulum recurvum longitudine palmorum quinque, nigricante colore, substantia valida, & ponderosa. Alia duo palmum cum dimidio in obtusum mucronem producta pyramidem potius imitantur, aliquantulum inflexam ut delineavimus sub num. 54. Ex his ciatos, & vasa conficere solent Indi, & illis uti ad bibendum præsertim, si febri laborent acuta. Unum videtur in Musæo, quod forma naviculam exprimit, undequaque valde levigatam, & duo alia mole minora rotunda, & habentur inter rariora, quæ Ars simul cum Natura conjuncta confecit.

DENS ELEPHANTIS.

DEns sequitur Elephantis, quem Cornu appellari malunt Plurimi Antiquorum, & inter recentiores Ludolphus hist. Æthiop. lib. 1. cap. 10. *Cornu esse* (inquit) *& non dentem, quod Ebur vocamus, apud Æthiopes non ambigitur, ideo hæc Elephantorum arma lingua Æthiopum Akronot, sive cornua dicuntur.* Sententiam eandem Anatome Elephanti a Sagacioribus instituta uberius confirmat. Polibius lib. 8. c. 10. in Affrica extrema tanta Elephantorum Cornua memorat, ut trabium ac tignorum loco ad postes, sepes & stabula extruenda adhibeantur. Ultra dentem hujusmodi, quem Cornu dicunt, alii sunt dentes molares, quorum singuli duas libras ponderant.

CORNU CERVORUM.

PLura etiam videntur Cornua Cervorum ex variis Regionibus transmissa, quorum aliqua ad altitudinem septem palmorum excreverunt, in octo ramos seu mucrones distincta. Hujus generis mole stupenda visuntur in Templo Arcis Amboisensis in Galliis, quorum longitudo undecim æquat pedes latitudo novem: intra ramos utrosque spatium est quinque pedum cum dimidio. Nescio an majus extiterit illud quod Albertus Magnus lib. 2. de Animal. tract. 1. part. 2. se vidisse memorat, quod viginti

duos

duos ramos in una parte Cornu habuisse refert. At Vormius suspicatur legendum esse in textu Alberti, habuisse viginti duos ramos, in una parte Cornu undecim.

CORNU RUPICAPRÆ.

NIgerrimo etiam colore nitent alia Cornua in modum unci reflexa, subtilia, & rotunda; palmum illa non excedunt. Cujusdam animalis illa sunt, inter Capreas Sylvestres recensiti, quod *Rupicapram* Authores vocant. In Carinthia, & Comitatu Tyrolensi frequens est. *Camozza* Itali illud vocant. Timidum valde est, & si venatorum insidias detegat, ex altis rupibus se præcipitat, ac sæpe Cornibus saxorum rimis vel arborum ramis implicatis se sustentat, quare Martialis.

Pendentem summa Capream de rupe videbis
Casura speres, decipit illa tamen.

Ejus Iconem damus sub numero 55. ex Tab. 32. Jonstoni.

CORNUA BOVIS AMERICANI, ET ALIORUM EIUS GENERIS.

BOvis Americani Sylvestris duo Cornua simul cum Cranio conjuncta, valida, rotunda, simul sese influxione respicientia; Breviora quidem sunt Cornibus Bovinis vulgaribus, sed crassiora, & in mucronem magis obtusum desinentia. Colore osseo ad nigredinem inclinante.

Inter alia licet vulgaria mole sua valde superant quædam ex insula Siciliæ accepta; uncias quinque eorum basis in diametro excedit, sed longitudo palmos quinque fere attingit, totidemque spatium numerat, quod inest inter duo acumina leviter contorta, ut apparet post numerum 55. littera A. e Bovino Capite illa assurgunt, suntque arma validissima ad quodcumque animal expugnandum.

Hujus generis Cornu Ptolomeo secundo allatum ex India refert Ælianus de histor. Animal. lib. 3. cap. 34. quod tres amphoras caperet. Livius lib. 1. Dec. 1. cornuum meminit portentosæ magnitudinis, quæ in vestibulo Templi Dianæ Romæ fuerunt suspensa, & omnibus miraculo.

Cornua Bubalina his adjuncta sunt maximæ molis in Apulia selecta, semipalmum excedit eorum latitudo, longitudo verò ad tres palmos extenditur sicut patet sub littera B. Nigerrima illa sunt, & transversim striata, mucronem versus solida in reliqua parte vacua.

Ex Japonia Cornu allatum est breve quidem sed nigerrimi coloris ac nitidum. Cujusdam Bovis illud est, qui Vituli magnitudinem non excedit, illum Incolæ Jugo submittunt, ut Plaustra trahat.

CORNUA ARIETUM.

COrnua varia Arietum naturæ ludentis Artificio diversimode intorta ex Montibus Dalmatiæ, & Affricanis oris allatæ. Unum cernitur ex Æthiopia habitum longum palmis tribus instar Cornu Arietis inflexum, colore osseo albicante, non rugosum sed levigatum. Cornu est cujusdam Belluæ Sylvestris, Arabicæ dicitur *Thetal* ab Æthiopis *Hagazai*, molem Alcis imitatur, in altis egit Montibus, & Sylvis, illud venantur Æthiopes, ut de cornibus sumant remedia validissima contra sanguinis effluvios, quam virtutem hujusce cornibus inesse constat, tum præcipuè, cum è capite Bestiæ adhuc viventis evelluntur. Ejus figuram vide sub num. 56.

STERPSICEROTIS CORNUA.

COrnua duo Sterpsicerotis, singula longitudinem habent palmorum trium coloris nigerrimi, quæ ambitu rugarum, & veluti annulorum a basi ad partem mediam cinguntur, hinc verò levia ac polita in apicem usque sensim gracilescunt; Animal quod cornua hæc gerit inter Capreas Sylvestres Plinius recenset, lib. 8. c. 51. Illud Gazelam vocant, quæ in Regionibus Cairi stabulatur. Ejus iconem numerus 57. demonstrat.

DAMÆ CORNU.

COrnua Animalis quod *Damam* vocant Latini. Itali *Daino*, *Danielem* Poloni. Lata admodum sunt in ramos breves, & veluti apices circa limbos dispersa, ut apparet sub n. 58. Temporibus statis mutari referunt veluti Cervina, cum primò repullulant lanugine obduci. Horum forma imitatur Cornua Alcis, quem Norvegia, Russia, partesque aliæ orbis Septentrionalis in primis gignunt. Americam quoque, quæ septentrionem spectat, Alces producere itinera varia Anglorum docent.

BISONTIS CORNU.

HIs addenda sunt duo Cornua anno præterito effossa prope viam Aureliam, eo in loco, ubi olim Villa Antonini Pii extebat nomine Loriam, in qua (referente Capitolino) *omnis generis Belluas alebat, ut Populo Romano ludos,*

& spe-

& spectacula exhiberet. Illis diligenter perspectis mihi suasi fuisse Belluæ quàm *Bisontem*, seu *Bonasum* Authores appellant; Aristoteles enim lib. 2. hist. cap. 1. agens de Quadrupedibus, quæ pilis integuntur, enumerat. Bonasum, quem ait e Sylvestribus cornigeris esse, & hirsutum. Gignitur (inquit) in Terra Peonia, Monte Messapo, qui Peoniæ, & Mediæ terræ finitimus est, & Monapios appellatur, magnitudine Tauri, sed corpore quàm Bos latiore; brevior enim, & in latera auctior est, cætera forma Bovis, nisi quòd Cervix jubata armorum tenus, ut equi est, sed villo molliore, quàm juba equina; color pili totius corporis flavus, juba prolixa, & ad oculos usque demissa, & densa; Vocem similem Bovis emittit. Cornua adunca in se inflexa, & pugnæ inutilia gerunt. Eorum cornuum icones Aldrovandus ponit lib. 1. de Quadrupedibus bisulcis pag. 361. a Gesnero acceptam, quæ cornua in unum circulum conversa ostendit, & quidem varium; ex quo apparet in Bonaso evenisse quod in Vulgaribus Bobus, in quibus figura Cornuum plerumque variare solet, hujus Animalis, iconem damus numero 59. a Jonstono acceptam. Longitudinem palmorum trium, & digiti semissis. Narrat Aristoteles lib. 3. de part. Anim. cap. 2. de hoc animali, cum Cornua habeat ad pugnam inutilia, Naturam excrementi profusionem pro auxilio illi dedisse; Ejus enim lotium impetu ejaculatum, & feruidum ad quatuor passus adurit Canes, & Venatores. Hoc animal aliqui (ut Albertus cũ Bisonte confundunt:) Utrumque tamen boum ferorum omnium longe maximum faciunt. Bison autem Septentrionalis plagæ proprius in Hercinia Sylva cum Bonaso maxime convenit. Plinius jubatum vocat. Seneca Vallosum, Oppianus Barbatum, Pausanias Bovem Peonium; Ad faciendas cædes promptum esse referunt. Ut ut hæc se habeant, certum est hujusmodi feras, quamvis indomitas ut sunt Bison, & Bonasus, fuisse olim domitas, & equorum loco ad currus adhibitas in spectaculis, sicut Martialis hisce endecasillabis testatur, lib. 1. epig. 84. de spectaculis.

Picto quod juga delicata collo
Pondus sustinet, improbæque Tigres
Indulgent patientiam flagello,
Mordent aurea quod lupata Cervi,
Quod frænis Lybiæ domantur Ursi,
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris,
Turpes esseda, quòd trahunt Bisontes
Et molles dare jussa quod choreas
Nigra bellua nil neget magistro,
Quis spectacula non putet Deorum?

Ex ejusdem Poetæ libello de Spectaculis constat Bisontes in Theatris etiam jaculis confossos esse; Carpophorum enim ille laudans, quòd in pugna feras superaret, dexteritate jaculandi, ait Vers.

Ille tulit geminos facili Cervice juvencas
Ille cessit atrox Bubalus, atque Bison.

IBICIS CORNUA.

INter cornua quibus Natura feras munivit rariora illa sunt, quæ Ibex ostentat; Animal hoc est ex Caprarum Silvestrium genere, quod Germani Steinbock appellant, idest Capram Petræ. Ejus historiam Plinius breviter complexus est dum inquit. Ibices in Alpibus pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite vastis cornibus. In hæc se librant in petras, potissimumque e monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recessu pernicius quo libuerit exultant. Cervum fere exprimit. Color pellis fuscus est, senectute canescunt, oculi splendidi, & pulchri, ungulæ bisulcæ, & acutæ. Mares prolixam nigricantem barbam gestant, quod nulli, ut Bellonius tradit, alteri animali cervinis pilis prædito accidit. Magni ponderis cornua ei reclinantur in dorsum aspera, & nodosa, eoque magis quò grandior ætas processerit. Augetur enim quotannis donec jam vetulis tandem nodi circiter viginti increverint. Bina cornua ultimi incrementi ad pondus sexdecim aut octodecim librarum accedunt. Bellonius quaternos cubitos longa vidit. Tot autem transversos nodos habere scripsit Jonstonus pag. 54. de Quadrup. quot annis animal natum est. Nulla certe montium rupes tam alte edita aut præceps est, quam non saltibus aliquot superet, si modo aspera sit, & spatia tanta promineant, quanta salientis ungulas excipere possit. Bellonius ex scopulo uno in alium seu etiam passuum intervallo distantem desilire solere scripsit. Dum cadit ex alto totum corpus inter cornua a collisione protegit. Deprehensæ libero capacique cursus loco in venatores irruunt, eosque de rupe deiiciunt, cum impetendi locus non est, facile cedunt. Eorum iconem vide sub num. 60.

Ejusdem generis est illa fera Lybica, quam Ælianus lib. 14. cap. 16. ita describit. Capræ feræ ad summos lybicorum montium vertices commorantur, ad bovum magnitudinem accedunt, ipsarum armi, & crura luxuriosæ pilis fluunt tybiis parvis frontibus rotundis, oculis raris, & concavis non valde projectis sunt. Cornibus post primum exortum utriusque ab alteris longe diversis, & aberrantibus, & incurvis, non enim ac aliarum caprarum recta existunt, sed catenus retorquentur, ut ad armos pertingant. Ex capris longe maxime ad saliendum habilitate sunt. Nam ex cacumine in aliud longe distans transiliunt. Cornua ad auriendum de præterfluentium rivorum confluentibus potionem

nem non minori usui habentur, quàm calices ipsi. Tanta enim capacitate sunt, ut in bibendo respirare sit necesse. Habet in medicina usum, quem vide apud Jonstonum pag. 54. Utriusque feræ cornua spectantur in Musæo, & ejusdem iconem exhibet num. 61. qualem Jonstonus exhibuit Tab. 25. & 28.

Cornu addimus sub num. 62. ex ebore formatum in plures veluti annulos divisum, qui pluribus figuris in girum dispositis sunt exornati, quarum alteræ eminentes sunt, & solidæ anagliptice excusæ ut extent, & emineant supra superficiem. Rotundum est, & incurvum, longitudine æquat palmum cum dimidio, orificium majus quatuor digitos in diametro habet, minus quòd ori aptatur, ut infletur pollicem vix habet in diametro. In quosnam olim fabricatum sit usus, non minus anxie disquiritur, quàm quid Emblemata sibi velint, quibus exornatur. Sunt qui Tubæ vices in bello sustinuisse credunt, ad accendendum militum animos, classicumque canendum, sunt qui in venationibus ad socios, & canes convocandos antiquos eo usos existiment sunt qui in sacrificiis Sacerdotes ejus sonitu populum convocasse putent; Alii usus poculi subiisse dicunt. Illud indicat figura, quam commoditatis ergo in minorem formam traduci curavi. De imaginibus in eo insculptis non est quod quidquam addamus, cum unicuique pateat nil aliud iis denotari, quàm venandi morem repræsentatum. Quo tempore sit factum expiscari non potui. Cornu ipsum vetustatem quidem ostentat. Venatores conspiciuntur Canes in feras incitantes, & Christianorum opus fuisse sculpturę docent, a quibus & Maumethani, & Judæi omni ævo abhorruerunt. Crux enim expressa aperte indicat prisca Portugalliæ insignia quorum rationem reddit Resandius lib. 4. Antiq. in hunc modum. Alphonsus novus rex ann. 1199. consueto victoribus more in castris triduo permansit, & concessa militibus præda, ipse qui eatenus niveo scuto utebatur, insignia Commentus est, quæ rem ibi gestam designarent. Ac primùm quia Christum in aere Cruci affixum conspexerat, in argenteo scuto cæruleam Crucem formavit, deinde quod quinque Reges Saracenos vicisset, scuta quinque per ipsam Crucem distinxit. In unoquoque triginta nummos argenteos figuravit, quod totidem Mundi servator venditus extitisset; mutata a Posteris Regibus nummorum expressio est commodiori ratione, ut in singulis quibusque scutis singuli quinque nummi positi decussatim ad figuram litteræ X. bis numerato quod in medio est, & cum a summo deorsum, & cum a latere ad latus fit supputatio, ut numerus triginta expleatur. Hoc igitur cornu in pugna adhibitum fuisse contra Barbaros a Lusitanis mihi suadeo, licet etiam in venatione potuerit adhiberi. Quis enim varium usum cornuum poterit enumerare.

Bovum Cornua apta sunt pectinibus, & receptaculis quibus milites pyrium pulverem asservant. Cornibus primò usi sunt Pastores ad pecus convocandum. Loculorum vices etiam sustinuisse apud veteres cornua docet Antonius Augustinus dialog. 2. ubi nummos producit in quibus libertatis statua fingitur cornu donariis plenum versans. Idem addit cornu fuisse mensuram olei. In nullos verò usus frequentius translata fuisse cornua, quàm poculorum pene infinitis testimoniis antiquorum probari potest. Crescente luxu cæpere primùm labra cornuum metallis obducere, aliaque ornamenta iisdem addere, deinde ex solido argento cornua elaborarunt, quibus usos fuisse Athenienses refert Athenæus lib. 11. cap. 37. Cornua olim dignitatis, potentiæ, fortitudinis, Imperii, & Authoritatis apud omnes gentes extiterunt insignia, etiam in sacris ipsis. Unde Samuel 2. *Exultavit cor meum in Domino, exaltatum est cornu meum in Domino*, & apud Prophanos Horat. in Epod. inquiens

— *Namque in malos acerrimus*
Parata tollo cornua ——

Hinc non mirum quòd Reges, & Principes cornua sibi elegerint pocula, vel ex argento, vel auro elaborari curarint scyphos potentiam, majestatem, & auctoritatem suam etiam inter ipsa pocula declaraturi. Eleganter Paschalius de coron. lib. 10. cap. 25. Cùm Regum, & sublimium hominum sit potentia, per effigiem Cornu significatur summa illa, cujus in omnia imperium est, potentia, & Authoritas. Plura recensuit de Cornibus eorumque significatione, & usu Olaus Vormius lib. 5. monumentorum Danicorum. Aliqua nos delibavimus ut appareat non insanum, & supervacaneum opus fuisse in erudito Musæo cornua etiam recensere.

OSSA GIGANTUM.

Ossa sunt Animalium ignotorum, quæ nonnulli pro Ossibus Gigantum sumunt. Illa Fœtum Naturę mineralis censuit Kircherus quia suo pondere, & nitrosa qualitate prædita potius saxa videntur. Dentes ejusmodi Generis describens Vormius cap. 26. valde dubitat an illi fuerint Gigantum, nec operæ pretium existimavit fusius eorum historiam prosequi. Nos aliqua indicabimus, ex quibus ad veritatem dignoscendam lumen aliquod affulgeat.

Et primò certum est quod Camerarius narrat in Cent. primæ cap. 82. ideſt in Urbe Vangionum, aliisque Civitatibus ad Rhenum passim ostendi ossa publicis in locis, quæ dicuntur fuisse

Gi-

Gigantum. Verùm utrum ea sint Piscium an hominum seu aliorum Animalium dubitarunt multi, sic Octavius Augustus auctore Svetonio *Villas suas ossibus magnarum Belluarum, quæ Gigantum fuisse dicta sunt exornare solitus fuit*. In Italia quoque Puteolis ossa stupendæ magnitudinis cernuntur, cum hac inscriptione, cujus Author perhibetur Pomponius Letus.

Hinc bona Posteritas immania corpora servat,
Et tales Mundo testificatur Avos.

Mira etiam sunt, quæ Thomas Fazelli de rebus siculis Dec. 1. lib. 1. cap. 6. de Gigantibus, eorumque origine, & ossibus in Sicilia repertis refert. Gigantes olim fuisse in sacris litteris legimus, inter quos Goliath, qui a Davide inermi interfectus fuit, cujusque moles ac robur ex ejus armis cognosci potuit; habuit enim lanceam instar jugi textorii. Narrat Petrus Martyr ex Philostrato, quæ fidem vincunt; visum scilicet, Gigantis cujusdam cadaver 30. cubitorum, alterum 22. & aliud 12. Plinius quoque ait in Creta, dum terræmotu quidam mons disrumperetur, cadaver quadraginta sex cubitorum stans fuisse repertum, quod alii Orionis, alii Lethi fuisse crediderunt; Orestis etiam corpus, oraculi jussu effossum fuisse cubitorum septem historici tradunt, D. autem August. lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. hanc credit causam. Deum quosdam interdum homines tam vastis corporibus nasci voluisse, ut nobis testatum relinqueretur tam pulchritudinem corporum, quàm etiam staturæ magnitudinem, vireſque carnis non esse in bonis præcipuis ponenda, cum ea non minus impiis quàm piis sint communia; & habemus multa in sacris litteris possim exempla, Gigantes fretos proprio robore, & viribus, nec non & pulchritudine, atque amplitudine immanium corporum propter superbiam, & fastum a Deo rejectos, & extirpatos fuisse.

His tamen positis, ossa adeo immania, quæ in multis Musæis conspiciuntur collocata reliquias, esse Elephantum aliarumque Belluarum multi arbitrantur. Similiam fragmenta visuntur in Musæo Cospiano cum titulo. *Fragmenta Tibiæ ex integro Elephantis sceleto lapidescente, cura, jussuque Ferdinandi II. M.D.E. ad Clanim eff so anno 1663.* Quæ ossa suspicatus est ejus Musæi Author ibi remansisse sepulta, post bellum ab Anibale gestum prope Aretium, de quo scribens Livius lib. 27. hæc recitat. *Annibal æger oculis ex verna primùm intemperie variante calores frigoraque, Elephanto, qui unus superfuerat, quòd altius ab aqua extaret, vectus, vigiliis tandem & nocturno humore palustrique cœlo gravante caput, & quia medendi nec locus, nec tempus erat, altero oculo capitur*, & Juvenalis Sat. 10. illi irridens ait.

O qualis facies, & quali digna tabella
Cum getula ducem portaret Bellua luscum.

Adeat curiosus lector tom. 2. P. Kircherii ubi in lib. 8. sect. 2. cap. 4. recenset varias historias a viris fide digniſſimis, quæ hominis procere staturæ referunt; Ut ut sit de veritate earum, quæ vastissimæ molis Gigantes affirmant, manifestum sit vera ossa eorum in aliquibus Musæis ostendi. Unum me vidisse memini Romæ in Gazophilacio Excellentiſſ. Principis Augusti Ghisii apud S. Mariam Majorem. Quatuor nostrum Musæum servat, de quibus dubitari non posse pro certo habeo. Omnia enim cum veris, & vulgaribus humanorum corporum ossibus omnimodam similitudinem, & partes internas ostendunt, cavernosas instar spongiæ, nodos etiam tibiarum rotundos, & levigatos, dentes humanis perfecte similes &c. quorum accurato examine probatur, eos decipi, qui docent omnia ejusmodi ossa vel Belluarum esse, vel purum Naturæ opus in subterraneis locis generatum; quamvis negandum non sit, sæpe sub terra detegi aliquos Naturæ fœtus ossibus hujusmodi similes, quæ tamen vera ossa non sunt, sed partus ex substantia quadam lapidosa compacti, & aliquam ossium & dentium similitudinem ac formam perferentes.

Hæc recensueram, cum forte ad manus pervenit Historia Insulæ Melitensis ab Equite Joanne Francisco Abela conscripta, in cujus lib. 1. not. 2. narrat hic Author, fuisse olim repertum cadaver Gigantis, ossa insuper multa ac dentes a se visos e Capite Gigantis erutos; cum tamen Caput aut saltem Cranium ejusmodi hominis repertum non affirmet, Cupidus sciendi an dentes tantummodo vel etiam caput in Insula Melitensi servarentur: quod quidem si adesset, dubitari amplius de veritate non liceret, rogavi per Epistolam eruditissimum Patrem Vincentium Modica Nostræ Societatis Sacerdotem, ut me certiorem reddere dignaretur, ac pro sua humanitate responsum dedit, quod sequitur.

Parlai per sodisfare V. R. sù la materia con il Sig. Dottore Fisico Frà Giuseppe Zammit, uno de quattro Medici di questo Spedale, huomo curiosissimo, e valente Anatomista, e Lettore in Chirurgia, e mi disse havere in poter suo un pezzo di Cranio grosso quanto è la larghezza di un dito pollice, e una costa di lunghezza non ordinaria, e questi ritrovati in sepolcri cavati in pietra viva nel sacro, e sotterraneo Cimitero accosto alla Grotta di S. Paolo. Il Sig. D. Pietro Faccioli l'anno 1693. cavando un suo terreno nella contrada di Castel Zorrico trovò una Grotta, e dentrovi cavato in pietra viva un Sepolcro, con attorno molti vasi ben lavorati di creta del paese, con dentrovi gusci di Lumache, e mosso dalla curiosità (come mi disse) aprì il Sepolcro, ove trovò una Testa Gigantea, e di smi-

di smisurata grandezza, e volendola cavare fuori del Sepolcro, gli restò nelle mani risoluta in cenere con suo dispiacimento, per essersi defraudata di simile memoria.

Ex his manifeste probatur fuisse homines immanis staturæ atque multa ossa, quæ in Musæis ostenduntur, licet mole magna, vera ossa hominum esse.

CANIS MONSTROSUS.

INter rariora, quæ spectantur in Musæo, cadaver est catuli, septem pedibus monstrosi, ut apparet sub n. *63*. Hunc largitus fuit Eminen. Eccl. Rom. Decanus Card. Bullioneus in urna crystallina humore balsamico plena servatum. Ejus iconem damus, quæ Prototypo magnitudine, & figura omnino respondet, atque adeo supervacaneum est pluribus verbis singulas ejus partes describere. Attamen non erit incongruum causam quærere, cur in utero matris hujusmodi monstrum conceptum fuerit. Norunt periti pluribus modis monstra gigni posse, scilicet, vel numerum aut molem partium diminuendo, augendove, sive membra transponendo e naturali sede, sive iis debitam figuram aut connexionem non attribuendo, sive partium substantiam in alienam commutando, & quidem hæc omnia ex pluribus causis. Ex. gr. ex materiæ ineptitudine, ex parente monstroso, ex imaginatione ejusdem, aliisve causis, quas omnes recenset post Aristotelem in eruditissimo suo tractatu de Monstris Fortunius Licetus. Omnibus relictis meam sententiam exponam, dicendo tale monstrum ob angustiam uteri generatum; potest enim adesse idonea, & sufficiens materia ad plures fœtus, & gemellos gignendos, ut in Canibus solet accidere: possunt adesse vires robustæ ad illos perficiendos: si tamen locus angustus extiterit, in quo gemelli commode non contineantur, ex duobus fit unum corpus, & imaginem monstri induit. Angustiam verò uteri variis de causis exoriri posse docuit Licetus, cum uteri angustia copulante gemellos, potest etiam formatrix imbecillitas adesse aliquorum membrorum perfectam constitutionem prætermittens. Sic profecto monstrum, de quo sermo est exoriri potuit, in quo pedes in uno Cane appareant plures, cætera autem membra alterius Canis omnino latent informia.

Diximus posse gigni monstra ob augmentum materiæ, hac de causa caput in occipite valde tumidum videtur in fœtu humano, qui in spiritu vini immersus servatur in Musæo. Cæterum partes corporis singulas optima proportione dispositas ostendit. De infante habente caput monstrosum narrat Licetus l. 2. c. 18. quod licet sanus esset, ob eam tamen causam jacere cogebat, pusillo corpore adeo vastam capitis molem non ita facile sustinere ac regere valente.

Duo alii sunt humani fœtus abortivi quorum alter quatuor digitos altitudine non excedit, alter verò palmum cum dimidio æquat. Utiusque ossium compago conspicitur carne penitus absumpta, in qua anatomicæ artis studiosi singulorum ordinem e discere possunt. Extat etiam fœminæ adultæ sceletum, & Simiæ in quibus non solum anatomico studio colligata ossa numerantur, verùm etiam nervorum, & articulorum accurata dispositio magnæ Philosophorum utilitati in hoc erudito Musæo diligenter custodita conspicitur.

Ultra monstra, quæ inter Homines, & inter Animalia ratione carentia accidunt, in stirpibus quoque contingere observat Licetus c. 5. lib. 1. licet multò rarius, quia plantæ simpliciorem naturâ sortitæ rudiora instrumenta corporis in sua constitutione generanti naturę magnam peccandi occasionem adimunt; facilius enim est errare in pangendis operibus variarum partium magno artificio invicem connexarum, uti sunt animalium membra, sed paucas plantarum partes recte componere non est ita difficile; quamobrem in plantis multò pauciora, quàm in Animalibus monstra contingunt. Multa ejusmodi observavit Prosper Alpinus eximius Plantarum Perscrutator. Unum est in Musæo, idest Fungus Piriformis Quercinus insolitæ molis; duos enim palmos excedit, in parte superiori plana, unum fere cum dimidio, ab ejusdem superficie usque ad finem extenditur in mucronem conformatus, ejus substantia ligni duritiem contraxit, dum longo tempore arbori conjunctus hæsit, ponderatque ut lignum, brevissima quadam lanugine contectus.

Strumosum lignum fungo additur, quod pyri pomum diceres exsiccatum: pediculo enim hæret tumor quidam ligneus in formam pyri adeo bene a Natura conformatus ut melius Ars ipsa efficere non posset, mirum est quantum in lignis strumosis luserit Natura.

Numerantur etiam Ova a Gallina vulgari nata sed rara & monstrosa. Alterum enim duplo longius est Ovo vulgari; & in modum cylindri productum, nec in alterutra parte in conum, sed utrinque in rotundum semiglobum pariformiter desinit. Alterum verò pyri formam exprimit eleganter productum. Tertium instar cucurbitæ ejus generis conformatum, quæ veluti in duas partes distincta videtur, scilicet inferiorem ventricosam, superiorem angustam. Illa delineavimus sub num. 64. 65. & 66.

CLAS-

1
2
3
4

5
6
8
7

9

13

10

11

12

13



14

15

16

17

18
19
20
21
22
23

26
24
25
28
27
29




30
31
32
36


37
30
31
30


34
291
36
35



37
38
39
40

41
42
44
45



46
47
48
A
B
C
49

50
51
53
54
pal. 41.
52
54

55
pal. 5
A
B
pal. 3
56

57

56

59

60

61







CLASSIS NONA

Instrumenta Mathematica.

IOcuples, & pretiosa Mathematicorum instrumentorum multitudo hìc visitur, quorum maxima pars constat ex auricalco. Illa ad cœlestium corporum, ad sphærarum observationes, geometricas dimensiones, geographicas divisiones, & horarum designationes inserviunt. Sunt inter ea duo globi, ob molis quantitatem e Musæo ad Bibliothecam translati, sphæra etiam armillaris, quæ ultra decem principales circulos, instructa est viginti quatuor meridianis circulis altitudinum, & verticalium, & aliis æquatoris paralellis; Solis item, & Lunæ progressus artificiosè exhibet.

Astrolabia seu Planisphæria plura, quinque tamen præ cæteris nobiliora, omnibus suis partibus ad diversas altitudines poli aptata stellarum fixarum retibus, linea fiduciæ, axi atque armilla suspensoria instructissima, quorum maximum latinis caracteribus ornatum trium palmorum diametrum adæquat. Duo Arabum notis insignita palmo cum dimidio in diametro constant. Instrumenta partium, & circuli proportionales divérsi, quadrantes duo, quorum alter in prima minuta accuratissime divisus, alter in secunda. Inter multa instrumenta ad Horologia Solaria tum directa, tum reflexa designanda aptissima, est aliud rarum a Kirchero excogitatum Pantometrum, cujus operationes, & usum P. Caspar Schottus S. J. typis dedit in compendium redactas. Cæteroqui, si alia exoptes, sunt Quadrata geometrica, Circini, Pixides cum dioptris, Paralellogrammata, Coni, Cubi, cæteraque inventione illustria, & utilitate pretiosa.

Est Idea machinæ, cujus beneficio Tubi optici ad quamlibet longitudinem extensi possint facile dirigi ad objecta etiam cœlestia, & facillime pertractari, absque eo quòd centrum lentis ocularis a centro lentis objectivæ possit unquam deflectere, quæ ab ingenioso P. Ægidio de Cotignies excogitata fuit, dum Romæ Mathematicas Scientias in Collegio Romano explicaret. Illam delineata infra exponemus.

Visuntur depicta Systemata Mundi, quæ Ticho, Copernicus, & Ptolemæus excogitarunt; Lunæ imago cum singulis maculis, quando totum Orbem luce plenum ostendit, Imago Jovis cum suis satellitibus, nec non Saturni globus suo annulo circumdatus, quæ omnia studiosorum eruditioni conferunt, & Musæum condecorant.

DE MACHINIS QUÆ AD MECHANICAM PERTINENT.

ARs Mechanica illa est, quæ opera conficit, quę & ingenio simul ac manibus perficiuntur; neq; enim ita fabrilis est, ut omnibus postponenda sit, imò multis aliis artibus anteponenda, quippe quæ miros operetur effectus, propter quos maximi fiat Mechanicus artifex. Hinc, narrante Svetonio in Vespas. cap. 18. *Mechanico grandes columnas exigua impensa perducturum in capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit.*

Hujus facultatis vires indicantur in Musæo, præsertim quæ in movendis machinis insumuntur. Triplex igitur ratio in movendis machinis usitata fuit apud Antiquos, Prima vocabatur *Tractiva*, secunda *Elatrix*, tertia *Manganaria*. De singulis Kircherus egit tom. 2. Ædip. Clas. 8. pag. 313. Idem in Obelisco Pamphilio fol. 90. Pro machinis extollendis fuisse apud Ægyptios quinque facultates motrices narrant. Hero primus fuit inventor ex mente veterum, ut ipse testatur, ex quo postea Archimedes, Pappus, & tota Posteritas varios modos desumpserunt. Nomina earum sunt primò *Vectis* 2. *Axis in Peritrochio* 3. *Polispastos* 4. *Cuneus* 5. ea quæ appellatur *Cochlea infinita*. Tradit autem Hero facultates hasce in unam reduci naturam, quamquam figuris inter se multum discrepent. Vectis prima mechanicæ fundamenta præbuit, nam hac non tam arte quàm naturæ instinctu omnes utimur; neque enim ulla humana actio violentiam aliquam sustinens, assignari potest, quæ non vectis ope perficiatur, etiam nobis non advertentibus.

Cum autem Vectis in attollendis ponderibus magnis munus suum obire non posset, machinæ genus invenerunt, in qua multiplex vectium in circulum dispositio idem præstaret, quod Vectes in molibus terræ superficiebus insistentibus præstant, & hæc vocatur *Axis in Peritrochio*, estque instrumentum ex cylindro, & orbita,

in cujus circumferentia radii disposiți sunt, qui locum vectium subeunt, & in axe funis circumplicatur.

Hujus duplex usus datur, idest rectus, & inversus, Rectus, cum ejus ope pondera in altum sublevantur, inversus, quando pondera ex longitudine trahuntur, & tunc *Ergata* vocatur: Dicitur rectus, quia Cylindrus manet Orizonti paralellus, inversus, quia Orizonti perpendicularis constituitur. Ad hunc situm requiruntur alia, ut Trochleæ, & Arbores, Polispastis instructæ.

Cuneus est Instrumentum pyramidale, quo immania saxa finduntur malleorum ictibus.

Polispastus est Trochlea Mangano inserta, cui funis circumvolvitur, quo pondus facili negotio movetur, Trochlearum autem varia potest fieri dispositio.

Ultima est cochlea, quæ cum aliquid difficultatis habeat in constructione, & usu, apud Ægyptios non adeo frequens erat. Est autem Cochlea, Pappo teste, *Cuneus expers percussionis, per vectem quoque motionem efficiens*. Cochlea dicitur a limacis domo, tortuosis ductibus a Natura instructa: dicitur etiam *helix* a natura lineæ, secundum quam construitur, quæ si commode adhiberi potest, omnibus machinis palmam eripit ob summam, quam in operando habet efficaciam. De his fusius Pappus lib. 8. ex mente Ægyptiorum.

Harum quinque facultatum experimenta diversa in Musæo exhibentur. Videtur primo Cochlea Archimedis dicta, eo quòd ille hujus beneficio ingentem navim ab Nerone Siracusano Ptolemæo Regi Ægyptiorum destinatam in mare impulerit solo unius Pueruli labore, postquam ingens operariorum copia, admotis etiam Elephantorum viribus, ullo pacto movere non potuit; illa, licet minoris digiti crassitiem non excedat, si etiam ab infantulo circumagatur, plusquam ducentas libras funi appensas in altum elevare potest.

Secundò loco diversas trochlearum combinationes cernuntur, quibus pondera ingentia facili labore trahuntur, & universim, quo plures rotulæ in Trochleis debite disponuntur, eò minores vires insumuntur in ponderum attractione, eo quòd singulæ earum non totum pondus, sed ejus partibus proportione quadam distributis resistant. Ob hanc rationem ingeniosè excogitata Romæ machina fuit a Præclaro Viro D. Josepho Campana, ut facili labore posset dimoveri ex humili loco, ubi ab Antiquis collocata fuerat Columna Antonino Pio erecta, ut ejus Apotheosim Populus Romanus celebraret, quæ usque ad hæc tempora sepulta jacuerat inter rudera Romanarum ruinarum prope Collem, quem Citatorium appellant. Appendit ille viginti rotas Trabi, firmis, validisque fulcris sustentatæ, & Orizonti paralellæ, novendecim addidit alteri trabi ita dispositas, ut inversæ superiores respicerent, atque iis omnibus funem inseruit, qui sursum, & deorsum recurrens, tandem e duabus extremis hinc inde collocatis in superioris trabis rotularum serie capita offerret trahenti. His rite dispositis Pondus ingens inferiori trabi alligavit, quod facillime clavabatur, cum funis extremitates trahebantur, & minori etiam labore si beneficio vitis, quam perpetuam seu Archimedeam vocant, traherentur. Hanc machinã in addita Icone n.67. in Tab.seq. ut est in Musæo delineavimus, quæ quidem ingenium Authoris commendat; sed quia contra illam non nemo se opposuit, obiiciendo præsertim periculum, cui exponebatur pondus elevandum, nam illud rueret, si funis unicus, quo sustentatur in aliqua sui parte diffringeretur, quod non raro accidit etiam in crassioribus, quibus moles trahuntur, vel ob calorem conceptum ex vi attractiva, vel ex inepta partium compositione &c. idcirco hanc metodum agendi respuerunt Periti.

Hinc non pauci Mechanicæ Artis studiosi sua ingenia acuerunt, ut modum æque facilem ac tutum excogitarent, quo columna posset dimoveri e sua basi, elevari, ad superficiem terræ sub qua latebat, ac demum inclinari, ut Orizonti paralella jaceret, donec iterum alibi recta collocaretur. Nec opus est hic referre omnia, quæ ingeniosè excogitata, & publicis paginis vulgata fuerunt, ut olim Sisto V. Summo Pontifici propositi fuere varii modi dimovendi, & deferendi ingentem illam saxi molem, quam hodie ante Basilicam Vaticanam Cruci consecratam admiramur.

Dum ego tunc temporis machinarum aliquarum ideas in Musæo collocarem, in quibus Mechanicæ præcepta in praxim redacta indicantur, conatus sum aliquam excogitare, qua quodlibet pondus sustineri tutò posset, ac sine periculo ruinæ faciliter pertractari: cum enim in multis actionibus hujus generis observaverim, non rarò funes diffringi, quibus moles sustinentur, & trahuntur; quandoque etiam vires trahentium inutiliter insumi, ac trabes, quibus trochleæ alligantur e suo loco dimoveri, & viribus ponderis cedere, propterea hæc omnia disponere studui ea ratione, quam paucis in subjecta figura explicabo: Vide num.68.

Sit moles v. g. columna A elevanda primùm a basi, cui insidet beneficio funium, Trochlearum, Ergatarum, & similium instrumentorum, quæ passim adhibentur. Ad hunc motum primò requiritur, ut Vires trahentis superent vim ponderis,

deris, quod resistit, secundò requiritur immobilitas loci ubi trahens sistit, & immobilitas instrumentorum, quibus trahitur moles. Cum autem elevanda est columna, debent funes, & Trochleæ alligari in loco eminentiori, quemversus trahitur; idcirco trabibus columna longioribus perpendiculariter circum illa collocatis, & pluribus fulcris hinc inde positis, aliisque minoris trabibus inter se firmiter connexis, ut figura ostendit, & docuit Dominicus Fontana in sua Machina typis edita, quam adhibuit circa Obeliscum Vaticanum, alias trabes, & quidem solidas transversim illis superimposui, quibus Trochleæ alligandæ erant ad pondus elevandum, sed ne unquam cedere possent, sequenti methodo machinam perficiendam essecerto habui.

Transversæ Trabi B quam trabibus verticaliter erectis superimposui, ut in Icone sub n. 69. apparet, alias duas minores trabes C D addidi tali dispositione, ut efficerent triangulum sequenti modo connexæ. Supra trabem B. hinc inde in æqualibus spatiis a medio fiat dens duplex, cujus alterum latus verticaliter cadat ut num. 1. 2. demonstrant, & in aliis duabus brevioribus trabibus C D alii duo dentes, qui primis dentibus cohereant. In oppositа eorum extremitate alii dentes promineant, deinde interponatur trabis fragmentum verticaliter pendens, in quo hinc inde sint duo receptacula, in quibus superiores dentes inserantur, ut demonstrant numeri 3. & 4. Trabes sic connexæ longioribus clavis firmentur, cingantur etiam virgæferrea optime singulis partibus coherente, & habebitur triangulum, cujus superioribus lateribus, si trochleæ alligentur, quibuscumque viribus illud resistet, & quò magis vis actractiva conabitur, eò magis illud resistet, cum impossibile sit quòd trabes C D e suo loco dimoveantur; dentibus enim coheret trabi B neque partes hujus possint diffringi, ut consideranti patebit.

Posita igitur potentia resistente conatui ponderis, quod trahitur, stabilienda est methodus, qua vis attractiva possit non minus facilè, quàm tutò molem elevare. Solent communiter Artifices molibus elevandis, vel attrahendis applicare funes trochleis insertas, atque hos per vectes seu ergatas attrahere, sed quandoqueplures vires insumuntur, quàm opus sit, & aliquando minores iis, quæ necessariò requiruntur, ea de causa præsertim, quia hæc instrumentanon bene composita sint, vel inepte disposita. Hinc ex. gr. cum plures trochleæ adhibentur, si aliqua ex illis sit major cæteris, vel minor, aut pluribus vel paucioribus rotis composita, dum funes trahuntur, non omnes eodem tempore æqualiter trahunt, ac propterea unus magis trahit, alius minus, hinc vires trahentium inæquales, hinc funium fractiones, hinc labores inutiles. Idem prorsus dicendum est de Ergatis, in quibus, cum plures adhibentur, si cylindri, circa quos funis involvitur, sint diametro inæquales, dum major unum circulum perficit, majoremportionem funis trahet, atque adeo velocius trahet, quàm qui circulo minori perficitur, ut consideranti patebit.

Ut ergo huic damno consulerem, Ergatas, Trochleas, & funiculos aptos omnino æquales construxi, ut columnam plumbeam centum librarum e sua basi dimoverem, ita ut æquales vires eodem tempore insumerentur in singulis, nec una plusquam alia contra pondus inæquale suo conatu ageret. Tali siquidem pacto deprehendi, harmonica quadam simetria operationem adeo bene perfici, ut si ad sustinendumpondus numerus funium applicetur, qui necessarius est, impossibile sit, quòd aliquis eorumdiffringatur, ac impedimentum eveniat, quod continuati laboris operationem retardet, atque adeo hoc instrumentorum apparatu quælibet columna, seu obeliscus cujuscumque ponderis ac molis, possit non minus facilè quàm tuto pertractari.

Attamen quia cum dimotam molem verticaliter sustentatam a funibus, alligatis diversis ejus partibus, vellem inclinare, ut humo deponerem, animadverti aliquos ex iis necessariò magis laxandos esse, quàm alios, motumque omnium ita temperandum, ut singuli descensum molis simul permitterent, & ejus pondus sustenstarent, in qua re non modicum studium insumendum est, ne majori conatu aliquis funis agat quàm cæteri, nec regula certa potest perscribi, qua in hoc inæquali motu funium singuli æquali conatu ponderi descendenti resistant. Quæ omnia in adjectu figura numer. 70. demonstro.

Sit Columna A inclinanda, & deponenda supra pavimentum B C laxando funes I O illi alligatos, dum Columna descendit, ejusque vertex magis approximatur ad pavimentum, funes inæqualia spatia debent perficere, ut patet, nam spatium D M inter pavimentum, & columnam longius est, quàm spatium seu altitudo E N, ideoque ut perficiatur spatium D M, requiritur funis longior, quàm qui requiratur in altitudine minori E N, ergo si eodem tempore ambo funes debent laxari, ut columna descendat, funis M citius debet moveri, quàm funis O N, & si nimis citò, & indebita permissione laxetur, tum funis E N majori conatu operabitur, & majus pondus sustinebit, quàm valeat sustinere, cum periculo fractionis, & molis totius ruina.

Hæc varietas motus non requireretur, si funes

omnes unico in loco molis alligarentur, puta in ejus vertice V; non tamen ruinæ consultum esset, cum nimia columnæ, seu obeliſci longitudo debeat sustentari in variis partibus, ne partes ejus libero ponderi cedentes dissolvantur. Ut igitur hasce difficultates, & discrimina superarem, mentem exercui in excogitanda ratione, qua columnam, quamvis longissimam, possem demittere beneficio plurium trochlearum, quarum singulæ, licet diversis columnæ partibus alligatæ idem spatium perficerent, dum columna paulatim descenderet motu nunquam interrupto, donec perfecte pavimento orizontaliter cohereret, & quiesceret. Postquam plures vias adhoc assequendum tentaverim, demum pro comperto habui per hanc, quam subiiciam, posse tutò procedi.

Sit columna exposita in figura numer. 71. A B ad solum inclinanda. Debet hæc primum armari, & circumvestiri trabibus, & asseribus bene inter se colligatis, & fasciis ferreis constrictis, ut evitetur periculum fractionis, deinde illi supponantur transversæ duæ trabes, quarum longitudo sit major diametro columnæ, & harum extremitatibus C D hinc inde alligetur solidus, & crassus funis, qui cum alio in oppositis extremitatibus alligato sufficiat ponderi molis sustinendo. Hic funis debet inseri in rotam I quæ rota sustineatur a triangulo F I G ferreo, vel ex lignis bene inter se colligatis composito. In extremitatibus hujus trianguli F G alligentur trochleæ, totidemque aliæ omnino similes ponantur in summitate machinæ ligneæ, de qua supra diximus, & per eas immittantur funes P Q qui laxandi paulatim erunt, & pondus descendet.

Omnibus ita dispositis dum funes P Q laxantur motu æquali per trochleas, æquales funium portiones percurrent, & columna inclinata descendet, currente interim fune C D per rotam I, & angulus efficietur in hoc fune varius; cum enim incipiet motus, angulus erit acutissimus, in progressu motus paulatim dilatabitur, & ad rectum perveniet, qui iterum in acutum abibit, donec columna quiescat in solo, & funes superiorum trochlearum lineas perpendiculares semper retinebunt, & æqualem conatum contra ponderis violentiam effundent. Hac eadem methodo perfici posse elevationē ejusdem ponderis machina in Musæo posita demonstrat, non sine intuentium jucunditate. Illi octo trahentes funiculos applicui, sexdecim trochleis insertos, quarum singulæ tres rotas includunt. Quod si majori ponderi elevando, vel deponendo impares illas esse aliquis judicet, addi poterunt aliæ, atque omnia, quæ in Idea machinæ dispositæ sunt, debita proportione augeri, & multiplicari, quæ idonea esse peritus artifex judicabit; non enim numerus, & mensuræ instrumentorum in idea perscribuntur, sed via aperitur ad evitandas difficultates, quæ passim sese obiiciunt in motu verticali machinarum, ex mala instrumentorum moventium fabrica, & inepta eorumdem dispositione.

Unum remanet notatu dignum, quod cum columna, vel obeliscus solo demittendus est, vel a solo elevandus, non debent insumi vires omnes, quæ ad superandum conatum ejus ponderis requirerentur, si omnino e terra elevandus esset, sed ita effundi, ut aliquam partem ponderis terra ipsa sustentet. Qua arte usus fuit Dominicus Fontana, aliique magni nominis periti, cum Obeliscum Vaticanum primò in terram demisit, deinde in loco, ubi nunc est verticaliter collocavit. Experientia me docuit in columna marmorea centum librarum, cum eam stateræ suspenderem, fune post tertiam partem ejus alligato, & ultima ejusdem parte humo adhærente, animadverti pondus illius vix septuaginta libras excedere, ideoque conatum minorem requiri ad illam elevandam, quàm si nullo pacto pavimento adhæreret. Atque hæc dixisse sufficiat de machinis ad eam partem Mechanicæ spectantibus, in quia non est principium motus ab arte appositum, sed a movente extrinseco opera ejus perficiuntur, quando potentia movens applicatur. Omissis etiam machinis, in quibus torno perficiuntur plurima, quæ vel circularem figuram induunt, vel ovalem, vel pluribus angulis, seu lateribus distinctam de quibus eruditum librum edidit Lugduni Idiomate Latino, & Gallico anno 1701. P. Carolus Plumier Patrum Minimorum Alumnus.

MACHINÆ HYDRAULICÆ.

AD Classem Machinarum, quas hidraulica facultas perficit si transeamus, plures ex iis non minus oculos oblectant quàm intellectum erudiant. At ne omnes, quæ describi possent, singillatim exponamus, aliquas seligo ex quibus causæ motus in aqua deprehendi possunt. Ad quatuor, vel quinque Classes reducuntur omnes, ita ut aliquæ violentia dispulsiva perficiantur, quædam attractiva, nonnullæ rarefactiva, aliæ condensativa, cęteræ compressi aeris vi, cum nulla Machina hydraulica assignari possit, quæ aliqua ex his facultatibus seu principiis non instituatur.

A machina, quę vi dispulsiva operationes suas perficit inchoabimus. Fiat igitur primò ex ęre, cupro, aliave materia resistente igni Vas A, ut indicat

cat n.72. cui indatur Syphon A B ita ei ferruminatus,ut vas aeri sit impervium. Item præparetur aliud vas E D M clausum & aeri impervium,per cujus fundum in D porrigatur Syphon A B dein. de ex loco E dicti vasis alius infra apertus Syphon per superiorem partem vasis, ubi in E vasi sit bene conglutinatus,in aliud protendatur.Quo peracto vas per foramen M liquore repletum ante claudatur. Vase itaque hac arte constructo, si machinam vi ignis in magnam altitudinem aquam propellere desideras, igni superponas vas liquore repleto, & aer vasis A ex nimia raritate compressus, cum nullum effugiendi locum nisi per Syphonem A B reperiat, per eum violenter diffusus in vas E D M se exonerare tentabit; Verùm occupante alio liquore vas E D M, in intolerabiles angustias redactus, aliisque identidem rarefactis partibus, subtilior gravem init cum aqua luctam, ita ut necesse sit ut vas rumpatur, aut aqua cedat, sed quia hoc est facilius, aqua cedet, & per Syphonem E magno impetu in altum profusa jucundum præbebit spectaculum.

Hac eadem arte constructa est machina instar clepsidræ,quę horam integram saliendo metiatur, hoc pacto, vide fig.73. Sint duo vasa A B C D, quæ ex quavis materia possunt fieri, quæ diaphragmate sint divisa. Superius habeat fundum aliquantulum cavum, ut prosilientem aquam valeat recipere. Hoc peracto canalem E F in superiore parte vasis bene conglutinatum os habeat, & per diaphragma usque ad fundum protendatur, deinde canalem alium I, a diaphragmate usque ad superiorem partem vasis duces, tertium denique ex O per operculum in fundum ferruminatum ponas. Ita vase disposito, imple aqua vas C D per canalem F E, & tunc aer ibi detentus abibit in vas A B, deinde inverte vas, & aqua occupans vas C D abibit per canalem I in vas A B. Repleto vase A B iterum illud inverte, & aliquantulum aquæ infundas in receptaculum cavum vasis A B. Hæc aqua statim descendet per canalem F E in vas C D, & impellet aerem, qui exire conabitur per canalem I, cum non possit dari penetratio duorum corporum, & exeundo, ab aqua cadente propulsus impellet aquam inclusam in vase A B, quæ statim ascendet per canalem O, efficietque in summitate fontem perennem amœnissimum.

MACHINA VI ATTRACTIVA AQUAM SPARGENS.

HÆc sane inter cæteras non infimum locum tenet. Tali pacto illa perficitur. Fiant tria vasa IKB prout in fig.74.vas primum I recipiendę aquę destinatur,& alterũ K fiat ex quavis materia,vas vero B vitreum sit,fundo C A excepto, qui ex ęre aut cupro esse debet.Ex hoc fundo canalem D O P per fundum vasis K usque in vas I deduces, ubi epistomium sit instructus. Sit autem canalis D P in fundo vasis B bene ferruminatus, ne vas aerem recipiat. Hoc pacto alium Syphonem a fundo vasis B deduces ad vas K ita insitum, ut fundum vasis K non tangat, sed utrique vasi sit bene ferruminatus. Deinde vitrum B fundo C A pice, aliave mistura ita agglutinabis, ut aer nulla ratione intrare possit, vas autem vitreum B in apice foramen parvum habeat aquæ infundendæ destinatum, in eo etiam vase relicto canaliculo ad duos, vel tres digitos prominente. Reple deinde vas vitreum aqua usque ad os dicti canaliculi, & foramen cera bene obturabis, ut aer ingredi non possit, deinde aperto epistomio M, vas K repleatur, & repleto, aperiatur epistomium P inferius, & aqua vasis B per canalem D P dilabi non poterit, nisi aliud sibi corpus substituerit. Aditu igitur omnibus aliis corporibus intercluso, præter aquam in vase K positam; ne vacuus locus remaneat, summo impetu per canaliculum K in fontem abibit, & tandiu hic fons durabit, quandiu aqua in vase K superfuerit.

FONS QUI TANTUM AQUÆ REFUNDIT CRATERI QUANTUM EBIBITUR.

FIat ex materia solida duo vasa seu receptacula R S columnulis suis interstincta, quorum superius R habeat in medio diaphragma quo in duas partes dividatur vas, & horũ quodque habeat in operculo foramen, & obturamentum N O ut possit impleri aqua, ut sub n.75.Fiat deinde Sypho G F cum epistomio versatili, & alius Syphunculus A I, qui transeat per crura, & rostrum ex. gr. alicujus volucris alteriusve animalis; tandem fiat tertius Sypho C D cujus pars C pertingat fere usque ad operculum, ubi B, & alius Syphunculus B A cujus pars B pertingat fere usque ad fundum, ubi C, habeatque in B epistomium. Vas inferius S habeat similiter epistomium L ad emittendam aquam. His præparatis, claude epistomium L F & B, & imple vas R in utraque parte per foramina O N,

eaque diligenter obtura. Deinde pone craterem M aqua plenum, cui immersum sit rostrum avis I; vas verò S maneat vacuum; Si jam exhibere vis spectaculum avis bibentis, laxa epistomium F, & aqua vasis R descendet per Syphonem G F in vas vacuum S; in ejus verò locum ad vitandum vacuum in vasa R subsequetur aqua crateris M, laxa epistomium B, & aqua descendens per Syphonem G F, & premens aerem ibidem contentum expellet ipsum per Syphonem D C in vas R, qui aer comprimens aquam ibidem contentam urgebit ipsam per Syphonem B A in craterem M.

MOTUM EX CONDENSATIONE AERIS EXHIBERE.

MAchinam expono, sub n. 76. ex qua aqua magno impetu explosa ascendit ad altitudinē plusquam decem palmorum, & tandiu durat, quamdiu comdensatio aeris in vase inclusi paulatim minuitur. Sit vas A B cui aptetur tubus C, qui ad fundum vasis fere pertingat, exeatque e vase aliqua sui portione in qua apponatur clavicula I. In latere ejusdem vasis sit tubus D cum instrumento, quo aer in follibus lusoriis solet condensari, & in parte interna sit assarium, quod aeris immissi exitum impediat. In vas sic paratum infundatur aqua per idem foramen, vel per aliud, quod infusa aqua possit bene claudi. Deinde condensetur aer per plurimos ductus instrumenti appositi, donec vires possint resistentiam superare. Condensato aere, si aperiatur clavicula, illico aqua in altum ascendet ob impetum impressum ab aere condensato, qui e statu sibi violento ad pristinum connaturalem redire, & capaciorem locum obtinere conabitur.

Facilius idem obtinebitur hoc pacto. Sit Vas A B, prout indicatur a num. 77. cui sit insertus Canalicus C D, ita coaptatus in C, ut aer vasi incluſus non possit abire, sed fundum vasis non tangat: Aptetur huic canaliculo clavicula E, quæ aperiri, & claudi pro libito possit. His peractis, sume instrumentum, cujus beneficio aer condensatur in pilis lusoriis, & attrahendo manubrium dum aquæ immersum est, aqua impleatur; Hinc aptetur ori canaliculi supradicti, & clavicula aperta, magno impetu impellendo manubrium, exoneretur aqua in vas subjectum, & statim clavicula claudatur. Pluries hoc age, donec vim experiaris conatui resistentem. Cum igitur vas repletum sit aqua, & simul aere condensato, si clavicula aperiatur, aditus relinquetur aeri, ut ad pristinum statum redeat, quem obtinebit, impellendo aquam in vase inclusam, atque hæc per Siphonem D C, magno impetu exiliet, ita ut fontem amœnissimum efficiat. Poterit huic Machinæ Avis ex. gr. aptari vel aliud simile, quod aliud canaliculus sustentet, in cujus extremitate, sint parva aliqua foramina; hanc Avem forte aliquis sibi suadebit posse cantum emittere; At si clavicula E clausa sit, & aperiatur clavicula I, aqua ab aere impulsa per dictum canaliculum statim ascendet, & exiliendo per foramina abluet intuentes.

Idem motus ex aeris rarefactione, & condensatione ita obtinebitur, ut sub n. 78. Vas sit vitreū C A B fundum habens cupreum, tali coagmentatum arte ipsi vasi, ut vas sit omnino aeri impervium. Quaternis id sustentatur columellis, quibus subiicitur vas alterum cupreum, & clausum undique. Ex fundo C E D per unam columnam deducitur ad fundum usque vasis I K Sypho N O instructus superius assario quòd *animella* vocant Itali, quod versus anteriorem vasis partem elevari ac deprimi possit. Eidem fundo C E D inditus est apud P N E alius Syphunculus ejus formæ, quam figura L repræsentat instructus assario, quod versus exteriorem vasis partem aperiri potest, & claudi. Tandem in medio machinæ sit receptaculum H cum prominente inferius canali, quo vasi I K inditur.

Usus hujus machinæ hic est. Exempto canaliculo E, qui per cochleam aptari debet, ut possit auferri, impleatur vas E D ad medietatem usque, & reponitur Syphunculus, & clavicula convoluta ita obturatur os E, ut aeri sit impervium. Interdiu cum incalescit circumstans aer, rarefit aer, qui inclusus est in vase C A B majoremque quærens locum præmet aquam, & aqua præssa trudit versus exteriores partes assarium Syphunculi E, & exitum nacta stillat in receptaculum H, & per ejus canalem defluit in receptaculum I K. Cum verò frigescit aer circumstans, aer vasis C A B constringitur, & minorem occupans locum advocat aliud corpus unde suctu ejus aperitur assarium Syphonis N, & per ipsum Syphonem attrahitur aqua, in receptaculo S K collocata; quod accidit ex aere circumstante incalescente, aut frigescente. Contingit etiam si admota vasi C A B manu calida incalescit interior aer, & remota refrigeratur.

Classem hydraulicarum machinarum claudat vas, quod aqua repletum illam continet, sed si paucas guttas eidem addas ad vacuum evitandum tota aqua effluit per canalem apertum infundo vasis. Illud, & similia quę ingeniosus Artifex poterit excogitare descripsit Hero in suis Spiritalibus Theor. 12. ut sub n. 79. Fiat vas A B, in medio ejus aptetur Sypho retortus L K I. Infundatur postea aqua, quæ non superet lineam orizontalem, ad quam pertingit curvitas Syphonis K,

nis K, & aqua continebitur. Si verò aliam addas, ita ut ſuperet curvitatem Syphonis, aqua ſimul aſcendit per os Syphonis I uſque ad K; cum verò ſuperaverit altitudinem K deſcendet per partem Syphonis L, & cum non poſſit dari aliud corpus, quod impleat Syphonem, nec poſſit dari vacuum, ſuccedet ſemper aqua, quæ eſt in vaſe, attracta ab aqua exeunte, donec vas totum evacuatur. Vas ſimile poſſet conſtrui, videlicet catinum, in quo Sypho circumeat per illud ita ut nullo pacto detegi poſſit. Cum autem velis manus lavare, illas in aquam immergendo, aqua preſſa elevabitur ad curvaturam Syphonis, & paulatim tota abibit in aliquod receptaculum ſub catino ita præparatum, ut illud videri non poſſit. Sed de his ſatis.

MACHINÆ IN QUIBUS MOTUS PERPETUUS ADUMBRATUR.

TOrmentum ingeniorum hactenus fuit motus artificialis perennis, hoc eſt Machina ab arte perfecta, motum exhibens nunquam interruptum, cujus author non Natura, ſed Ars, cujus principium movens non extrinſecum, ſed intrinſecum, & ipſi machinæ ab arte conjunctum, non mere naturale, ut aqua fluens, ſpirans ventus, ignis, aut calor rarefaciens, ſed vel mere artificiale, vel a ſola arte applicatum, ſeu in circulum torquens machinam, ſeu ſurſum deorſumque alternatim impellens, aut propellens. Ejuſmodi machinam poſt ſæculorum labores alii inter impoſſibilia reputarunt, alii feliciſſime eam excogitaſſe reputarunt. P. Caſpar Scottus S. J. in Technica curioſa ſive de mirabilibus Artis lib. 10. machinamenta aliqua exhibet, quæ motum artificialem perennem ingenioſe æmulantur. Illum conſulant curioſi. P. Kircherus primus noſtri Muſæi Inſtitutor, etſi ſibi certò ſuaſerit Mathematicorum ingenia operam oleumque perdere vana ſpe deluſa in tali motu excogitando, ac proinde demonſtrare ſtuduerit in deſcriptione Muſæi cap. 5. impoſſibile eſſe talem motum; aliqua tamen experimenta in eo exhibuit, e quibus, & authoris ingenium, & contumax Naturæ genius apparet, qui nulla machina, nullo conatu ad perpetuandum motum flecti poteſt; Primam machinam Hydroſtaticam ſic deſcribit ut ſub num. 80.

Eſto vas R S aqua plenum in eoque erecta rota P Q hauſtris ſuis inſtructa, & circa axem O volubilis: erigantur e fundo vaſis, aut in lateribus binæ trabes T V, X Y ſupra trabem T V ſtatuatur aliud vas D C diſcriminatum tubulo, & Epiſtomio B, tribuſque aut pluribus canalibus prope C inſtructum, e quibus aqua ſupra hauſtra attolli poſſit. Trabi verò X Y innectatur trabecula, ſeu haſta tranſverſa M X tali artificio ut X circa axiculum velut circa polum elevari poſſit ac deprimi, ad hæc præparetur Antlia, quæ *Tromba* vulgò dicitur, in cujus vaſe inferiori S fiat mortariolum habens in ſuo fundo platiſmatium (ideſt *Animella*) H, quod aperiri, & claudi verſus inferiorem modioli partem poſſit, fundus tamen modioli hujus non debet contingere fundũ vaſis S. Fiat deinde piſtillum L, K extremitate ſua L annexum tranſverſæ haſtæ M X ita tamen, ut circa claviculam L revolvi ſine violentia poſſit, piſtillum verò K exacte impleat capacitatem modioli, & oleo perungatur, ut facile ſurſum deorſum infra ipſum modiolum moveri poſſit. Ex fundo modioli G derivet canalis I E A ea forma, quam figura monſtrat, habens apud I plariſmatium quòd verſus interiorem partem aperitur tandem incurvetur axis O N ut vides, & extremitati inſeratur haſta N M, quæ circa axiculum in M volui poſſit facillime. His peractis in vas A infundatur aqua, & aperto Epiſtomio B in ſubjectam rotam deſluat, impleta enim ſenſim hauſtra rotam non difficulter circumagunt, hæc verò ſub finem haſtam ſibi circa axem appoſitam ſurſum deorſum attollendo, aut deprimendo aquam in ſubjecto vaſe exhauriet beneficio piſtylli, & per canalem in vas ſuperius impellet. Sed magnus Apollo erit, qui tantundem aquæ quantùm deſcendit, aſcendere efficiet; minus enim aſcendit, quàm deſcendat, idcirco poſt aliquot revolutiones aqua ſuperior deficiet, & ſimul cum ea motus. Kircherus tamen huic machinæ lemma appoſuit. *Nemo melius iſthac.*

Secundò loco occurrit cochlea Archimedea, in qua loco elementi fluidi ſubſtituti ſunt tot ærei globuli quot circumvolutionis ſpiræ in tota cochleæ altitudine ſunt. In hac unus globulus per extrinſeca circum cochleam convolutam ſemitam vagus labitur, donec præcipiti fluxu in tenaculum impingendo cochleam exoneret, ac per integram circumvolutionem convolvat, qua peracta iterum novus globus excurrit. prior verò in ſpiram infimam cochleæ ſe recipit, unde per novas circumvolutiones deſcendendo aſcendit, atque ſe continua alteratione novi globuli excurrendo jucundum viſu præbent ſpectaculum, omnia ex adjecta figura numer. 81. clarius patebunt, ſed quia requiritur movens puta pondus, quod motum urgere poſſit, cum tenaculum laxatur ob impetum globi, illud demum deficiet, & motus non erit perpetuus.

Motus igitur artificialis perpetuus excogitari a nullo huc uſque potuit. Datur verò in machina elementari, in qua continua inter ſe pugna decertant Elementa. Talem motum præſertim in elemento aeris dignoſcendi modum

Ars

Ars excogitavit pluribus instrumentis, quorum tria sunt genera. Primum continet Barometra, secundum Termometra, tertium Hygrometra. Barometrum est instrumentum vitreum, quod a Torricello excogitatum Torricellianum dicitur. In eo Mercurius ascendendo, & descendendo Aeris mutationes, & alterationes ostendit. Termometrum est vas vitreum continens aquam, & aerem, & horum elementorum motus ostendit. Hygrometrum a P. Magnano inventum, & quidem multiplex aeris motum indicat. Fit enim chorda instrumenti musici, pergameno, fune, palea avenacea, & similibus, quæ omnia per vapores intra poros insinuatos varie tumefacta contorquentur, varioſque motus efficiendo, aeris motiones ostendunt. Horum omnium instrumentorum copiosam seriem studiosi observant in Musæo ad excolenda ingenia præcipue instructum. Inter cætera Hygrometrum est, quod mentem æque ac oculos oblectat. Repræsentat enim Christum Redemptorem in Prætorio Pilati spinis redimitum ab efferatis militibus, quorum altero arundinem illi offerente, altero fustem supra caput elevante. Eorum bracchia tali arte sunt constituta, ut humiditate, vel siccitate aeris minus, & magis possint elevari, & aeris mutationes indicare. E fornice lampas, dependet, quæ ascendendo, & descendendo eadem alterationes ostendit, sicuti & Index versatilis earum incrementa, in gradibus circulo inscriptis, discriminat. Omnes hujusmodi motus papyraceis bracteolis ingeniose dispositis efficiuntur. Cætera tum Barometra, ac Termometra a pluribus describuntur, inter quos Vide Prodromum Artis Magnæ a P. Francisco Lana Brixiæ impressum an. 1670. & Tractatum Philosophicum P. Laurentii Gobart Amstelodami 1702. &c.

INSTRUMENTA MUSICA, ET AUTHOMATA DIVERSA.

AUthomata Instrumenta illa sunt, quæ ita ab Arte sunt composita, ut videantur sponte moveri. Aliqua hujus generis in hoc Musæo asservabantur, quæ per neglectum oblita vel voraci temporis injuria perierunt. Restituta sunt tamen, & plura sunt addita cæteris non inferiora. Primum organum est, quod regulis musurgiæ animatum Advenas festivo excipit plausu, refertum diversarum volucrium, quæ suas voces modulantur, inter quas maxime jucunde excipitur interrupta vox Avis Cuculi, adeo egregie expressa, ut Avis ipsa videatur illam emittere. Dum autem sonorum clangorem Aviculæ certatim modulantur, in caverna toti machinæ impositæ cernuntur cum Vulcano Cyclopes, qui malleis ferrum supra incudem subjectam tundunt, respondente armonico sonitu singulorum ictibus, ex quibus fama est Pittagoram regulas musicæ deduxisse. Artem eos disponendi Kircherus docuit Tom. 2. Musurgiæ l. 9. Mach. 9. Cum autem Cycloporum labor & Avium concentus cessat, plures efformantur syphoniæ ex cylindri automati circumvolutionibus, quas D. Philippus Testa Romanus perita manu disposuit, dentes ferreos debitis locis inserendo, quorum ope bracchiola palmulas movent, ut ventus follium aptas fistularum voces efformet. Cylindrus autem, quem Phonotacticum Kircherus appellavit, suas circumvolutiones perficit, dum, pondere admoto, rotæ aliæ ipsi adnexæ circumaguntur. Sicque machina perficitur nobilissima.

Secundum Organum est Pneumaticum pariter, ex quo dum manus cylindrum circumagit, in parva capsula inclusum, viginti quatuor fistulæ ventum excipientes e folle duodecim diversas symphonias efformant.

Experimentum his additur insigne, quod in maximam admirationem audientes rapit. Pendet ex chorda chelis, quam *Violone* Itali dicunt, lamina ænea palmis tribus longa; Si hujus chordæ extremitates digitis circumvolutas aliquis inserat suis auribus, & lamina percutiatur, instrumento alio sonoro v. g. ferro, tunc percipitur sonus, ingentium campanarum sonitum longe excedens, cujus quidem rei aliam causam non esse affirmat Kircherus in Musurgiæ lib. 9. cap. 4. nisi tremorem illum metalli tinnuli, qui chordæ tinnitum dum communicat, communicatum sibi chorda deducit ad auditum, ubi clausus intrinsecus per musculos suos vehementer concutitur, ita & vehementissime quoque sonum exhibet.

Non minori oblectatione oculos, & auditum allicit machinula alia supra mensam collocata: Simiam illa refert militari Timpanistriæ habitu indutam. Hæc cum denticulus ferreus lateri aptatus leviter tangitur, illico in iram exardescere videtur, totisque viribus tympanum apte dispositis ictibus pulsat, quibus milites ad pugnam solent excitari. Caput interim circumagit, oculos quaqua versum movet, & rictus aperiendo dentes ad morsus paratos ostendit, sed loco incutiendi timorem cachinnos excipit spectatorum.

Ex ludicro hoc spectaculo ad Armarium proceditur, in quo lusus globulorum est ob occultum motus principium. Si enim ponantur duo ænei globuli in duobus excavatis ligneis canalibus, qui ex oppositio vertice duarum Turricularum

larum ad pedes earundem inclinantur, suo pondere statim descendunt, & dum ostiola ingrediuntur, illico alii duo ex ostiolis, quæ in summitatibus patent proferuntur, & vicissim, cum hi cursum per canales perfecerint, primi duo rursus in scenam prodeunt, atque cursus reciprocus renovatur, & perseverat, donec duo ex illis manu admota auferantur, qui certe motus in sui admirationem rapit, illumque motum perpetuum esse diceres nisi pondus movens machinæ alligatum, dum beneficio funis rotam trahit, giros ita explet, ut funis tandem deficiat, ac iterum oporteat ad pristinum statum revocari, ut iterum trahendo moveat.

At si motum perpetuum hæc machina non ostendit; Tertullianus tamen asseruit, illum quodammodo inesse in mente fœminarum, quarum studium in varia Capillorum dispositione nunquam cessat, quamobrem *Crinibus harum* (inquit ille) *quiescere non licet*. Tanti Viri effatum comprobat, & simul Armarium exornat ingens numerus imaginum illustrium fœminarum ex antiquis monumentis præcipue numismatis excerptarum, in quarum singulis Capillitii cultus varius est, & irrequietam earum mentem in hoc studio demonstrat.

Dum eas circumspicit spectator, patet repente porta, & post illam specus horrenda in qua informe monstrum catena devinctum, quod dum serpentem collo advolutum removere conatur, terribilem reboatum tunc edit, cum Draco alius rictum illi admovet, ut mordeat: Objectum sane pueris meticulosis terribile, Viris verò ludicrum, sed Philosopho Mechanico non indignum ob artificium, quo motus, & voces perficiuntur. Huic aliud simile jungitur dum interim fenestella subjecta sponte aperitur, ex qua Draconis caput exeritur, raucum sibilum emittens, at risus statim in spectatoribus excitatur, dum vanam metus causam agnoscunt.

Ab hoc non longe distat loculamentum, ex quo deforme Sagæ caput spectatoribus illudit exerta ex ore lingua, ignitis prominentibus oculis, & voce terribili emissa, qua metu perculsus ligneus catellus suis latratibus respondet adeo apte emissis, ut non rarò veri canes ab eo excitati veros latratus eisdem conjunxerint.

Machinæ fere innumeræ possent ad Classem hanc reduci, in quibus principium motus intrinsecum appareret, si beneficio lapidis magnetici construerentur. Cum enim miro amoris æstu ad ferri præsentiam magnes rapiatur, sive sursum, sive deorsum moveatur, multos efficit motus, donec desideratum amplexum, tanquam unicum bonum suum, assequatur, & sicuti absque apparenti catenę innodatione amoris illecebra visibiliter rapta humana pectora stringit, ita lapis hic amore suo concupiti ferri fibras ita invisibili affectu penetrat, ut non nisi vi a se invicem avelli, & segregari possit. Hujus itaque lapidis admirandam naturam Kircherus in Arte Magnetica scite descripsit, atque in Musæo Machinis curiose tradidit, quarum aliquas retulimus in Classe Sexta pag. 203. Hic tantùm alias indicare sufficiat, quæ construi possunt, & primò.

Machina, quæ novam praxim inveniendi lineam meridianam ostendat; si nempe fragmentum boni Magnetis crystallinæ Cymbæ levissimæ, aut cymbulæ subereæ inserueris, ac juxta Magnetis polos indicem statueris prominentem, atque hoc pacto in aqua vasculum libere innatare permiseris; lapidis enim fragmentum una cum indice sese ad Mundi plagas firmiter locabit lineam meridianam ostensura.

Hac eadem Machina efficies, ut spectatoribus intra circumferentiam descripta nomina aut diversarum specierum, aut individuorum corpora proposita, aut mente concepta Geniolus non sine suspicione Magiæ dicto citius indicet, & quod propositum erat vaticinetur. Vide Kircherum in Arte Magnetica.

Tertio capsulam efficere poteris, in qua speculum planum orizontaliter positum contineatur. Supra illud ludicra spectacula exhiberi possunt navium, & curruum sine remis, sine equorum beneficio, felix quidem inventum, si ut in oculorum solatia, ita in hominum commoda transire posset.

Altera basis efficietur Venationis scenam repræsentantem, in qua equites venantur Cervum equis insidentes, qui dum moventur speculi exagoni circumambientis ope innumerus equitum venantium chorus apparebit.

His adde vas vitreum rotundum cubitale, crassitudinis unciæ cum dimidia, os habeat in summitate pollicis capax sic aqua repletur, ut eadem comprimentis pollicis sentiat actionem, immittuntur scurriles figuræ quatuor encausticæ, quæ ascendent descendentque ad invicem, prout pollex magis, vel minus comprimet aquam, sed de his satis.

MACHINÆ CATOPTRICÆ, ET DIOPTRICÆ.

EX Authomatis Machinis, quę auditum, & visum oblectant ad alias procedimus, quibus oculi solummodo delectantur. Ad tria genera illæ reducuntur, vel enim pertinent ad opticam artem, quæ tunc exercetur, cum visio fit directa, vel spectant ad Catoptricā cum visio fit per reflexionem. Tertiò reducuntur ad Dioptricam, quando Visio fit per refractionem, beneficio corporum Diaphanorum. Sub opticæ facultate cadunt universa, quæ hoc opere continentur una cum nonnullis

nullis fallaciis, quæ directo radio in objectum tendunt ac elegantiam figurarum ſpecies tibi repræſentantur ex certo puncto; cum tamen in omni alio loco non niſi confuſa quædam colorum congeries appareat, ſic ea ratione eadem tabula tres aut plures differentes figuras poſſet repræſentare ex differenti ſtationis loco, de quibus fuſe diſſeruit Kircherus in Arte Lucis, & Umbræ, noſter P. Battinus in Apiariis, P. Gruber in nervo optico, P. Magnanus & alii. Gradum facimus ad Catoptricam.

Et primò quadrans viſitur Catoptricus inſtar libri duobus ſpeculis planis mobilibus circa eundem axem verticalem. Si ponatur objectum aliquod, puta icunculam, vel aliud ſimile, quò magis acuitur angulus eò magis objecta multiplicat.

Secundum Theatrum Catoptricum exhibetur, hoc eſt Inſtrumentum, in quo diceres dari actu infinitum, niſi eſſet ex ſola apparentia. Ciſta illud eſt ſub forma theatri, quæ ex interiori parte undequaque planis ſpeculis circumveſtita; in partibus quidem lateralibus recte collocatis, in parte autem poſteriori non ad angulum rectum conjuncta ſunt, ſed ad acutum, unde in cavum quatuor laterum ſe arcuat. Planum verò orizontale quadrilaterum eſt, quod in centro ſupra axem mobilem convolvitur, & ita quadripartitam obiicit faciem; Prima exhibet dulciaria, & cupedia, viſui tamen grata non palato, nam ex cera efformata illa ſunt, ſicuti ex cera ſunt fructus, & poma diverſi generis, quæ octentat ſecunda, in tertia Margaritæ, & Gemmarum ſpecies variæ rutilant. In quarta demum Viridarium apparet, in quo fontes multiplices ineſſe diceres, & florum areolas pene infinitas; non enim videntur termini, quibus ejus longitudo abſolvatur; nam ſpecula mutuata reflexione alia aliis ſpecies communicant, & multiplicant, ut eaſdem numerare impoſſibile ſit. Huic pene immenſo Viridario aqua non deeſt, nam ſi attenta manus claviculam vertat, ſtatim ex pluribus rimulis limphæ in ſpectatores exiliunt, & illos ad ulteriora inviſenda impellunt.

Hinc ad aliam machinam proceditur, in formam Aviarii compactam, in qua ſi oculus ex uno foramine circumſpiciat, quadringentas ultra mille Aviculas numerare poterit, quamvis viginti quatuor tantùm illæ ſint, beneficio ſpeculorum, quæ in girum verticaliter diſpoſita, octo angulos efficiunt. Nec oculi tantùm oblectantur, dum eas ſaltitare, & circumagi intuetur, ſed etiam aures ob concentum diverſarum vocum, quæ arte pneumatica efformantur. His ſuccedit ſonitus per cornu emiſſus a ſimulacro Tritonis ærei, qui Machinæ in formam ſcopuli elaboratæ ſuperſtat, quaſi ad venatum alliciat inſpectores.

Quarto loco occurrit ciſtula, in qua cubicula palatii magnifice exornata, ibi Aulicorum copia, ſuperior pars picturatum laqueare habet, inferior varias pavimenti teſſulas exprimit; ex parvo foramine omnia inſpiciuntur multiplicata beneficio ſpeculorum verticaliter poſitorum.

Quinto alia quaſi eodem artificio diſpoſita Ciſtula eſt, in qua, ſi per foramen quis introſpiciat, immenſum maris ſpatium illi patet, in quo ingens navium claſſis undequaque diſcurrit, ſi verò per aliud foramen obſerves plurimas militum acies diſpoſitas in amplo campo numerabis.

Sexto ſupra menſam ſpeculum in formam cylindri fabrefactum eſt collocatum, quo imagines in plano orizontali deformatæ, & debito ſitu illi expoſitæ, ita reflectuntur, ut nulla amplius deformitas appareat, ſed optime delineatæ, aliæ etiam viſuntur deformatæ, quæ in plano ſpeculo ad angulum rectum collocato formoſæ apparent. At e contra ſpecula alia ſunt, in quibus objecta licet formoſiſſima ſint, deformia inſpiciuntur. Si verò ad ſpeculum laqueari affixum oculi attollantur, Phenomenon exhibetur curioſum, nam in eo vultus Alexandri VII. Sum. Pont. apparet tanto artis arcano, ut ſagaciſſimos indagatores ſubterfugiat, & quamvis objectas illius ſpecies in omni latere inquirant, nunquam tamen detegant.

Septimò ſpeculum eſt, in quo ſe ipſum ſi quis intueatur, immediate mutato ſitu ſpeculi, ex timpano rotatili diverſorum angulorum, modò caput ſuum in aſininum, modò in caprinum aliorumque animalium tranſmutatum admiratur, artificio a P. Kirchero in ſua Catoptrica deſcripto.

Experimenta ſpeculorum ſphæricorum etiam nonnulla ſunt, primatum verò obtinet prægran. de ſpeculum uſtorium cavoconvexum ex metallo conflatum, cujus diameter ad tres palmos ſe extendit. Hujus ſpeculi ope ſolares radii collecti & refracti objectum ligneum comburit. Hujus ſpeculi ope objectam ad certam diſtantiam inverſa poſita recta oſtendit, & in alia diſtantia, quæ recta ſunt inverſa apparent. Cætera diverſa ſpecula omitimus, ut brevitati conſulamus. Ciſtula his adjungitur, quæ dicitur optica, in qua ſpecies objectorum per lentem immiſſæ optime repræſentantur licet diminutæ, quo artificio plura delineari poſſunt ſervata proportione, etiam a manu pictoriæ artis ignara.

Demum Lucerna eſt quæ magica communiter appellatur, in qua ope duarum lentium imagines coloribus expreſſæ auctæ repræſentantur in candido pariete obſcuri cubiculi, dum lucerna in capſula incluſa, & in debita diſtantia collocа-

locata ſua luce totas lentes irradiat. Quis nam fuerit hujus artificii inventor oſtendit Kircherus in Arte Magna Lucis, & Umbræ fol. 178.

Hic refero vitreos globos, in quibus varia artefacta incluſa ſunt mira induſtria, ut illam ignorantibus non parvam afferant admirationem. Inter cæteros numeratur unus, cujus diameter fere bipalmaris eſt. Tabulam ille continet fere ejuſdem amplitudinis, ſupra quam ſpeluncam Ars extruxit, ubi ſimulacrum D. Mariæ Magdalenæ humi cubans videtur. Talis globi apertura licet anguſta clauditur rotundo ligno, quod duo alia in crucem diſpoſita illique inſerta ſuſtinent, ne cadat. Secundus globus licet minor majorem oſtendit Artis peritiam nam plures circuli lignei in eo diſpoſiti quandam veluti ſphæram armillarem efficiunt: Ubi verò ſe mutuò interſecant, claviculi ferrei muniunt, & ſimul pluries connectuntur beneficio funiculi ſerici, qui per foramina varia ſerpit, & ibi demum nodo ſtringitur, unde ſuit emiſſus.

Alii quamplures magis exigui ſunt, quorum ſinguli diverſa artefacta includunt. In altero Bombarda eburnea videtur, cui miles haſtam admovet, ac ſi nitratum pulverem vellet accendere. In altero Patibulatum Numen Cruci affixum inter duos Latrones. In alio cervorum aliarumque ferarum venatum. Varia his adnectuntur opera artis minutiſſima, quæ tamen cum molis minimum habeant, plus habent admirationis. Omnia ſuperat Corolla conſtans tribus eburneis filis inter ſe connexis, & in plures giros recurrentibus, quæ demum in catenam abeunt palmaris longitudinis, ex qua columba, & patibulati Numinis in Cruce affixi ſimulacrum dependent, quæ omnia ex unico eboris fragmento exciſa ſunt improbo pariter, & admirabili labore ad oſtentandam Artis peritiam. Hujus generis artefacta conficiuntur præcipue in Pago Germaniæ prope Diœceſim Salisburgenſem, cui nomen eſt Berchtolſgaaden.

67



68

69





70



71



72



74



73





75
76
77
78



79









CLASSIS DECIMA

Indicantur Tabulæ pictæ ſigna marmorea, & Numiſmata diverſi Generis.

SI verò ad Tabulas pennicillo depictas oculus evagetur, varias tum Divorum, tum Hominum effigies intuebitur. Hujuſmodi picturatæ rerum effigies numerum implere centum viginti trium Georgius de Sepibus aſſeruit in brevi deſcriptione Muſæi cap. 4. ſed aliæ non inferioris notæ adjectæ ſunt in quibus non tantùm Artis ſpecimen effulget, ſed eruditionis pabulum præbetur. Hiſtoricam facultatem illuſtrant quinquaginta virorum effigies, qui vel pingendi Arte vel Architecturæ peritia celebriores floruerunt ideſt.

Raphael Sanctius Urbinas.
Michael Angelus Bonarota Florentinus.
Franciſcus Albanus Bononienſis.
Auguſtinus Caraccius)
Antonius Caraccius) Bononienſes
Ludovicus Caraccius)
Dominicus Sampierus Bononien.
Guido Renus Bononien.
Antonius Monticellus de Corregio.
Eq. Joannes Vecellus.
Proſper Urſus.
Thomas Lauretus Panormitanus.
Octavius Maſcharinus Bononien.
Federicus Baroccius Urbinas.
Eques Chriſtophorus.
Lucas ex Leida Hollandus.
Jacobus Tintorettus Venetus.
Leonardus Vincius Florentinus.
Jacobus Borotius ex Vineola.
Horatius Borgiannius Romanus.
Petrus de Chriſtophanis Peruſinus.
Petrus de Franciſco de Burgo S. Sepulchri.
Cherubinus Albertus Biturigenſis.
Vincentius Marerius Romanus.
Petrus Berninus Florentinus.
Julius Pippius Romanus.
Carolus Seracenus Venetus.
Eques Alexander Algardus Bononien.
Matthias Brilli Anturpienſis.
Paulus Chagliarus Veronenſis.
Dominicus Beccafumus.
Simon Memmius Senenſis.
Eques Michael Angelus Moriſius de Caravagio.
Joannes Vecchius.
Hieronymus Mutianus Brixienſis.
Antonius Tempeſta Florentinus.
Federicus Zuccarus Urbinas.
Albertus Durerus Norimbergenſis.
Torregianus de Torregianis Florentinus.
Georgius Caſtrofranco.
Andreas de Sarto Florentinus.
Andreas Sacchus Romanus.
Proſper Urſus.
Lucas Cambiagius Januenſis.
Eques Carolus Maratta Anconitanus.
Eques Carolus Fontana Mediolanenſis.

His adde effigies, quas ipſimet ſuo pennicillo expreſſerunt nunquam ſatis laudati Pictores Joannes Baptiſta Gaullus Genuenſis, qui Tholum, & Fornices exornavit in Templo, quod in honorem Nominis Jeſu Alexander Farneſius ex inclita Farneſia Stirpe, & Romanæ Eccleſiæ Purpuratus Romæ extruxit, & Joſeph Montanus non minus Pennicillo clarus, quàm calamo in poetica facultate peritiſſimus ob idque in diverſis Poetarum Academiis adſcriptus. Demum Andreas à Puteo Tridentinus Noſtræ Societatis Alumnus, cujus Architectonica, & Proſpectica facultas cum pingendi peritia conjuncta omnium oculos allicit in Templo Ludoviſiano D. Ignatio Lojolæ Sacro.

Sunt duæ imagines ideſt S. Nicolai Tolentinatis, & D. Thomæ Aquinatis a Raphaele Sanctio Urbinate depictæ, viſuntur etiam in pluribus tabulis æri inciſas imagines omnium Religioſorum Ordinum cum Virorum, tum Fœminarum, qui in Eccleſia militanti numerantur, quorum ſingulis adjecta eſt brevis enarratio, indicans eorum Authorem, initia, progreſſus, & habitum, quo quiſque a cæteris dignoſcitur.

Sunt duæ Tabulæ ex cementis compactæ, in quibus duo piſces opere muſivo ex lapillis minutiſſimis compoſito, adeo eleganter, ut pennicillo potius diceres depictos, & quidem ab antiquiſſimo, & ignoto artifice; fuerunt enim repertæ inter rudera prope Templum, in quo

Eutichianus Pontifex circa ann. 280. cineres S. Priscæ condidit, in Colle Aventino, ubi olim (narrante Volaterano) Templum Dianæ erectum fuerat; deinde D. Petrus Princeps Apostolorum cum primùm Romam profectus esset, Ethnicos in Sacro Fonte Baptismi ab erroribus purgavit; in ejus rei testimonium marmoreum labrum in eodem Templo adhuc servatur, a quo salutares aquas D. Apostolus hauriebat. Ex quibus non leve argumentum mihi est, suspicandi talibus piscibus ex musivo compositis antiquitus fuisse illum fontem exornatum. Constat enim primò eam sacram ædem pluries refectam fuisse, nam post Eutichianum Hadrianus I. deinde Calistus III. anno 1455. demum temporis injuria deformatum Cardinalis Benedictus Justinianus sub Sixto V. magnis sumptibus restauravit picturis sacris exornans, secundo constat Piscium Icones olim a priscis Christifidelibus Sacris Baptismi fontibus appictos fuisse, ut in iis significarentur qui abluebantur in Baptismate. Multis enim Sancti Ecclesiæ Doctores Pisces vocarunt ablutos; ita inter cæteros cum Tertulliano de Bapt. & S. Hieronymo in Epistol. ad Ocean. Optatus Milevitanus lib. 3. contra Parmenianum ait. *Hic est piscis, qui in Baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat a Pisce etiam Piscina vocitetur, cujus piscis nomen secundum appellationem græcam in uno nomine per singulas litteras Turbam Sanctorum nominum continet.* Quòdsi conjecturis innixam veritatem nutare credatur, negari non poterit tale opus antiquissimum esse, & balnei antiquissimi fragmentum. Notat Illustrissimus Ciampinus cap. 10. Vet. Monim. detecta fuisse Romæ antiquissima fragmenta musivo opere elaborata e lapillis quadratis latera habentibus, unico tantùm minuto lata, alia verò adeo minutis lapillis compacta, ut ne aciculæ caput æquarent, cujus generis sunt Piscium imagines quas idem Author exhibuit in Tab. 34.

Quod si musivi operis originem scire aliquis cupiat dicendum est illam hominum memoriam excedere. In sacris enim paginis legimus lib. Ester cap. 10. Assuerum Persarum Regem smaragdino ac pario lapide pavimentum stravisse, quod lapillis versicoloribus arte mira dispositis picturam æmulabatur. Postea Syllæ temporibus a Græcia in Latium traductum fuisse tale opus Plinius asserit, & Ciampinus notat plura nomina apud veteres sortitum esse. Alii enim illud dixere Mosibum alii Musaicum, & Mosiacum; dictum est etiam tessellatum, sectile, & vermiculatum, totidemque nominibus quot speciebus insignitum; nam aliud differt ab alio magnitudine lapillorum.

Dum de musivo opere sermo est non omittendum veterum ingenia nobilius opus musivum excogitasse; nam loco lapidum usi sunt fragmentis ex vitro colorato, ex quo genere imagines adhuc supersunt Romæ in parietibus antiquorum Templorum, quæ Ciampinus retulit, & capite decimo fuse docuit qua nam materia hæc opera componantur.

Aliam imaginem exhibet Musæum scilicet Salutis nostræ Redemptoris, encaustico opere in metallo expressam. Ejus exemplar hic exhibemus in Tabula, estque ab ea non absimilis quę in Apside Basilicæ Lateranensis cernitur, manum enim dexteram elevatam habet benedicentis more, sinistra verò volumen complicatum tenet, & collectum in plicas pallium cubito sustentat. Circa quæ notanda aliqua sunt, & primò volumen illud (omissis aliis interpretationibus nil aliud significare, quàm novæ legis editionem Christo Domino referendam; sicut enim Deus legis antiquæ tabulas Moysi traditurus illum accersivit in summum apicem Montis Sinai, ut ab ipsa loci altitudine sublimitas præceptorum dignosceretur, ita æternus Dei Filius majora præcepta daturus, par erat, ut e montis cathedra cœlestis doctrinæ aperiret exordium. Ita Ciampinus ex D. Augustino lib. vet. mon. cap. 27. pag. 247. & Durandus in Ration. lib. 1. cap. 3. num. 12. Divina Majestas quandnque depingitur cum libro clauso, quia nemo inventus est dignus aperire librum nisi Leo de Tribu Juda. & Aringus de Roma subter. tom. 2. lib. 6. cap. 16. Ex eodem volumine antiquitas imaginis deprehenditur; erat enim Antiquis scribendi ratio, ut si quid brevius scribendum esset oblongis membranis ad fasciæ formam uterentur, quas complicatas, & in se circumductas volumina a volvendo appellaverunt, si verò prolixius scribendum esset, in quadratis foliis membranaceis describebatur, quæ folia simul connectebantur. & eorum congeries libet appellabatur. Quamobrem cum ejusmodi codices ac volumina sæpe in picturis antiquis, & musivis operibus observantur Illustris. Ciampinus conatus est inquirere in cap. 16. quid per ea Prisci Christifideles indicarent, censuitque libros totam veteris ac novi testamenti picturam denotare, volumina verò solùm novæ legis Evangelium.

Dextera manus videtur elata more benedicentis, cur autem tres digitos habeat erectos, cæteros verò complicatos fuse diximus in explicatione numismatis Gregorii XIII. expressi in Tomo primo Numismatum Sum. Pontificum numer. 48. Non tamen omittendum est picturæ artificium, quo hæc venerabilis imago compacta fuit. Constat illa encaustica pictura, quę nonnisi

niſi adhibito igne fingitur; unde Encauſtas dicitur qui ita pingit. Illam primùm docuiſſe Pamphilum præceptorem Apellis Plinius affirmat lib. 35. cap. 11. Vocatum etiam fuit opus hujuſmodi Encauſtum ab antiquis Authoribus, quos citat Ducange, opus de Limogia ſeu Lemovicinum, qua arte in primis præcellebant Lemovices, quorum Urbs Limodia dicitur in veteribus Annalibus Francorum, nunc verò Lemovicum, vulgò Limoges, Urbs ampla Galliæ ad Vigennam fluvium Provinciæ Lemovicenſis.

Magni æſtimabantur hujuſmodi Artefacta apud Priſcos, erantque munera Pontificum Romanorum Templis oblata, quare legimus apud Anaſtaſium in Leone IV. in Benedicto III. & aliis dona ejus generis dediſſe. Sic apud Leonem Oſtienſem Chron. Caſſin. lib. 1. cap. 20. *Super altare S. Benedicti argenteum ciborium ſtatuit, illud auro, & ſmaltis ſimul exornans &c.* Sed quamvis ex ipſo opere hæc imago magni facienda ſit, pluris tamen ob antiquitatem illam veneramur. Etenim elaboratam fuiſſe circa annum 230. non levis conjectura docet, cum inter rudera reperta fuerit antiquiſſimi Templi in honorem Deiparæ erecti in Regione Tranſtiberina a Caliſto I. ejus nominis Pontifice in loco, ubi ad radices Janiculi ſtationes militum inſtitutæ fuerunt ab Auguſto, dictæ Caſtra Ravennatum ideſt militum, qui Claſſem Ravennæ tuebantur ad defenſionem ſuperi maris. Hi autem Claſſiarii venientes ad Urbem ibi ſtativa habebant, & ad eos Taberna meritoria pertinebat, ut narrat Donatus noſter de Urbe Roma pag. 310. ex Svetonio in Auguſto cap. 49. Et quamvis pro comperto non habeamus, quo anno hæc imago compacta fuerit, ea tamen probatur cultum ſacrarum imaginum antiquiſſimum eſſe, utpote quæ tempora Conſtantini Magni non obſcure indicet; ea enim congruit, & aſſimilatur aliis imaginibus Salvatoris muſivo opere depictis ut diximus ſub eodem Conſtantino in Baſilicis ab eo extructis.

Indicatis imaginibus adde imaginem noſtri Salvatoris quam Guido Renus ſuo pennicillo expreſſit. Inſuper imagines trium ſummorum Pontificum Alexandri VII. Clementis IX. & Innocentii XI. Ferdinandi, & Leopoldi Imperatorum. Regis etiam Sinarum, Regis Barantolæ, & Nepal Regum Tartariæ, Coſmi Magni Ducis Ethruriæ, Margaritæ Auſtriacæ Flandriæ Gubernatricis, Cardinalis Granuelani, Alexandri Farneſii, Principis Luneburgenſis, Ferdinandi Alberti Ducis Auguſti Filii, trium Principum Holſatiæ de Culembach. Friderici Ducis Holſatiæ, Joannis Friderici Comitis de Valenſtain, Archiepiſcopi Pragenſis, & Primatis Bohemiæ, Ordinis Crucigerorum Magiſtri; duorum Principum Durlacenſium, & Marchionum Badenſium, Eminentiſſimi Cardinalis Emanuelis Bullionei Excellentiſs. Duciſſæ Eleonoræ ejus Matris, Ducis Friderici ejuſdem Patris, & Patrui Henrici de Turrena, quibus Emin. Cardinalis dignatus eſt Muſæum exornare: P. Matthæi Riccii S. J. qui in Regnum Sinarum Fidei Chriſtianæ lumen invexit, P. Adami Schal, qui in eodem Regno Calendarium ab erroribus purgavit, aliorumque Romanæ Eccleſiæ Purpuratorum, qui e Societate Noſtra delecti fuerunt, ſcilicet Roberti Bellarmini, Franciſci Toleti, Petri Pazmany, Joannis de Lugo, Sfortiæ Pallavicini, & Nittardi.

Præter imagines depictas ſimulacra marmorea non pauca collocata ſpectantur, partim ab Antiquis, partim a recentioribus non ultimæ notæ ſculptoribus elaborata, inter quæ duo præcipua ſunt opera Equitis Laurentii Bernini, quorum alterum refert puerum, qui locuſtam inſectatur, alterum puerum, qui a cancro morſus in digito pedis lachrymabili vultu opem implorat. Eſt idea gypſea operis anaglipti, quod marmoreum expoſuit D. Petrus Le Gros Gallus in Altari B. Aloyſii Gonzagæ, quod eſt in Templo D. Ignatio Lojolæ dicato. Huic accedunt octoginta marmorea ſigna, quibus facies diverſæ exhibentur, varias animi affectiones exprimentes, & varias capillorum diſpoſitiones, & ornatum. Alia ſimulacra, quæ Muſæum condecorat, ſunt Diogenis Cynici, Marci Tullii Ciceronis, Zenonis Philoſophi, Socratis Athenienſis, Homeri Poetæ, Senecæ Neronis præceptoris, Sybillæ Tiburtinæ, Agrippinæ Uxoris Germanici, Maſſalinæ, Galilei, & alia antiquiſſima fragmenta.

Ultra hæc Simulacra, & imagines Triplex Numiſmatum ſeries in Muſæo cuſtoditur, quarum prima ultra ſexcenta antiqua Cæſarum numiſmata enumerat, ſecunda continet, numiſmata Summorum Pontificum, quæ a tempore Martini V. uſque ad CLEMENTEM XI. vel ex privato ſtudio, vel authoritate eorumdem Pontificum edita fuerunt; Tertia denique numiſmata recenſet, quibus Principum, Hæroum, Fœminarum Illuſtrium, & Virorum inſignium imagines repræſentantur. Atque in his tantùm numiſmatum collectionibus Muſæum integrum inviſentibus expoſitum cenſeas, in quo eruditionis theſaurum, atque hiſtoriarum reconditarum ſegetem uberrimam deſumere poſſint ſtudioſi, & mirifice oblectari. Quamobrem Eruditus Carolus Patinus in Hiſtoria Numiſmatum cap. 1. ait: *Studium numarium nuſquam habuiſſe oſorem, & contemptorem, niſi ignorantem*, & pag. 249. *Barbaras gentes cenſendas, quæ elegantioribus iſtis*

rei litterariæ ornamentis nullam dant operam, ut Scythæ, Garamantes, & Indi. Quantum denique deceant Musæum a Religiosa Familia servatum simul cum Bibliotheca idem Patinus pag. 99. his verbis explicuit. *Audiveram a R. P. Generali Patrum S. J. indictum fuisse nullam prætermitti debere horum comparandorum occasionem, & pro opportunitate singulis in Collegiis colligenda, & diligenter servanda, quæ occurrerent. Bruxellis quidem humaniter mihi fuit exhibita in ipsa eorum Bibliotheca Numismatum antiquorum series conspicua. Parisiis accurate servantur quæ RR. PP. Sirmondus, & Petavius Iesuitarum doctissimi olim in unum coegerunt, Lugduni numismata habent R.P. de la Chaise Christianissimi Regis a Confessionibus.* Hæc Patinus.

Eorum explicationes si persequi vellem nec paginæ, nec calamus sufficerent, sufficiat indicasse ea, quæ publici Juris fecerunt præter alios quamplurimos doctissimos Interpretes Arduinus, & P. Paulus Pedrusius Nostræ Societatis Alumni.

Non tamen debemus omittere monetam S. Elenæ ex optimo cyprio ære fabricatam, cum posteritatis memoriam mereatur. Hæc enim fuit illa integerrima Imperatrix, quæ in Palestinam ad inveniendam Christi Redemptoris Nostri Crucem omnes suos conatus destinavit. Itaque cudi jussit nummum æreum, cujus pars superior est rudis, æmulans caput clavi, altera pars est concava, & imaginem tantæ Reginæ expressam gerit ut Icon sub n. 3. demonstrat in Musæo Metallico Aldrovandi pag. 121. Hac autem moneta meritò exprimi caput clavi voluit, ut monumentum clavorum, quibus Christus Cruci fuit affixus, in posteritatis mente nunquam consenescceret. Nonnulla alia inter antiquissima numismata sunt Samariticis notis expressa, quæ a Regibus Israel, quo tempore Samaritanus character familiaris fuit, cusa esse asserit P. Kircherus in suo Musæo. Alia quoque tempore Josue, quædam Samuelis, unum Salomonis tempore excusum. Sicli itaque Hæbreorum hic aliquot asservantur, quorum primus in una facie Urnam refert, sive formam vasis, quod Deus ad perpetuum mannæ præstiti in deserto beneficii monimentum in arca asservari jusserat, ut Exod. c. 16. littera F, in medio vasis significat siclum integrum. Altera facies refert Araonis Virgam, quam Deus in testimonium Sacerdotalis illius vocationis in conspectu totius Israel florere voluit; in ambabus faciebus hæ leguntur inscriptiones *Schekel Israel*, ideſt *Siclus Israel*, & *Kedoscha Ierusalem*, hoc est *Sancta Ierusalem*.

Secundus Siclus Hebræorum cum priore convenit excepta littera F, quæ est super catinum, cujus loco sunt duæ litteræ quæ significant *Schekel David*, ideſt *Siclus David*.

Tertiò Semisiclus videtur, cujus una facies radium plantæ balsami refert, in quo hæc inscriptio legitur, *Mul Enghet*, ideſt *Circumcisionis tempore*, facies altera palmam exhibet cum hac epigraphe *Menghabo*, hoc est a *Pinguedine*, omnium vetustissimum hunc esse affirmavit P. Kircherus in descript. Musæi pag. 48. illumque cusum esse tempore Josue, quando Deus præcepit Filios Israel circumcidi: palma autem, & planta balsami non incongrue Terram promissionis exprimunt.

Quartò Numisma argenteum Assyriis Characteribus insigne in una fronte acerram odoramentorum, qua Sacerdotes Deo adolebant, in altera verò ramum viridis amygdali eleganter exprimit, atque hęc ex antiquis delibasse sit satis.

De Pontificibus extant tribus Tomis distributa, quos anno 1696. Typis ego met consignavi; ex ultima verò Classe placet unum tantùm seligere, quod cæteris aliis hoc anno additum fuit ab ingenuo, & erudito Viro Francisco de Ficoronis, qui ob singularem sui animi comitatem, illud in ære imprimi curavit quale in expressa icone sub numer. 5. exhibetur. Ejus antica pars imaginem repræsentat celeberrimi Viri Antonii Magliabecchi Florentini, cujus laudes non meus, sed Romani Oratoris calamus nunquam satis celebraret. Tantum virum Exteri omnes, qui in Italiam proficiscuntur, imò etiam scientiarum studiosi, quamvis in Regionibus ab Italia remotis commorentur, cognoscere student, vel per litteras illum alloqui frequenter exoptant. In aversa Nummi facie illum supra voluminum acervum sedentem, & librum quem manu tenet, percurrentem sculptor expressit, adjecto lemmate *SCIRE NOSTRUM REMINISCI*. Etenim ille Bibliothecæ Magni Ducis Ethruriæ cum præsit, eruditione, qua excultus est, longe illam superat, nam si de quacumque scientiarum facultate sermo cum ipso instituatur, illico singularum Dogmata, & Authorum Dissertationes, e suæ memoriæ penu eloquenti facundia profert, ac si ejus tantùm studio, de qua differitur, suam mentem excoluisset.

Finem imponimus huic Classi, in qua paucis verbis multa indicata sunt, quorum apparatu Musæum exornatur. At cum inter instrumenta Mathematicarum facultatum recensendi erant Tubi optici diversæ longitudinis, inter quos Microscopia numerantur tam ex una, quàm duabus & tribus lentibus composita, de quibus egimus in nostra Micrographia annis elapsis impressa, cum hæc a multis desideretur, non abs re erit illam in sequenti Classe iterum recensere.

CLAS-

Imago ærea S. Saluatoris reperta sub ruderibus prope Templum a S. Calisto ædificatum circa an. 224 in Regione Transtiberina



1
2
4
3
ANTONIVS MAGLIABECHIVS FLORENTINVS
SCIRE NOSTRUM REMINISCI
5



CLASSIS UNDECIMA
CONTINENS
MICROGRAPHIAM CURIOSAM
SIVE
RERUM MINUTISSIMARUM OBSERVATIONES,
QUÆ OPE MICROSCOPII RECOGNITÆ,
ET EXPRESSÆ DESCRIBUNTUR.

AUCTOR LECTORI.

§. I.

VAstum ingredimur Theatrum, in quo Naturæ Opulentiam, Sagacitatem, & Ingenium admirari oportet. Cùm autem Naturæ nomen usurpo, Plinii sententiam respuo, qui naturalia opera quò magis intimè perlustravit, eò minus eorum Artificem agnovit, nullumque aliud Numen eisdem præesse temerario ausu affirmavit: *per quæ opera*, inquit ille lib. 2. cap. 7. *declaratur haud dubiè Naturæ potentia, idque esse quod Deum vocamus*. Atheo sic loquenti saniora consilia opposuit olim Seneca ita loquens de benef. lib. 14. cap. 7. *Non intelligis te mutare nomen Deo, quid est aliud Natura, quàm Deus, & Divina Ratio, toti Mundo, & partibus ejus inserta?* Illum cœlestes Orbes enarrant; quare Anaxagoras apud Lact. inst. lib. 3. cap. 9. Homines dixit in lucem editos, ut cœlum intuerentur, pro certo habens nullibi clarius, quàm in cœlo Divinas dotes stellis, veluti aureis characteribus, Nobis explicari.

At Cœlorum vastissimas Plagas percurrant alii, Siderum Orbes dimetiantur, maculas & periodos investigent Telescopiorum ope, quibus remotissima invisibiliaque, plane visibilia oculis nostris exhibentur. Oculos ego in Terram vertam, ne illud mihi exprobretur, quod olim Taleti in foveam lapso cœlum intuenti, dum ambularet. *Qua ratione*, ait illi irridens vetula, *ea quæ in cœlis sunt Te comprehensurum arbitraris, dum ea, quæ ante oculos habes, videre non vales?* Neque nobili hominis conditioni injuriam irrogabo, cui natura os sublime dedit, cœlumque tueri, dicente Magno Athanasio contra Idololat. *Rerum naturam instruxit Deus, ut ipse invisibilis ex operibus suis* (nullum excipiendo) *agnosceretur*. Amplissimum in ea ac novum Theatrum panditur, in quo innumera visu dignissima ob molis parvitatem non agnoscuntur. Quod si omnia promiscue Dei opera mirabilia sunt, quò tamen minora, eò clariori voce triplicem Bonitatis, Sapientiæ, & Potentiæ gloriam Divinam explicant.

Philosophis olim irrisit Lucianus, eò quòd modò supra cœlestes Orbes mente discurrerent, modò publicis saltum prosequerentur inutiliter occupati; verùm si sanius cogitemus; etiam Pulicum saltus, vel Culicum volatus prosequentes, Cœlum attingimus, Deumque cognoscimus, qui etiam Minimorum actionibus præest, ac mirabiliter in omnibus operatur. Et quidem, ut verum fatear, si inter tot tantaque exilium Animalium agmina, quæ in aere volatu pervagantur, alas tantùm inspiciamus, profecto illud pronunciabimus, quod sagax ille ac percelebris medicus Henrici IV. contra Atheos insurgens dixit, Ant. Laurent. hist. anat. lib. 1. c. 6. *Ingredere*, inquiens, *Sacram Palladis arcem &c. an non etiam invitus exclamabis, O Architectum admirabilem! O Opificem inimitabilem!* Adeo

enim

enim inter se diversæ illæ sunt, adeo mirabiliter constructæ, & perornatæ, ut facilius fuerit Naturæ facere, quàm homini recensere.

Atheum inter Anatomes peritos huc usque haud inventum fuisse scripsit in suo docto tractatu contra Incredulos cap. 15. num. 2. P. Paulus Segneri; eòquod, ut ille putat, necesse sit Deum detegere ac venerari sagacem, providum, & perspicacem, dum cujuscumque animalis partes cultro scinduntur, tam bellè, tam aptè, sapienterque ad omnes operationes perficiendas dispositæ. Quod præcipuè in Animalibus minimæ molis accidit.

Hac ratione ductus Philosophorum Princeps, de partibus Animalium differens capit. 5. ait: *Viliorum Animalium disputationem propensionemque fastidio quodam puerili spreviſſe, moleſteque tuliſſe, dignum nequaquam eſt; cum nulla res ſit in Natura, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur*, (& paulo post) *aggredi enim quæque ſine pudore ullo debemus, cum in omnibus Naturæ numen, & honeſtum, pulchrumque inſit ingenium.* Immo, ut loquamur cum Titelmanno Philosoph. lib. 8. cap. 13. *meritò in immenſum aggravat pondus conſiderationis noſtræ, id prorſus ſtupidos, & attonitos reddit cogitque exclamare nos, & voce aperta confiteri, quòd non ſolum ipſe Deus magnus ſit in ſe ipſo, neque ſolum magnus in magnis, ſed & abjectiſſimis contemptibiliſſimiſque, & minimis glorioſus.*

Evincitur insuper horum contemplatione error illorum, qui ex ore impuriſſimo hanc evomuere calumniam. Feciſſe Deum multa, quæ Hominibus non sunt necessaria, & in Orbe penitus inutilia. Contra hos sic docte calamum acuit S. Augustinus de hæresi cap. 46. *Quum iſta dicunt non intelligunt, quòd omnia pulchra ſint Conditori, & Artifici ſuo, qui omnibus utitur ad gubernationem Univerſitatis, cui ſumma lege dominatur. Quod ſi in alicujus Opificis Officinam imperitus intret, videt ibi multa inſtrumenta, quorum cauſas ignorat, & ſi multum eſt inſipiens, ſuperflua eſſe putat, & ſunt alii, qui apud Artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant; ſed quum ea viderint, credant eſſe neceſſaria, & propter uſus aliquos inſtituta.* Nullum sive animal, sive planta est, inquit Damascenus de Ortodoxa fide lib. 11. capit. 11. *in qua operationem quandam Hominum uſui conducentem non impoſuerit Conditor Rerum atque Opifex, & quamplurima*, inquit suaviter S. Bernardus Serm. 5. supra Cant. *proſunt profectò VISU, & ſi non USU, utiliora cordibus intuentium, quàm corporibus utentium eſſe poſſunt; etſi nociva, etſi etiam perniciosa, temporali Hominum conſtet eſſe ſaluti; non tamen deeſt eorum corporibus, unde cooperentur in bonum his, qui ſecundum propoſitum ſunt Sancti, etſi non cedendo in cibum, aut exhibendo miniſterium, certe ingenium exercendo.*

Hujus generis Rerum, quæ prosunt *Visu etsi non usu*, quàm copiosam sobolem, ac prædivitem officinam nobis detexerunt Microscopia. quæ dædaleam Naturam in hoc Terrarum Orbe minimis creaturis undique, & undique scatentem repræsentant. Quæ visui vix, ac ne vix obvia, non visibilia tantùm, sed admirandæ magnitudinis machinam ita exhibent, ut cum Plinio lib. 11. cap. 2. fas sit dicere, *nunquam magis quàm in MINIMIS totam eſſe Naturam.*

Inutilem igitur atque otiosam occupationem oculorum nullus jure dicet, novam hanc Micrographiam perlustrando. Exponam quidquid horis subsecivis Microscopium exhibuit, Oculos simul oblectans, ac Mentem erudiens, quæ miram minimarum partium structuram, & artificiosissimam dispositionem perlustrans, illicò mentem architectonicam cognoscit, eamque Divinam necessariò esse, quam nullus artifex licet peritissimus valet æmulari.

Prosunt igitur *Visu* ea, quæ propter minimam molem oculorum aciem effugiunt, dum clare microscopiorum ope repræsentantur, & *undique* (loquor cum Augustino in Psal. 26.) *nobis omnia reſonant Conditorem.* Eas excipe Lector benevole, quam Tibi selegi aliquorum minutorum corporum descriptiones, & Iconographiam, & pari studio mentem exerce, ne inter eos adscribaris, in sacris paginis vituperatos, qui operibus attendentes non agnoverunt quis esset Artifex. Nam, ut inquit S. Cyprianus de Idololatriæ vanitate, *Hæc ſumma delicti eſt: Nolle eum agnoſcere, quem ignorare non poſſit.*

§. II.

Res Minimæ multorum exemplo laudabiliter Conſiderantur, & deſcribuntur.

INest omnibus, quæ in hoc vasto Rerum Theatro ab Hominum curiositate contemplantur, quoddam Naturæ sui generis decus, inquit Augustinus de Genes. ad litt. lib. 3. sed tali modo, ut in minimis major sit admiratio bene considerantis, & lib. 22. de Civitate Dei cap. 24. *Plus habent admirationis quæ molis minimum.* Propterea non otiose Dei opera percurrentes quamplurimi eruditione, & Sapientia Viri præclari, ea sæpe majori diligentia con-

contemplati ſunt, & calamo in ſuis doctis paginis deſcripſere, quæ immenſæ ſubtilitatis, ut cum Plinio loquar lib. 11. proem. contemptibilia potius videbantur, ac penitus omittenda. Idcirco quàm apte S. Hieronymus ſcripſit olim ad Heliodorum epiſt. 3. Creatorem non in Cœlo tantùm miramur & Terra, Sole & Oceano, Elephantis, Urſis, Leonibus, ſed & in Minutis quoque Animantibus, Formica, Culice, Muſcis, Vermiculis, & iſtiuſmodi generis, quorum magis ſcimus corpora quàm nomina, eandemque in cunctis veneramur ſolertiam. Ita mens Deo dedita, & in Majoribus, & in Minoribus intenta eſt. Ita S. Ignatius Lojola mentem ſuam non rarò exercebat, dicente Ribadeneira in ejus vita lib. 5. cap. 1. *Vidimus frequenter illum ex tenuiſſimis rebus ad Deum, qui in minimis etiam maximus, aſcendentem, ex plantulæ frondis, vel fructus unius aſpectu, & vermiculi alicujus conſideratione ſuper cœlos ſeſe attollentem.* Porro, ut verum fateamur, ſi hæc minima in Rerum Univerſitate obſervantur, ſi Animalcula, quæ partem unius granuli arenæ conſtituunt, illa tamen cute videntur eſſe dotata, & forte etiam ſquammis, & pedibus ad natandum aptis, pinnis ad volandum, ore, inteſtinis, venis, muſculis, tendinibus, viſceribus omnibus, quibus aliquod grande animal inſtructum eſſe ſolet; ſi hæc inquam obſervantur, jure dicimus ſacrum Vatem cecinisſe de omnibus *Magna opera Domini*.

Mittam deſcriptiones innumeras, quæ Rerum cæteroqui vulgarium apud SS. Eccleſiæ Patres doctiſſimos inveniuntur, qui Divinum Auctorem Magnum in Parvis, nec Parvum in Minimis, ut loquitur S. Auguſtinus, admirabantur. Illi enim oculo inermi inſpiciebant quæque omnibus facile patent. Pluſque profecto admirationis eiſdem peperiſſent objecta illa, quæ ætate anteacta penitus inviſa, noſtro currenti ævo detecta ſunt. Ob corporis ſui exiguitatem contemptui penitus habebantur quamplurima a vulgo, qui plerumque res leviter contemplatur, non autem partes examinat, & conſtructionem; & tamen in minimis rebus longe majora videtur Deus collocaſſe prodigia, quàm in omnibus aliis; ut ſic videatur oſtendiſſe, non molis quantitate, ſed virtutis amplitudine, res ipſas nos dimetiri oportere.

Impedimenta non pauca, quæ hactenus circa rerum naturalium ignotam admodum notionem extitere, ex eo derivarunt, quòd multæ dilucide examinari oculis non potuerint. Verùm deinde Microſcopii ope novus veluti orbis detectus eſt, ejuſque adminiculo, è dubiorum laberinthis ſeſe multi expedivere, liberum ad intima Naturæ aditum invenientes, ut ſanitatis, & morborum fundamenta firma conſtruerent, ut multas Naturæ operationes abditiſſimas detegerent circa Animalium nutritionem, Plantarum vegetationem, Salium coagulationes, concretiones Metallorum, Florum texturam, Avium volatum, venenatos liquores, ſexcentaſque alias obſervationes, quibus Orbi Terrarum utiliſſimę facultates adjuvantur, & perficiuntur.

Hacce de cauſa multi rerum minimarum Inſpectores, ſelectam veluti Academiam componentes, & ſemper in dies abditiſſimas Naturæ rimulas perſcrutantes, varias nonrarò res, non antea viſas deprehendunt, ſcituque digniſſimas, cęteris communicant, ut multorum obſervationibus exprimentalis Rerum cognitio ſemper augeatur, qua Hominum ingenia adeo oblectantur, & alliciuntur ad novos labores, ut ſemper nova e Naturæ theſauris depromant, non minori Orbis eruditi oblectamento, quam utilitati.

En tibi ſtudioſe Lector catalogum aliquorum, qui eruditione, & fama præclari, ſuas obſervationes circa res minimas microſcopio factas ad publicam utilitatem evulgarunt. Prodiere jam anno 1592. Francofurti ad Mœnum quinquaginta tabulæ cupreæ, quibus Georgii Hoefnagelii ſtudia Jacobus frater genio duce ab ipſo ſculpta, omnibus Philomuſis amice dicavit, oſtendens diverſorum generum Inſecta ab illo obſervata. Variorum volucrum Pulices, & Animalium pediculos obſervavit D. Franciſcus Redi, quorum Icones poſuit in fine Experimentorum circa generationem Inſectorum, quæ italico ſermone vulgavit Florentię deinde latine translata Amſtelodami. Curioſum laborem microſcopio ſuſcepit inſignis Marcellus Malpighius in Anatomica deſcriptione Bombicis, cujus productionem primùm exhibuit, & ſtructuram tam exteriorem, quàm interiorem, deinde obſervavit nutritionem, quomodo fila neat, quibus motibus in hoc opere utatur, cujus figuræ ſit ſtamen, quæ folliculi fabrica, quomodo denique accidant mutationes in aureliam, & Papilionem, cujus formæ ſpecialem deſcriptionem ſubjunxit, egitque de motu cordis ejus, de curioſa ſtructura ovarii. Concluſionis loco docuit modum retexendi folliculos, docuitque quot fila ſimul ſumpta laudabile componant ſericum. Nec minorem ſuſcepit laborem circa Plantarum Anatomen, quarum fibras diligentiſſime perſcrutatus, volumen eruditum edidit Londini 1671. in quo earum minutiſſimis particulis ad vivum expreſſis quamplurima indicantur utiliſſima, circa generationem, nutritionem, & vegetationem earundem.

Malpighium imitatus Nehemias Grew Societatis Regiæ ſocius in Anglia, Ideam hiſtoriæ

Phi-

Phisiologicæ Typis edidit cum continuatione Anatomiæ Vegetabilium, speciatim in radicibus. Invenitur hic Tractatus in tres partes distinctus cum Iconibus quamplurimis minutarum partium microscopio auctarum in Appendice anni noni, & decimi Ephemeridum medicophysicarum Naturæ Curiosorum in Germania.

Inveniuntur insuper in Tomo decimo Miscellaneorum Curiosorum, qui continet Decuriam secundam anni secundi Observationes multæ a Joanne de Muralto factæ circa insecta varia. Multas fecit Kircherus, sparsim in suis voluminibus præcipue Mundi subterranei relatas. Centum recensuit Petrus Borellus Regis Christianissimi Consiliarius, & medicus in Tractatu de vero Telescopii inventore Hagæ Comitum impresso 1655. Aliquot Franciscus Fontana inter Observationes Cœlestium ac Terrestrium rerum, tractatu octavo, qui agit de microscopio Neapoli vulgato 1646. Quamplurimas nobilis Moufetus in Theatro minimorum Animalium Typis Londinensibus impresso anno 1634.

Multorum Insectorum oculos attentissime examinavit præcipue Muscarum Jo.Battista Hodierna, de quo ingeniosum tractatum italico sermone vulgavit Panormi ann. 1644. sub titulo. *L'Occhio della Mosca, ò discorso fisico intorno alla notomia dell'Occhio di tutti gli Animali annulosi detti Iasetti recentemente scoverta, e prattica-ta*. Exactam Apis anatomen addidit academicus Lynceus Stelluti Satyris Persii, quas eleganti carmine italicas reddidit. Non minori studio Culicem observavit, ut ejus generationem clare dignosceret Petrus Paulus Sangallo, retulitque italica epistola Florentiæ impressa 1679. Ubi etiam anno 1687. alia epistola prodiit, in qua aliquæ referuntur Observationes factæ a Doctore Joanne Bonomo circa aliqua minutissima insecta.

Extant duobus tomis in octavo Medioburgi impressis comprehensæ Metamorphoses naturales Insectorum, in quibus Vermium, Erucarum, & Papilionum aliquot centuriæ comprehenduntur, a Joanne Goedartio Pictore Medioburgensi exactè delineatæ. Exrat Joannes Suammerdamii Amstelædamensis Doctoris medici historia Insectorum Generalis Lugd. Batavorum typis data 1685. in qua quæcunque ad Insecta, eorumque mutationes spectant dilucide explicantur. Anno 1687. publicavit Norimbergæ Micrographiam novam, sive variorum minutorum corporum adauctorum ope Microscopii descriptionem Joannes Franciscus Griendelius ab Ach, ordinis equestris Spiritus Sancti Canonicus, Sacræque Cæsar Majest. Architectus Militaris. Publicatæ insuper sunt Lugduni Batavorum eodem anno quamplurimæ Epistolæ in latinum sermonem translatæ, quibus Antonius a LeeuWenhoeK Regiæ Societati Anglicanæ communicavit suas observationes Microscopicas, sub titulo: *Anatomia, seu Interiora Rerum cum animatarum, tum inanimatarum, ope & beneficio exquisitissimorum microscopiorum detecta, variisque experimentis demonstrata*.

At inter cæteros volumen abunde luculentum Londini dedit ann. 1667. quo comprehendit descriptiones minutorum corporum ope microscopii concinnatas M. Robertus HooK, qui secum considerans quanti momenti sit fidelis historia Naturæ ad stabiliendum solidum systema Philosophiæ naturalis, & qua prærogativa gaudeat experimentalis, & mechanica scientia, edidit specimen eruditionis suæ in hoc genere studii, quod profecto acceptissimum est literato & curioso orbi tam quoad novas detectiones in Natura, quam novas inventiones artis.

Quod attinet ad priores, attentus Lector Libri hujus comperiet, quod ope microscopiorum novus quodammodo visibilis mundus detegatur, & tellus nobis ostendatur omnino nova, ita ut in quibusvis minimis particulis materiæ ejus, nunc observare liceat fere tantam varietatem rerum, quantam poteramus ante hac enarrare; Hic author illud minimè improbabile præstat, quin potius ostendit his auxiliis subtilitatem compositionis, corporum constitutionem, vel compagem partium eorum, varium contextum materiæ eorundem, instrumenta & modum motionum illorum intrinsecarum, & omnia alia Rerum phænomena posse plenius detegi, unde emergere queant multa commoda pro amplificatione mechanicæ scientiæ, quia fortassis apti efficiamur ad discernendas secretas operationes Naturæ fere eodem modo, quo distinguimus productiones artis, quæ diriguntur Rotis, & pennis humano intellectu inventis. Ad hunc finem curiosissime inspexit omnia corporum genera, initio facto ab acumine acus, & procedendo ad microscopicam inspectionem novacularum, subtilissimæ telæ holoserici, undulati serici, Vitreorum siphonum, vitri lachrimarum, scintillarum ignis, phantasticorum colorum, metallicorum colorum, figurarum arenæ, calculosæ arenæ in urina, Christallinorum aut adamantinorum corporum in Silicibus, figurarum congelatarum, Carbonum ligni, pororum suberis, aliorumque subjectorum vegetabilium crescentium in foliis marcidis, Situs & Fungorum, Spongiarum, aliorumque fibrosorum corporum, superficierum quorundam foliorum, pungentium spiculorum Urticæ, Phaseoli, siliquæ hirsutæ Suratensis, Airstarum, speculi veneris, ut & thymi, Papaveris, Portulacæ. Pergit describendo crines, squamas piscis vulgo

Solea

Solea dicti, aculeum apis, pennas vel plumas præsertim Pavonum, pedes muscarum, aliorumque Insectorum: Alas & caput pulicis, ova Bombicum, Muscam cœruleam, Culicem circatum, Tineam argenteam, Opilionem, Araneum venatorem, Formicam, errantem Teredinem, Insectum cancro simile, Tineas vel Blattas, Pediculum, & Acaros vini.

Repræsentando hæc particularia Lectorum oculis Author non tantùm probavit singularem suam scientiam delineandi omnium generum corpora (cum ipse propria manu depinxeri omnia schemata horum 60. microscopicorum objectorum) & extraordinariam suam curam exactissime sculpendi ea per artis illius peritos, sed etiam suggessit diversis suis considerationibus super illis objectis factis, tales conjecturas, quæ dubio procul possint excitare philosophica capita ad nobilissimas contemplationes.

Hucusque de illo libro relationem habui ex Ephemeridibus Litteratorum. Quibus præmissis videri quidem poterit me Iliada velle scribere post Homerum, scribendo microscopicas observationes præcipue post talem laudatum Hookii librum; sed cum rarissimus iste sit, & insuper lingua Anglica paucis nota scriptus, nec dum, quod sciam, latina civitate donatus, interea curioso lectori aliqua, Auctorum quoque aliorum narrata, & a me repetita non ingrata fore putavi. Quibus tamen adnectam ea, quæ potero propter temporis angustias a me notata, nec dum ab ullo quem sciam expressa.

§. III.

Catalogus brevis eorum, qui Microscopia Instrumenta aut perita manu confecere, aut de illis documenta vulgarunt.

POst indicatas variorum observationes circa res minimas, æquum est, ut eos enarremus, qui vel ad microscopica instrumenta illustranda sua studia applicuerunt, vel suos conatus adhibuere in conficiendo mirabile instrumentum, hoc nostro sęculo inventum, feliciter, & ingeniosissime excultum. Mirabile inquam; nam quod Telescopium in cœlestibus corporibus ingentibus longo spatio diffitis, efficit, hoc idem in terrestribus corporibus minutissimis & prope oculos nostros efficit microscopium. Instrumentum pulicarium, & muscarium vocatur a Petro Borello cap. 6. fortasse a Pulicibus, nec video qua ratione, nam per illud pene innumeræ minusculæ res, quæ inermis oculi aciem effugiunt, explorari possint. Si enim nominis etymon spectas, est quodlibet Instrumentum, quo res parvæ ut magnæ repræsentantur: proprie tamen & ex usu Recentiorum Dioptricorum, microscopia sunt Dioptrica Instrumenta exiguæ molis, quibus visæ res minimæ ad stuporem usque augentur.

Quis autem prius ejus inventor fuerit non est adeo facile dictu. Nulla fuit Natio, quæ sibi Telescopium inventum admirandum non arrogarit; Galli enim, Hispani, Angli, Itali, Batavique rem suam facere contenderunt, ut patet ex Sirturo lib. de Telesc. cap. 1. part. 1. Franciscus Fontana in libro suarum cœlestium terrestriumque Rerum observationum edito in 4. 1646. tractatu octavo, qui est de microscopio, dicit se illud inveniisse ann. 1618. additque tale specillum antiquius non esse dicto anno. Antonius Maria de Reita Capuccinus lib. de oculo ostrospico binoculo, quem adjunxit lib. 4. Oculi Enoch, & Eliæ, ait primum Inventorem fuisse Batavum quendam arte Perspicilliarium, vocatum Joannem Lipperscin Zelandum, vel Jacobum Metium in Hollandia, casuque illud inveniisse, dum concavum cum convexo specillo conjungeret. Petrus autem Borellus, qui tractatum edidit in 4. 1655. Hagæ Comitum de vero Telescopii inventore cum brevi omnium conspicilliorum historia, cap. 12. ait Telescopii inventorem verum fuisse Zachariam Joannidem Midelburgensem Zeelandum ann. 1590. ipsumque etiam Microscopium inveniisse, adducitque testes in favorem hujus. P. Nicolaus Cabeus Societatis Jesu insignis Mathematicus commen. in lib. 3. meteor Arist. tract. 8. dicit se noviisse senem quendam e Societate Jesu, qui multis annis antequam quidquam de optico tubo inaudiretur, duobus vitris concavo, & convexo usus fuerat in horis suis canonicis recitandis.

P. Gaspar Schottus Societatis Jesu tom. 1. magiæ univers. part. 1. lib. 10. arbitratur Jo. Baptistam Portam tubi optici notitiam, & usum habuisse, & rem omnino occultasse. Id colligit ex cap. 11. lib. 12. magiæ Natural. cui titulus est de Speculis, quibus supra omnem cogitatum quis conspicere longissime queat. At in incertis diutius quàm par est non immoremur. Vero inventori, quicunque ille sit, laudes tribuantur innumeræ, eò quòd adeo nobili, & præclaro instrumento, Potentiam ac Sapientiam optimi Creatoris explicuerit, dum res quasi athomos invisibiles, & minutula insecta in molem colosseam transmutantur.

Certum est fertilissimo hoc acutissimorum ingeniorum currenti sęculo multos copiosa eruditione Viros serio incubuisse, ut in dies exa-

ctius elaboraretur. Petrus Borellus lib. 2. de Conſpiciliis parandis ex variis Auctoribus modos adducit & proprios adjungit, deinde compendium facit multorum Authorum, qui de Teleſcopio aliiſque ſpecillis ſcripſere. At quia quamplurimi vel omiſſi, vel non dum cogniti tunc temporis erant hic alios recenſebo.

Egerunt igitur de illo Antonius de Dominis lib. de Radiis viſus, & lucis: Maurolicus: P. Chriſtophorus Scheiner Svecus in Roſa Urſina lib. 2. cap. 19. & 20. Keplerus in Dioptrica: Malapertius, Aquilonius, Porta, Vitellio. P. Franciſcus Eſchinardus meus quondam Præceptor Philoſophiæ in Collegio Romano, in optica Romæ duobus tomis impreſſa 1647. Jo. Hevelius in Selenographia Gedani imp. 1647. in folio, ubi pingit machinam tornatilem ad lentium fabricam: Emmanuel Maignanus in Perſpectiva, & Dioptrica circa finem libri. Hieronymus Sirturus: Julius Cæſar la Galla lib. de Phœnomenis in orbe Lunæ Teleſcopii uſu phyſica diſputatione. Venetiis 1612. P. Franciſcus Lana Societatis Jeſu in ſuo Prodromo ad Artem magiſtram impreſſo Brixiæ ann. 1670. cap. 5. part. ultimæ de Teleſcopio, agit diffuſe de Microſcopiis tum componendis tum adhibendis. Rurſus in Arte magiſtra duobus Tomis impreſſa Brixiæ. Huic artificio non exiguam addidit perfectionem D. Butterfield habitans Pariſiis, qui vulgavit ann. 1679. Programma Gallico idiomate impreſſum de Microſcopiis ſuis globularibus, pinxit autem ibi illa, & modum utendi breviter declarat, addendo hac ratione a ſe confici, & publice etiam vendi *ala Rue Neuue des Foſſez aux armes de Angleterre*.

Franciſcus Fontana lib. de obſervationibus Cœleſtibus, & Terreſtribus. P. Nicolaus Zucchius in ſua optica, Jo. Chriſtophorus Kolhantius in tract. optico. Renatus de Chartes in Dioptrica. Robertus Hooke in Micrographia, Schottus cap. 3. lib. 10. part. 1. Magiæ naturalis. P. Honoratus Fabri in ſynopſi ſua optica propoſ. 46. prolixe egerunt de Microſcopiis, & præcipue Fabri egit de Microſcopio nova ratione fabrefacto ab Euſtachio Divino, ita ut in unius lentis ocularis utrinque convexæ locum vitra duo planaconvexa collocet, eaque ita jungat, ut in medio ſuperficies convexæ ſeſe tangant; de hoc fit mentio in Italicis Ephemeridibus tom. 4. pag. 134. Inter Acta Philoſophica Soc. Regię in Anglia Menſe Decemb. 1668. ubi dicitur illud peculiare habuiſſe, ut objecta plana non verò curva repræſentaret, & licet magnam eorum portionem tegeret, mirùm tamen quantùm ipſa augeret. Ibi etiam refertur, cum exiguæ arenæ grana deſcripto Microſcopio adſpicerentur, animal pluribus pedibus dorſo albo, ſquamiſque refertum obſervatum eſſe, minus tamen quàm Animalia omnia, quæ hactenus videre contigit. Nam licet Microſcopium unumquodque arenæ granum nucis communis magnitudine repræſentaret; interim tamen dictum animalculum majus non apparuit quàm arenæ granulum ſine microſcopio conſpectum. Ex quibus certe colligere licet, quàm exiguum id fuerit, ita ut ex Spectatoribus quidam Athomi Animalium ipſi nomen dederit.

P. Cherubinus Aurelianenſis Capuccinus in Præfat. lib. de Viſione perfecta refert eadem verba ex Diario Gallico 12. Novemb. 1668. dato pag. 107. & errorem ſub illis verbis latentem retegere ſibi ſuadet, immo evidentem contradictionem oſtendere, & conſequenter novi microſcopii hujus effectum merum fuiſſe figmentum. Idem Auctor proponit novum microſcopii genus; Binoculare nimirum, quod omnino, ſicut longe ſupra Monoculare, certe ſupra votum ait ſibi ſucceſſiſſe, adeo ut clariſſimi plerique curioſi omni eruditione conſpicui, illud ſint demirati, illudque ut juvandis eorum ſtudiis conſecraret impenſe rogaverint. Addit ille monoculare tam Teleſcopium quam Microſcopium, alterum oculum actuali viſu orbando, facultatem viſivam alterius viſus organi actuali uſu privare, & conſequenter viſionem ipſam dimidiatam ſeu media ſui parte realiter mutilatam remanere; novum oculare ambobus una oculis objecta exhibendo, viſionem & integram, cujus capax eſſe poteſt, facultati viſivæ vim reſtituere. Illud docet ſect. 1. part. 2. lib. de Viſione perfecta, & cap. 1. ſect. 1. part. 4. ejuſdem libri differens de forma ad conficiendum hoc oculare Dioptricum, admittit vitra objectiva, & ocularia ſive planiſphærica convexa. Porro varia ſunt microſcopiorum Genera. Videatur Gaſpar Schottus cap. 1. ſintag. 4. lib. 10. part. 1. magię univerſalis, ubi ſex diverſa genera innuit, quæ tamen parum inter ſe differunt; unica enim lente omnia illa perficiuntur vel ſphærica, vel hyperbolica. Alii muniunt tubum parvum vitro ſphærico tam exiguo, ut perlæ parvæ magnitudinem non ſuperet.

Ex typis Romanis vulgata eſt anno 1689. relatio variorum microſcopiorum, de quibus luculentam diſſertationem habuerunt Academici Phiſicomathematici in Conventu, qui prima Dominica ſingulorum menſium habebatur Domi Illuſtriſſimi Præſulis Ciampini Brevium Pontificium Magiſtri, & bonarum Artium Fautoris præclariſſimi. Ibi pagina connectitur, in qua duodecim delineata conſpiciuntur. Quodnam ſupra cætera maximè faciendum ſit, non eſt meum hic ſtatuere.

De binoculari P. Cherubini Aurelianenſis

hæc

hæc oppoſuerunt multi; videlicet ejus conſtructionem nunquam fixam ac certam eſſe poſſe, eò quòd alium ſemper atque alium pro diverſa non tam objecti diſtantia, ſed pro diverſorum etiam Binoculo utentium, varia inter pupillarum certa naturali intercapedine, reſpective vitrorum centra neceſſario ſitum exigat, quam tamen difficultatem nullius eſſe momenti conatus eſt hic Auctor demonſtrare, addens modum, quo objectiva, & immediata amborum ocularium vitra mutuo confeſtim ac pariter ad ſe ſe aptiſſimè convertendo quantum ſatis eſt, exacte aut ad invicem accedunt, ut conſequenter exactam elongationis proportionem, quam exigit Binoculare, nullo penitus negotio aſſequantur, atque eo ad quamlibet intra majorem, ac minorem, quam patitur objecti diſtantiam pro ſua quiſque propria oculorum intercapedine, quælibet objecta etiam minutiſſima vicina diſtantiſſime ambobus oculis una contueri queant. At experientia magiſtra ſciunt periti hujuſmodi inſtrumenta quò ſimpliciora fuerint, & minoribus numero partibus compoſita, eò magis proficua eſſe in obſervationibus. His adde non adeo facile comparari poſſe duo vitra objectiva omnino ſimilia. Secundò inutilia eſſe iis, quibus amborum oculorum acies non æque perfecta eſt. Quamplurimis enim alter oculorum aliquo defectu laborat, qui certe ut microſcopio clare videat, diverſimode aut magis productum aut contractum aptari neceſſe eſt.

Verùm, ne omnium Microſcopiorum examen hic inſtituam, illud generatim notandum eſt. Quodcumque ſuam utilitatem præſtare incommodo alicui miſtam. Omnia enim, quamvis exquiſita haud quaquam faciunt ſatis; quia ea proportione, qua molem augent objecti, coni Viſorii baſim nimium arctant, ut vix animalculi minutiſſimi, pulicis ex. gr. uno intuitu particulam comprehendant, quod profecto viſioni ſinceræ ſummo impedimento eſt; cum niſi per vices atque ſucceſſive (minutiſſimum licet objectum) perfectiora id genus microſcopia integrum nequeant repræſentare, immò interturbata partialis hæc viſio animo etiam faſtidium parit, utpote quæ plurimum obſtat, quin perfecta objecti idea formetur, quam quiſque integrum ſimile uno intuitu objectum cernendo, jucundiſſime ſibi effingere poſſet. Si verò totum objectum contemplamur, illud certe clare apparebit, & minutiſſimas ſui partes non ita diſtinctas oſtentabit.

Quamobrem omnia meo judicio Microſcopiorum genera probanda ſunt, iiſque conſilio uti debet Naturæ rimator. Certe mihi diverſa profuerunt. Primò quidem iis utendo, quibus tota objecti idea clare viſa poſſet calamo delineari, deinde ejus partes iterum gradatim aliis ſubjiciendo, quibus mirum in modum auctæ poſſent diſtincte recognoſci, & fideliter exarari, prout à Natura fuerunt fabricatæ. Exulent igitur inutiles ex Academiis altercationes, quibus variorum Artificum tanquam inutilia damnantur ſtudia, in diverſa Microſcopiorum conſtructione impertita; Omnibus certe ſuas laudes tribuam ego, dummodo omnium opera exquiſito labore ſint perfecta; omnes enim in ſuo Microſcopiorum genere perficiendo, laudabiliter ob ſingulares eorum utilitates ſtudia ſua contulere, vel objectum totum proponant aliqua, vel diviſim per partes ſucceſſivè dumtaxat, & ingenti cum incremento.

Sine ulla igitur dignitatis odioſa immeritaque comparatione, hujus laudati inſtrumenti Confectorum, ex diverſis Auctoribus nobiliorem meſſem colligere placuit, cum ii non omnibus terantur manibus. Fuit Neapoli Fontana, Emanuel Maignanus in Gallia, fuit Hevelius Polonus, Joannes Wiſelius Auguſtæ Vindelicorum inſtructus a Reita. Alium celebrat idem Reita Gervaſium Mart Muller nomine, Sac. Cæſar. Majeſt. opticum, eumque dicit fuiſſe tam in practica, quàm ſpeculativa optica verſatiſſimum. Fuit Torricellius Florentiæ, quem Kircherus in Arte Magna Lucis, & Umbræ lib. 10. cap. 8. §. 3. Fontanæ prætulit, quòd majorem Theoricæ ſubtilitatis notitiam habuerit. Non minus claruit in Italia, ut aliarum rerum ſcientia, & Muſæo toto orbe celeberrimus D. Manſredus Septala, Mediolani Urbis ſidus ſplendidiſſimum opticorum inſtrumentorum fabrica. Apud Gallos celebre nomen Microſcopii meruerunt Ferrerius Aruennas Choureus, Guilelmus Menardus Lutetiæ degentes, & Stephanus Breſſyeus Gratianopolitanus, nec non Chalamonius Aquenſis Senator, & D. de Serviè Lugduni.

In Belgio poſt primos Inventores Middelburgenſes clarus fuit Joannes Filius Zachariæ Joannidis Seelandus, & Joannes Lapperhey itidem Middelburgi, Cornelius Drebbel, Iſaac Voſſius Hagæ Comitis commorans ob Microſcopium cum una ſola lenticula, incluſa parvo ligno, quod ductile eſt poſt parvam tabulam nigram excavatam ad formam oculi, & perforatam in medio, ut perſpiciatur per parvum foramen, celebratur a D. de Monconny Itiner. ſui tom. 11. pag. 153.

Amſtelodami D. de Hudd exhibuit bina diverſa Microſcopia memorato Gallo D. de Monconny, alterum cum ſola lenticula, alterum cui applicat craſſiorem lenticulam in ea parte, ubi objectum admittitur, tali modo, ut radii luminis lenticulam intrantes objectum illuminare poſſint. Oſtendit idem Hollandus D. de Mon-

conny modum præparandi istas lenticulas notatum in dicto Itinerario tom. 2. pag. 161. solet namque modo solito vitrum pro lenticula liquefacere ad ignem lampadis extrahendo salem intus hærentem, hoc vitrum dum candescit, emittit salem ad superficiem, quem deinde facili negotio removet. De vitro hac ratione depurato particulam sumit extremitate virgæ ferreæ candentis, cui tantùm, quantùm lubet adhærere patitur, eamque particulam liquefacit, postea in igne lampadis circumgyrando accipit formam perfecte rotundam. Vixit paucis ante annis Uratislaviæ Theodorus Moretus Soc. Jesu Mathesis professor, qui strenuam ut in aliis instrumentis Mathematicis, & diversis speculis, sic & in Microscopiis navavit operam. Celebritatem famæ Microscopiis quoque auxit generosus pariter, atque tam ex rei militaris, quam singularum rerum mathematicarum, & physicarum scientia celeberrimus Vir D. Basilius Titelius Seren. Saxoniæ Electoris in arce Plisneburgo ad Lipsiam Præfectus. Claret insuper horum præparatione in Germania Urbe D. Christophorus Wejeman, narrante D. Monconny itin. tom. 2. pag. 320. uti Augustæ Vindelicorum Wiselius, & Wiselii Gener. ibidem Augustæ D. Daniel de Pierre laudatus ab eodem Monconny.

Vivit adhuc Romæ celeberrimus Joseph Campana in conficiendis tum brevibus Microscopiis, tum longissimis Telescopiis æque peritus. Hic etiam commoratus est ante mortem D. Adrianus Enricus de Ravesway, qui subsecivas horas post graviora studia hoc nobilissimo labore feliciter implebat. Multa etiam confecit D. Carolus Antonius Tortoni Alexandri VIII. Summi Pontificis extra muros cubicularius. Multa & quidem optime concinnata D. Marcus Antonius Cellius. Perita enim manu fabricata curiosis venalia exhibebat Jo. Baptista Syndone, & modò nulli cedit peritissima manus D. Joannis Vannini Florentini Romæ commorantis.

Prodiit in lucem Norimbergæ ann. 1687. liber continens curiosam variorum minutorum corporum descriptionem, factam a Joanne Francisco Griendelio ab Ach, ordinis equestris Spiritus Sancti Canonico, in quo observatione prima describit Microscopium noviter ab ipso inventum, aitque illud plus duplum, & circuli, & subjecti recipere asserit, quàm *vulgaria hactenus ex Anglia, Gallia, Italia, & Belgio allata receperunt*. Additque tale Microscopium constare ex vitris sex convexis, minimum autem, & ultimum esse objectivum, facta ex una parte sectione hyperbolica. Hujus Microscopii dimensionem explicatam inveni a R.P.Fr. Joanne Zahn sacri candidi Canonici Ordinis Præmonstratensis in Cella Dei superiore prope Herbipolim in libro, quem publicavit anno 1685. sub titulo: Oculus artificialis Teledioptricus. Distinguitur liber in tres Tomos Herbipoli impressus, quibus recensuit omnia tum Antiquorum, tum Recentiorum documenta circa Telescopia, Microscopia, catoptricas omnes dioptricasque machinas, suaque conjunxit, quibus opticæ studiosus possit sibi pro libito indulgere. Iste igitur Auctor in lib. de Telescopio fund. 3. syntag. 5. cap. 2. de Microscopio equitis Griendelii sic loquitur. *Microscopium, ut fig. hic apposita videre licet, habet septem vitra, duo scilicet objectiva, duo ocularia magna in medio, & duo minora sed magis convexa penes oculum, tandem & vitrum planum. Objectiva sunt planoconvexa 1. digit. ocularia intermedia etiam plano convexa 6. digit. ultima ocularia itidem sunt plano convexa 2. digit.*

Talem lentium planoconvexarum combinationem proportione servata, quam præscribit Auctor supracitatus experiri volui, sed, ut verum fatear, animadverti me non adeo lucrari eo instrumento, ut supposueram; addendo enim lentes intermedias, licet plures objecti partes conspiciantur decrescit molis apparentia, quæ similis omnino obtinetur trium lentium combinatione servata eadem proportione, vel fere simili, quæ inter superiores præscripta fuit. Porro duæ lentes planoconvexæ unicæ æquivalent, quæ ex parte utraque sit sphærica. Nec mihi animus est tali animadversione laudem minuere, quam Instrumentum ejusque Auctor meretur; solùm indico quidquid experientia me docuit.

Cujus autem generis Microscopium melius conferat ad minima objecta clare, & distincte inspicienda, haud facilis negotii est decernere. Multas enim Vitrorum combinationes Auctores docent, multasque inter illa proportiones præscribunt, multas insuper illis utendi rationes. Adeant curiosi eorum Auctorum tractatus eruditos, quorum mentio fuit; neque enim singula percurrere, & ad examen revocare opportunum hic est. Variæ opus aleæ ambagibusque plenum instituerem, quod multa opticæ problemata requireret, quibus dubio procul ab incœpto mens mea distraheretur. Illud in universum affirmabo: In observationibus accurate faciendis unicum non sufficere, sed diversa requiri. Sicuti enim non unico pennicillo utitur Pictor, nec unico Scalpro Statuarius, & omnia Artium opera multiplicibus instrumentis perficiuntur; ita pariter eos, qui rerum naturalium partes rimantur, variis instrumentis suos oculos munire necesse est. Quod si curiosus Lector meam observandi metodum scire peroptaverit; favebo libenter in iis, quæ subjiciam.

§. IV.

§. IV.

Proponitur Instrumentum maxime utile ad minimarum Rerum Observationes.

ANtequam instrumenti præcipui explicationem aggrediamur, duo videntur adnotanda. Primò Microscopiorum vitra ita perfecta seligenda esse, ut nullo vitio laborent, tam ratione materiæ, quàm ratione formæ. Si enim perspicua & ab omni macula purgata Chrystallus non erit, si insuper lentium superficies perfecte spærica, & perfectissime levigata non aderit, objecta nullo modo, ac ipsa existunt, oculis apparebunt, & ex ooulorum fallacia falsas observationes referemus. Secundò ex omni Microscopiorum messe illa magis probanda esse, quæ simpliciora sunt, & paucioribus vitris perficiuntur. Ubi enim plura vitra, ibi plures radiorum visualium refractiones, quæ semper majori turbationis discrimini sunt obnoxię non sine oculorum intuentium damno, & Objectorum infideli expressione.

Vitris ita paratis prudentis Inspectoris partes sunt ea seligere, quæ visio in singulorum objectorum indagine magis proficua experietur, modumque observare, qui utilior extiterit. Porro ad peritiam artificis in operibus artium perficiendis spectat ea instrumenta apte adhibere, quibus opus juvari potest, eaque respuere, quę potius nocumento sunt; sicuti enim ad pupillam oculi effingendam in marmore eodem scalpro non utitur sculptor, quo ad formandas aurium cavitates, vel eadem lima ad dentes singularum rotarum horologii, ita opticus speculator eodem microscopio, non æque bene omnia objecta, vel mediocris, vel miuimæ molis illa sint, contemplabitur.

Triplex propterea microscopiorum genus oculorum meorum visui maxime profuere. Primum elegi microscopium tribus lentibus convexo convexis, seu plano convexis ea proportione compactum, ut licet non valde auctum, integrum tamen objectum repræsentaret. Hoc enim modo oculis perfectam sui ideam ostentabat, & & dum unico intuitu illud oculus totum cernebat, facili negotio poterat manus delineare, ejusque effigiem perfecte in paginas transferre, servata diligenter omnium partium dispositione.

Hujusmodi Instrumentum hic subjiciam, ne videar negocium facessere arcana quadam reticentia, ubi nec ratio, nec opus illam exigit. Tribus igitur lentibus componebatur, quarum objectiva fere tres partes habet digitalis diametri; ita includebatur in tubo, ut in eo ad objectum contemplandum majoris acus foramen pateret. Secunda intermedia species recipiebat toto sui orbe, cujus diameter quasi digitum cum dimidio æquabat. Tertia deinde ocularis plano convexa ita collocabatur, ut ex tota ejus amplitudine species ad oculum pervenirent. Situs autem hujus ocularis respectu intermediæ inferius subjiciam. Et hæc duo vitra tali modo immobilia, modò plus modò minus removere ab objectivo necesse erat, prout magis vel minus aucta desiderabantur objecta. De hac tamen indicata proportione vitrorum non ita scrupulose sentiendum est, ut ea sit eligenda, nec ullo modo variari possit; Utilissimam illam suppono, alias multiplices, & quidem utiles non reiiciendo.

Hujusmodi perquàm utili commodoque instrumento postquam objecta perlustraveram, eadem alteri microscopio subjiciebam, ut magis auctas ejusdem partes singillatim distinctius recognoscerem. Ejus structuram paucis exponam, Tribus pariter lentibus constat, quarum prima minimæ spheræ est, puta duorum vel trium granorum prope objectum collocatur, aliæ duæ prope oculum, servato semper inter se situ eodem, ut in superiori diximus de intermedia oculari. Regulam autem hæc vitra practice collocandi assigno, quam mihi communicavit eruditus æque, & perhumanus Canonicus Liburnensis D. Joannes Baptista Costa inter Familiares celsissimo Principi Mediceo, & S. R. E. Purpurato maxime acceptus.

Tribus potissimum modis disponuntur Microscopia tribus lentibus composita, illis rejectis magis simplicibus, oculari tantùm & objectiva lente constantibus. Sufficit enim in iis ita collocare ocularem, ut ab oculo distet partibus octo ex decem in quas dividitur axis ejus coni. Aliqua igitur lentes binas habent ultra objectivum omnino æquales quoad convexitatem, & hæc ita simul aptantur, ut non mutuò se tangant, sed aer intermediet, ad optimum autem microscopium efficiendum curandum omnino est, ut arcuum earum chorda trigesimum gradum non attingat.

Ad majorem claritatem in Tab. 1. hujus Classis pono quadrantem ADT, in 90. gradus seu partes æquales divisum, latus vero A D, in partes alias, quas digitos seu uncias appello. E centro A, ducantur linea ad E, hoc est ad gradus 30. eritque triangulus A D E, graduum triginti.

ta. Huic triangulo commensurandæ erunt lentes de quibus loquimur. Volumus ex. gr. lentem, cujus Diameter sit duarum unciarum nempe A C, ejus arcus ita designandi erunt, ut non excedant lineam 30. graduum A E, sed attingant gradus circiter 29. sic enim chorda C G, eorum arcuum erit graduum 29. nempe paulo minor quàm arcus 30. graduum. Eodem modo lentem trium unciarum fabricabis, quæ quidem amplior erit, sed 30. gradus non attinget. Porro lentes istæ, ac si esset unica tantùm, operantur, eritque proinde distantia primæ ab oculo quarta pars ejus foci.

Si autem copulandæ erunt lentes inæquales quoad sphæricam superficiem, illa quæ proxima erit oculo potest eligi adeo ampla, ut gradus impleat triginta quinque in sensu jam explicato, ut hac amplitudine major area detegatur microscopio subjecta, eritque spatium inter primam, & oculum æquale duabus ex tribus partibus ejus foci. Secunda verò seu media 28. vel 30. ad summum, ita tamen, ut hæc majoris sphæræ convexitatem habeat, quàm prima. Sit ex. gr. prima lens E, amplitudine graduum 36. cujus focus in F, puta unciarum 2. Secunda seu intermedia C, dabitur graduum 30. habens focum unciarum 3. in D, Proportio enim harum melior illa est, quæ ocularem constituit respectu mediæ, ut se habent duo ad tria, quatuor ad sex, sex ad novem &c.

Ut practice inveniatur distantia inter has necessaria, adeo removenda est a media ocularis, ut aliqualiter detegantur bullulæ quæ sunt in media, eritque fere æqualis quatuor partibus distantiæ foci in quinque divisæ.

Supereſt tertia combinatio, quæ fit quatuor lentibus, in quibus animadvertendum est, ut Tertia, quæ ab oculo objectum versus collocatur, sit portio longe majoris sphæræ quàm aliæ duæ, quæ tamen amplitudine gradum octavum supra vigesimum superare non debet. Itaque hæc æquabit sua amplitudine 28. gradus, media 30. ocularis 35. seu melius 42. Lentibus sic rite paratis, accipiatur amplitudo primæ lentis ex. gr. A, quæ sphæræ majoris portionem habet, inventoque ejus foco B, ducantur ad illum lineæ, eritque ab illis formatus conus 1. B 2. Intra hunc conum collocabitur media C, ponendo lineam amplitudinis lentis ita in cono, ut totum occupet, & paralellæ respiciat lineam amplitudinis lentis A, puta in punctis linearum coni 3. 4. ducanturque pariter lineæ ad ejus focum D, fietque conus 3. D 4. In hoc cono mediæ habebitur distantia ocularis E, a media C, si eadem regula in cono mediæ paralellæ collocetur ocularis, ita ponendo, ut totum conum impleat, nempe in punctis 5. 6. Lentibus tali distantia dispositis, & nunquam variata utere approximando valde oculum lenti E, & applicando lenti objectivæ minimæ sphæræ ex. gr. digitalis, modò magis, modò minus remotè, prout objectum majori mole, vel minori auctum desiderabitur.

Hæc autem satis superque sint circa Vitrorum combinationem. Cætera facile docebit Vsus. Si verò partes observatas alicujus objecti distinctius velis intueri, utere lenticula maximæ convexitatis, seu potius globulo perquàm minimo, aciculæ parvæ caput sua mole non superante. Hac pluries usus utilitatem incommodo conjunctam sum expertus, maximæ quia nimiam objecti approximationem requirit, & angustias manus patitur non minores ac oculus perscrutator. Eam idcirco ut plurimum respuens superius enarratum microscopium adhibui, quo certe non minorem objecti molem apparentem obtinui, lentibus coaptatis, quarum convexitas maxima esset, & ocularibus remotis, quantum opus esset ab objectiva, immissa insuper clarissima luce vel solis, vel candelæ, eo quòd, quò magis objectum per vitra augetur, eò obscuriori in loco situm appareat.

Dum verò observationes fiunt, multa diligenter curanda omnino sunt; aliqua præcipua animadverto, & primò quidem, ut debita luce oculus utatur, ne mens decipiatur in observatione minimorum, judicando aliquid objecto inesse, quod vere non est, sed propter umbras, seu luminis reflexiones umbratili quadam apparentia sese exhibet intuenti. Quamobrem vividissima luce non rarò opus habemus, aliquando verò remissa, & valde temperata, modò ex opposito, & tantùm directa, modò laterali, & reflexa. Secundò varianda est approximatio instrumenti, prout objectum requirit; varianda insuper est si producatur instrumentum; nam elongatum magis admoveri debet objecto, & ab eodem removeri, si contrahatur. Tertiò in usu microscopiorum ratio illa seligenda est, quæ magis simplex certa, & expedita judicabitur. Varias docuerunt Auctores, sicuti & in usu Telescopiorum, quibus remotissima objecta contemplamur, pedibus diversimode aptatis, Fulchris, Cochleis, Rotulis, Regulis dentatis, Semicirculis per cursores immissis, Capsulis ligneis, Tubis papiraceis, loculamentis variis ex auricalcho, omnique machinularum genere ingeniose excogitato, quibus diu noctuque objecta omnia commode possent explorari.

Omnes fere expertum me esse sine fuco mendacii affirmabo, nec ulla plene satisfactum; singulæ enim vitio aliquo laborabant, nullamque abunde commodam judicavi ad observationes,

præ-

præsertim, si oculo attente respiciente, manus delineare vellet quidquid observabatur. Inter omnes utiliorem existimavi modum, quo suas observationes fecit Cl. Hookius. Adeat curiosus ejus librum, in cujus initio illum exprimit, delineando Microscopium appositum objecto, quod lumen lucernæ per lentes convexas transiens irradiat. Modus hic utendi microscopio maxime confert, si nocte fiant observationes, si verò die, poterit objectum illuminari expositum radio solis, qui per angustum foramen transeat; & hoc pacto observari possunt multa objecta, non verò omnia: Multa inquam, eò quòd quamplurima melius dignoscantur contra lucem exposita, remota interim luce, quæ ex lateribus objectum idem, & microscopii objectivam lentē illuminat. Subjiciam propterea quo pactohoc fieri utilissime possit. Sit Tubus A B, vide Tab. superiorem qui contineat lentes microscopii, quarum objectiva includatur ita in M, ut tubus in acumen desinat pyramidis instar, circa cujus basim relinquatur circulus planus ii, sit deinde tubus alter brevior, cui connectatur Microscopium beneficio cochleæ C, Immittatur deinde in talem breviorem tubum fili ferrei portio in helicem contorti, quæ claudenda est alio tubulo T G, inserto in E, beneficio Cochleæ F. In lateribus prope fundum debet relinqui foramen O, non rotundum. In hoc tubulo lamella B, ex auricalcho ita aptetur, ut mobilis possit magis elevari aut deprimi vi helicis inclusæ in Tubo F, eritque etiam in centro ipsius foramen, ut in fundo G.

Objecta deinde inspicienda debent includi intro duo vitra vel plana, vel concava, prout objecti moles requiret, quæ vitra inserta sint in regulis ligneis, & firmata annulo æneo vel simili. Hæ regulæ cum objectis insertæ in foramen O, tubuli F G, intra fundum G, & lamellam B, ita firmantur à cochlea inclusa, ut tamen moveri facile possint, quando objecti partes microscopio subjiciendæ erunt gradatim. Omnibus ita præparatis, exposito instrumento contra lucem promovendus vel contrahendus erit tubus F G, beneficio cochleæ ipsi appositæ, qua contractione, vel promotione determinetur distantia, in qua dilucide possit objectum contemplari.

Dum hæc scriberem nova ratio utendi microscopio menti suborta est, quam quidem meo judicio alteri jam adhibitæ præponendam omnino duxi. Vide figuram 3. hic adjectam. Tubus A B, qui lentes apte dispositas continet, alteri tubo ex auricalcho seu ligno fabricato inseritur beneficio cochleæ C O, quæ quidem triplo longior sit alia, cui inseritur, ut possit promoveri, & removeri microscopium, quatenus sit opus ad clare inspiciendum objectum. In fine hujus tubi est receptaculum D E, pro filo æneo cochleato, qui laminam F, vi sua elevat contra microscopium, continetque in situ debito regulam cum objectis inter alium annulum G, fixum brachiolis I D, I E, quibus pars superior C O, cum inferiori D E, connectitur. Hoc instrumento ita parato si utamur, videbitur objectum, promovendo quatenus opus sit microscopium beneficio cochleæ C O. Si verò contra lucem dirigere opus fuerit, & excludere lucem importunam, quæ hinc inde ex lateribus affulget, habeatur tubus M, papiraceus, vel ex alia materia, qui tubus vestiat microscopium. Si enim tubus hic demittatur usque ad annulum G, tunc lumen circumjacens non erit importunum objectis, nec objectivo, & expedite uteris Microscopio duplici ratione, hoc est in situ verticali, & horizonti paralello contra lucem. Poterit etiam tubus M, ita confici, ut in eodem situ circumactus præbeat luci aditum vel in una, vel in duplici parte, laternæ instar versatilis.

Singula commoda ex hac ratione in usu microscopii derivata hic non expono. Illa facile cognoscet qui velit uti. Unum tamen illi deerat cum objecta visa conabar in paginis delineare, & fideliter exprimere; dum enim dextera manus in usu calami laborabat, defatigabatur sinistra centies, & millies oculo instrumentum admovens, nec semper eadem objecti apparentia servata, molestia addebatur permagna, qua quidem non rarò ab incœpto desistere utraque manus oculusque cogebatur.

Quapropter machinulam excogitavi, cujus beneficio omnia hæc facile possem obtinere; videlicet. Primò motum facilem in objecto examinando. Secundò motum idoneum in approximatione instrumenti. Tertiò ut talis approximatio fieret paulatim, & sine periculo deperdendi objecti partem, quæ contemplanda proponitur. Sæpe enim accidit dum microscopium vi cochleæ circumagitur ad remotionem vel approximationem, objectum occupet partem aliquam basis coni visualis, quæ in accurato examine sub axe ejusdem collocari debet, eo quòd cochleæ non perfecte simul coaptentur; & ex earum tremore mutetur objecti apparentia. Quartò effusionem luminis æqualis in totam spatii aream, quod microscopium detegit. Quintò tale lumen, quod idem semper perseveret. Sextò stabile instrumentum ita firmatum, ut oculo admoto, sine ulla difficultate possit semper in eodem situ, & eodem lumine coruscans respici, manusque illud delineare, ut pictor, tabula aliqua sibi proposita, seu statua, illam in aliam transfert, aliudque exemplar ideæ omnino simile coloribus effingit.

Illud

Illud in adjecta Tabula 2. subjicio ruditer delineatum, & breviter sic explico. Supra lineam horizontalem MN, verticaliter ad angulos rectos elevetur fulcrum seu columna HK, pro artificis arbitrio, quæ sit apta ad sustentandum microscopium, ejusque partes, quas dicam. Tali columnæ debet imponi capsula VX, in cuius summitate aptetur cursor dentatus GR, qui cursor beneficio cylindri dentati transversim in capsulam inserti pro libito possit promoveri, & removeri. Huic cursori ex materia ænea, seu chalybea fabricato adjungitur fulcrum Y, cui aptatur immobiliter Microscopium AB, quod fulcrum potest esse perforatum, & vaginæ instar, cui possint inseri prolibito diversa microscopia, & beneficio cochleolæ Z, firmari. Microscopium autem potest sic aptari, ut annulo ex auricalcho cochleato recipiatur, & sustentetur. In extremitate ejusdem capsulæ puta in X, erigantur verticaliter duæ laminæ inter se paralellæ CD, relicto spatio capaci ad recipiendas regulas ligneas cum objectis supra indicatas, & rursus in hac Tabula delineatas num. 2. Insuper inter eas lamellam E, vi contortam, ut dictas regulas impellendo contra laminam C, microscopio proximiorem, valeat ita firmare, ut tamen faciliter moveri quaqua versus possint. Si ergo immittatur regula lignea I, cum objectis intra laminam C, & lamellam E, quæ in medio juxta altitudinem microscopii habebunt foramina, videri illa poterunt admoto oculo in A, & obtineri debita distantia seu approximatione microscopii ad objecta, rotando cylindrum dentatum F, qui agendo in dentibus cursoris, promovebit etiam microscopium, servando semper eamdem lineam directionis, absque eo quòd ad ullam objecti visi partem deflectat. Cum autem in debita distantia collocaveris instrumentum, ut distincte objectum appareat, facili negotio poteris illud delineare, oculo iterum atque iterum microscopio admoto, sine ullo tædio, & erroris discrimine.

At quia haud potest negotium perfici, nisi objectum clarissime illuminatum appareat, apposui eidem plano MN, aliud fulcrum, quod lucernam in debita distantia sustentabat, itaut in eadem linea horizontali ejus lumen collocaretur oppositum centro microscopii. Addidi deinde inter objecta, & lumen lucernæ beneficio brachioli S, cochleis muniti in R, & V, ut posset debitè elongari, & elevari cum esset opus; collocavi, inquam, Tubum cum duabus lentibus OO, ita dispositis, ut refrangendo lumen, focum haberent, ubi objectum collocabatur ad observationes. Non facile dictu est, quàm distincte beneficio luminis hujus inspiciantur objecta, & quidem melius nocte, quàm die sole nitida: Noctu enim abest lux illa importuna, & noxia, quæ e lateribus illuminat objectum, & lentem objectivam, ad quam excludendam usi sumus alio instrumento jam superius explicato. Utile insuper est, nam cum observamus objecta, sub eodem lumine possumus statim in paginam appositam illa calamo transferre. Cæterum liberum erit tale instrumentum fabricare, uti magis placuerit; dummodo indicata serventur ad exactas, & faciles observationes perneccessaria. Cætera enim sunt vel ad ornatum, vel ad Artificis peritiam ostentandam. Illud quod pro meis observationibus confeci, quatuor supra octoginta partibus constat, totum ex auricalcho cochleis simul compactum, ut facile dissolvi possit, iterumque componi.

Si verò noctu velis eodem instrumento uti cum eisdem omnino utilitatibus, tali modo fabricandum est, ut capsula cum microscopio maneat in linea verticali, in plano verò horizontali laminæ cum objectis, supra quæ immittatur lumen per binas lentes descriptas, & apte inclinatas ad lumen recipiendum, & augendum. Intelligenti pauca. Claritatis tamen gratia hanc tabellam subjicio, in qua partes præcipuæ hujus instrumenti indicantur.

AB. Microscopium insertum annulo beneficio annuli cochleati,

Y. Vagina, cui inseritur fulcrum annuli cum microscopio.

Z. Cochleola firmans fulcrum microscopii Y.

GT. Cursor dentatus sustinens microscopium.

M. Manubrium cylindri dentati, quo promovetur, & removetur cursor.

LF. Brachium insertum bacillo Q, versatile, & ductile cum binis cochleis LR.

S. Aliud brachium sustentans binas lentes insertum in vagina conjuncta brachiis LF, quod firmatur cochlea L.

1. 2. Lamina cum vagina pro sustentando microscopio latior cursore cum duobus foraminibus.

3. 4. Duo foramina in cursore correspondentia foraminibus laminæ 1. 2.

5. 6. Alia lamina cum duobus foraminibus cochleatis.

7. 8. Cochleolæ, quibus connectitur cursor in medio duarum laminarum.

9. Lamella, quæ conjungitur capsulæ VX, beneficio cochlearum.

10. 11. Sub qua cursor promovetur.

Advertendum ultimo, ut cursoris crassities aliquantulum superet crassitiem laminę, intra quam collocatur, & cochleolæ 7. 8. non tam arcte lamellas firment, ne impediatur motus.

§. V.

§. V.

Ratio conficiendi perfectissime Lentes.

POst indicatam utilem microscopii fabricam, fortasse cupido erit alicui sciendi, quo nam pacto lentes efformari perfectissime possint; an scilicet ratio aliqua inveniri possit ad superandas quamplurimas difficultates, quæ in hujusmodi studio sese objiciunt, quibusque multi tempus operamque deperdunt. Porro quàm facile est lentem efformare, tam difficile sine ullo defectu illam perficere. Hinc inter curiosos sunt tot quin plures, a quibus lentes conficiuntur, at a paucis optimo cum eventu.

Inter omnes difficultates, quæ in hoc studio sese objiciunt, duæ potissimum sunt, altera versatur circa formam inducendam in vitra, quæ sit perfecte sphærica, & hæc erit prima, & maxima difficultas; altera est, quæ accidit in politura; Vitrum enim quod figuram perfecte sphæricam assequutum est, cum postea poliri debet, facile illam deperdit. Recensitas difficultates expertus Franciscus Fontana eximius Telescopiorum Fabricator cap. 4. Tract. 1. de Tubo optico quæsivit utrum darentur regulæ infallibiles illas superandi. Respondit que affirmative. At nihil inde subdit, quod praxim juvare possit, nisi modum examinandi, an lentes sphæricam perfectamque formam induerint.

Innumera documenta tradiderunt alii ad hunc finem, præcipue Rheita de oculo binoculo, P. Cherubinus Aurilianensis in sua Dioptrica oculari, & P. Zahn de Telescopio part. 3. ubi praxes multorum in lentibus perficiendis exponit, addendo deinde suam, quam optimam inter cæteras putat. Eorum paginas percurrat studiosus, non enim decet hic omnia retexere. Paucis me expediam indicando aliqua, quæ omnino necessaria sunt, & si negligantur, vel nunquam, vel rarò, & fortuito optimæ lentes perficientur. Primò illud adverto, quod P. Cherubinus Aurilianensis aliique docuerunt. Vitra æque utrinque convexa cæteris præponenda esse, idcircò potissimum, quia tali modo elaborata (ut videlicet ambæ vitrorum hujusmodi superficies circum se acutissime conveniant illarum centra. Deinde alia tria documenta adnecto ad obtinendas lentes parvæ sphæræ, prout sunt in Microscopio necessariæ, cum pro objectivis magnorum Telescopiorum alia via sit incedendum. Illa igitur excipe.

Primum respicit scutellas seu patinas concavas, quas suppono ex auricalco faciendas esse, & ex stamno vel cupro pro prima forma vitro inducenda, quas necesse omnino est perfectissime sphæricas esse, tales facile obtinebis, & in opificio conservabis, si eas eligas, quæ valde amplæ sint, sed lenti faciendæ ita commensurentur, ut lens fere triplicem diametri portionem occupet.

Secundum pertinet ad modum inducendi sphæram vitris. Hanc primùm ruditer quære in alia scutella sphæræ paulo majoris vel manu, vel torno, seu simili instrumento deinde majori studio in optima minoris sphæræ perfice, utraque manu simul concurrente, ita ut dextera vitro scutellam percurrat, leva autem scutellam vitro adaptet, altera alteri obscundante.

Tertium polituram obtinet. Varios hanc polituram obtinendi modos Auctores præscripserunt. Vide Zahan, Borellum, alioque. Illum cæteris præfero, quo eadem scutella utitur, in qua glutine aliquo seu gummi superimponatur carta pulveri tripolitano aspersa; at egregiam facilem, & sine periculo perdendi sphæricam convexitatem obtinebis, si instrumento rotatili utaris, quod beneficio rotæ majoris velociter circumagatur.

Qui plura desiderat supracitatos Auctores adeat; caveat tamen ne variorum documentorum copia inops fiat, ut per eorum ambages incendendo, nunquam finem optatum attingat. Pauca enim requiruntur præcepta, sed optima, & diuturnis experientiæ laboribus comprobata. Porro sæpe accidit, ut ea in praxi negligantur, nec magni fiant, quæ tamen ad opus perfecto obtinendum optimam viam sternunt, ideoque eorum neglectu semper vitio aliquo illud laborabit. Hæc innuisse sufficiat Edipo curioso, ut mentem manumque suam exercendo, sapidissimis proprii laboris fructibus perfuatur.

Cum de microscopiis actum sit, quæ parva Telescopia sunt ad inspicienda objecta prope oculos posita, quæ tamen ob suam exilitatem nudo oculo non possunt distingui; atque Instrumentum sit indicatum, cujus ope Microscopia utiliter adhiberi possunt, non omittendum est Instrumentum, quo majora Telescopia facile pertractari possunt, in observationibus rerum, quæ valde remotæ sunt, & præcipue Planetarum, & Siderum.

Cum autem in eorum usu, difficillime Tubi dirigantur, ita ut ne digito quidem a linea rectissima recedentes in arcum efformentur, atque immobiliter directi, idem centrum servent, quem lens ocularis, & objectiva adeptæ sunt in prima, & optima directione, Instrumentum excogitavit P. Franciscus Ægidius de Cottignies Nostræ Societatis, cum Mathematicas facultates in

Collegio Romano doceret, id exoptante Excell. Marchione de Carpio in Regno Neapolitano tunc Pro-Rege, quo exiguo manus labore longissimus Tubus posset quaquaversus pertractari; illudque erat, quod Tabula 3. exhibet delineatum.

Ex tabulis abietinis simul insertis, quæ palmarem latitudinem, & trium digitorum crassitiem habebant, compacta fuit linea A B C, ad palmos quadraginta circiter producta. Huic pluribus in locis hinc inde aptatæ sunt columnulæ duobus palmis altæ, ut videntur in D D D. Hæ columnulæ inter se colligabantur filis ferreis digito crassis in crucem dispositis, ità ut ad nullam partem possent inclinari, ut delineatio eorum consideranti demonstrat, & simul beneficio eorum linea lignea ABC, in arcum inflecteretur. Hujus arcus chorda evasit Telescopium, cum supra extremitates lineæ A C, collocatum fuit, & quidem rectissima, ut necesse erat, eo quòd etiam in aliis locis sustentaretur puta a fulcris insertis Columnulis D D, & quidem ita Tubo subjectis, orizontaliter, ut rectissimam lineam ostenderent inspicienti. Ut verò tota machina posset facile elevari, ac deprimi sustentabatur a retinaculis facile mobilibus M N, & fune trochleis P, inserto, ne trahens nimis defatigaretur a pondere. Tali pacto elevata machina ad rationabilem altitudinem, manus inspicientis in O sine ulla difficultate poterat illam quaquaversum agitare, ut objecta introspiceret.

§. VI.

Recensentur, & describuntur Res minimæ microscopii Ope clarissimè recognitæ.

IN manibus quæ sunt, vix nos ea scire putandum est. Usque adeo procul à Nobis præsentia veri. Inquit olim Philosophus ac Poeta Lucretius. Ejus effatum nobis comprobant Microscopia. Detegunt enim quamplurima admiratione dignissima, offerentibus sese quotidie rebus vel plane novis, fœcundæ Naturæ liberalitate, vel certè non antea animadversis. Jure proinde conquestus olim fuit Diogenes dicens, *Quod ante pedes est nemo spectat; Cœli scrutamur plagas.* Deus enim hunc vastum Terrarum Orbem magni voluminis instar composuit, in quo ejus dotes explicarentur, aliquæ aureis notis, aliquæ arcanis, aliæ maximis, aliæ minimis characteribus, qui sine ope microscopii nunquam legi possunt. indicavit D. Antonii Abbatis responsum Philosopho cuidam illum invisenti; Apud Engelgrave in festo Ascension. interrogavit enim, num posset in solitudine sine libris tempus transigere? At sagax Eremi Incola; Unum, ait, sibi satis esse librum quinque tantum paginis compactum; videlicet: Rerum omnium Universitatem, cujus prima pagina terram exponebat floribus, herbis, fructibus Animalibus ornatam: Secunda Mare, innumeris variisque piscibus squamosis, crustatis, & Testaceis repletum: Tertia Aerem, cum diversis Volatilium agminibus: Quarta Ignem; Ultima Cœlum. Hoc volumen Nos inter alias dierum necessarias occupationes, quantùm licuit, obiter observavimus paucorum mensium intervallo, ut D. Hieronymi inter silvas degentis morem imitaremur. *Video arborem, ajebat ille*, in Ps. 91. *& considero, quomodo cortex arboris, est quasi tunica, qua vestitur, deinde quomodo flos sit, quomodo flos cadat, & ipse flos vertatur in pomum. Video paulatim per singulos dies in singula tempora mihi Naturam operari, & in meos cibos crescere: Video quomodo Deus in omnibus mihi laborat, ut mihi nihil desit; propterea exulto in Te Domine.*

Observationes igitur nonnullas, licet qualescumque habitas subjicio fideli calamo a me ipso exaratas. Doleo tamen me imparem fuisse ad exarandum accuratissimo stylo, quidquid oculus per Microscopium inspexit; Naturam enim perfecte æquare vetatur Arti. Eas excipe quicunque paginas hasce revolvere non dedignaris, ea magnitudine haud expressas, qua mihi microscopia repræsentarunt, sed sufficienti mole donatas ad congruam expressionem idonea. Et primo loco sit.

CULEX.

ANimal, cui, (ait Alkazuinius) apud Bocciartum Hierozoici lib. 4. cap. 17. quidquid Elephanti pariter natura contulit cum alarum auctario. Attende ad parvitatem corporis ejus, quæ tanta est, ut visus quantumvis intendatur, illud, cum volitat non assequatur. Deinde caput respice, quod corporis illius caput esse non videatur. In eo enim est videndi facultas, & audiendi. Tum de cerebro cogita, & præ capite quantum illud sit; & ibi latere facultates quinque interiores. In eo scilicet est sensus communis, qui videt animal ad se venire, secundò est imaginatio, quia cum incidit in Animal promuscidem suam in illud immergit, neque idem facit, cum incidit in parietem. Tertiò & est virtus æstimativa, qua discernit

se in-

se insequentem ab eo, qui se non insequitur; ab illo enim fugit, & coram hoc in loco suo manet. Quartò facultas quoque est conservans; quippe cum suxit sanguinem fugit illico tanquam sibi conscius se dolorem intulisse, ne pœnas reposcat qui læsus est. Est & vis cogitativa, unde est quod fugit, cum sensit motus manus humanæ, ut qui sciat eam sibi esse pernicioſam, sed quamprimum quievit manus, redit ad locum suum, quia scit id abiisse, quod exitium suum machinabatur, Promuscidem habet tenuissimam, sed cum tenuitate sua concavam, ut per illam defluant partes sanguinis tenuissimæ, & capiti ejus indita promuscis, illa tam valida est, ut cum ferit Elephantis aut Bubali corium, illud penetrat. Proinde Elephas, & Bubulus ut culicem vitent ad aquas fugiunt; hactenus Alkazuinus.

Sed longe meliora sint hæc Plinii lib. 11. c. 2. Ubi tot sensus Natura rerum collocavit in Culice? Ubi visum in eo prætendit? ubi gustum applicavit? Ubi odoratum inseruit? Ubi verò truculentam illam, & maximam vocem ingeneravit? Qua subtilitate pennas adnexuit, prælongavit pedum crura? dispoſuit jejunam caveam, uti alvum avidam Sanguinis, & potissimum humani sitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori quo spiculavit ingenio? Atque ut incapaci concerni non possit exilitas, ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter sorbendoque fistuloſum esset.

Culicem habere in aquis originem fere omnes docuerunt, non tamen apud omnes eadem originis series exponitur. In aquis & præcipue stagnantibus varia Animalcula etiam nasci experientia comprobari scripsit Aristoteles 5. de hist. Animal. c. 19. & Tipulas fere in puteis, & ubicumque aqua se colligit *terra subsidente*, concretione oriri. Fieri ut principio fex ipsa putrescens, colorem candicantem trahat, mox nigricantem, postremò cruentum; Talis cum fuerit minutissima quædam, & rubra specie algulæ prodeunt, quæ ad tempus hærentia suæ origini moventur, deinde absolvuntur, itaque feruntur per aquam Tipulæ nuncupatæ, tum paucis post diebus erigunt se super aquam duræ atque immobiles, mox disrupto putamine culex emergit ac insidet, donec vel sole, vel flatu moveatur, & volet.

Sententiam Aristotelis sequutus fuit Plinius, Licetus, Sennertus, aliique. Illis se oppoſuit Suammerdamius, ubi ait: Hist. Insect. pag. 95. Culex in aquis originem habet, idque *ex minimo ovulo, quod fœmella Culex in aquas deponit cum ova sua parit*. Idem enucleatius nobis expoſuit D. Petrus Paulus Sangallo epistolæ D. Francisco Redi inscripta Florentiæ an. 1679. ubi narrat se obſervaſſe in aqua, circa quam Culices permulti volitabant, aliquas, quas vocat *naviculas*, natantes, longitudine, & latitudine semen peponis æquantes, non tamen inter se æquales, easque in plures particulas disrumpi, quas particulas sibi suasit fuisse Culicum semina, postquam circa 40. vermiculos numeraſſet, qui in Culices solent adoleſcere. Placet ejus verba huc afferre ex pagg. 15. excerpta.

Furono vedute da me galleggiare sopra essa aqua moltissime navicelle, onde cominciai subito a pensare, se quelle navicellette per fortuna contenessero la semenza, e l'Uova delle Zanzare, e per chiarirmene ne presi una, e postala in un bicchier d'acqua di pozzo chiarissima, vidi in brevissimo tempo la navicella squarciarsi in minutissimi pezzuoli, che parte andarono à fondo, e parte rimasero a galla dell'acqua, e nella istessa acqua vidi improvisamente nati 30. ò 40. di quei sudetti vermi così piccoli, che appena l'occhio arrivava a scorgerli. Con questo avedimento, e per altre esperienze, che in altri giorni io ne feci restai pienamente accertato, che tali navicellette contengono ne loro seni l'Uova delle Zanzare: deinde concludit. *Per recapitolatione di quanto hò scritto replico che le Zanzare non nascono spontaneamente dalla putredine, ma nascono dall'Uova delle loro madri, e da quest'Uova nascono altretanti vermi, i quali alcuni altri giorni squarciandosi la loro pelle, ne scappan fuora le Zanzare.*

Ex accurata hac obſervatione Culicum propagationem spontaneam penitus infringi judicassem, nisi aliam in eadem epistola didicissem, ob quam in ancipiti adhuc verſor dubitatione, utrum sponte illi nascantur. Subdit enim p. 18. *Posso ben con sicurezza affermare, che vi è una terza razza di Zanzare differente da quelle due, la quale molte volte mi è nata nell'acque, che hò fatta a bella prova inverminare, e queste terze Zanzare son della figura delle altre due sopradette, ma sono molto minori, ed hanno le ale più ritonde è il colore come nericcio, e nascono da loro vermi per appunto come quelle altre due razze.* Sic ergo mecum ratiocinabar. Mitto naviculas illas in aquis visas onustas fuisse Culicum seminibus, & veluti ovaria ab aliis Culicibus depoſita, at unde originem illas traxisse dicamus, a quibus talia ovaria prodiere? fortasse ex aliis præexistentibus, at, ne infinitum regressu quodam puerili procedamus, aliqui sane Culices designandi erunt, qui nullo præcedente ortum traxerint ex aqua ad talem generationem rite dispoſita, quæ non nisi anni tempestate opportuna accidit, sole incalescente, omnibus penitus interemptis ob hyemis rigorem. Rursus si tertia Culicum species obſervata non unica tantum vice ex aquis putrefactis prodiit, nullo alio

Culice præexistente, cur de omnibus idem dicendum non est? Discrimen illud quod in diversas species Culices distribuit ex accidentibus quibusdam desumitur, quæ meo judicio species non multiplicant, sed exornant.

Excipite experimentum aliud, quod ingeniosus eques Henshaw sumpsit ex rore, quo mense majo vas repleverat, illud refero verbis, quibus refertur in Actis philosophicis Anglicanis ann. 1665. *Cum unam mensuram ejus roris prius putrefacti, & excolati imposuisset in apertum vitrum Cylindricum orificio amplo, & stivisset multas septimanas stare in fenestra australi, cui sol multum incubabat, sed cancelli tenebantur arcte clausi; post aliquantulum temporis veniens ad excipiendum rorem suum invenerit plenissimum parvorum Insectorum magnis capitibus, & tenuis texturæ corporibus. Illa, cum accederet, vitri fundum petebant, quasi se occultare vellent, cumque recederet denuo enitebantur in superficiem aquæ, cum ita paulo longius ea liquisset, postea reperit spacium plenissimum culicibus, licet janua, & fenestra semper clausæ fuissent.*

Huic aliud adnecto; quod mihi proximè elapso anno accidit mense Augusti. Vix eo anno Culicis sonum intra domesticos parietes audiveram, cum repente eorum veluti examen infestissimum circumvolitare intra cubiculum animadverti, quo nocturna quies, diurnaque studia molestissime vexabantur. Augebatur illorum numerus, augebanturque molestiæ, quibus remedium non satis in promptu erat afferre. Vas aqua plenum ex puteo accepta perlustravi, ut deprehenderem num ex illo erumperet adeo copiosa Culicum Soboles, & limpidissimam illam inveni, & sine ullo prorsus vermiculo; deinde ad aliud vas accedens, in quo eandem aquam post manuum ablutionem, & aliqua fece mistam ad putrescendum reposueram, adeo ingentem vermiculorum segetem in ipsa latere animadverti, ut si omnes in Culices transmutari reliquissem, nec aerem per os attrahere potuissem sine culice ad respirationem perneccssarium. Hic eventus satis mihi comprobavit historiam Pausaniæ, qui in Achaicis narrat, postquam Mæander Fluvius ostio aquarum impetu oblimato, stagnum reddidit, & edulcavit aqua, neque amplius mare fuit, Culices e lacu tanta copia enatos esse, ut incolas Mysios urbem deserere coegerint; additque etiam Populos, qui sunt infra Pergamum in eamdem calamitatem incidisse. Nascuntur igitur Culices ex aqua stagnante, & *idonea fece subsidente*, ex qua vermiculi primùm efformantur, qui deinde erumpunt in Culices; mihi certè pluries in aqua nati sunt, in qua naviculas illas nunquam potui deprehendere, nec unquam, licet sæpe, & innumeros intra vitra, ubi erat aqua diu conservaverim auctus numerus eorum est, sed post aliquos dies semper periere.

His prænotatis ad inspectionem hujus bestiolæ deveniamus. Illam in Micrographia Hookii agnovimus delineatam, quamvis putet Summerdamius *non satis accuratè expressam fuisse caudam a Viro illo, nec satis naturali situ.* Suammerdamius verò picturam dedit in hist. Insectorum pag. 96. vermiculi: & nimphæ, & pag. 99. Culicis eleganter insculptam; at quia in aliquibus observationes meæ discrepant, illas fideliter, & accuratè exaratas expono.

N. 1. vide Tab. seq. exhibet vermiculũ Microscopio auctum, & diligentissime pluries examinatum, capite ad fundum aquæ pendulo. Cauda vero B, quæ fusco colore imbuitur, & brevibus pilis vestitur, superficiei aquæ adhæresci, ad quam se confert, quando illi libet quiescere, cæterum in aqua semper irrequietus. Corpusculo ad fundum pendulo extremitate caudæ exeitat quamdam cavernulam, ex qua aerem emittit expiratione, ideoque vocatur cauda aerifera a Suammerdamio; aliquando etiam ita cauda adhæresci, ut caput attollat ad eandem superficiem. Abdomen decem annulis distinguitur, si partem numeres, quæ superficiem aquæ attingit. Cum vermiculus iste sit diaphanus videri possunt circa thoracem binæ venæ seu cavitates, quæ respirationem fortasse juvant, quarum finis est in cavernula supra aquam excitata. Inter istas venas collocantur intestina, in quibus observatur excrementorum propulsio, quæ per partem alteram emittuntur. Hujus autem partis fabricam nullus expressit eo modo, quo mihi semper apparuit. Quasi calicem brevibus circumseptum pilis efformat; in ejus ore præter longos, & aculeatos pilos quatuor pennæ seu potius folia subtilissima hinc inde æquali spatio dispositа prominent, in quarum radice punctum nigerrimum notatur. Pili etiam sed breviores, modò terni, modò quini è singulis annulis prodeunt. Ostendit caput, in quo antennæ duæ acuminatæ cornu instar, prope quas sunt oculi rotundi, & nigerrimi. Rictum habet pilosum, in eo multæ sunt partes, quas enulcatius descripsit Suammerdamius, Nos omittimus quia satis clare sunt stylo expressæ, prout sub microscopio apparuere.

Num. 2. exhibet Nimpham ejusdem Vermiculi, in ea caput, quod antea pendulum erat, nunc superficiem aquæ respicit, eique adhæret beneficio antennarum A B, quæ dilatatæ ut duo canaliculi, eundem usum habent, quem in verme cauda. In extremitate caudæ binæ pinnulæ, & quidem aculeatæ extant, quarum unicam tantùm esse Hookius, & Suammerdamius affir-

affirmavit. Abdominis octo annuli apparent magis distincti quàm in Verme, caput verò sub membrana transparenti latet, videnturque pediculi plicati sub alis, oculi tumidiores, aculeus seu Tuba circa oculos emergens.

Sub num. 3. jam ipse culex exprimitur nimpha exutus. In capite sunt Oculi, Antennæ, & Aculeus; huic adnectuntur binæ partes aculeo æquales, quas Suammerdamius vocavit aculei Comites triplici articulatione divisos. Lanugine vestitos, sicuti est aculeus, qui nulla gaudet articulatione, & extremitatem habet quinque longioribus pilis in girum dispositis armatam. Iste tamen qui vocatur aculeus, fistula potius seu vagina dicenda est, in qua aculeus adeo subtilis servatur, ut difficiliter quovis Microscopio deprehendi possit. E vagina hac eductum expressit Suammerdamius sicuti in hac tabula pingitur litt. C. non tamen ex illa emissum a culice observare unquam potui, sed clarissimè vidi disrupta vagina, in ea latere, ut ostenditur in D, Antennæ autem E F, oriuntur ex globulis, & dividuntur in duodecim nigricantes nodos, qui circumvestiuntur non lanugine, sed pilis tali ordine, ut se mutuò intersecare videantur. Circa finem earum conspicuus est alius nodus cum pilis in circulum dispositis. Reliqua pars in acumen definit lanugine circumtectum. Hujusmodi Antennæ diversimode in multis apparent efformatæ; putavit Suammerdamius, Culices fœmellas inde dignosci, eò quòd, licet in duodecim nodos dividantur, isti sex tantum pilis muniuntur ut litt. G. & aculei comites non adeo protendantur ut in maribus.

Oculi totum ferè caput occupant, sicuti fere in omnibus hujus generis Insectis: colore virescunt, forma sunt reticulati.

Reliquas partes Thoraci adnexas Suammerdamius ita descripsit pag. 100. Thorax continet pedes, alas, & adhuc binas appendices ovali quodammodo figura, à qua eos malleolos nuncupabimus. Pediculi fusci sunt coloris septemque constant articulis, qui in pediculis postremis majores sunt, quam in prioribus, ac desinunt in duos uncinatos unguiculos; & plane vestiuntur ubique squammulis quasi lanuginosis, inter quam lanuginem prorepunt nigricantes pili duriusculi. Alæ circumcirca limbo quodam lanuginoso prætexuntur; præter hæc nervuli, sive quis venas putare malit, per alarum superficiem dispersi lemniscis lanuginosis nigricantibus sunt obsiti; Alarum verò expansio tralucet estque membranosa.

Talem descriptionem rescripsi, ut aliqua ulterius adderentur, quæ in nostris observationibus deprehendimus. Primo loco num. 4. contemplandam propono Alam integram suis partibus perfectè absolutam, & diligenter delineatam. In ea videtur nervorum dispositio, quibus alæ membranula expansa semper continetur. Placuit eorum lanuginem clarè recognoscere, apparuitque esse veluti folia nervis alarum addita, ut Virgis arborum folia. Observavi insuper membranam subtilissimam frequentissimis punctis notatam, ut apparet in ala sub num. 5. valde Microscopio aucta. Ejus limbum, quem Suammerdamius vocavit lanuginosum, potius ego dixerim foliatum; emergunt enim ex nervo, quo circundatur ala, frondes triplici ordine dispositæ, quarum longiores collocantur inter binas breviores, eo modo, quo in Icone apparet. Has recognovit etiam Lavenochius. Earum forma frondes olivarum imitatur valdè acuminatas, & quinque aut sex nervulis per longum striatas. Velum insuper expansum brevissimis, & raris pilis sine ullo ordine vestitur. Arduum autem est singulas hujusmodi alarum partes perfectè calamo exprimere, cum tenuitas ejus artificiosa superetur fabrica, qua certè pennarum dispositio in magnis Avibus superatur. Lanugo verò seu squammæ, quibus crura, venter, aliæque partes circumvestiuntur, ab illis decisæ apparuerunt ut num. 6. indicantur.

§. VII.

CULEX Minimus Aculeatus Vulgo SARAPICO.

CUlicum distinctio perplexa, & obscura omnes quidem Philosophos exercuit, inquit Mouffetus lib. 1. de Insect. c. 13. Quæ nam sit hujus origo impossibile mihi fuit deprehendere. Ex aqua cum calce mista illam trahi probabile est. Frequens enim in summis caloribus circumvolitat ubi sunt muri recenter dealbati, quibus libenter hæret, ut calcis salem exugat. Vel ad speciem Culicum vinariorum spectat, de quibus Arist. hist. Animal. lib. 4. cap. 8. Vinarius Culex non advolat ad dulce quidquam, sed solum ad acida. Si ejus molem respicias, vix dignoscitur, adeo exigua est, & sine colore. Difficile capitur, eò quòd cum manum contra illum admoveas, leviſſima aeris compressione admonitus evolat. Avidissimus humani Sanguinis noctu præcipuè venatur sine sono, & licet aculeum breviorem habeat, adeo profunde carni dormientis immergit, ut non rarò e somno dolore vulneris excitet. Illum delineavi num. 7. Microscopio valdè auctum. Præter thoracem, cui sex subtilissimi, & longissimi pedes connectuntur; septem annulis distinguitur Venter, qui

desi-

desinit in mucronem alteri mucroni explicato conjunctum. Alas habet longitudine fere ventri æquales quarum forma clarius apparet in num.8. supra nervulos subtilissimos, & frequentes earum velum extenditur punctis minutissimis notatum, & totæ hirsutæ sunt spissis, & longis pilis, sicuti & reliquæ corporis partes. Antennas binas plicatiles PP. emittit ex binis globulis capiti adjectis, quæ raris, & longis setis in girum dispositis ornantur. Præter antennas alias duas crassiores Q. propè rictum habet, septem, vel octo incisuris distinctas, & lanugine circumtectas. Inter has est aculeus S. seu potius aculei vagina, aliquantulum retorta, & parum longa.

Aliud non valdè dissimile Animal forte incidit in laqueos, quod valdè fuerat molestum, mole quidem æquale supradicto culici. Illud propterea non delineavi, sed solam alam 9. selegi, quam dissimilem habebat, sicuti, & Antennas: Ex illis unam indicat num. 10. decem compactam globulis perfectè rotundis, debitoque intervallo inter se distantibus, quibus in girum adjecti sunt pili longiores, & pars extrema in mucronem obtusum desinit. Ala verò subtilissima in acumen desinens decem nervulis in longum sustentatur.

§. VIII.

PAPILIO.

SPecies tot Papilionum sunt, quot Erucarum, è quarum Aureliis quique proficiscuntur: nec eorum copiosam descriptionem hic aggredimur. Quis enim fœcunditatem elegantiamque Naturæ hac in parte potest exprimere? Non minùs certè lusit, vel potiùs sedulo operata est in eorum variis vestibus, coloribus, orbiculis, lineis, globulis, meandris, stellulis, tesseris laciniisque ornandis. Ex iis multiplices alis concharum instar dispositis munitæ, aliæ clavatis, aliæ rotundis, aliæ in latum expansis inenarrabilem nobis magis Dei potentiam, quàm mirabiles colores ostendunt. Quam multæ opere plumato, & phrigio superbiunt, ac si Natura in eis ornandis pigmentariam suam omnem officinam exhausisset. Papilionum formas, inquit Mouffetus lib. 1. c. 14. apparatus elegantiam, & opulentas qui vestes intuetur, quomodo magnificum illum Deum opulentiæ suæ authorem non agnoscit?

Eorum copiosam collectionem disposueram in Musæo, quæ intuentium admirationem excitabat. At illius jacturam Temporis edacitas peperit. Illos enim integras servare nulla arte potui primò contra tinearum minutissimarum dentes: deinde contra tenuissimam eorum compositionem, nam in minutissimum pulverem post aliquot annos rediguntur.

Adeat igitur qui eorum species recognoscere cupit, tractatus Goedartii, qui multorum annorum spatia laboremque impendit in hac curiosissima Papilionum indagine, adeat Insectorum Theatrum à Mouffeto editum, qui lib. 1. cap. 14. supra centum eleganter descripsit, in duo genera dividens, quorum altero nocturni, diurni altero comprehenduntur, & in quovis maximi, medii, & minimi. Legat Aldrovandum lib. 2. de Insectis ubi cap. 4. Papilionum fere centum species, totidemque fere Erucarum comprehendit. Nos tantum aliqua delibabimus Microscopio detecta, & à nullo, quem sciam paginis consignata. Sunt Papiliones, præsertim eorum alæ cinere aut pulvere quodam leviissimo consperſi. De illis loquens Hieremias Martius in carminibus Nicandri latinè redditis. *Quendam* (ait) *cinerem dum prenderis edunt*. Istum cinerem seu pulverem subjiciemus microscopio recognitum. Num. 11. ejus granula indicat, quæ, ut intueris, tot pennæ sunt seu foliola veli subtilissimi, ex alarum membranula decisa: ut id melius appareat vide sub num. 12. alæ frustulum sub microscopio visum. Earum membranula extenditur inter nervulos indicatos ab CC.DD. & spatium inter utrosque nervos repletur pennis in membrana dispositis squamarum modo, seu melius dicam, pennarum instar, quæ cutem Avium contegunt. Illud exactè delineavi, ut mihi apparuit, non quidem totum hujusmodi pennis contectum, sed multis in locis privatum eisdem, quarum tamen cicatrices, in quibus insertæ erant, clarè ostendebantur in utraque parte punctis OO. notatæ, membrana enim illa diaphana est, & subtilissima.

Hoc curioso alarum opificio in Papilionibus recognito, cupido mihi incessit videndi, num in omnibus idem esset, ejusdemque formæ cinis singularum. Fulvus erat Papilio ex cujus ala frustulum supra descriptum fuerat decisum. Venatione proinde instituta, multos colore, & magnitudine diversos comparavi, quorum cineres microscopio subdidi. At mirum dictu, quàm copiosa pennarum diversa species sese obtulit intuenti. Aliquas placuit calamo exprimere. Num. 13. Papilionis pennas designat subtilissimas, & respectu ceterarum minimas, nervulo circundatæ illæ sunt, è quo pediculus formatur in alæ membrana insertus. Fere ovalem figuram imitaretur, nisi extremitas, cui adnectitur pediculus, aliquantulum inflecteretur, ut in F. apparet; aliquot tamen observavi

in

in extremitate opposita dentatas instar serræ ut in G.

Num. 14. ostenduntur pennæ ex alio papilione desumptæ; longissimæ illæ erant, ut expressimus foliaque chicorei imitabantur, quarum aliquot in parte pediculo oppositæ bifida erant ut in A.

Sub num. 15. pennæ indicantur veluti transversim detonsæ, non recta incisione, sed denticulata ut in B. robusto, & crasso pediculo præditæ, qui supra membranam ita extenditur, ut flabellum videatur efficere.

16. Pennæ aliæ forma fere similes Superioribus, at minus latæ, nervulo, sicuti aliæ circumdatæ, quem claudit pediculus C. valdè brevis extra membranam tantùm extensus.

17. Ex Papilione primæ magnitudinis, corpore hirsuto nigricante, fuerunt decisæ hæ pennæ valdè longæ, & robustæ. Videntur enim è nervulis compositæ, quos firma membrana connectit. Partem, qua in ala inseruntur, valdè acuminatam habent, eam verò, quæ in aerem panditur, cuspidibus oblongis armatam modò trifidam, interdum quadrifariam divisam, aliquando binas tantùm, sæpe verò quinas cuspides protendentem.

Num. 18. eas pennas indico, quas observavi tanquam arboris folia non parum lata, modò bifida, modò trifida, at semper cuspidibus instar unguium in volucribus aduncis.

19. Exprimuntur pennæ valdè subtiles, ac longæ: earum pediculus bifariam illas secans oppositas partes connectit. Ita protenduntur, ut nervulus, quo circumdantur ejus latera fere paralella efficiat, at propè pediculum modò in circulum, modò in mucronem inflectantur. Singulæ ternis, vel quinis, vel septenis cuspibus muniuntur nervulis in membrana profunde extensis.

20. Non valde à supradictis differunt hæ aliæ, nisi quòd pluribus, & subtilioribus cuspidibus sint præditæ. Numerum enim octavum non rarò attingunt, quapropter extremitate magis expansa auras excipiunt: propè pediculum semper semicirculum effingunt.

21. Pennæ omnium longissimæ; quò magis à pediculo recedunt, eò magis coarctantur, at circa medium latiores semper magis expansæ protenduntur, donec folium fructicis exprimant, modò rotundum modò trifidum, & quinis etiam incisuris distinctum, aliquando bisulcum ut in A.

Numerus 22. pennulas demonstrat longas, & angustas tribus, aut quatuor acuminibus distinctas pediculo ad oppositam partem usque protenso.

23. Fimbria alæ à Papilione desumptæ, longis, firmis, & spissis cuspidibus armatæ. Histricis cutim dixeris sub Microscopio apparentem. Illæ tamen pili vix apparentes nudo oculo erant.

24. Extremitas ex diversa ala, spissis, & oblongis, sed inæqualibus pennis laciniata. Altera alteri sine ullo ordine superpositæ. Similes retulit Borellus obs. 56. scribens: folium filicis imitantur, rursumque villi pennam integram imitantur, aliquo pacto, nova villorum ex unoquoque productione. In quibusdam verò triplex est series villorum, in alis unica.

Aliam nos alę fimbriam hic addimus num. 25. ex papilione parvulo desumptam; aurea illa apparebat, & Microscopio oppositæ longissimis, angustis, & innumeris pennis compacta, eodem modo, quo indicat figura. Hæc selegi ex quamplurimis alis Papilionum, in quibus diversitas notabilis apparuit. Reliquorum pennæ, vel omnino similes sunt, vel parum dissimiles. Cæterum colores adeò varios ostentant, ut numerari non tam facilè possint. Eos omittimus, cum nudo oculo satis clarè conspiciamus, non autem alarum pennas, quas minutissimum pulverem judicamus.

Post alarum inspectionem examen instituimus reliquarum partium in Papilione, videlicet Antennarum, Proboscidis, & Oculorum, qui in eisdem maximè protuberant. De his nostras observationes referemus cùm de Muscis sermo erit. Proboscidem, & Antennas hic subjicimus.

Duplex ergo Antennarum genus recognoverunt in Papilionibus Auctores, aliquæ enim sunt longiores, breviores aliæ, illæ spissis internodiis constant. Viginti quatuor numeravit Muraltus, ut facilè quaqua versus plicari possint, & æquali crassitie, præterquam in apice qui tuberosus est, clavamque imitatur. Breviores assurgunt aliquantulum in arcum contortæ, & plumiformes seu terno ordine pilorum ornatæ. Earum particulam expressimus num. 26. microscopio recognitam, quia inermi oculo ejus structura haud dignosci potest.

Sub n. 27. intuere Papilionis Proboscidem in helicem pluries contortam, sensimque attenuatam, prout latere solet in ore Papilionum, quod in duas partes dissectum receptaculum efformat, proboscidis convolutæ capax. De hac Mouffetus primum mediæ molis Papilionem describens, sic ait, *Nasi loco capillus provenit hirsutus, veluti in spiram sæpius involutus*, & *pagina* 88. *Florentibus malvis maximè abundant Papiliones ex cujus floribus proboscide involuta rorem succumque dulcem exsugunt ad corporis refectionem.* Hac tamen locutione non explicat quo nam pacto id peragant, nec ille nec alius quem sciam

ſciam partem recognovit ad ſugendum inſtitutam. *Hæc*, inquit Joannes de Muralto num. 10. Miſcel. curioſ. obſ. 82. *dum mella, & ſuccos è floribus arripit extenditur*. En igitur ſub numero 28. proboſcidem aliquantulum explicatam, prout ſub microſcopio clariſſimè apparuit. Bifida illa eſt ut vides, ſeu ex duabus fiſtulis compoſita, quæ propè os connectuntur, & unicum canalem utriſque æquivalentem efformant. Has fiſtulas explicat Papilio, ut vides in B. N. T. ad rorem florum hauriendum, (melle enim vivit, & humore dulci è floribus collecto) quo hauſto, continuò in helicem retrahit. At qua ratione, mirum dictu eſt, Divinæque Providentiæ inſigne argumentum! Tali enim arte Opifex ille admirabilis fiſtulam huic beſtiolæ aptavit, ut celerrimè ſimul copiosè alimentum ſuppeditaret. En ſub num. 29. ad vivum delineatam proboſcidis partem extremam OO. Illam expreſſimus, ac ſi eſſet floris foliolo applicata ſupra lineam AC. quæ pro rore ſubeſt. Non igitur proboſcidis ſummitate rorem excipit (parum enim, & tarde ſic hauriret) ſed quamplurimis veluti papillis, ſeu multiplici, ut ita dicam, ore DEF. in lineam diſpoſitis, quibus flori vix applicatis, vel unico hauſtu, vel paucis attractionibus abunde exugit, immiſſo rore in omnes illos minores canaliculos, à quibus deinde tota fiſtula proboſcidis impletur. Curioſo Naturæ inſpectori remanet hic inquirendum, cur tali ſtructura hæ papillæ, quas octo circiter ſingulis in partibus numeravi, fuerint tali modo fabricatæ à Natura, ut clarius expreſſimus litt. DEF. Vides in MM. fiſtulam proboſcidis, quæ appendices habet perforatas laciniarum inſtar. Huic adnectitur papilla in iii. An fortaſſe putandum eſt Tubercula illa rore impleri cum attrahitur, nec ſtatim à Papilione per fiſtulam proboſcidis deglutiri, ſed tot eſſe receptacula pro humore illo ſervando, vel ad aliquam utilem animalculo fermentationem, & veluti primam digeſtionem, ut dentium ope fit in cœteris, quæ dentes habent, vel ad ejuſdem delicias, quibus frui pro libito poſſit, paulatim attrahendo vitalem, & ſapidum illum humorem, dum quieſcit, ut accidit in multis Avibus, qui deglutitos cibos in ingluvie recondunt, è qua paulatim tranſmittunt ad ventrem?

Dum hæc adnotarem oblatus fuit Papilio primæ magnitudinis. colore heluaceus, & hirſutus, in ſuburbana cripta acceptus. Ex eo fiſtulam exemi, quæ ſub Microſcopio expoſita non parum ab alia diſcrepans apparuit. Illam numero 30. expreſſi in helicem aliquantulum contortam, & bifidam. In ſingulis extremitatibus ultra quinquaginta lacinias, ſeu appendices OOO. viginti papillas numeravi, non quidem in una linea æquali ſpatio diſpoſitas, ſed undequaque à fiſtula prominentes, ut exprimitur in aaa. Forma etiam differebant aliquantulum à ſupradictis.

§. IX.

MUSCA.

EX Papilionibus ad Muſcarum venatum non inutilem, ut olim Domitianus, tranſitum facimus, non quidem ad eas exactè deſcribendas. Tot enim illarum ſunt ſpecies, ut in ipſis pingendis, vel Apellem ſudaturum dicendum ſit, ſed ut earum partes præcipuas Microſcopio viſas exponamus. Cap. 56. part. primæ pag. 235. de Viventibus &c. mentionem fecimus Muſcæ, quæ ex verme nato in Piſce putrefacto originem traxit, ejuſque figuram promiſimus, quæ vulgares Muſcas imitabatur. En igitur illam per partes hic ſubjicio, & primo loco num. 31. partem extremam corporis. Muſcæ enim quamplurimæ in tres præcipuè partes dividuntur, Caput, Pectus ſeu Thoracem, & reliquum corpus, quod caudæ vicem ſupplet. Septem habebat inciſuras ſubalbidi coloris cum maculis ſubnigricantibus, eo ordine diſpoſitis, quo calamus expreſſit, brevibus, raris, ſed craſſis pilis ſetoſas. Venter ex cinereo luteſcente dilutè vireſcebat. Pectori ſex pedes adhærebant, quorum poſteriores longiſſimi. Robertus Hookius in ſua Micrographia obſ. 36. deſcriptionem tradit pedis alicujus Muſcæ, & explicat quare parva illa animalcula in ſummitate tabulati alicujus ſuſpendi, ibique ambulare poſſint, neque tamen exinde decidant; aitque optimam, & veriſſimam rationem eſſe ut microſcopio repertam, Muſcam ſub extremitate cujuſque pedis duobus unguibus eſſe inſtructas, in maximè exiguos omnis generis corporum poros facilè intrantibus, & plantas præterea pedum ipſarum innumeris parvis cuſpidibus, carminatorum pectines referentibus, eſſe tectas, quibus facilè adhæreant minimis corporum politiſſimorum inæqualitatibus. Pedem tamen non ita exprimit, ut ejus obſervationes legenti clariſſimè ſubjiciatur. Expreſſit D. Jo: Franciſcus Griendelius Microgr. fig. 9. aitque ejus extremitati adhærere *hamulum ſeu ungulam, quibus facillimè obvia quæque arripit, præterea pedes aculeorum maxima ſcatere copia, non abſimiles inſtrumento illo, quo Opifices in carminanda utuntur lana. Hos aculeos politiſſimis infigere rebus, inque menſa, vel muro, abſque ullo præcipitii metu divagari*. Figuram ex ejus obſervationibus

trans-

translatam hic appono num. 32. nec audeo contradicere.

Nonnulli autem putarunt pedes ipſarum humore quodam glutinoſo eſſe refertos, cujus beneficio maneant affixæ in omni re, quam tangunt, & quidem ſuſpicionem confirmant muſcæ, quæ non ſolùm lignis, pomis, aliiſque rebus adhærent, ſed ſæpiſſimè ſpeculis perfectè complanatis, & ſine ulla inæqualitate nitidiſſimis non ſolùm verticaliter erectis, ſed orizontaliter jacentibus, & eorum ſuperficiem inferiorem percurrunt. Qui nam veritatem aſſequatur deduci fortaſſe poterit ex obſervatione ſequenti.

Jacuerant per aliquot dies Vermium criſalides, ex quibus deinde orta fuit muſca, quam deſcribimus. Diſrupto putamine demum apparuit in vaſe vitreo, ubi criſalides condideram, & quidem non perfectè formata. Crura enim non benè extenſa, & alas implicatas habebat, ut ſunt florum frondes in calicibus: extenſis demum pedibus huc illuc ſupra vitrum diſcurrens ſeſe plurimum contorquebat, ac ſi doloribus angeretur: tota ſæpè intumeſcens, vires ſuas omnes inſumebat, in repetitis niſibus, & interim Alæ, quæ complicatæ, & humefactæ erant, paulatim explicabantur: demum beneficio aeris exſiccatis, è reptili muſca evadebat volucris. Cum his conatibus alas explicaret, pedibus maximè extenſis firmiter adhærebat vitro, non quidem unguibus. Vitrum enim maximè nitidum, & levigatum, poros non adeò frequentes ſubminiſtrare illis poterat, ſed quibuſdam pulvillis, qui in Muſca recenter formata maxime erant tumidi. Illos expreſſi num. 33. & Microſcopio ſubjecti apparebant perfectè adhæreſcentes vitro, in quo incluſæ erant. Num. 34. poſui eoſdem pulvillos è contrario ſitu viſos cum unguibus ſupradictis. Qui pulvilli albicabant circumtecti lanugine breviſſima, & pingui humore ſaturata. In aliis Muſcis eoſdem pulvillos deprehendi, ſed minus tumidos, & bifidos ut num. 35. expreſſi. Tales retulit Hookius pagina 168. Schem XXIII. fig. prima, ubi exprimit Ungues piloſos; mihi tamen apparuerunt ſemper veluti è bubalino cornu facti, nigri, & leves inſtar unguium in Volucribus.

Adhærent igitur corporibus muſcæ non ſolùm unguibus, ſed cum opus eſt ſupra maximè levigata, beneficio humoris glutinoſi, qui ex pulvillis pedum compreſsis tanquam ſudor emanat, & in lanugine ipſorum detinetur.

Hanc obſervationem alia confirmat curioſiſſima, quam ei ſuperaddo. Dum obſervarem Cyanum Turcicum, vulgò *Fior d' ambretta*, ob odorem ſuaviſſimum, quo redolet; animadverti aliqua puncta nigerrima, & pigro motu per foliola diſcurrentia. Microſcopio oppoſita apparuerunt Inſecta mihi anonima, ut exprimuntur num. 36. Tribus conſtabant partibus, capite, dorſo, ventre, poſt quem ſequebantur ſeptem annuli adjectæ cauda. Sex pedibus erant prædita, quorum duo infimi ventri copulabantur, quatuor alii Pectori, in articulos diviſi, ut in figura exprimuntur. Capiti binæ antennæ prominebant, ſeptem inciſuris plicatiles. Dorſo erant affixæ duæ alæ in extremitatibus ita connexæ, ut nunquam explicari poſſent. Membrana propterea carebant, longis, & nigerrimis pilis tantùm hirſutæ, qui aliquando attollebantur; ut in hiſtrice aculei. Sed ad rem noſtram. Quatuor priorum pedum extremitates, ita efformatæ erant, ut crumenas ſimularent è membranula lucidiſſima compactas. His utebatur Animal applicando ſupra vitrum, & quotieſcumque reptatum geminaret, toties crumenulas illas dilatabat, premebatque iiſdem vitri ſuperficiem, cui hoc modo adhæreſcens citiſſimè progrediebatur, in quo motu inutiles erant pedes ultimi, utpote talibus pulvillis humectantibus orbati, & ſimul ac vitro impingerentur, illico propter levorem labebantur. Similes pedum lapſus notavi in Pediculis, Pulicibus, cæteriſque hujuſmodi inſectis inter duo concava vitra incluſis, licet longis, aduncis, & firmis unguibus eſſent prædita. Experimentum ſumat curioſus, ponendo aliquod hujus generis ſupra laminam vitream perfectè levigatam; deinde ſi attollat, vertatque, ut ea pars, in qua eſt animal, planum orizontale reſpiciat, cadet profecto Animal, ſed hærebit diu muſca, laminamque pro libito ſine ruinæ metu percurret. Certe mihi pluries accidit reſpicere Cimices in vitrea cucurbita incluſos, nunquam ad ejus os potuiſſe pervenire; etenim progredientes ſtatim ac ad latera aſcendebant aliquantulum verticaliter erecta, labebantur ad fundum.

Dubitavi propterea, An idem putandum eſſet de ſtellione, qui frequenter hic Romæ ſub tectorum imbrices latet, & tempore æſtatis circa feneſtras domorum auras captat, ſeu muſcas, ut varii putant, aucupatur. Hæret ille non ſolùm ſub cubiculorum fornicibus, ſed feneſtrarum vitra citiſſimè percurrit, pertrahitque ſui corporis molem non parum gravem. Ad examen igitur revocavi ejus pedes ope microſcopii, eorumque digitos vidi armatos quinque unguibus brevibus, maximeque aduncis, & acutis inſtar unguium in fele, & præter ungues totam digitorum partem, qua ſubjectum corpus reptantes tangunt, in plura pulviſcula mollia, & humida eſſe diviſam, eo ordine, & numero ut apparet num. 37.

Hæc notaſſe ſufficiat circa pedes Muſcarum,

quorum duobus anterioribus pro manibus utuntur, quatuor aliis juvantur in incessu. Nunc alas inspiciamus, quarum tamen remigio non utuntur, ut Vespertiliones. Si quis diligenter eas inspiciat, quando sub sole expanduntur, variis pictæ coloribus apparent, cæterum è subtilissima, & diaphana membranula compactæ sunt, quæ nervorum beneficio expansa conservatur. Sed quàm varias in muscarum alis nervorum dispositiones Natura effinxerit, quis valeat explicare? modò plures modò pauciores numerantur, totidemque sunt eorum diversæ compages, quot diversæ sunt Muscarum species. Alam desumptam è supradicta Musca hic n. 38. exhibeo Microscopio auctam, in qua fideliter, & ad vivum expressi nervorum seriem, & connexionem, quibus compacta erat. In utraque parte membrana, quæ inter nervos continebatur brevibus, & raris spiculis munita apparebat, insuper ejus fimbria exornata quadam pilorum serie, quam non vidi in Schemmate XXVI. ubi Hookius fig. 2. muscæ alam elegantissime expressit; an ex incuria sculptoris, an ex defectu alæ omissa illa fuerit incertum est; unum scio, illam semper à me observatam fuisse, ut in frustulo alæ ad vivum delineatæ num. 39. ex quo arguitur, adeo Muscam fuisse Microscopio auctam, ut de ea dici posset tritum illud, De Musca Elephantem facere.

Quandoquidem Elephantis nomen usurpatum est, in mentem revocatur Proboscis, quam cum Elephante habet communem, quaque depascitur. *Musca ulciscitur*, inquit Moufetus, *non aculeo, ut Apis, & Vespa, sed ore, & proboscide. Ex ipsa dens foras prominet quo pungit, lac, & sanguinem bibit, quem non magno dolore, sed titillante, eorum, quos pungit, exhaurit.* Dentem tamen non describit, nec exprimit. Griendelius obs. 11. fig. 6. de illa sic refert. *Vulgo Muscas acriter pungere aiunt, quod tamen veritati haud videtur consonum, quin potius rostri hujus, seu promuscidis ope interpremunt, quod ab aliis Culicum speciebus singulare habent, in rostello enim sive lingua Muscæ ne vestigium quidem aculei est, quin potius forcipe gaudet, qua sese aperit iterumque pro libito claudit.* Cl. tamen Hookius in sua Micrographia pag. 163. describit exactè muscæ aculeum ejus figuram ex Schem. XVI. fig. 2. acceptam transtuli in meam tabulam num. 35. ut clarior fieret Hookii descriptio, quæ in Ephemeridibus Litteratorum an. 1668. 20. Decembris refertur sic. Constat aculeus Muscæ ex duabus partibus, cujus prima d. b. plures habet nodos, sive junctiuras s.g. h.i. præterea plures aculeos p. q. r. s. t. perfectè ungues cati alicujus repræsentantes, quos Musca extendit, & retrahit, quando lubet. *Altera pars cuspis est aculei, quæ in prima perinde atque gladius in vagina inclusa est, quæ etiam pluribus ab utroque latere unguibus u x y. est armata, atque eis adhæret aculeus vulneri à Musca inflicto, quo etiam impediunt, ne illud iterum constringatur. Quod verò maximè dolorem aliquem excitare potest liquor aliquis corrosivus, & venenosus vaginæ inclusus, in vulnus immissus corrodit fibras, & inflammationem efficit.* Ex ultimis verbis præbetur ansa inquirendi, an Aculei, Dentes, & Ungues multorum animalium, quorum vulnera mortem inferunt, illam efficiant humore aliquo in vulnera immisso, & quo nam pacto id fiat, an potius alia ratione, quam alibi ad trutinam Observationum expendemus. Cæterum Hookii observationem non respuo, quamvis in muscis vulgaribus proboscidem semper observarim, & nunquam aculeum, potuit enim illud observari in aliqua musca mihi ignota.

Patent verò in omnibus oculi, qui sunt emissitii, & maximam capitis partem occupant. Primùm à se observatos affirmat Jo: Baptista Hodierna in opusculo cui titulus est *l'Occhio della Musca*, ubi ait: *Vedesi nella superficie convessa dell'occhio, detta Cornea della durezza, che tiene, e dall'essere trasparente come una laminetta di corno ambiente tutta la sostanza dell' occhio un grandissimo numero di ornatissime settioni designate, e tirate per linee curve, e circolari, che trà di loro sono equidistanti, e paralelle, si che attraversandosi le une con le altre ad angoli retti, rendono tutta la convessità dell' occhio distinta in numero così grãde, che eccede il tremillenario, rappresentando l' ambito dell' occhio un emisfero distinto in tre mila piazzette quadre, che rassembra una vaghissima struttura di mosaico di cotante particelle uguali commesse.* D. Griendelius verò observ. 2. fig. 8. talem oculum delineari curavit, addiditq; *plusquam millena quadraturarum millia suum detexisse Microscopium.* At D. Hookius, qui accuratissimè suam micrographiam calamo expressit in Schem. XXIV. observ. 42. delineavi. oculum reticulatum quidem, sed in unoquoque retis spatiolo globulos collocavit, & cum proportione paulatim diminutos. Ejus particulam è Schem. XXIII. fig. 3. desumptam hic subjicio num. 36. in qua orbicula novemdecim dispositа tali modo sunt, ut inter ea remaneant spatiola trium angulorum, qui è lineis curvis globulorum mutuò sese tangentium procedunt. In singulis apparet duplex objectum, nempè fenestra cubiculi oppositа.

Ego meam observarionem expono aliquantulum à supradicta discrepantem. Pluries enim inspexi corneam fuisse quidem divisam à Natura in æquales particulas, ut ait Hodierna, at non

ita

ita ductas divisionis lineas, ut quadrata formarent, sed areas sex angulorum, in quorum singulis cornea pellucida protuberat globuli particulam simulans, spatiis intermediis triangularibus obscuratis. De numero taceo. Nimium enim laboriosum erat numerare. Hæc globulorum dispositio clarissimè sub microscopio patuit contra lucem exposito. Videbam enim extremitatem corneæ disruptæ non eo modo, quo in A B C. Hookius delineavit, orbiculorum scilicet circumferentiam, sed duo latera Hexagoni perfectissimè ab aliis propinquis separata, ut apparet num. 37.

Non defuit qui talem globulorum congeriem putaverit auditui potius inservire, quàm Visioni. In Ephemeridibus Litteratorum Romanis anni 1669. refertur P. Franciscus de Gottignies in Collegio Romano S. J. Mathesis Professor in hac sententia fuisse, cui me subscribere vetat operosa, & valdè accurata anatomes, qua Joannes Baptista Hodierna hanc Insectorum particulam examinavit, illam percurrat curiosus in tractatu de oculo muscæ Panormi impresso 1644.

Cur talem oculi structuram Natura fabricaverit in muscis aliisque Insectis puta Papilionibus &c. non adeo in promptu est judicare. Petrus Borellus obs. 33. dixit muscas *per cancellos cernere, & fortassè pro uno mille accipere*. At ratione, & experientia improbatur hæc opinio. Verius Hodierna existimavit illa solùm objecta videri, quorum species perpendiculariter per corneam immissa ad centrum oculi possunt pervenire, in quo visio perficitur, non quidem observando per talem corneam in multiplices orbiculos divisam, aliquod objectum, illud videmus multiplicatum, ac si specillo diversarum facierum intueremur. Probabilius dicã Naturam, quæ nihil frustra operatur, cum hujusmodi Insectis tribuerit caput, & oculos immobiles, quos nequeunt pro libito circumferre ad evitandum quidquid nocumento esse illis potest, huic defectui supplere oculo emissitio in plures quasi oculos diviso, quibus statim quacunque in parte dignoscunt, quidquid sibi utile, vel noxium aderit. Hanc rationem deduco ex verbis Galeni, qui cap. 8. lib. 10. de usu partium ait. *Non è quavis positione visibilia omnia cernere possunt oculi, cum neque ex obliquis ac lateribus, neque ex posterioribus, neque ex superioribus, neque (ut summatim dicam) aliud quidpiam, nisi quòd pupillæ ex directo queant cernere, si igitur immobiles penitus oculi extitissent, quod sibi ex directo oppositum esset dumtaxat videntes, pauciſſima prorsus videremus: ob eam sanè causam ea sic disposuit, ut plurimum circumagi, & cum ipsis totum etiam collum ad motum facilè habile &c.* Divisit autem opus reticulatum in plura spatiola exagona, ut quamplurimas particulas collocaret aptas ad visionem. Superficies enim sphærica in nullas figuras æquales melius, & in majorum numerum dividitur, quàm in exagonas. Quot verò illæ sint in muscæ oculo non adeo facilè est numerare. Refert Hookius in singulis oculis septem millia earum inesse.

Quandoquidem de musca sermo fuit, apte hoc in loco addam tres muscas mihi anonimas, quas fortè deprehensas Microscopio subjeci. Erant illæ adeo parvæ, ut vix oculo inermi distinguerentur, sed in ea parva mole, quàm ingens elucebat Divini Opificis peritia! Ex imagine ipsarum facilè deduci illa poterit. Num. 39. repræsentatur musca minimæ molis, quæ in farina triticea pascebatur, senis pedibus, alis brevibus, & angustis munita. Caput valdè compressum, & thoraci adhærens illi erat, in quo duæ parvæ antennæ, & rari pili. Post dorsum sequebatur annulus, & venter in speciem Coni formatus, huic tres aliæ appendices veluti campanulæ conjungebantur. Num. 40. expressi aliam, quæ dum scriberem, supra paginam requievit, in motu celerrima. Punctum calami, nisi motum habuisset, eam existimassem, adeo nigra erat, & parva. Microscopio visa apparuit ut expressi in tres partes divisa, caput, dorsum, & ventrem. Huic duo copulabantur appendices veluti baculi fragmenta rotunda, & transversim dissecta: è Dorso prominebant binæ alæ valdè longæ, sed angustæ. Capiti post binos globulos duæ longæ antennæ valde acuminatæ, & aliquantulum flexibiles. Senis pedibus reptabat in tres articulos divisis, quorum medius albus erat, cæteri ut & reliquæ partes piceo colore infecti. Num. 41. eam posui, quam in vasculo vitreo reperi, ubi poma granata putrida condebantur. Minima erat mole, & licet alas haberet, saltu potius, quàm volatu utebatur, & velociter pedibus reptabat. Erant hi in tres articulos distincti, quorum ultimus in octo alios dividebatur. In capite, quod fere rotundum erat, binæ antennæ decem nodulis plicatiles prominebant; venter in extremitate valdè amplus quinque incisuris compactus, & duabus subtilissimis alis, altera alteri superimposita tegebatur.

Hæc alia sub num. 42. delineata, casu inventa, mole minima, ut vix dignosceretur oculo inermi, sub Microscopio posita valde venusta apparuit. Colorem ex æneo aureum ostentabat, oculos rubeos, & fere totam capitis molem implentes, pilis raris brevibus, & nigerrimis hirsuta: pedes illi erant in tres articulos divisi, dorsum in duas partes distinctum, huic venter

copulabatur novem incisuris aliquantulum flexibilis, insuper duæ alæ semper expansæ è tenuissima membranula diaphana à nigro nervulo circundata; & piceis maculis notata, ut exprimitur in figura.

Numerus 43. indicat muscam pulcherrimam, quæ post sex menses è nucleo gallarum prodiit, volatu, & motu tarda, licet quatuor alis, & sex pedibus esset prædita. Colore heluaceo infecta, tota frequentissimis, & brevibus pilis villosa. Caput notavi amplum, & depressum cum oculis reticulatis sed parvis. Ex eo prodibant duæ longæ antennæ plurimis articulis plicabiles, insuper aliæ duæ appendices tribus vel quatuor partibus compositæ. Illud expressi separatum sub num. 44. ex ea parte visum, ubi os apparebat verticaliter bifidum, ut in Papilionibus, sine ulla proboscide. Sub num. 45. delineavi partem extremam cruris cum duobus unguibus harpaginis instar concinnatis. Alarum structura valdè notabilis se obtulit; Minores enim sine ullo nervorum additamento ad auras panduntur, majores verò plures habent nervos artificiosè dispositos; omnes tamen alæ frequentibus punctis piceis sunt notatæ. Cum eædem plicarentur, ventrem fere media sui parte superabant longitudine, & nervorum dispositionem indicabant, ut sub num. 45. exprimitur.

Aliam muscam minimam, & nigerrimam examinavi curioso Naturæ rimatore dignam. Eam vides sub num. 46. cum oculis emisitiis, reticulatis, proboscide amplissima, & plicabili; cruribus longissimis, ut in culicibus, quinque articulis compositis, alis pilosis supra plures nervos extensis. Torace amplo, & villoso, ventre quinque annulis, & cauda bifariam divisa; velociter gradiebatur, binas ramosas antennas cervorum instar ostentans. Unde prodierit incertum est.

His adnecto sub num. 47. Insectum anonimum non minus elegans quàm rarum. Illud supra saxum viridi lanugine, seu musco circumlitum detexi microscopio. Erat enim adeo parvum, ut sine illo ab oculo non posset videri. Nigerrimum apparuit, exceptis cruribus, quæ miuio saturata micabant, sicuti oris mandibulæ forcipis instar concinnatæ. Prope has prominebant è capite duæ longissimæ antennæ in tres articulos divisæ, quibus rectè extensis, veluti duabus lanceis non solum iter pertentabat, sed frequenter extremitate uncinata apprehendebat quidquid objiciebatur, ut gressum hoc pacto facilius promoveret.

§. X.

PEDICVLVS, PVLEX, & CIMEX.

POst Culices, & Muscas alia tria Insecta expono homini infestissima. Primum Pediculus est, Pulex Secundum, Tertium Cimex. Horum duo prima multi descripserunt, præcipue Hookius. Quamvis fœdius nihil sit quàm Pediculus; repræsentatus tamen per microscopium tam est notatu dignus, quàm horridus aspectu. Ecce figura num. 48. quam Hookius delineari curavit, & perfectè meæ observationi collimans. Dubitatur circa tale Insectum An aculeo præditum sit, quo pungat, an potius rictu mordeat. Supradictus Hookius in pixidem inclusit aliquod ejusmodi duos dies, neque illi dedit quod ederet, & manui suæ impositum, observavit postea immersisse rostrum suum D. impellem, neque tamen ulla ratione aperiri rictus visus est. Griendelius verò obs. 2. fig. 3. cum triduò spatio capsula pediculum sine omni victu incluſum custodivisset, affirmavit observasse, eum manui suæ impositum præparasse se ad suctum, vidisseque quoque nasum ejus satis profunde cuti infixum, immò aperto ore perexiguum sanguinis fluxum statim ex promuscide in ventrem, atque ubi cor, & hepar cum pulmonibus locum habere videntur, desinentem. Observavi ego illum pluries, semperque promuscide orbatum vidi, & non nisi rostrum, deprehendi, in quo caput acuminatur, & aliquantulum aduncum, quo vulnerando excitat in cute dolorem, & foramine instructo sanguinem exugit, qui ad interanea transmitti videtur sub microscopio motu quodam undulatorio, qui cum jucunditate conspicitur melius oculis, microscopio armatis, quàm describitur. Cœterum sex constat pedibus cancrorum instar combinatis tribus majoribus, totidemque minoribus articulis. In extremitate cujusque pedis binas ungulas habet, quibus capillos apprehendendo supra eosdem inambulat; Si cum Pulice conjungatur, ait Philippus Jacobus Sachs in messe observ. Microscopii, Miscel. curios. tom. 1. p. 52. quasi duorum monstrorum in amphiteatro, ut & motus, & ebullitiones sanguinis ab ira excitatæ conspiciantur. *Experimentum sumpsit Griendelius, viditque tanta inter aculeata hæc cataphracta insecta obortam pugnam, ut vix, ait ille, sufficienti admiratione describi queat, quo furore aculeatos suos pedes, & ungulas sibi invicem immiserint rictu, & promuscide sese prebenderint,*

derint, & ingenti cum acerbitate cuti infixerint, ut sanguine sic vehementissimè commoto, tumultuario quodammodo conciderint, & invicem sibi certantes, quasi de victoria obreperint, non secus ac si pediculi loco Crocodilus, & pro Pulice incrustatus Rhinoceros certarent. Hæc innuisse sufficiat, ut cujusvis pateat quàm mira sint Naturæ opera, quæ in minimis tanta sunt, ut omnem superent captum, & cum nobis talem Microscopia præstent usum, exhibeant Creatoris optimi ineffabilem Potentiam, & Sapientiam, qui minimis hisce particulis visum fugientibus miram partium structuram concessit.

De Pulice, quem num. 49. expressi, parum est quod addam; Convenit enim cum imagine ab Hookio diligentissime expressa, in qua videtur Animal loricatum, & longis aculeis munitum. Exprimi etiam curavit ejus imaginem in suis observationibus D. Griendelius, & Romæ 1685. publicavit D. Tortoni; at Calcographi incuria, ut puto, non fideliter delineatam, præcipue aculeum, quo sanguinem Animalium Pulex exhaurit; vel fortasse ob difficultatem, ob quam ille exactè observari non potest; prominet enim sub binas capitis antennas inter binos articulos duorum anteriorum pedum, iisque ut plurimum occultatur.

Ut possit Naturæ rimator observationes iterum instituere, & meos supplere defectus, placuit talium Auctorum observationes adducere. Num. 50. est Pulicis aculeus à D. Tortoni Typis datus. Num. 51. exprimitur eo modo, quo D. Griendelius retulit obs. 2. fig. 4. Num. verò 52. illum posui ab Hookio significatum. Denique num. 53. delineavi, ut mihi sub perfectissimis microscopiis pluries, & pluries apparuit.

Quatuor igitur partes clarissimè recognovi in ejus rictu perfectissimo microscopio armatus, quod dedaleæ manus D. Adriani Henrici de Raveswey hollandi mihi suppeditarunt. Hic enim vir maxime ingeniosus, & morum probitate æque præclarus, tanta solertia ad animi sui laudabilem relaxationem hæc instrumenta optica conficiebat, ut certe sine ullius injuria existimandus sit nulli Artifici secundus. Prima, & secunda sunt A & B. quæ partem superiorem rostri Avium exprimunt, sed bifidam verticaliter, & valdè acuminatam, & cornea lamina compactam. In medio hujus bifidi rostri collocatur proboscis D. membrana durissima constans, & raris pilis hispida. Est hæc in longitudine bifariam dissecta instar manubrii cultri plicatilis, recipitque intra cavitatem aculeum C. quo vulnerat, & sanguinem attrahit. Fistulæ enim instar cavitatem habet, per quam ad guttur O. statim transmittitur sanguis è vulnere acceptus. Cum ad vulnus disponitur attollitur vagina D, & extenditur aculeus C. eo modo, quo videmus Lumbricos acuminari aliquando, quem profundissimè infigit cuti animalium. Sub num. 54. indicavi easdem partes infra rostrum depressas, sub num. 55. easdem supra rostrum maximè elevatas. In triplici enim situ observatas semper easdem recognovi, cum pulex glutine affixus papiro rabie quadam excitatus, sæpe eam fistulam attolleret, educeretque aculeum paratus ad vulnera.

Quod ad hujus Animalculi genesim attinet; innuimus cap. 72. partis primæ de Viventibus probabiliter spontè primùm provenire juxta multorum sententiam, licet aliquam deinde prolem efficere valeat, ut illi probant. Pulex enim dicitur Isidoro teste, quasi pulveris filius. Aristoteles lib. 5. de hist. Animal. cap. 31. asseruit fieri ex sordibus siccis, & aridis tanquam ex materia. Lib. verò primo de gen. Animal. cap. 16. addidit ex coitu generare quosdam vermiculos instar Ovi. Suammerdamius de Insectis pag. 66. docuit illum originem habere ex lende, in quo subrufum colorem induit, & omnes mutationes, quas in lende subit microscopio satis acuratè observari posse. Ego autem, ut verum fatear, talem ex lende propagationem nunquam potui observare. Potui quidem dispositio pulice intra duo concava vitra ad observationes, videre ova ab illo producta, quæ num. 56. delineavi albissima, & nitida. Ex illis pulices expectavi, prodiit tandem ex uno eorum parvus vermiculus albus, qui brevi temporis intervallo periit, reliquis ovis penitus exsiccatis.

Nascitur verò ex lende seu ovo Cimex, Tertium homini Animal molestissimum, loquor hic de domestico quod proposuimus. Illud expressi num. 57. instar sacculi oblongi cum operculo, prout sub microscopio apparuit. An verò lendes, seu ova ab aliis producantur incertum mihi est: certissimum verò, me nunquam potuisse obtinere à cimicibus quamplurimis in cucurbita virrea cum ore aperto servatis propè rimulas lecti, ubi alii multiplicabantur. Ex qua observatione Aristotelis, & Moufeti sententia non parum roborari mihi suasum est, affirmantium eos generari ex humoribus circa lectos putrescentibus, & è lignis paulatim exudantibus, quamvis possint etiam coitu propagari. Falso tamen dixit Moufetus Cimicem pedes habere juxta collum breves utrinque tres. Ejus imaginem num. 58. exhibui juxta prototypum pluries diligenter observatum, nec apud ullum rerum naturalium perscrutatorem ad vivum expressum.

Senis cruribus in tres articulos divisis reptat velocissime, quorum pedes binis unguibus adun-

aduncis D. armantur. E capite binæ prodeunt antennæ C. in tres particulas divisæ adjecto globulo in earum radice, illis iter pertentant in cursu, sub eisdem eminent duo tubercula, in quibus rotundi oculi F. è pluribus globulis compacti, effigiem fragæ seu fructus sicomori exprimentes. Pilis raris, brevibus, & crassis omnia membra villosa sunt. Inter hæc Aculeus, quo ferit prodigiosus. Intuere proboscidem AE. veluti in tres particulas distinctam, & plicabilem in A. Hanc semper pectori adhærentem servat inter duo priora crura; elevat verò celerrime: cum ad suctum sanguinis adhibere vult, & angulum rectum efformans, ex illa, tanquam è vagina acutissimam acum B. emittens, profundissimè vulnerat.

§. XI.

ACVLEI, SPINÆ, DENTES, & VNGVES acuminati.

CUm de Aculeis horum Animalculorum homini Bestiisque infestissimorum sermo fuerit, in memoriam revocatur controversia illa percelebris inter Scriptores inquirentes: an Acumen Aculei, quo lethaliter vulnerant Scorpiones, vel saltem maximè nocent, sicuti & alia Insecta, puta Crabrones, Vespas, & hujusmodi, foramen aliquod habeat, per quod noxium humorem immittant in vulnera. Insit necne foramen aliquod Unguibus Avium rapacium, Spinis Piscium, Dentibus Araneorum, Luporum, Canum, Serpentum, & præcipue Viperarum.

Controversia quidem curiosissima hæc est, sed accurato oculorum examiae omninò componenda. Si enim Aranearum dentium moles adeo augeatur microscopio, ut Elephantis dentes repræsentent, in illis rimulæ omnes clare patebunt, & videbitur ut ampla caverna foramen, quod aciem oculorum effugiebat. Confido enim, verbo absit invidia, quamplurimos sic detegendos esse errores, quos plerique majorum, tum ob falsas aliorum narrationes, tum industriæ experimentique vitio commiserunt; ut jam agnituri sint Homines, qui attendere in hanc rem velint, quàm necessariam, & quàm utilem his nos proposuerimus disquisitionem. Et ut singula breviter perlustremus, circa Scorpionis aculeum paucis me expediam. Galenus lib. 6. de locis affectis cap. 5. dicit illi foramen nullum inesse; Plinius, Tertullianus, S. Hieronymus, S. Basilius, Aldrovandus, & alii contendunt Scorpionem non ferire tantùm aculeo, sed ex eo excernere aliquod venenum, illudque in vulnus immittere. D. Franciscus Redi de Generat. Insect. pag. 126. impress. Holland. refert à se examinatum fuisse talem aculeum sub microscopiis optimè elaboratis, sed frustra, immo expertum se esse talem aculeum, præsertim in Scorpionibus Tunetanis duriſſimum, & talem, ut nulla ratione ita comprimi posset, ut foras prodiret quidquid in cavitate aculei contineretur. At demum cum veram esse crederet opinionem Galeni, casu sibi accidisse, ut in acumine minutissimam, & fere invisibilem guttulam aquæ candidæ videret, qualem postea pluries vidit, cum iratus motu scorpio ferire nitebatur, indeque collegisse verum esse, quod Ælianus, & Græcus Scoliastes Nicandri dixerunt, affirmantes, aculeum Scorpionis usque adeo insensibiliter perforatum esse, ut omnem oculi aciem foraminis illius structura effugiat. Hujus veridici auctoris observationem amplector. Contradixit verò Ludovicus Lucatellus Medicus hermeticus in Arcanorum Theatro cum scripsit; *Scorpios nullos fuso veneno, sed tantùm aculeo caudæ aut interitum, aut grave negotium percussorum vitæ facessere. Quemadmodum aculei ceteri, cortice qui levissimi cum sint, nihilominus in cutem adacti, dolorem, ruborem, tumorem non contemnendos inferunt.*

Ex Animalculis natura armatis Apes sunt, beneficum alioqui genus, quarum & Vesparum inter venena per plerosque Scriptores reponitur punctura. His Crabrones gravius sauciant, ut carnem alte extumefaciant, & dolore verberent. Sic Avium rapacium Ungues ac Rostra malefica, licet intrinsecus minime venenata censet Cardanus lib. 7. de Rer. variet. cap. 35. & 37. & venenatos opinatur aculeos omnes Piscium, præsertim Pastinacæ marinæ. Angelus Aprosius Eremitarum Augustinianorum Decus, ungues humanos prodidit venenatos. Aristoteles lib. 9. hist. Anim. 44. affirmat idem de unguibus, & dentibus Leoninis, Baccius lib. de Venenis, venenatum facit Lupi, & Canis rabidi dentes. Gulices, Pulices, Cimices & hoc genus in Venenosis reposuerunt Arabes Auctores, quia bestiolas hujusmodi venenum præseferunt morsu.

His omnibus tamen foramen negavit Natura, per quod veneficum liquorem vulneri immittant, quod oculis clarissime patet ope microscopii. Unde autem tumor, dolor, atque interitus derivet, cum sauciant, non eadem inter Scriptores opinio est. Plures ob causas hoc fieri docet Severinus in Vipera Pith. illamque existimat non minimam, quæ ex cœco Vulnere, de

quo

quo nulla sanguinis effusione facta, ille *grumescit & venescit*, verba sunt Severini edocti a Joanne Fernelio lib. 2. de abd. rer. caus. cap. 15. qui grumescentem sanguinem ad proximam veneno pravitatem deduxit. Collisionis plerumque vitio nerveis particulis defixæ, quam pessimam omnium causam advertit Ambrosius Pareus lib. 20. cap. 9. E forma aculei seu dentis etiam provenire posse docet Cardanus lib. 11. de Venenis, quippe multum facit modus, & forma teli lædentis. Sic in ensibus lima exasperatis plurimum atrocitatis inest, sic aduncis, & hamiformibus telis,

Derivant etiam ex humore noxio, qui circa dentes vel aculeos esse solet, & ab ipsis eo aspersis in vulnere, dum feriunt, relinquitur. & quò potentior est, eò magis, ac citius corrumpit, vertitque in naturam suam sanguinis massam, ut ignis, qui urendo crescit. Venenum enim Serpentum, ait Ambrosius Leo Nolanus probl. 321. est bilis calidissima, & subtilissima, quæ sic citò intrat corporis meatus, inque eis corrumpit, quas invenit humiditates, vertitque in sapores crassos, ac venenosos. Venenum canis rabidi atra est, quæ spiritus adstringit, atque exsiccat, refrigeratque immedicabiliter. In irato enim animali bilis subtilissima in totum corpus diffunditur, & sic de cæteris philosophari debemus.

Hanc ultimam nocendi rationem in multis accidere, pro comperto est, præcipue in Araneæ Tarentinæ, & Viperarum morsu. Dentes utriusque microscopio examinatos hic propono. Primo loco num. 59. Dentes duos, qui in Vipera maximi sunt, & Canini seu Leonini vocantur. Illos sic descripsit Severinus cap. 7. §. 4. part. 2. *Dens Viperæ tenuis, acutus, aduncus, sub extremam cuspidem hispidus, multiplex, & fistulosus. Cuspis enim acicularis est, quæ solida pariter, & acuta nulli Bestiarum generi ferarum, non inquam Urso, non Apro, Leoni, Tigridi, Panteræ aut quibusdam Feris inditum dentem cavum tum secundum longitudinem, tum secundum amplitudinem, præterquam viperino, nimirum ut singularis, & inaudita foret huic in nocendo prærogativa, quam cavitatulam edocti subdoli Æginetæ, ne viperam ipsi tractantes jaculato inde veneno conficiantur, massa viscida consueverunt obdurare, Galeno monitore lib. de Theriaca ad Pisonem.*

De iisdem loquens D. Redi Obser. de Viperis pag. 58. ait. *Dicti Dentes interius sunt cavi, & perforati canalium instar, usque ad extremum apicem, & viderunt eos per microscopium moderni Scriptores, videri possint etiam sine microscopio, quando sicci sunt, & ob id leviter contusi finduntur per longitudinem radicis, usque ad acumen in tres aut quatuor festucas monstrantes ad oculum internam cavitatem, quam etiam Antiqui observarunt, & præcipue Plinius.*

Illos curiosa indagine pluries observavi, & sub optimis microscopiis apparuere, ut in imagine num. 60. expressi a me sunt. Aduncì quidem instar unguis in fele, & adeo acuti, ut si contra lucem inspicerem, veluti e cristallo compactos esse judicarem. Hac ratione eorum cavitatem clare deprehendi, non *canalium instar usque ad extremum apicem*; Sed dentium instar, quibus Elephantes armantur, videlicet cavitatem, cujus basis erat in dentium radice, apex verò non in eorum acumine, sed circa medietatem, reliqua parte solida usque ad dentis apicem, in quo nullum foramen inest. Illam cavitatem expressi sub num. 71. ubi A B C, ostendit dentem bifariam per longum divisum A D C, ostendit cavitatem internam.

Ex hac observatione clarissime patet non posse a Vipera per internam cavitatem humor venenatus in vulnus immitti, ut docuit Severinus; nec talem cavitatem receptaculum illius esse, sed talem humorem relinqui a dente extrinsecus humefacto. Cum enim dentes viperarum ad vulnus disponuntur, incipit flavus ille, & pestilens liquor super illos discurrere non intra cavitatem, sed forinsecus a radicibus ad acumen, qui liquor palatum humectat, & in vaginis dentes operientibus restagnat, generatus in universo capite, ut ait Redus pag. 65. & derivans fortasse ad vaginas per quosdam ductus Salivales, quos forte caput illis communicat. Enim verò sicut dentes non sunt ex se venenati, neque receptaculum veneni, sic virus divisim acceptum vim nullam habet, ut enecet, quod non unico in loco probat Severinus in Vipera pytia tract. de Viperis, & idem Redus, experimentis pluribus edocti. Non habent igitur, resumo, Viperarum dentes canaliculum, & ductum apertum, per quem refusum delabatur toxicum.

Non secus philosophari debemus de Araneis, qui Venenum non ictu ut Scorpii, sed morsu ejaculantur. Quantùm morsu nocere possit in aliquibus præcipue Regionibus ex Diodoro Siculo lib. 4. cap. 3. accepimus, & ex Strabone lib. 16. ubi sic scribit. Ultra Lybias, & Zephiros est Regio deserta ob Scorpionum, & Aranearum multitudinem. Cum potu aut cibo assumptæ Araneæ inæqualiter universum corpus calore, frigore, horrore, & prurigine afficiunt, inflammant, tumefaciunt, torquent, sed cerebrum maxime tentant, unde sequi necesse est nervorum distensionem, tremorem, & in universa cute frigidum sudorem.

Inter Araneas præcipua est Tarentina vulgo *Tarantola* dicta, cujus virus miris modis infensum est Agricolis, cum messis tempore in colligen-

gendis fructibus occupantur. *Hæc* (teste D. Wolfrido Senguardio) *iniiciendo, & dentibus mordendo ladit, & venenum dum aperturam rostro vel dentibus facit, ex ore suo in vulnus vel ictum immittit. Mordet*, inquit Kircherus, *dentibus, non pungit aculeo ut Apis.* Martinus Listerus in libro, quem erudite composuit de Araneis, describens cap. 1. eorum partes. *Telis*, inquit, *ab ipso ore procedentibus universi Aranei donantur, at ea duorum, sicut ipsi Aranei generum sunt, vel enim ex duobus spiculis in modum forcipis hamatis constant, ut omnibus octonoculis, vel ex duobus brachiis forcipatis, sive in binos digitos diductis, more cancrorum marinorum, ut binoculis: Ab illis verò ictus venenatus, & pernicioſus, quod iis tela admodum tenuia, & angusta sint, & quæ facillime in corpus penetrent, & alte insideant; ab his forte innocuus morsus*; & paulo post *utriusque generis Maribus Tela, & majora, & validiora sunt, duplicemque iis usum præstant ad vim inferendam, ut in arripiendis, occidendis muscis, aut illarum vim repellendam ulciscendamve.*

Examinavi propterea binos Araneorum dentes instar forcipis simul coeuntes, præcipue in Tarantula, nec inveni aliud rostrum superadditum, ut narrat Senguardius, quo venenum in vulnus immittat. Illos sub num. 62. delineavi microscopio auctos. Eorum substantia fere crustacea, & fragilis erat, intus aliquantulum vacua, sed in solidum acumen desinens sine ullo foramine; quapropter evidenter probatur non posse venenum in vulnera transfundi, nisi eò quòd noxius ille humor, quo maxime Aranei abbundant, dentes ipsos humectet, & in morsu sanguinem aliorum inficiat: ea ratione, qua D. Redi expertum se esse testatur in sua Epistola ad D. Alexandrum Morum, ubi pag. 18. hęc habet. *Cum ex vaginis dentium, & ex palato Viperarum exemissem omnem liquorem flavum, & viscosum, qui inerat, ungebam cum ipso, & oblinebam aliquas virgulas scoparum, quas acuta cuspide præparabam in modum minoris sagittæ, & subito ipsis pungebam decem pullos columbinos, relinquebam infixas, & absconditas in vulnere istas venenatas virgulas, & columbæ non supervivebant duas vel tres horas. Sed ne quis posset dubium movere num mortuæ illæ fuerint ratione simplicis vulneris exasperati per continuas punctiuras istorum virgultorum, eundem ludum cum aliis quatuor columbis repetebam, sed non cum virgultis liquore isto venenato intinctis, quæ non moriebantur.*

Quandoquidem in Aranea Tarentina observatio hæc desumpta est lubet hic addere hujus valde noxii Insecti imaginem, num. 61. parum microscopio auctam. Binæ antennæ sive cornicula illi inerant capitis inserta tribus juncturis constantia. Octo pedes pectori inserebantur, quorum quatuor anteriores longissimi, duo postremi breviores, superabant tamen alios duos intermedios. Omnes Araneos internodia terna habere in cruribus affirmavit Lister, quæ etiam in Tarantula numeravi, eorum extremitates duobus spiculis aduncis muniuntur, quibus fila arripit. Cutis pilis obtegebatur brevibus, sicut & crura, quæ nigris maculis nigricabant, alternatim cum osseis dispositis. Alvus notabili incisura a pectore dividebatur, & valde tumescens longitudine bis æquabat reliquas corporis partes. Ejus cutim tophaceam transversim secabant Zonæ nigricantes. Caput verò nulla incisura ab humeris pectoreve discernebatur, & in eo sex oculi inter Antennas apparebant, quorum duo aliis quatuor majores, omnes nigerrimi, & sphærici protuberabant eo modo dispositi ut in figura num. 62. exprimuntur.

De oculis Araneorum dubitavit Lister an senarius, vel octonarius, vel binarius in ullo inveniretur. Dixit tamen eorum situm maximè diversum esse ut aliam atque aliam figuram constituant. Borellus in observat. Microscop. binas eorum dispositiones ponit, ut in Tab. num. 63. & 64. expressimus. A curioso Fontana Obs. 9. observatum fuit Araneas sex oculos habere. Joannes de Mey obs. 8. rem exactius perpendens omni microscopiorum genere optime, & sine ulla caligine octo in eis oculos inveniſſe se ait, lunatim dispositos in fronte sex in prima phalange, & duos in secunda.

Hanc oculorum multiplicitatem in Araneis non ad prædam tantùm commodius discernendam inservire putat Lister, sed in reticulis etiam conficiendis.

Fila autem emittendi rationem Veteribus fere incognitam fuisse affirmavit idem Lister c. 3. de Araneis in genere, & ab ipso *primùm* observatam. Putavit Aristoteles Hist. Anim. lib. 9. ut ipsemet Lister advertit, de generat. Insect. pag. 168. fila non ab intrinseco emitti tanquam excrementum, ut Democritus ait, sed extrinsecus de suo corpore veluti corticem, aut more corum, quæ villos suos ejaculantur ut Histricis. Sed erravit, ut optime notavit D. Redi, ubi ait dum Araneus struendo loculo pro ovis occupabatur, datam sibi esse facultatem videndi tamen non ex ore, ut scripsit Borellus in cent. observat. sed imo ventre deduci. Hoc tamen Ælianus, Moufetus, Plinius, & multi alii notarunt præcipue P. noster Josephus Blancanus in Aristot. loca mathematica titulo *Araneorum industria*. Notarunt insuper hæc fila non solùm sponte emitti, sed vi, & nolente animali manu

alie-

aliena educi. Eis utuntur Aranei ad muſcas culiceſque venandos, & licet ſint manibus orbati tanta conficiunt arte ſua retia, ut nec artificis peritiſſimi manus poſſit illa imitari. Unde apud Sympoſium Enigmatiſtam de ſe dicit Aranea.

Nulla mihi manus eſt, pedibus tamen omnia fiunt.

Pari curioſitate, & oblectamento non ſemel obſervavi muſcæ venatum ab Aranea factum. Statim ac muſcam dentibus firmavit, illico fila ex anu ejaculans, illa prioribus pedibus celeriter apprehenſa ſupra prædam tranſtulit, & in omnes partes circumactis, ejuſdem pedes, & alas veluti funiculis multiplici, & iterato nexu devinciebat. Muſca ſic primùm celerrime colligata ne abiret, commodius deinde iiſdem filis rete ſeu ſacculum efformavit, in quo ſine ulla evadendi ſpe captiva muſca remanſit ad venatoris famem explendam.

Curioſam ac æque difficilem indaginem merentur Araneorum fila, ut dignoſcatur, quo pacto obdurentur ſtatim ac in aerem extra anum ſunt educta. Illa enim inquit Blancanus *non continentur intus tanquam in glomo vel ſpira convoluta*, ſed materia eorum nil aliud eſt niſi ſuccus peculiaris, & glutinoſus in proprio, & determinato vaſe corporis Aranei ſervatus, at vix eductus in ſolidum filum tranſit, quod nec aqua liqueſcit, nec igne, ſi torreatur. Nullus, quem ſciam, indaginem hanc proſequutus eſt, ſicuti nec de filo Bombicum, quod quidem eaſdem patitur difficultates.

Breviter illam tantùm indicavit P. Daniel Bartolus tractatu de coagulat. §. 1. ubi concludit coagulationem humorum hujuſmodi inde provenire, vel quia ſal aliquod contineant, quod aer perſtringat, & obduret non ſecus ac aqua ferrum candens, vel quia ſtatim ac aeri exponuntur, privantur calore debito, quo in corporibus latebant fluidi, quamobrem ob tale coagulum a Natura inditum fiant fila illa prodigioſa Aranei, & Bombicis, cujus filum, Boile dimetiente de mira ſubtilit. Effluviorum cap. 2. ultra trecentarum ulnarum longitudinem exporrigebatur, nec tamen niſi grana duo cum dimidio ponderabat. Nongentas, & triginta bononienſes pedes æquare, quod retexitur, adhuc ſuperſtite exteriori lanugine, & poſtrema folliculi inepta parte affirmat Malpighius. Putarunt olim Auctores, microſcopio non dum invento, fila hæc ex ore Bombicis emitti. At uſu utiliſſimi hujus inſtrumenti Joannes de Mey profert clariſſime deprehenſum eſſe ſericum *non ab ore ſed e mammis, quibus dorſum eorum ſcatet eructari, quod ore quidem decerpunt, & applicant.* At tanti Viri narrationi opponitur obſervatio, quam in ſuo erudito Tractatu de Bombice refert Ex. Malpigh. dictus ab Hardèro in Epiſt. 1682. Jo. Schrochio, Sagaciſſimus naturæ Ruſpator. *Inter agendum*, ait ille epiſtol. de Bombicibus pag. 24. *per vices caput retrahit Bombyx, parumque hæret, deinde elongato corpore, mutatoque greſſu majori cum alacritate opus aggreditur. Nec diu venit hæſitandum, an ab ore vel ab eſtremo alui ſtamen emittat, cum ſenſui manifeſte pateat ſub ore brevem quamdam proboſcidem pendere veluti mentum, a cujus extremo perforato ex delato illuc glutinoſo ſucco a ſericis ductibus exprimitur.*

Antequam ad alias obſervationes tranſeamus, hic mentio opportune fiet aculeorum, quibus Apes, Fuci, & Veſpæ intime Animalia perfodiunt. Apis exactam anatomen præbuit Franciſcus Stelluti Academicus Lynceus, & in ære incidi curavit omnes ejus partes, oculos linguam, cornua, jubam, pedes, & aculeum. Ego aculeum obſervavi, quo Crabrones armantur. Deſcribuntur hæc Inſecta elegantiſſime a Moufeto Theat. Inſect. cap. 9. ubi ait, illa ferocia, & iracunda maxime eſſe, tantæque item malignitatis, ut ter novenis ictibus hominem, imò quidem equum interficiant; ideo maxime venenata eorum ſpicula exiſtimavit, quæ ab Ovidio 11. Metam. *ardentia* dicta fuere, *aſperrima* a Virgilio 4. Georgic. Attamen illa ſunt, ut delineavi num. 65. robuſta quidem, & longa, ſed omnino levigata, nitida, & acutiſſima. Si verò quæratur unde venenatus humor in ictu relinquatur, idem dicendum eſſe puto, quod de Araneorum, & Viperarum dentibus demonſtratum eſt.

Dubium remanet circa Urticæ ſpicula. Folium enim urticæ ſpiculis acutiſſimis eſſe coopertum notiſſimum eſt. Hookius illa accurate delineavit in ſua micrographia Obſ. XXV. p. 142. aitque eorum baſim, quæ ex ſacculo aut veſica flexibilis ſubſtantiæ conſtat, & figuram fere cucumeris ſilveſtris refert, liquorem acrem, & venenoſum habere incluſum, cuſpidem autem ex ſubſtantia conſtare duriſſima, & validiſſima, inque medio habere foramen aliquod, ex quo liquor ille venenoſus in partem læſam ſe inſinuat, & dolorem ibi excitat, id quo facillime obſervare liceat per accuratum aliquod microſcopium. Siquidem extremitas illorum ſpiculorum contra baſim prematur digito, tunc enim per illos aculeos pellucidos manifeſte aſcendere & deſcendere apparebit liquor. Hæc omnia leguntur in Ephemeridibus Eruditorum ex Hookio deſumpta 10. Decemb. ann. 1666.

Non valde diſſimilia documenta inveni in continuatione Epiſtolarum D. Leewenhock pag. 107. ubi ſic habet. *Urticæ tam in foliis ſuis, quam in caulibus acutis aculeis ſive ſtimulis ſunt*

instructæ, qui maxima ex parte admodum duri, & firmi sunt, crassissima verò horum aculeorum particula, quæ folio sive cauli affixa est, admodum mollis, & flexibilis est, & quando hi aculei sive stimuli in hoc vel illud latus inflectuntur, atque hoc modo quoque mollis particula aculei inflectitur, tum aculeus nunquam aut rarò in cutem nostram transmeare potest. Et paulo post: *contemplabar hosce Urticarum aculeos non tantùm undique cavitate quadam esse instructos, verùm etiam tum temporis, cum urticæ in floridissimo forent statu, in multorum aculeorum extremitatibus hunc humorem protrudi, qui tum cum perquam exili globulo in extremo aculei fine considebat. Hoc a me viso alias formabam cogitationes, mihique imaginabar, ut & si nos ab istis aculeis tali tantummodo pungamur, ut aculei supremam dumtaxat cuticulam nostram veluti perfoderent, & ut nullus aculeus in cuticula nostra frangeretur, attamen dolorem, & extumescentiam comperiremus ob causam, si saltem humor (qui ad finem hujus aculei situs est, aut qui ob aculei motum ex eodem protrudi posset) in partes sensitivas nostræ cutis penetret, atque ibidem aliqua vasa attingat, sive ledat, unde cuticula nostra mediante acuto sale in hoc humore sito, vehementer admodum extumescit.*

His observationibus eruditus, causam non plene assequor, ob quam urticæ tantum nobis concitent dolorem, ac cutem nostram ita extumescentem reddant. Si enim urticæ humore illo noxio abundant, *cum floridissimo sunt in statu*, ut affirmat supradictus Auctor, deberent profecto tunc temporis magis in cutem perstringentium penetrare ejus spicula, & majorem excitare dolorem, licet mollia, & tenerrima sint, & tamen majorem excitant urticæ veteres, quarum aculei facilius, & profundius penetrant, utpote magis duri, & solidi, in quibus hic Auctor affirmat se observasse *humorem exaruisse*.

Hanc herbam examinavi perquàm diligenter, & inveni quidem ejusmodi spiculis esse armatam, qualia ab his Auctoribus describuntur, non verò liquorem ita per cavitatem eorum ascendere, ut postea e pressis spiculis per eorumdem apicem in partem læsam immittatur. Apicibus enim talium spiculorum nullum foramen inest, neque rimula ulla, e qua talis humor queat prodire. Quippe Veprium instar sunt, seu melius dicam dentium Viperarum, quos vidimus esse quidem partim vacuos, non autem totos a basi ad cuspidem, sed sicuti sunt cornua Boum, & dentes eburnei Elephantum, qui apicem habent e solida substantia sine ulla cavitate. Quidquid sit de tubulis exilibus, & capillaribus talem substantiam conficientibus a Leewenoch explicatis in continuatione suarum Observationum Epist. ann. 1687. qui ad rem nostram non spectant.

En Tibi sub num. 66. observationes, quas circa tales urticæ spinas adnotavi percupidus videndi ejus humoris immissionem. Intuere primùm spinam QP, cujus basis est QO. Erat spina quasi e cristallo clarissima formata, apparebatque mihi contra lucem observanti cavitas R Q_2 pars verò P R, omnino solida, & acutissima. Pluribus modis tentavi, ut deprehenderem an liquor contentus in basi seu vesicula QO, ascenderet intra spinam, ut affirmat Hookius, an potius extra exsudaret, & spinam madefaceret, at pluries vesicula illa valde compressa disrupta est, nec semper in eadem parte, nullo penitus humore e spinæ apice exsudante, etiamsi multæ ex iis detonsæ essent, & cacumine orbatæ ut apparet in H. Apparuit quidem humor, leviter compressa basi C I, ascendens in cavitate C B, usque ad A, nec valida licet compressione, potuit unquam procedere; rumpebatur potius, ut dixi vesicula, non autem spina: eò quòd hæc solidiore substantia constaret, illa verò subtilissima membrana. Hanc observationem desumpsi in spinis recentibus, nec ad maturitatem perfectam perductis. Urtica enim tota referta spinis est, sed inæqualibus, & aliquæ tardius aliquæ citius perficiuntur. Quæ citius perficiuntur non solùm paulatim obdurescunt, sed suam transparentiam seu diaphaneitatem deperdunt, & in aliquam partem inclinatæ a vesiculis seu basibus divelluntur jam humore nutritivo saturatæ. Clarissime hoc vidi spinis E E, in spinis F K L G, quarum basis dum gradatim gracilescit, & exsiccatur divellitur paulatim a spina, donec sponte sua penitus decidat, ut ex arboribus flores. Hęc omnia facili methodo inspicies, si cuticulam spinosam urticæ inter duas lamellas vitreas nitidissimas tali arte claudas, ut dum microscopio opponuntur possint spinæ pro libito a lamellis vitreis comprimi sine ullo periculo erroris, quo certe decipietur oculus, si alia ratione tale examen instituat.

Cum ergo dolor excitetur a spiculis recentibus humore fœtis, & magis a spiculis veteribus humore destitutis, cum feriunt urticæ, ex tali humore acri, & noxio profecto non provenit; sed e frequentissimis, & levibus puncturis, quarum singulæ parvum vulnus in cute relinquunt; quæ vulnera dolorem excitant in partibus cutis lesæ: Ubi enim divisio fit partium corporis animati, ibi statim dolor excitatur, & si sanguis e vulnere emanare non possit, inflatur cutis, inflammantur partes, utpote e naturali situ semotæ ac dolor auctus perseverat, donec debitam unionem partes illæ recuperent.

§. XII.

§. XII.

FLORUM Recrementa.

IN Vegetabilibus, quàm elegantia phæno. mena Microſcopiorum beneficio detecta ſunt, alias nulla ratione obſervabilia? Equidem nonnulla Plantarum ſemina tam minutæ quantitatis eſſe deprehenduntur, ut ea propter, ſine prorſus ſemine plantas nonnullas oriri videri poſſint, & viſæ etiam antiquioribus Philoſophis ſint. In primis autem ſe miratum eſſe, ait Fridericus Schraderus pag. 14. loquens de Microſcopiorum uſu, raram & elegantem filicis ſeminis ſtructuram; *dum enim granula illa in dorſo filicis harentia per microſcopium contemplor*, ait ille, *apparet nil aliud illa eſſe, quàm multa parva folia ita ſibi invicem appoſita ut burſulam quaſi ſeu folliculum conſtituant, in quo multæ rotundæ ſiliquæ deliteſcant, veri ſeminis viſum nudum penitus fugientis receptacula; qualibet autem illarum ſiliquarum peculiari ſuo pedunculo in folliculo firmatur, qui non tantùm imam ſiliquæ partem attingit, ſed totam pene ejus peripheriam cingit, ac quod in primis curioſum eſt, pedunculorum quilibet, ſiliqua ad maturitatem appropinquante, elateris in modum ſe expandere nititur; adulta verò illa, ac jam perfecta, tandem etiam ſubito diſſilit, ut diſrupta per medium ſiliqua, cui firmiter junctus eſt pedunculus, contenta ſeminis granula e longinquo ſpargat, & in terram quaſi diſſeminet.*

Addam ego Phænomena, quæ circa Plantas microſcopiorum uſus patefecit. Flores multarum ſelegi, ut clare deprehenderem, quidnam eſſent pulviſculi, qui ſæpe in centro eorum inveniuntur, & quibus apices ſtaminum præcipue circumteguntur. Illos appellant Bottanici *Recrementa*, & vidi non omnia ejuſdem eſſe figuræ, ſicuti ex variis progerminant ſeminibus, ſic ipſa quoque Recrementa variam inter ſe faciem oſtentant, quæ non niſi per microſcopia agnoſcitur. Obſervavi igitur pulviſculum, quo Lilii albi ſtamina flaveſcunt, & apparuit ut n. 67. delineatur. Ova referebat ſed aurea, & valde nitida, ac ſi pulvere tripolino diu eſſent perfricata. Eandem apparentiam fere exhibuit ſub microſcopio pulvis ſtaminum, qui in flore *Tuberoſo* emicant, illumque ſub num. 68. expoſui. Sub num. vero 69. Globum vides brevibus mucronibus circumquaque aculeatum, inſtar ricini, quo caſtaneæ conteguntur. Hanc figuram demonſtrat pulvis, ſeu recrementum, quod in centro floris malvæ flaveſcit, nec adeo facile ratio excogitabitur prodigioſi hujus artificii propter maximam exiguitatem nulli cogniti, niſi luxuriantis Naturæ luſum illud eſſe dicamus. In centro floris malvæ craſſus pediculus ex rubro violaceus aſſurgit, qui in multiplicia alia ſtamina dividitur rubeſcentia, ut in littera A B, ſub num. 79. exprimitur. His adhærent hi globuli beneficio ſtaminis ſubtiliſſimi eo modo, quod in C D E, E enim & F, oſtendit unum ſtamen optimo microſcopio attente examinatum. Cucurbita non abſimiles generat globulos, ſed magis flaveſcentes.

His phœnomenis excitatus anatomen inſtitui circa floſculum valde parvulum, quem dono miſerat D. Triumphetti. Dicitur a Botanicis Valeriana Rubra Dodonæi. Nec mole major eſt quæ ſub num. 71. indicatur. At in parva mole ingens Naturæ artificium, & curioſiſſimum oculis pabulum oſtendit: illum indicat num. 72. Microſcopio valde auctum. En ſingulæ ejus partes. A, Bulbus Bottanicis *Capſula ſeminalis*, conjuctus cauliculo E, unico foliolo D, copulatus, colore viridis. B, Floris Stylus candidus leviter ſtriatus cum appendice calami C, tenuis, rotundi & acuminati C C, quinque floris folia pariter candida: e quorum centro duo prodibant rotundi calami, quorum alter I, curvus & brevis alter H, tanquam enſis rectus, & acuminatus, quem proinde ſtylum vocarunt Bottanici. Ejus apici inerat epiſtilium K, rotundum, & latum pulvere ex flavo viridi aſperſum. Hoc microſcopio examinatum oſtendit opus reticulatum e ſubtiliſſima membranula, in qua omnia ſpatiola M M, ſine ullo ordine diſpoſita ovalem figuram habent, ſuntque aliquantulum concava. In ſingulis eorum tanquam in apto loculamento coaptantur floris recrementa L L, valde nirida, & diaphana, ac ſi ova eſſent e vitro vireſcente compacta, adhærentque in O O, & ſua ſponte decidunt, cum ad debitam maturitatem pervenerint.

Subjeci deinde microſcopio ſtylum H, qui licet craſſitiem ſetæ equinæ non excedat, ita apparuit, ut oſtenditur ſub num. 73. litt. N V. frequentibus utriculis a a compactus erat, totidem utriculorum ſpatiis x x. repletis parenchimate herbaceo. In centro ejuſdem ſtyli nervulus apparebat ſolidiſſimus, quem putavi fulcrum eſſe apicis præcipuus, inſtar oſſium, quæ carneam molem in Animalibus ſuſtentant. Demùm Petalum, ſive floris frondem, examinavi apparuitque ut exprimitur ſub num. 74. Tribus partibus diverſis compacta, ſcilicet propagationibus nervoſis, u u. Vtriculis t t. & ſpatiis inter eoſdem utriculos.

Hæc pulchra, & admiranda floſculi textura, curioſitatem excitavit ad ulteriora in Floribus

indaganda. Accepta igitur Hemerocallide Bizantina 75. vulgò *Riccio della Signora*, purpureo Sanguine saturata, excussi ex apicibus a a. pulverem minutissimum, quo rubescunt, qui microscopio subjectus apparuit ea forma, quam ossa dattilorum ostendunt, seu nuclei olivarum, denso colore rubescens. Illum vide sub num. 76.

His observationibus occupatus animadverti in centro floris rorem aliquem, supra quem aliquot puncta discurrentia, sed pigerrimo motu. Accuratè illa transtuli supra vitrum, quod microscopio subjeci, & eorum mole valdè aucta, vidi esse duplicis generis Insecta, & quidem prodigiosa. Alterum eorum indicatur sub n. 77. Tribus partibus constabat. Thorace, Ventre, & Cauda, cujus extremitati setæ adjungebantur, ceterum videbatur Acephalum. Habebat tamen in principio thoracis binos oculos nigricantes, binasque antennas constantes incisuris, quas ut plurimum retro plicatas vehebat more cornuum in Cervis. Sex illi inerant pedes tribus articulis divisi. Anterioribus, & posterioribus addebantur in fine rostella hinc inde falcata, medii verò ungue adunco muniebantur.

Alterum vero Insectum seu melius dicam Punctum Animatum colore sulphureo, oculis nigerrimis sub num. 78. delineatum apparet. Caput illi erat ut hirco, in rictu prominebant duæ longæ antennæ quinque incisuris plicabiles post caput, thorax duplo latum, è quo sex crura tribus articulis constantia. Anteriora eorum duplici ungue falcato absolvebantur, medii unico, posteriora in aculeum desinebant pilosum. Thoraci addebatur abdomen valde amplum instar crumenæ humore aliquo repletæ. Ejus basi adjecti erant duo appendices rotundi, transversim dissecti, & fistulosi. A quo nam semine hæc Insectula ortum habuerint incertum est, manifestum verò in rebus minimis maximum artificium impendi à Natura, nostrasque mentes ad laudes excitari Sapientissimi Conditoris.

Aliud Insectum his adjungo, quod inveni in flore Amberboide seu Hyacintho Ambrosini, vel Cyano turcico apud Italos *Fior d'Ambretta*, propter odorem, quem exhalat etiam aridus, suavissimum. Erat illud mole minimum, & arenæ grano æquale. At sub microscopio visum est, ut sub num. 89. exprimitur. Rictum gerebat valdè acuminatum ut in Sue; propè illum duæ antennæ inerant pilosæ in quatuor partes distinctæ, sub his oculi protuberabant ut in muscis. Thorax valdè amplum erat, abdomen oblongum in septem annulos distinctum. Pedibus gradiebatur senis; progressum juvabant quatuor alæ instar falcis contortæ, quarum membrana hispida erat frequentibus pilis. His addebantur quatuor particulæ O O. compactæ è subtilissimo velo, ope nervuli in girum dispositi semper expanso. Totum autem piceo colore nigricabat.

Sub num. 80. Recrementa sunt, quæ ex apice flavo A. ejusdem floris selegi, prout sub microscopio detecta sunt, oblonga quidem forma, sed varia. Omnia tamen nitida, & veluti ex crocea cristallo seu succino compacta.

Alium florem delineavi sub num. 81. è Blattaria vulgari decerptum. Firmum hæc planta tollit caulem, altitudine interdum humana, crassitudine pollicari densissimo ramorum stipatu fruticantem juxta Chabræum de stirpibus pag. 496. Flores ex pediculis hirsutis ex flavo subcerulei. E centro floris ejusmodi stamina cum apicibus selegi, & microscopio subjecta apparuerunt, ut num. 82. exprimuntur, multiplicibus scilicet staminibus singula luxuriantia, colore omnia ex albo purpureo, membranula vero apicis O. albescebat adjectis recrementis CC. colore flammeo, quæ recrementa valde aucta apparebant ut sub num. 83. veluti prunorum nuclei, & valde rubescentes.

Pediculi hyrsuti particulam simulque aliam folioli viridis examinavi pariter hyrsutam; & utraque microscopio exhibita est plena prodigiosis villis; erant enim ut Piperis grana brevi pediculo frondi, seu trunco affixa, omnino rotunda, & diaphana propter humorem aqueum quo replebantur. Illos sub num. 84. ad vivum exprimuntur.

Aliam observationem adjungo non minus curiosam, & nudo oculo omnino cælatam. Forte per viridarium deambulans vidi herbam, quæ Græcis *Sonchos* dicitur, ideſt quòd salutarem fundat succum, Cicerbitam vocarunt Romani, idque nomen hodie adhuc in Etruria retinetur. Eam putavi è genere spontanearum stirpium esse, edoctus à Cabræo qui pag. 316. sic illam describit: *Provenit sponte Sonchos tum levis tum asper laciniatus frequentissimè in hortis, ejus folia in circuitu sunt quasi dentata, spinis vel nullis vel mollibus armata. Silvestris est magis aculeatus, ideo inter spinosa foliata meminit Theophrastus, & Galenus. Flores habet cœruleo colore nitentes, & in Pappos celeriter fatiscentes.* Verùm quia non facilè assequi poteram an spontè nata fuisset talis herba, oculos explevi inspiciendo lanuginosam particulam floris in Pappum album conversi, quæ sub microscopio apparebat, prout num. 85. indicat. Erat talis particula aggregatum quoddam filorum, ex quadam radice prodeuntium, quæ licet tenuissima, & diaphana rubetum asperum referebant propter frequentes breves, & aduncos aculeos. Talium filorum

frag-

fragmentum sub num. 86. posui ut clarius dignoscerentur aculei, & lineolæ, quibus per longum in plures partes dividuntur, præcipuè majores; Aliqua enim sunt aliis crassiora, omnia tamen in acumen paulatim abeuntia. Cum hæc sit ejus lanuginis structura, quid mirum, si in aerem flatu effusa, & veluti flocci quidam volantes pannis præcipuè laneis facilè adhæreant? Ex eadem deduco non dissimilem partium structuram inesse in Pappis Carduorum, & multorum florum lanuginosa substantia.

Curiosa hæc Papporum structura oculos illexit, ut alios florum Pappos observarem. Selegi proinde Pappos, qui proveniunt è semine fructicis, qui dicitur à Lobelio *Lysimachia siliquosa*. Siliquas enim producit subtiles ut aristas frumenti, quæ bifariam sponte aperiuntur, cum ad debitam maturitatem pervenerint, deciditque semen minutissimum rubescens num. 87. expressum, & instar mori fructus tuberculis asperum: ex illo flocculus è subtilissimis pilis albis luxuriat, qui microscopio oppositi eandem faciem ostendunt ac humani capilli.

Pappum deinde observavi, qui provenit è flore Hieracii Sabaudi; illum describit Jo: Bauhinus. Erat hic non absimilis Pappo, qui è cicerbita provenit num. 88. delineatus, constabatque multiplicibus aliis Pappis minoribus, quorum pediculus rubescebat striatus ut appareret num. 89. Fila autem albescentia sub microscopio posita eandem partium compositionem ostentabant, ut Aristæ frumenti, nempe spisso cortice frequenter foliata, quorum alter alteri superimponebatur ea ratione, qua folia arundines vestiunt. Mirum! quantum peritiæ in supremo Artifice indicent hæc fila, quæ in adeo tenui, & capillari crassitie hanc prodigiosam partium structuram continet.

Non absimilem ostentarunt fila num. 90. indicata, licet pariter capilli humani crassitiem non excederent: Conflabatur illis Pappi particula num. 91. posita, provenientis è flore, qui à Columna vocatur *Chrisocome Dioscoridis*, & *Plinii*.

Tria Florum recrementa pene invisibilia his adnecto. Primum ex herba proveniebat, quæ dicitur à Camerio *Antirrhinum flore luteo grandi*, olivarum nucleos exprimens colore flavescente num. 92.

Secundum num. 93. quasi globulos ruditer rotundos imitabatur. Clematis altera Boetica Clusii illud subministravit fere invisibile.

Tertium denique num. 94. ex campanula provenit, quæ à Camerario *pyramidalis* dicta est, *lutescens fœtidior* à Clusio. Licet valde exiguum, sub optimo microscopio visum trilateram formam ostentavit angulis decisis, proturberante utraque facie, cujus centrum colore aureo minus saturatum succini diaphaneitatem imitabatur.

Papporum hujusmodi subtilissima fila, quæ tamen canaliculum internum continent, in quo humor nutritius servatur ad eorum incrementum, in mentem meam revocarunt Capillos humanos, & Belluarum villos, ut microscopio deprehenderem an cavi essent nec ne. Duplex dubium excitari potest circa capillos. Primò. An iis detur cavitas similis cavitati pennarum, & reliquæ partes omnino solidæ sint. Secundò. An multæ cavitates insint similes iis, quibus in variis plantis convehitur nutrimentum, aut quales variis in arundinibus obviæ sunt, quæ transversim sectæ magnum distinctorum pororum multitudinem exhibent, quos multi suspicantur per totam diffundi arundinem, iisque ipsam fieri instar cylindrici fasciculi minutis è fistulis, aut tenuissimarum cavitatum multitudine, quibus ab extremo ad extremum parenchyma perforatur.

Fuerunt illi quidem diligenter examinati à pluribus. Sed in observationibus valdè discrepant. Griendelius obs. 6. fig. 2. *Consideravi*, inquit, *capillum hominis sexagenarii incanum, cujus medietas crystalli ad instar pellucida fuit, ita ut medullam ejus, & cavitatem observare clarissime licuerit; imò & humiditatem quoque, sed non in tanta copia, quanta in Junioribus vulgo conspicitur; hinc facile colligere licet humiditates hasce capillis proprias decrescentibus jam annis, simul quoque decrescere atque imminui.* Idem in seta, pilo canis, & equi foramen magnum se conspexisse affirmat, & in pilo è barba felis desumpto *crassam medullam*. *Capilli*, ait Borellus obs. 23. *concavi, & ut canales pertusi, & perforati adeo ut pennas Avium repræsentent*. Eamdem cavitatem asserit Bartolinus anat. lib. 4. cap. 1.

Hookius postquam multos crines examinavit, omnes fere rotundos deprehendit, versus extrema crassiores eos esse, quàm circa radicem, & ab uno extremo ad alterum esse excavatos perinde ac Cornu aliquod asserit. Nec verò adverti ibi quædam fila in ipsorum radice, uti quidem observantur in plantis plurimis: solidas esse addit quoad extima, neque cavitatem aliquam deprehendere se potuisse non magis ac in Porcorum setis. Verùm lanuginem cati detonsam, perinde atque sambucus, in medio habere latam aliquam medullam, uti repræsentat in figura. Textum verò ita constrictum esse, ut nulla ibi cujusdam pori apparentia deprehendi possit.

Antonius de Leuwenhoek in Anatomia pag. 32. putavit crines nostros Arborum adin-

ſtar habere corticem, eumque ex globulis eſſe compoſitum, rurſus ex ſtriis intrinſecus conſiſtere. At in Epiſtola ad Regiam Societatem Londinenſem de ortu, & de effluvio capillorum ſuas meditationes una cum obſervationibus refert ut infra. *Quoniam multi ſunt*, ait ille, *in ea hæreſi* Crines concavos *eſſe, alii verò exiſtimant crines intrinſecus medullam continere quemadmodum oſſa, operæ pretium eſſe putavi crinem ſuillum depingere ad demonſtrandum; quo principio illa concavitas ſubinde in crinibus conſpecta oriatur, & gignatur. Similiter etiam quare multi autument crines medulla plenos eſſe. Crines non pullulant Plantarum more, ſed creſcunt propulſione quadam, & quæ pars hodie intra cutem, & velut radix eſt, poſt diem unum, & alterum extra cutem eſt protruſa. Hic crinis ex cute proveniens in omnibus ſuis partibus eſt admodum humidus, ac ſtatim humor ille evaporare incipit, ſubita illa evaporatione facta, cortex crinis, cum ſtriis proximè corticem ſitis, firmitatem recipit ſuam, unde crinis ſimul contrahi nequit, & inde fit ut ſtriæ magis introrſum ſitæ ſuam amittant humiditatem, ac exinde tenuiores reddantur, ſtriæ à ſe invicem rumpantur nunc una, alio tempore pluribus rimis, unde ſic conſiciuntur ſuboſcuræ ſtrigæ, aut ſtriga in crine, quæ tum procul omni dubio pro medulla crinis habeatur. Ut hic fig. 1. A B. C D. quod fruſtrum crinis ſuilli eſt, à me è tranſverſo diſciſſi EEEE. ſunt rimæ, & ſiccitatis crinis ortæ. Fig. 2. F G. H I. eſt fruſtum ejuſdem crinis paulo proprioris cutem, quoque è tranſverſo diſciſſi, in quo non variæ ſunt rimæ, aut ruptura, ſed ſaltem una rima tam magna, ut magnum foramen ſive cavitas in crine ſit ut K L M. Talis igitur ſi ſit conſpectus crinis proculdubio omnes eſſe crines cavos ſibi imaginaturi ſunt. Ex his depictis crinibus illos errare patet, dicentes omnes crines eſſe rotundos, cum tamen citius dicendum foret quot crines tot figuræ;* Hactenus Levenochius, cui aſſentiri meritò deberet rerum naturalium Indagator, cum ille dicatur à Friderico Schradero Epiſt. de Microſc. uſu pag. 8. *Vir in minimis naturæ ruſpandis diligentiſſimus*. At cum ejus obſervationes factæ fuerint in crine ſuilli non adeò facilè inferendum eſt eas accidere in omnibus crinibus Animalium, hominumque capillis, de quibus præcipuè hic quæſtio eſt.

Secundò putat Levenochius cavitatibus capillos orbari, eò quòd non pullulent *Plantarum more, ſed creſcant propulſione quadam*. In hac ſententia non paucos ſcio fuiſſe Philoſophos. Inter quos P. Silveſter Maurus tom. 5. quæſt. 9. probabiliter putavit capillos, & pilos non vivere, nec augeri vitaliter per introſuſceptionem, ſed ſolùm augeri non vitaliter per extruſionem quarundam partium excrementitiarum alimenti, quæ partes, quia ſunt inutiles ad nutriendas partes animatas, à Natura convertuntur in ungues, & capillos ſpectantes ad munimen, & ornatum Animalis. Confirmat hanc ſuam opinionem, eò quòd capilli, & ungues creſcant etiam in cadaveribus, quod certe non fit niſi per extruſionem atque additionem partium non vitalium. Alii, ex eo quod Ariſtoteles docuerit capillos ſe habere in hominibus ſicut plumæ in Avibus, vel in Arboribus frondes, idcirco, ſicuti Plantis ſolent decidere frondes tempore hyemis, ita Hominibus defluunt capilli propter ſenectutem, quæ eſt hyems ætatis; putant capillos creſcere, & augeri vitaliter. *Creſcit enim pilus, & nutritur*, ait ingenioſus Boile de corporum poroſitate cap. 7. *quod non contingeret ſi ſolidus foret, aut ſi ſimplex tantùm in eo cavitas ineſſet, ut in inferiori calami parte, veroſimiliter eo quo uſus ſum microſcopio illam detexiſſem, cum alterius microſcopii ope longe inferioris facile obſervarim cavitatem inſtar cavitatis calami propè inferiorem partem in variis quibuſdam brevibus pilis animali, muſcum ſeu zibetum ſuppeditanti, accreſcentibus.*

Ex his igitur variis obſervationibus nihil certi habemus circa capillorum cavitatem. Attamen idem accuratiſſimus Boile probabiliter putat illam ineſſe ex eo, quod *æquiſſimus*, ait ille, *Rerum æſtimatur Sennertus* cum aliis optimæ notæ Scriptoribus tradat in Plica Polonica, nempè morbo de quo ſpeciatim agit, obſervaſſe ſe, ſi ægroti implicatos, ut interdum fit, capillos, ob colluviem abſcindi curent, ſingulos capillos interdum ſanguinem re ipſa emittere qua parte extrema reſecta ſunt, quare liquor non minus denſus quàm ſanguis devehi per vaſa poterit capillaria ad ſummum, quæ ipſis proinde capillis longè minora futura ſint; licet quis non immeritò exiſtimarit Hominum capillos tenuiores eſſe, quàm ut contineant cavitates viſibilium liquorum capaces.

Certè difficillimum quid compererim, ait Boile, ibid. optimè, etiam ope microſcopii, ullas in capillo Hominis tranſverſim ſecto diſtinguere cavitates. Quod ſi extenſi perlongum ſupra vitrum inſpiciantur contra lumen, nihil poteſt animadverti, quod cavitas judicetur vel rimula, eodem enim modo apparebunt ac duo fila vitrea, quorum alterum vacuum ſit, alterum verò ſolidum. Cæterum ſi capilli vivunt vitam vegetativam, ſuntque veluti parvæ arbores radicatæ in capite humano, ac trahentes alimentum excrementitium quo nutriantur, illos probabiliter dixerim eſſe veluti ſunt, & Geniſtæ, quæ tranſverſim diſſectæ videntur ſub microſcopio conſtare è pluribus canaliculis pelle aliqua

qua ſeu corrtice involutis, ut ſub num. 85. delineavi. Probabiliter inquam, nam unica cavitas fortaſſe ſufficit ad alimenti introſuſceptionem. Quod probari poterit paritate filorum in pappis cicerbitæ, quæ dubio procul per alimenti introſuſceptionem vitaliter nutriuntur, & unica cavitate ſunt prædita.

Hæc difficillima capillorum indagatio in mentem revocat obſervationem curioſiſſimam, quam in minimo Inſecto deſumpſi magna cum oculorum tum mentis oblectatione. Illud ſub nu. 86. poſui, ſed valdè microſcopio auctum, non enim ſuperabat ejus moles granum aniſi minimum, ac mirum eſt tale animalculum tot organa poſſidere; in eo enim pedes, nervos, oculos, & omnes partes animalis ineſſe videbis, quare Naturæ potentiam, & induſtriam mirari oportet, quòd in adeo parvo loco tanto artificio collocaverit, & joci quaſi gratia eaſdem partes animalculis ac Balenis, & Elephantibus conceſſerit. Caput illi eſt rotundum, cum rictu verticaliter bifido, & duabus appendicibus eminentibus; propè oculos binæ antennæ ſeu potius cornicula eminent; brevia enim illa ſunt, licet in tres articulos diſtincta, & aliquantulum plicabilia. Tribus anterioribus annulis ſex adnectuntur breviſſimi pedes, unguibus robuſti aduncis armati, quibus celerrimè reptat. Color in parte inferiori ventris albicat, in dorſo adduntur ſeptem faſciæ ex fulvo nigræ. Cœterum Hiſtricem horrendum refert, ſi è latere conſpiciatur gradiens. Piloſum enim non tantùm eſt, & pilis craſſis, & longis, ſed in penultimo annulo hinc inde binos veluti pennicillos ex frequentibus ſetis compactos gerit, quos, ſi leviter acus acumine pungatur, ſtatim elevat, explicatque, ac ſi ſingulis ſe diſponeret ad ultionem.

Pluries in adeo parvo animali ingentem iram ſub microſcopio conſpiciens, recognovi ejus ſetas, quæ è lateribus prominent eo modo aculeatas ut ſub num. 87. expreſſi; illas verò ex quibus ſupradicti pennicilli propè caudam componebantur, eam habere figuram, qualem nu. 88. repræſentantur, videlicet lancearum, quibus certè meliores pro pugna Ars bellica ſuppeditare non poſſet. Hæc noviſſima Pilorum, & admiranda conſtructio pluries oculos meos, & Amicorum illexit; ut attentè diſpicerentur non pilorum pennicilli, ſed Lancearum telorumque faſces, & aliis microſcopiis ſuppoſita in majorem molem redacta clarius apparerent.

Apparuerunt demum cuſpidibus Lancearum ut dixi omninò ſimilia, ſed haſtis impoſita, quæ ex continuato globulorum ordine quaſi filo inſertorum formabantur, ut num. 89. Pili verò num. 90. delineati apparuerunt non leves inſtar aliorum, ſed è pluribus partibus compoſiti, quarum ſingulæ vaſculum alteri ſuperinſertum referebant, cum apice demum acuminato, ut numero 90.

Oculorum fallacias non refero, nec microſcopium tale inſtrumentum eſt, quo res è nihilo evocentur, & larvæ quodammodo rebus imponantur. Juvat illud, non decipit, detegendo quidquid inermis oculus deprehendere nunquam poſſet. Hujus pilorum prodigioſæ fabricę teſtes habeo quamplurimos, quorum oculis non ſine ingenti eorum admiratione hujuſmodi pilos ſubjeci, inter quos multos accuratiſſimos rerum naturalium Rimatores, qui microſcopia conficiendi artem optimè callentes aliquos ex his pilis maximoperè deſiderarunt, ad ſua & aliorum microſcopia probanda. Optima enim requiruntur, ut in minimis rebus diverſæ hæ particulæ diſtincte recognoſcantur.

Validum argumentum ſubminiſtravit hoc minimum, & debile Inſectum, ut ſpontaneam Generationem poſſibilem eſſe judicarem. Inveni enim illud pluries in vaſis etiam vitreis generatum, & optimè à muſcis defenſis, in quibus varios papiliones clauſeram. Contabuerunt enim illi, & penitus in pulverem redactis; inter eorum cineres animalcula hæc detexi, initio quidem minima, ſed paulatim aucta uſque ad parvum aniſi granum ut dixi. Tribus annis ſucceſſive experimentum ſumpſi, & quidem ſemper felici cum eventu; non autem ſemper eundem numerum eorum inveni. Pabula ſubminiſtravi in aliis Papilionibus, quos aliquorum dierum intervallo vorabant, rejectis plumis, & pelle. Sine alimento ſervato diu vixere, ſed macie contracta, & pluries pellem exuerunt, Araneorum inſtar, Pediculorum, aliorumque hujuſmodi, omnibus ſetis ſupradictis circumtectam. Huic non valdè diſſimile inſectum inveni in cadaveribus muſcarum, at pilos non tam exactè examinavi.

His prodigioſis Inſectis jungo alia duo, de quibus alibi ſermo fuit. Alterum eorum eſt, quod indicavimus cap. 65. part. primæ de Viventibus, quæ in Rebus non Viventibus reperiuntur, nempe Inſectum quod in pulvere Caſei reperitur, illud ab aliis obſervatum inveni, ſed non ab omnibus eodem modo delineatum, vel deſcriptum. Borellus obſ. 27. de illo ſic retulit. *Oculorum grandes orbes ſubnigri, & unguiculis, & ungulis armatur, totum corpus eleganter coloratum eſt, dorſo eſt hiſpido, & hiſtricem non male æmulatur, cornicula etiam habet, & tres in cauda aculeos inſigniores.* D. Carolus Antonius Tortoni in epiſt. ad Illuſtriſſimum Hieronymum de Langmantel 1686. illud expreſſit, ut ſub num. 91. ad meas paginas tranſtuli, num. verò 92. indicat idem Inſectum obſervatum à D. Jo: Fran-

Franciſco Griendelio, qui obſ. 3. fig. 1. ſic illud deſcripſit. *Vidi ego Acaros hoſce nihil eſſe aliud, quam pulverem corroſi caſei, & microſcopii ope retrorſum albos atque pellucidos, antrorſum verò à capite ad coxas uſque rubentes, & nonnihil apparere nigricantes. Cæterum ſex inſtructi ſunt pedibus. Corpus eorum hinc inde pilis longis ac ſubtiliſſimis cutim perforantibus, & longitudinem totius corporis ſæpe ſuperantibus ſcatet, præ primis verò pili gemini in inferiore corporis regione cornua mentientes obſervantur.*

Has deſcriptiones adduxi, ut Naturæ Rimator eadem Inſectula obſervet, inſpiciatque cui nam melius illæ congruant. Illæ enim imagines valdè differunt inter ſe, nec prototypo conveniunt meo judicio. An ex incuria pictoris, an defectu microſcopii, vel oculi, quo fuit Animal obſervatum, neſcio; ſcio tamen me illud obſervaſſe, ut expreſſit Doctor Bonomus, & in Epiſtola D. Redi inſcripta 1687. ſic retulit, ut in noſtris pag. num. 93.

Alterum Inſecti genus indicatum eſt cap. 67. & delineatum ab eodem Bonomo, ut vides in noſtris paginis num. 94. quod ſic deſcribit. *Simile alle Tartarughe bianco di colore con qualche foſco d'ombra ſul dorſo, inſieme con alcuni radi, e lunghi peluzzi; ſnello, e agile al moto con ſei piedi, acuto di teſta con due cornicini, ò antennette nella punta del grugno.* In Actis Eruditorum ann. 1682. pag. 317. ſub titulo. Obſervationes de Sironibus, ita legitur. Sunt Sirones Vermiculi minuti quaſi pediculares in puſtulis ſeroſis prurientibus ſub cuticula manuum in primis, & pedum ſubſiſtentes. Minus de his diſceptatum fuit Animalculorum claſſi an aſſociandi, ſiquidem hoc jam olim ſubtili Scaligero exercit. 194. de ſubtilit num. 7. extra dubitationis aleam poſitum fuit, qui tamen ipſis formam nullam expreſſam eſſe aſſerit, quæ microſcopiorum ope diſtinctè ſatis, & accuratè conſpici poteſt, ſecundum eam faciem, quam tabula .... fig.... repræſentat. Colore ſunt albicante, & pedibus exceptis, qui propius intuenti nigricare videntur, pedibus ſex inſtructi ſunt, binis utrinque mox juxta caput poſitis, quibus Talparum ritu canaliculos ſub cuticula agere, ut oblongos non raro quaſi ſulcos trahere, ſimulque moleſtiſſimum pruritum excitare videntur. Num dorſum ſit ſquammoſum, prout quidem affirmat D. Rohaultus Tract. phiſic. par. 1. cap. 21. definire nolumus illo præſtantiore, dubio procul, microſcopio inſtructo.

Imaginem ejus de quo fuit ſermo hic ſubjicimus num. 95.

Sironibus ſeu Pediculis intercutaneis adnecto aliud Inſecti genus non quidem à me obſervatum, ſed relatum in Actis Eruditorum ann. 1682. pag. 317. quod ſpontaneæ generationi non parum favet. *Incognitum Antiquioribus fuit morbus (ait compilator Actorum) cujus p. ſſim ſuperiori ac hodierno ſeculo à medicis non minus quàm mulierculis fit mentio, & ab iſtis quidem morbus pilaris Infantum communiter appellatur, ſpeciatim autem* Crinonum *inter* Comedonum *nomine venit. Contabeſcunt Infantes paulatim, inſomnes redduntur, & inquieti, & inſignem ſimul pruritum corporis pati videntur, quod ſi in balneo ritè tractentur, corpuſcula pilorum craſſiorum inſtar denſa, & ſpiſſa è poris corporis prominent, quæ pro animalculis intercutanea loca inhabitantibus (unde Comedonum nomen, quaſi vermium alimentum infantum depaſcentium (ab aliis habita fuerunt. Utrum itaque cenſui excrementorum, an verò Animantium generi adſcribendum ſit iſtud extra cutim prominens diutius controverſum fuit, prout ſcilicet fieri in naturalibus amet, ubi ſolis rationibus citra experientiæ armaturam pugna inſtituitur. Hæc tandem rerum magiſtra litem diremit, oſtendendo microſcopiorum ope manifeſtè eſſe vera Animalcula viva, quidquid ſpiſſorum iſtorum capillorum facie ſubinde compareat. Coloris obſervantur ſubcinerei, & plus minus nigricantis, cornubus ſeu potius antennis binis longè prominentibus inſtructi, oculis rotundis grandiuſculis cum cauda oblonga, in fine villoſa aſpectu ſatis horridi, prout ex tab. conſpici poteſt, in qua num..... crinonem integrum accuratè obſervatum reſupinato ſitu collocatum.* Num.... eoſdem crinones prono corpore delineatos. Vide Georgium Hieronymum Velſchium exercit. de Vermiculis capillaribus Infantum. Annexa eſt dicta exercitatio in Vena medinenſi ann. 1674. Auguſtæ Vindelicorum in 4. luci publicæ expoſitæ.

Inſecta hæc vide in noſtris Tabulis num. 96.

Ex hac obſervatione abunde probatur, quàm utile ſit microſcopium, quo oculus armatus illa conſpicit, quæ planè ſunt inviſibilia, & quorum ignorantia quamplurimis morbis inepta remedia parantur. Quemadmodum autem ad ſolidarum partium compages diligentius inſpiciendas utiliter uſurpatur, ita felicius ad fluidorum quoque, & variorum liquorum in iiſque natantium particularum examen inſtituendum idem adhiberi ſequentia declarabunt.

§. XIII.

SANGVINIS, & LACTIS Examen.

SAnguis in capillarem tubulum ſpontè aſſurgens, ait D. Schraderus, per microſcopium vide-

videtur innumeris globulis constare rubicundi coloris in pellucido sero natantibus. Ex quo motus perennitatem in sanguinea massa observari in Anglia affirmarunt multi; at Schraderus hoc evinci sibi non persuasit, siquidem ab externo aere sanguinem extra vasa missum ambiente, minimæ ejus particulæ in globosam hanc figuram coagulari potuisse suspicio incidit. Sed ut ut sit de hac coagulatione, dicam quæ circa sanguinem observavi. Posita supra vitrum guttula sanguinis è sano corpore per vim extracti, vidi supradictos globulos in pellucido sero natantes, & quidem frequentissimos. Sero deinde penitus exsiccato, globulos illos simul conjunctos subsidere, & coagulari eo modo, quo in lamina n. 97. delineavi. Rete enim exprimebatur, quod in Animalibus Cordis, Hepatis, & Lienis regionem dividit à Regione, in qua jacent intestina, sed rubicundum. Pluries hac observatione repetita, semper eadem sanguinis coagulatio facta est. In sanguine vero è venis ægroti extracto, qui febre maximè noxia laborabat, observavi pauciores longè globulos in copioso humore flavo natantes; quo absumpto, coagulatio successit, ut in sanguine sano, sed flavedine quadam imbuta.

Post sanguinis inspectionem Lac opposui microscopio è multorum Animalium uberibus expressum, & animadverti non dissimiles sanguini globulos in sero natantes sed albos: plures quidem in lacte nutricis Juvenis optimæ complexionis, pauciores verò in lacte, quo Fœmina gracilis quadraginta quinque annorum infantem enutriebat, rursus pauciores in ejusdem lacte expresso postquam dies duas ab esu carnium abstinuit. Non absimile lacte mulierum inveni Asinæ lac. Lac autem ab Equa acceptum parvam globulorum quantitatem ostendit in abundanti sero natantium.

Eadem methodo, qua Lac, & Sanguis examinatum est, poterunt, & alii Liquores examinari, indeque cognosci multæ corporum ægrotantium qualitates, & morbi. Si enim microscopio subjicias fel, quod flava bilis appellatur, invenies illud purissimum esse liquorem, qui veluti oleum è nullo alio corpore constat, sed supra vitrum coagulatur, ac si lamella alia superadderetur vitrea, flava quidem, sed omninò diaphana, & pura. Talem inveni fel multorum Animalium diligenter examinatum. Qui humor meo judicio inter omnes est subtilissimus, & purissimus, ideoque sæpe brevi temporis intervallo dissunditur per omnia corporum membra, & homines veluti flava cadavera reddit. Cæteri verò humores crassiores sunt, cum pene nullus inveniri possit, in quo particulæ saltem nitrosæ, & salinæ non misceantur; è quarum cognitione non adeo facile dictu est, quàm copiosa humorum seges ad humani corporis salubritatem enascatur. Porrò plurimi pro purissimis habiti, & nulla labe inquinati, vermiculis tamen innumeris sœpissime scatere per microscopia exploratum est.

§. XIV.

VERMICVLI ACETI, & PIPERIS.

DE Vermiculis in corrupto aceto natantibus notissima res est, quos instar Serpentum exuvias quandoque ponere didicit Cl. Hookius epist. par. 1684. In Guttula etiam aceti D. Lavenochius aliquot millena corpuscula recognovit oblonga, & in acutissimam cuspidem desinentia, quæ sal aceti vocans statuit illa esse, quæ linguæ sensum seu saporem acidum inducunt, contra eos, qui aciditatem aceti deducunt ex solo punctionis sensu anguillarum, quam cauda sua acuta imprimere credunt linguæ nostræ, quod tamen erroneum est. Si enim supponeremus verum esse, sequeretur ut multa acета, ut optimè advertit idem Lavenochius debere esse insipida, quoniam destituuntur ejusmodi anguillulis, & hyberno tempore, quo moriuntur anguillulæ omne acetum futurum insipidum.

Si aqua, cui Piperis nigri pulvis *vel per noctem injectus* ait Hookius, mane viventibus, & hinc inde se varie moventibus vermiculis plena conspicitur. Joannes vero Sigismundus Elsholtyus obs. 115. anni Curiosorum 9. de microscopiis globularibus. Ait natantia Animalcula stupenda agilitate apparere in aqua opposita microscopio, in qua per quinque aut sex dies infusa steterint grana Piperis integra, Nuces miristicæ, Caryophylli, semina Coriandri, & similia.

Aquam infusionis piperis pulverisati mihi perscrutanti, ait D. Lavenochius, binas differentes Animalium species videre contigit, & utriusque speciei majora alia minora, ita ut hæc juniora, seniora illa judicarem. Arbitror me vidisse, juniorum horum quædam in ventre majorum contenta fuisse, & bina sub natatu invicem cohærentia congressum celebrasse.

A figuris Anguillarum aceti abstineo, cum multi in suis paginis expresserint. Insecta Piperis non exprimo, cum apud neminem expressa viderim sed solùm relata. Nec unquam in aqua in qua Piper subsidit, eos comprehendere potuerim.

Non

Non autem pono vermes in Urina apparentes, ut dixit supracitatus Elsholtyus, cum illos nunquam in ea deprehendere potuerim. Observavi tamen non injucunda, immo maximè utilia, scilicet ingentem numerum perquam exilium figurarum salinosarum. Inter eas deprehendi multas elegantissimas figuras diversæ magnitudinis, multasque summæ exilitatis. Multæ talium figurarum positura sua conveniebant cum particulis salis comunis, multarum basis ex oblongo quadrangularis erat in pyramidem adscendens, quasi adamantes aspicerem sicut num. 98. ostendit. Aliarum basis erat quadrata, in aliis rotunda, supra quam Cylindrus fundabatur pellucidus, & clarus, ac si e cristallo constaret. Item aliquot, quæ oblongæ erant quasi quis intueretur oblongam rectangulam figuram, sicut figura depingit num. 99. Præterea multas figuras, quarum duo latera longissima aliquatenus rotunda duo brevissima recta erant, fere accedentes ad figuram dolii sicuti num. 100. manifestat. Item aliquot quinque lateribus aliquot quatuor, aliquot verò tribus constantes, quorum duo angulum formabant acutissimum, sicut num. 101. testatur. Inter omnes hasce promiscue positas salium figuras perquam jucundum erat oculis usurpare aliam in modum crucis expressam, ut apparet sub num. 102. Pluries hoc experimentum tentavi, & humorem exhalare permissi, semperque mihi æque ac supra, multitudo ingens exilium figurarum salinosarum occurrebant, eædemque diversarum figurarum, & magnitudinum.

Unde nam tot salium diversæ figuræ proveniant in urina, non adeo in promptu est definire. Mihi tumultuarie observanti persuasi, eas ex variis cibis, quibus vescimur, & humoribus, quibus constamus ortum habere, ex quibus certe provenit in corporibus lotii excrementum, secum illa trahens quidquid Natura ut ineptum ad nutritionem reiicit ad vasa tali excremento destinata. In vino, & aceto Lavenochius multas salis particulas accurate observavit expressitque eorum figuras, præcipue in epistola prima, qua illa descripsit. Non autem adeo facile credam, quod ille sibi suasit, videlicet observatas in aceto figuras salinas linguæ nostræ saporem acidum imprimere; Vinum autem gratum esse, eò quod ejus figuræ salinæ nec nimis acutę sint, sed ita compositæ, ut earum partes quasi harmoniam quamdam nactæ, nec alias superent, nec superentur ab aliis. Et licet observaverit particulas Sachari, quod & ipsum sal est esse acutas, & angulosas, illud tamen esse dulce, & gratum, eoquòd facile resolvantur cum uniuntur salivæ, & flexibilitatem acquirant talem, qua omnibus aliis in lingua occurrentibus particulis cedunt, ac proinde gratia sua nobis sensum dulcedinis largiuntur. Non ideo huic accuratissimo Auctori contradico, sed quia cuivis libere sentire licet, & sententiam suam profiteri ac tueri in ejusmodi præsertim rebus in quibus de veritate nondum satis constat; meam sententiam profero; hac tamen sub conditione, ne quis objectionem Viro huic illustri factam in malam partem interpretetur.

Si enim Sapor e sola figura salium proveniret, non minus Sal, quo condiuntur cibi, quàm Saccharum, dulce evaderet supra linguam. Etenim ambo æque facile resolvuntur in humido, & aqua sale condita semper suam salsedinem servat, dulcedinem verò, si Saccharo sit permista. Aliunde ergo provenit dulcedo, & amaricies, quæ ut docet Aristoteles sunt duæ primæ species saporum, & sicut album se habet in genere Colorum, sic dulce in genere Saporum. Ab ipso etiam Aristotele reiicitur Democritus cum Antiquis de sensu, & sensib. c. 4. n. 9. ibi c. 5. num. 11. qui dicebant omnia sensibilia esse quæ tangibilia, & reducebant colores, & sapores, qui sunt sensibilia propria ad sensibilia comunia, magnitudines nimirum, & figuras.

His breviter delibatis, aliquot Salium figuras indicamus, sed paucas. D. enim Lavenochius in suis observationibus microscopicis a pag. 111. ad 119. accuratè retulit Sal in aceto ex cervisia confecto, sal in succo mali hesperii, sal volatile oleosum sanguine, & aceto vini commistum. Percurrat curiosus ejus paginas inveniet expressa a pagina 119. ad 149. sal cardui benedicti, sal absinthii, Alumen, Nitrum, Calcanthum Cypri, seu vitriolum cœruleum, liquorem tartari, cinerem smeticum, Camphoram, cinerem ex fornace fusoria officinæ Bombardarum, sal sive cinerem ex fornace plumbi, sal in calce lapidea, sal ex calce concharum, sal soudæ. Etenim salium figuras exactius cognovisse non parvi momenti rem esse is judicabit, qui non tantùm in Pyrotechnia, sed in ipso corpore humano plurimarum generationum, mutationum, alterationum instrumenta illa esse sciverit. Videntur quidem per communia vitra nitrum esse conicum, marinum quadratum, alumen octangulare, vitriolum poligonum, sed per microscopia perfectissima omnia salium frustula apparent ex aliis particulis composita, ad quarum figuras assequendas nudus oculus nunquam pertingit. Videntur autem si soluta primùm in aqua in capillarem tubulum attrahantur, postquam humiditas exspiraverit, & salium particulæ solæ remanserint per minimũ vitri globulum conspiciendæ, vel etiam si unica fluidi salis guttula supra vitri, vel specularis lapidis laminulam conjecta microscopio opponatur.

Nos

Nos, iis omnibus omiſſis: ſal Ammoniacum elegimus utpote quod meo judicio curioſitatem explere poſſit. Pluries illud in aquam diſſolutum ſibi occurriſſe ait idem Lavenochius veluti ramuſculum arboris conſpiceret, irregularibus conſitum foliis, altero folio, altero majore prout indicatur ab illo expreſſum. Mihi autem contemplanti fere ſemper occurrit ut num. 103. exhibui bacillorum ſeu ſulcorum adinſtar, adjectis aliis brevioribus ita ut cruces fere exprimerentur ut in A A A. At non ſemper angulis rectis expreſſas, ſed caracteris inſtar X, ut in B B, ſæpe cruces caravacenſes imitabantur ut in C, non rarò ſtellulam efformabant prout in E, ſeu crucem quatuor pennis coſtantem ut in D.

Curioſum quoque ac non minus utile eſt per microſcopium contemplari prædicta ratione ſalium actiones, & reactiones, quomodo corpora varia aggrediantur, diſſolvant, cum contrariis ſalibus pugnent ac efferueſcant. Inter microſcopicas obſervationes factas a D. Lavenochio in Epiſt. 1684. pag. 6. legi illum obſervaſſe primùm figuras ſalis in aceto eſſe oblongas, & utrinque in acutum terminatas, deinde infuſis in eodem aceto lapidibus Cancrorum deprehendiſſe figuras oblongas ante memoratas in acutum deſinentes mutatas eſſe, & induiſſe alias figuras, quarum baſis ex oblongo quadrangularis erat in pyramidem aſcendens, quaſi adamantes anguloſos ac politos aſpiceret. Aliarum, & paucarum baſim fuiſſe quadratam, in aliis etiam paucis quadrilateram inordinate.

Campus hic patet, in quo uberrima meſſis obſervationum curioſos invitat ad ulteriorem indaginem; ut medicinæ Profeſſoribus, nec non ſpargiricæ facultatis Sectatoribus perquam multa aperiantur cæteroqui occultiſſima. Dum hęc ſcriberem miſſa eſt ad me Epiſtola D. Lavenochii 28. Novemb. 1687. datam ad Regiam Societatem, in qua utiliſſimas obſervationes recenſet circa corticem chinæ chinæ. Narrat ille ſe obſervaſſe ſanguinem commiſtum cum aqua, vel vino, in quo per 24. horas infuſus fuerat cortex ille, illico diſſolvi, & unum globulum ſanguinis in ſex alios minores primum ſeparatum, deinde in minores particulas diviſum, quę tam parvæ erant, ut dumtaxat trigeſimam ſextam partem unius globuli ſanguinarii eſſe judicaret.

Mihi in præſentiarum ſubceſivarum horarum inopia laboranti non licet ulterius progredi in hoc genere tentaminum, quæ certe totum hominem, & exactiſſima exigunt ſtudia. Faciliora tamen, & magis obvia non præteribo, quæ ſine microſcopio haud poſſint diſtingui.

§. XV.

PISCIUM SQUAMÆ.

EXcute Animalium in aqua degentium particulas varias deſumpſi, quas Squamas dicunt Latini, & omnibus, licet minutiſſimis pręclarum Naturæ opus recognovi. Prætereo mirabilem earum ordinem, qua Piſcium cutis teſſellato quaſi opere decoratur, & unicam oculis ſpectandam propono, fateorque in illa me nunquam potuiſſe particulas, quibus componitur perfecte delineare. Tanta enim eſt earum exilitas, & prodigioſa ſtructura, ut Naturæ pennicillis non calamo Artificis ſit neceſſe ad exactam earum imaginem exprimendam.

Primo loco ſub num. 104. ſit Squama piſcis Lupi italice *Spigola*, in qua primum adverto punctum A, quod voco centrum Squamæ, quod punctum fere in omnibus Squamis invenitur. Clipeorum enim inſtar fere omnes aliquantulum protuberant, & umbonem in tali puncto ruditer exprimunt. Dividitur deinde in quatuor partes centro facto in A, ad B C D E, ex his duę partes oppoſitæ B D, C E, componuntur vaſis ſeu nervulis, ut plurimum undatim circa tale centrum ductis, & hinc inde ſimiliter expreſſis; pars verò ſuperior B C, quæ tota ab alia Squama contegitur, ſicuti & binæ ſupradictæ, dividitur in plures partes a radiis centrum verſus directis non autem omnibus ad illud pertingentibus. Spatia inter radios interjacentia protuberant ſulcorum more, & minutiſſimis ſtrigis tranſverſim ſunt diſſecta. In oppoſita verò parte D E, lamina quaſi criſtallina ſimulatur frequentibus ſpiculis hiſpida, & tali ordine diſpoſitis, qualis in figura exprimitur.

Numerus 105. exponit Squamam Piſciculi mihi ignoti, quem inter varios reperi digiti longitudinem habentis. Sqnama non erat major ea, quæ ſub T, exprimitur, microſcopio verò oppoſita prodigioſam compoſitionem oſtentabat. Facto centro in I, in quatuor partes dividebatur, ut alia ſuperior, quarum binæ hinc inde expanſæ lineolis circa centrum ductis, & undulatis ſignabantur. Pars ſuperior in octo radios diſtinguebatur tranſverſim ſulcatos. Oppoſita verò acutiſſimis aculeis munita apparebat, quæ frequentes noduli in partes diſtinguebant.

Squamam Piſcis, quem Lucernam, & Milvum dixere latini, *Cappone* Itali, delineavi, ſub num. 106. cujus centrum maxime protuberat. Pars quæ ab aliis Squamis non tegitur, quinque aut ſex aculeis munitur brevibus quidem ſed validis ut apparet in figura.

Pro-

Proxime adhæret ſub num. 107. Squama e piſce Solea decerpta, magis longa quam lata, parva quidem ut in B, ſed mirabilis ſtructuræ. In parte, quæ a proximioribus Squamis contegitur, fere viginti ſulcos oſtendit minutiſſimis inciſuris tranſverſim ſignatos: Oppoſita, quæ apparet multiplici ordine acutiſſimorum mucronum tota contegitur.

Omnes huc uſque expreſſas ſuperat amplitudine Squama Mulli, *Triglia* dicitur Romæ, quæ licet in cute piſcis exigui amplitudinem æquat delineatam in O, ſub num. 108. aucta. Differt etiam a cæteris ejus fabrica. Umbonem enim non oſtentat, ſed veluti tabula expanſa contegit cutem. Microſcopio oppoſita apparuit ut exprimitur, diviſa in quinque radios, qui inter multas lineolas hinc inde undulatim ductas interjacent. Quinta ejus pars extrema, quæ cutim piſciculi exornat, quaſi pectinem effingit dentibus acutis munitum, quorum ſingulis ſulci ita adnectuntur particulis modò minus, modò magis diaphanis, ut teſſellatum opus curioſiſſimum efficiant.

Finem meis obſervationibus imponere hic ſtatueram, ne Tractatum cæteroqui curioſiſſimum ultra quàm par erat producerem; ſed viam ſolùm aperirem ad innumeras fere obſervationes, quæ fieri poſſunt, & in quacunque, licet abjectiſſima re, mirum aliquid detegi poſſit, in quo infinita Dei Sapientia etiam cecutientibus eluceſcit. At ampliſſimum theatrum obtulit mihi Rev. P. Joſeph Maria Cicala, præclariſſimi ordinis Clericorum Regularium Decus, qui Theatini vulgo appellantur; oſtendit ille pro ſua humanitate, qua præditus eſt, quamplurimas obſervationes ope microſcopii factas in ſubſecivis horis in floribus, Avibus, Piſcibus, Herbis, aliiſque ſexcentis minutiſſimis rebus, quæ quidem, niſi fuiſſent oculis ſubjectæ fidelibus, non adeo facilè induceretur animus ad credendum quidquid in illis oculus armatus detexit. Deficeret calamus ſi ſingulorum relationem aggredi vellet: quamobrem cum aliquas delibandi veniam Humaniſſimus Pater mihi fecerit, eas ſelegi, a nullo rerum ſtudioſo factas, quaſque non ſine oculorum mentiſque oblectatione curioſus lector poterit recognoſcere.

Prima ſit obſervatio facta in plumis, quæ in capite Carduelis (italice *Cardellino*) cutim exornant. Particulam earum indicat num. 109. Sunt illæ coloris nigri, cujuſcumque plumæ calamus major, qui ex cute progreditur, a radice ad verticem uſque munitur hinc inde frequentibus aliis calamis, quos potius aculeos dixeris in acutiſſima ſpicula efformatos, ſed molles, & plicabiles. Hæc partium diſpoſitio communis eſt fere omnibus aliarum Avium plumis; at illud in Carduele mirum eſt, quod cum plumam microſcopio ſubegeris ex illis, quæ prope roſtrum purpureum colorem oſtentant, illam inſpicies qualem num. 110. repræſentat. Calami enim minores, quibus major exornatur, turgeſcunt in extremitatibus, ut apparet ſub littera O, ſanguineo humore ſaturati, a quo certe purpureus color efficitur, ea autem pars, quæ turget, minoribus aculeis orbatur; incertum tamen an decidant ex morbo illi ſimile, quem Plicam Polonicam vulgus appellat, & ob quem humani capilli ſanguine intraſuſcepto intumeſcunt; an potius decidant provida quadam Naturæ lege, ut color ille niteſcat, nam tota ejuſmodi plumæ ſubſtantia rubeſcit, in cæteris verò ſola ſuperficies colore rubro ſeu alio depicta exornatur.

Sub num. 111. exponuntur Pili e pectore Veſpertilionis decerpti. Eorum ſinguli non continuato partium ductu, ſicuti capilli, aut Setæ plurimorum animalium efformantur, ſed pluribus partibus conſtant, quarum ſingulæ calices, ſeu potius Violas, aut Campanulas alteram alteri inſertam referunt, proportione in omnibus ita ſervata, ut quò magis ad acumen accedunt, eò magis gracileſcant, & minuantur, donec optimo microſcopio opus ſit adhibere, ut dignoſcantur. Ad quem finem earum partium fabricam Natura compegerit, unico Divino ejus Authori notum eſt.

A num. 112. indicantur Pili, quibus Talpa circumtegitur leves quidem & ſubtiliſſimi, non tamen ſicut cæteri, quo magis a cute recedunt, paulatim gracileſcentes in cuſpidem abſolvuntur, ſed ſine ullo ordine quamplurimi eorum poſt brevem tractum craſſitudinem induunt, deinde iterum attenuantur, nulla ſervata intervalli proportione, denique ita intumeſcunt, ut fabarum ſiliquas imitentur longa, & acuta cuſpide munitas, quod clarius eorum delineatione patebit.

Bacilli ſeu haſtæ in acutum mucronem abſolutæ ſub num. 113. poſitæ pili ſunt Vermis piloſi, quem Erucam dicunt latini. Illos, ut vides frequentibus aculeis hinc inde muniuntur, non quidem in latera exertis, ſed mucronem verſus directis, & ad infligenda vulnera paratis. An arma ſint, quibus hujuſmodi parva inſecta muniantur; an verò illos ad ornatum Natura conceſſerit, non adeo facile mens hominis poterit definire. Sed de his ſatis.

CLAS-


M
A
O
C
1
1
B
G
F
B
B
A
B
C
1
1
M
E
T
F
O
G
B
D
F
5
E
6
3
C
4
1
A
2
D
C
A
E
30
60
90
T




A
B
C
D
E
I
O
O
S
Y
Z
G
T
R
X
V
F
Q
L
R
F
K
H
M
N
G
T
3
4
5
6
7
9
10
11
M
Tab. II.
pag. 362







Machina pro desiderata hactenus maiorum Telescopi
et adhibita a P. Ægidio Francisco



rum firma sustentatione et commodo usu excogitata
de Gottignies Societatis Iesu




1
D
B
A B
2


3
C
E
D
F
G



5
4
6

7
P
P
5
Q
9
10




12
C
D
C
D
11
13
F
F
14
A
15
B
B



16
c
c
17
ff
19
20


21
22
371
A
23
24
25




26
26
o
o
27
B
T
N
29
M
M
A
D
F
F
C


30
o
o
o
a
a
a
31
33
32
34
35
36
37




38
37a
p
q
r
s
T
35
l
h
36
37
39
40
41
42

43
48
48
44
46
47
45





49
377




50
51
52
53
D
C
O
A
B
55
D
54
A
B
O
D
C
56

A
F
F
56
Cimex
C
C
57
D
D
60
71
C
B
D
A
59
62
Dentes aranea Tarantulæ
Dentes viperæ


62
63
64
360
61
65
Crabronum aculei
Tarantula
66
P
E
H
E
F
H
L
G
urticarum
aculei.
R
Q
O
B
A
C
I
F
K
67
68




69
L
L
M
M
K
71
73
N
H
72
I
C
A
B
C
D
E
x
a
V
74
t
u
B
D
E
C
A


75
76
79
77
76
o
o



A
60
62
O
C
C
61
63
64
65
66




67
66
68
90
91
69
69
93
92
94


66
67
69
90




91
92
93
94
95
96
96
96
97
98
99
100
101
102
103
C
A
A
B
D




B
104
C
A
D
E
106
107
106
105



Spogię textura



Gossipij textura



Filum lini

109

110

111

112

113

MUSÆI KIRCHERIANI CLASSIS DUODECIMA

Continens Animalia Testacea.

ARGUMENTUM.

RErum naturalium, & Animalium præcipuè Cognitio humanam curiositatem, sciendique cupidinem adeò extimulat, ut Virorum insignium quamplurimi pretiosis laborum, temporis, aurique expensis illam explere curaverint. Alexandrum Macedonem, licet Asiaticis bellis distractum, thesauros ingentes profudisse scimus, ut à suo præceptore Aristotele Animalium Historia perficeretur. Verùm quia communi Mortalium lege utrique defecerunt, multas amisimus paginas, temporum ruinis consepultas, vel incendiorum vi sublatas, quæ quidquid ille ab experientia didicerat, referebant. Tale verò adeò magnum opus unico sub Rege ita perfici à nemine potuisset, ut adhuc quamplurima de eisdem enarranda non superessent. Nostro igitur Ævo Viros ingenio, & eruditione eximios per Italiam, Germaniam, Galliam, & Angliam dispersos ad illud perficiendum Veritatis Amor extimulavit, omnique mentis conatu omnes suam operam navant, ut ad Veritatis trutinam revocent quidquid Rerum Naturalium Scriptores enunciarunt, scribantque ea, quæ vel temporis, vel cognitionis defectu iidem omiserunt.

Eum igitur in Animalium Testaceorum historia, quæ pari, ac cæterarum Rerum Classes, oblectatione animum afficit, quamplurima scitu digna desiderentur, eò quod, vel omninò falsa, vel non satis probata, vel tædio quodam legantur Iconum defectu, in quibus Animalia relata clarè recognoscere haud possumus; ab Amicis extimulatus non respui curiosorum oculis subjicere publicis impaginis Testas conchyliorum, ad vivum scalpro expressas, quæ mihi notabili figurarum, aut colorum varietate constanti lege in singulis concinnata ad species diversas referendæ visæ sunt: Quamplurimas enim ex multiplici Oceani sinu ad mentem meam privato studio relaxandam acceperam, quæ Amicorum pariter mentibus oculisque non ingrato oblectamento erant, dum in se ipsis referebant mira naturæ opera, indicabantque novos ejusdem lusus, à nemine ante id tempus relatos.

Quinquaginta circiter super Quadringenta inter se diversas Italico jam pridem sermone descripseram deinde centum aliis adjectis anno 1684 curiosorum oculis latino exhibui, postea in Musæo Kircheriano collocatis, nunc alia iterum addo, & ne jejuna sit oculorum oblectatio, utile menti otium propono in dubiis Philosopho non indignis, quibus ad Veritatem clarè dignoscendam extimulatur, ea omnia prætermittens, quæ circa Testacea longis enarrationibus Auctores exposuerunt, ne aliorum dicta transcribens, legentium mentes fastidio damnem.

Utilem propterea Tractationem quatuor in partes divido; in quarum prima, postquam non puerilem, sed sapientem, ac proficuam occupationem esse comprobaverim investigabo, Testaceorum indaginem, eorum Generationem, sivè sub Marinis undis illa spatientur, sivè terrenis glebis sinè animali subsidant; Deindè materiam aptam recognoscam, qua formari possunt à Natura, Colores insuper, Formas, & Proprietates, quarum beneficio Divini Opificis Prærogativas Philosophorum mentes sibi spectandas objiciunt, cæterosque demum usus, quibus juvantur Homines. Quamobrem pretiosarum rerum locum in Musæis quamplurimis recensentur.

In Secunda verò Parte singula describam, notando Partes, Formas, Colores, Nomina, & Maria ubi nascuntur.

In tertia eorum Icones describam in triplici Classe distributas, in quarum prima numerantur Univalvia non Turbinata, in secunda bivalvia, in Tertia Turbinata. Et ne catalogum tantùm eorum conficiam, in quarta demum parte quadraginta circiter Problemata proponam dubiis rationes subnectens, quibus aliquis Veritatis nitor, vel saltem affulgeat, si clarius philosophica indagine recognosci non possit. Docebo Margaritas è rore nequaquam formari, ut sibi, & multis Plinius suasit, neque Concharum filias esse, sed

morbosam earumdem luem. Referam rationem, ob quam Cochlea auribus admota maris susurrum videamur audire; causam inquiram, cur sub undis copiosius Testacea, quàm sub glebis nascantur, & præcipuè in Mari Indiarum Orientali, in quo egregius picturata: cur in superficie potissimum externa distinguantur coloribus, cur multa spirarum orbibus circumvolvantur: cur membrorum diversitatem vix habeant; Cur Dentibus, Corde, & Ossibus careant: Cur Luna deficiente macrescant: Pigra, & stolida sint. Balanorum succus noctu eniteat. Cur inter colores, quibus diversimodè pinguntur, non appareat Cæruleus: An Cochlea, quæ dicitur Venerea, sit Remora à Mutiano relata, cujus abdita vis velocem Navium cursum valeat retardare, aliaque similia problemata à nullo hactenus proposita ad trutinam revocabo.

PRÆFATIO.

QUi negotiis otia, seriis ludicra miscent, non tam suo, quàm naturæ genio, humanæque vitæ conditioni obsequuntur. Vitæ enim, vel laudatissimæ tenor, si nulla voluptate interpelletur, speciem refert Musicę, aptis quidem modulis temperatæ, imperfectæ tamen, nisi Harmoniam pausa condierit. Tempus, teste Plutarcho, die nocteque componitur, quarum ista quieti, labori illa debetur, id quòd Lucanus Pisonem pluribus monuit.

— *Nec enim facundia semper*
Adducta cum fronte placet, nec semper in armis
Bellica turba manet; nec tota classicus horror
Nocte, die que gemit, nec semper Gnossius arcu
Destinat exempto. sed laxat cornua nervo,
Et galea miles caput, & latus ense resolvit.

Sanè Viros undecumque spectatissimos novimus, seu privatorum studiorum contentionem, seu publicas curas honestis remissionibus, & ludicris exercitationibus ideòque laudabili vacatione relaxasse, quòd non segne, & ignavum otium sectati, confirmandi animum, & à labore recreandi propositum haberent. Fatetur id de se Tullius, quòd Tullius cum è foro, in quo versare omnium animos quoquò vallet consueverat, rus, & in villam concederet, visus sibi fuerit tanquam è procelloso mari ad portum, ab armorum strepitu ad pacis asylum, à se denique, velut ex aliena potestate, ac dominatu evasisse. Hinc summis laudibus dictum illud Scipionis prosequitur: *Nunquam se minus otiosum esse, quàm cum otiosus.* Et verè nemo sapiente suaviùs oblectatur, qui ad rerum meditationem, aut lectionem secessum, & solitudinem eligit; Ejus rei gravissimus auctor est Æneas Silvius Vir doctissimus idem, & Romanæ Ecclesiæ Pontifex Maximus. *Est*, inquit, ep. 66. *Magna Virorum recreatio, cum se aliquis retrabit in solitarium locum, ut meditetur, vel legat.* Et verò ad recreandum animum quolibet libro potentior est quicunque partus Naturæ. Hinc, ut nihil de tot aliis dicam, Scipio, atque Lelius, tametsi alter ducendis agminibus, & conserendis prœliis, alter dicendis in Senatu sententiis, versandoque quò vellet Collegarum suorum judicio insuevissent, ad litus maris eam aliquando voluptatem quærebant, quam in Cochlearum descriptione ipse tibi proponere constitui. *Constat namque eos*, inquit Plutarchus, *Cajetæ, & Laurenti conchulas, & calculos lectitasse.* Quod genus animi oblectandi etiam ab aliis pari studio, ac jucunditate usurpatum vetus adagium peperit. *Conchas legere*, hoc est jucundis & utilibus occupationibus sese oblectare. At enim ista rudibus puerorum oculis parata neutiquam est; cùm enim plurimas concharum formas produco, simul Musæum aperio, in quo non tantùm se lumina pascant colorum, ac figurarum varietate, tanquam qui viridarium ingressus variis consitum floribus, atque admiratione defixus, nesciret tamen quem ex illis omnibus legere, ac concupiscere potissimum deberet. Verùm etiam, ut animus ex accidentibus substantiam cognoscere discat, calleatque subinde modum causasque tum molis, tum formæ, tum denique coloris singularum. Comperiet enim verò quanti sit operis, ac laboris, penitùs intimèque rei cujuscunque, vel minimæ pretium cognoscere, quam Natura produxerit, aliam atque aliam admirationis materiem omni suo opere solita ministrare, quæque terræ impressa reliquit vestigia, ea mens capax, prodigiorum artificis, & Gigantis esse deprehendet.

Equidem ista magnificentiùs, quàm veriùs me dixisse nemo putaverit, qui vel solas Cochleæ spiras intuens exiget secum, quantoperè laboratum à Geometris fuerit in illis ritè ducendis, & verò quæcunque demum ejus artis præcepta tradiderunt, aliter esse tamen semper sunt visæ, ut qui eam è circuli portionibus in angustius spatium semper contracti composuere, cum con-

contra ſpirales lineæ circuli haud ſint, tametſi circulares appareant. Quis, rogo, Vitruvius tam mirabilem, & nulla ſatis arte imitabilem domum ædificavit; Equidem quò magis inveſtigandis earum cauſis progreſſus fueris, eò clarius deprehendes veriſſimum eſſe, quod Veteres dicebant, Deum, Naturæ nomine comprehenſum, in omni opere ſuo, *geometrizare* quodammodo, adeoque licere in ſimplici Cochleæ ſpira jucundiſſimo labore humanum ingenium ſeſe circumagere.

Non erit proindè, aut inutilis, aut ſtultus eorum labor, qui vel è Pelagi fundo, vel litorali arena legant quod, ceu foret indignum oculis noſtris, aut aquis obruitur, aut pedibus proculcatur; At inquiet aliquis, nunquid ante diſquirendum cenſes, ſit ne quod pertractandam ſuſcipimus argumentum ejuſmodi, quod dignitate ſua, ac pretio temporis, ac laboris impenſam promereatur. Eſt ne autem contemptibilius, atque informius Cochlea ex Animalibus ullum? Quam aptè illam contemplanti objicias, quod Teutonum Orator Romanis, qui, ut Plinius refert lib. 25. c. 4. Romam ubi veniſſet, ejuſque pulcherrima quæque luſtraſſet, contemplari juſſus fuit à ducentibus tabulam pictam ſummi, ut ajebant, pretii, atque artificii. Referebat ea Paſtoris ſpeciem paſcendo gregi intenti, habitu, qui huic hominum generi uſitatus, vili, ac incompoſito. Jam ubi ille ſemel, atque iterum omnem dimenſus oculo fuiſſet, nullo neque admirationis, neque approbationis edito ſigno, profeſſus eſt: *Sibi donari nolle talem Virum vivum, verumque*: Sugillans haud obſcurè infelicem laborem haud alio fructu inſumptum, quàm ut ejus hominis effigies coloribus repræſentaretur, quem eorum adſtantem nemo, vel aſpectu dignaretur. Nunquid autem in Cochleas non hoc aptiùs cadit? Sanè *limaces à limo* dicuntur. Feſto Pomponio teſte, ut adeò à luto nativam humilitatem ducant, ipſaque Anatome, quantumvis ſeſe fatiget, artus ordine diſpoſitos reperire non poſſit: neque aliud adeo mireris, quàm quod animantes cùm ſint, nihil ferè animantium habeant, quippe corporis adeo imperfecti, ut neque oculis, neque ſanguine, neque corde præditæ duras ſilices ſenſu, ac motu parum admodum vincant. An fortè in tam vaſto Naturæ Theatro deſunt res aliæ nobiliores, elaboratiores, digniores, oblectando ſapientis animo accommodatiores? Par iſta profectò ingenii tam male feriati ſtoliditas eſt illi Claudii Cæſaris, quem ſcribit Lælius Calcagninus de calculorum ludo, diſpoſitum in ordines Exercitum adversùs mare duxiſſe, juſſis militibus galeas Cochleis, quæ litus omne complebant, onerare, *hac ratione de Oceano triumphaturum.*

Hæc pluraque alia dici fateor poſſe ab iis, qui nihil præterea cogitantes, in ſolo nomine, uti per vulgi ora vagatur, acquieſcunt. Ego verò haud alia mihi defenſione opus eſſe cenſeo quàm, ut palam faciam, Sapientem ex omni re quantumcunque minuta, ac exili, quam ipſi Natura obtulerit, capere voluptatem poſſe. Unum è te poſtulo, ut intelligentiam juxta, ac ſenſum ad iſtarum, de quibus agimus, Conchularum conſiderationem demittas, ſic ut altera alteri magiſtra fiat, ac iſte illi ſe ducem præbeat, eo planè modo, quo in arte nautica oculus manuſque mutuum ſibi officium præſtant, cum ille deſcriptas navigationum tabulas examinat, iſta ad earum præſcriptum temonem regit, & vela pandit, atque alter ſcientiæ, altera experientiæ magiſterio edocetur. Idem ſervet neceſſe eſt, qui de Naturæ operibus philoſophari amat; quippe in iis diſciplinis, quæ planè contemplatrices ſunt, licet quidem eſſe cæco, revocatis ad intima mentis penetralia rerum imaginibus, quod ut melius conſequerentur, non defuerunt Philoſophi, qui barbara quadam immanitate oculos ſibi eruerunt, verùm in Philoſophia naturali illos habere nos duces oportet, ac monſtratores, niſi identidem incurrere in offendicula velimus. Hinc ſapienter monet Galenus: *Quicumque vult operum Naturæ eſſe contemplator, oportet eum credere propriis oculis.* Quapropter curandum ſedulò eſt, ut certa rerum experimenta teneas, ut ne errore labaris, quo etiam me aliquando mare decepit, cum ſcopuli acumen arbitrarer, quod nubis Horizonti imminentis erat principium. Sic igitur experientiæ partes erunt multorum rationum fundamenta ingenio miniſtrare, quandoquidem, ſi Tullio credimus: *temerarium eſt, aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perſpectum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere.* Et verò ſubit me neglecti opportuniſſimi temporis pœnitentia, cùm ad litus maris Adriatici habitanti commodum eſſet multas movere quæſtiones, earumque ſolutiones animadverſionibus fidelioribus adinvenire. At neque ſic tibi fidem adhibere te velim, ut falſitatis coarguas quæcunque aliis idoneis cæteroquin auctoribus comperta fuerunt. Mihi ſanè propoſitum eſt per aliorum narrationes viam ſternere ad multarum quæſtionum haud ita expeditarum rationes eruendas, quas ubi experientia duce inveſtigare non licebit, eas in medio relinquam felicioribus ingeniis penetrandas, & remoto penitùs omni ambiguitatis velo inſpiciendas; nempe ſatis habiturus ſum, innoxia voluptate oculos tum mentem non inutili doctrina paviſſe, vel quæſtiones movendo, non indignas Philoſopho, vel à terrenarum rerum conſideratione ad cœleſtium

lestium contemplationem animum sublevando. Sic ut ex illarum admiratione ad Conditoris laudes exurgat, illius videlicet Artificis, ac Præceptoris, qui dubiis omnibus usus occurrit, nodos omnes dissoluit, & veritatem ex quavis quantumvis perplexa ratiocinatione exculpit.

Ita veterum præscripto navigabimus nondum audentium alto se committere, *& alter remus aquas, alter sibi radat arenas*; Prop. lib. 3. egregiam voluptatem capturi, dum propè litus mare percurrentes, inambulare quodammodo terræ nullo pedum labore, navigare verò nullo naufragii metu nobis videbimur. Neque otiosa, aut sterilis, sed fructuosa ejus oblectatio futura est, qui veluti cymbam promovens, vel è terra passim flores legit, vel retia, ac nassas colligit curiosis pelagi partubus refertas. Itaque dum naturales causas attingemus, veluti remis undas sulcabimus, dumque istas penitus introspicere non dabitur, ad universalis causæ recondita mysteria, velut in portum, & solidam terram è naufragii periculo nos recipiemus.

Haud equidem consilium est, spissum volumen conficere, referendo quidquid ab aliis Scriptoribus de Natura Testaceorum fusè copiosèque traditum reperi. Ut enim ingenuè dicam, tametsi multos eorum percurrerim, non tamen contigit reperire, quod concupieram, atque illi sese exposituros promiserant. Visi mihi proindè fuerunt earum Avium instar, quæ suspensæ in aere alarum vastitate, ac multitudine plumarum magnam sui speciem faciunt, captæ verò deplumaræque venatoris expectationem molis, ac corporis exilitate deludunt. Habeat proindè laudem suam Aristoteles, quam illi animadversiones suæ, in Libro quarto Historiæ Animalium præcipuè congestæ, pepererunt. Habeat, & Plinius suam: nec minorem reportasse Bellonium dixerim, qui eam ob causam difficillima longissimaque itinera per tres Orbis Partes Europam, Affricam, Asiamque suscepit. Rondeletio quoque accuratæ descriptiones, Gesnero, damnatæ licet memoriæ Scriptori, eruditæ annotationes, ac denique Salviano diligens multorum corporum Anatome laudem suam afferant. Porro ex his ea tantùm delibabo, quæ ad brevem tractatum conficiendum erunt satis: perindè enim ac Coralliorum Piscatores, nulla certa ratione itineris sibi præscripta, ibi scilicet interfistunt, ubi spem concipiunt insignem ramum è maris fundo revellendi, ego quoque huic mori insistens non id omne consectabor, quod dicendi argumentum, ac materiam præbet, verùm id dumtaxat, quod vel repetere necessarium, vel cognitu dignius convenientiusque reputavero. Addam quæ alii, seu inscitia, seu pigritia inexploratum dimisere.

Et certè non facilè dixeris, utra in re magis laboret ingenium, an tractata ab aliis argumenta retractando, an nova comminiscendo. Equidem in his viam tibi aperias necesse est, utque ad metam pertingas, tuis ipse te pedibus tribuere: utique cum desertas per Regiones, tamquam per Libyæ arenas, veluti vastum per mare, nullo signata vestigio incedendum sit, in quibus

Iter omne latet: nec sunt discrimina terræ
Ulla ——————
Nullusque potest consistere miles
Instabilis raptis, etiam quas calcat, arenis.

Exiguus profectò illorum numerus est, qui pariter, ac argumentum quoddam pertractandum sibi proposuere, viam statim inveniant, qua perducantur ad metam, imò plerique, cum jam sibi attigisse illam videntur, adhuc in principiis, atque carceribus consistere deprehenduntur. Accedit quòd in tam varias, ac propè infinitas semitas, aliorum videlicet, qui præjerunt vestigiis signatas, distractum ingenium in totidem laberinthos se inducit, è quibus evadendi difficultatem ipsa viarum multitudo facit. Hinc ista, quam in Testaceorum contemplatione honestissimam voluptatem afferre lectoribus constitui, non sanè exiguo labore parabitur, quippe quorum, vel sola nomenclatura tam diversa apud Scriptores est, ut non sine labore designatum ab illis corpus intelligas, de quo sit deinde disserendum. Quanti verò erit operis eorum naturam causasque philosophando comprehendere? neque ideo tamen despondere animum; imo Platonis dicto dial. 5. de Rep. inter hujusmodi angustias excitari te velim. *At non est nobis quoque natandum, conandumque, ut disputationis undas incolumes evadamus?* Aristotelem proinde imitabor, qui in triginta octo Sectionibus Problematum suorum plusquam mille quæstiones proposuit, ad rerum cæteròqui notissimarum arcanas causas eruendas. Ego quoque seligam aliquas ad solum Genus Testaceorum pertinentes, occurram dubiis per eas rationes, quæ se offerent, atque efficacissimæ videbuntur, ita dumtaxat, ut aliis integrum sit addere quidquid volent, itaque quod ipse dixero, ex eo pretium habebit, quod alii, vel jam adjunxerunt, vel præstantius etiam subindè adjicient. Nempe, ut ait Aristoteles, lib. 1. Metaph. *Quisquis aliquid de Natura dicit, & singuli quidem nil, aut parum ei addunt, ex omnibus verò collectis, aliqua magnitudo fit.* Quod si secus agerem, non vitarem temeritatis vitium, ab eodem Philosopho in aliis reprehensum, Lactantio teste: *Aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse, qui existimassent Philosophiam suis ingeniis esse perfectam.* Conabor præterea id ita præsta-

re,

re, ut etiam mediocriter eruditis, quam minimo labore ea contemplatio constet. Atque ubi vel Natura, vel Ratio controversiam pepererit, primas partes Veritati dabo, Senecæ monito obsecutus, epist. 45. *Multum Virorum magnorum judicio credo, sed non me cuiqu ãemancipavi.* Ubi deinde tam abstrusum erit argumentum, ut ad intimiora penetrare sensus vetentur, dubitabo scilicet, atque ex illo *mihi videtur* eorum audacia reprehendetur, qui statim facilèque pronunciant *ita rem se habere*. Apparebit demum, quam voluptatem capere liceat ei, qui ex inspectione Cochlearum didicerit, non esse indignas, quæ in præclaro, & erudito Musæo conserventur, imò deberi earum considerationem Philosophiæ totius Naturæ scrutatrici, ideoque à Sapiente non alienam esse OBLECTATIONEM.

CAPUT I.

Qua ratione mens, oculique Sapientis possint Cochleis delectari.

OTia, quibus Sapientes solent animum relaxare, haud sunt in eo à curis omnibus revocando, ut solent aliquando Nautæ, quorum mos est è navi in litus descendere, ut in eo undarum agitationem tantummodo evitent. Oculus sapientis Brutorum, & vulgi oculis est longè dissimilis. Hi enim non differunt à speculo, in quo tantùm nudum objectum cernitur, eamque sententiam de eo proferunt, quam species ab eodem transmissæ suggerunt, albumque esse dicunt si album videant, bicolorem verò, si duobus coloribus picturatum. *Attonitum propterea facit Idiotam materia*, inquit Galenus, de usu par. lib. 3. c. 10. cum oculis usurpat opus, vel Artis, vel Naturæ præclarum. *Artificii verò magnitudo Sapientem*, qui non oculis tantùm, sed mente perlustrat. Intima hic objecti quodammodo fibras penetrat, & veluti anatomico cultro præditus omnia dispicit, nec à labore cessat, donec oblectamento illo afficiatur, quo post Geometricam demonstrationem juventam, centum victimas, ut Musis gratias haberet, Pitagoras jugulavit, & quo Archimedem ita à sensibus abstractum scimus, ut circulo insistens supra arenam delineato, ab horrida mortis facie non abhorreret, quam ei Dionysis miles Syracusas aggredientis minitabatur (Plutarchus in Marcello.)

Est inquam Sapientis animi Relaxatio, ut ea, qua idem Archimedes in balneo sæpius oblectabatur, Geometricis demonstrationibus studens, digitoque lineas formans supra corpus odoratis unguentis delibutum. Adeò verum est maxima voluptate tunc animum affici, cum eò libere rapitur, ubi Natura rerum sensibilium objicit venustatem, Plutar. contra Epic. sent. Quamobrem eam tanquam providam altricem esse observat Seneca, de otio sap. c. 34. quæ ingenitam in homine sciendi cupiditatem possit explere, cum *curiosum nobis ingenium dederit, & artis sibi, ac pulchritudinis suæ conscia spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formata, solitudini ostenderet*. Et quocunque oculos convertamus, ubique theatra rerum sciendarum amplissima patefiunt, quarum cognitione utiliter animus oblectetur.

E più dell' opra, (ut ille cecinit) *che del tempo avanza*.

Nec in tam vasta rerum cognoscibilium Universitate, vel ex minimis aliqua potest indicari, quæ à curiosis Naturæ indagatoribus, veluti abditus thesaurus, non judicetur. Singulis pedum vestigiis prodigiorum acervus subest, sive per amœna pratorum, sive per littorum spatiosa discurras, ubi flores quicunque, & arenæ fragmenta inter se notabiliter differunt, vel forma, vel colore, vel magnitudine, vel duritie. At aliqui mente nimis decepti herbas, ut ita dicam, veluti Bruta decerpunt, floresque calcant, eorum pretiosissimum succum negligentes. Quamobrem jure merito D. Leo serm. 7. de Jejun. omnes Mundi plagas paginas publicas appellavit, quæ ab omnibus quidem leguntur, intelliguntur à nemine.

Quod si universus Terrarum Orbis hujusmodi doctrinarum fodinas mentibus ubique proponit, in mari quidem præcipuè, cujus *in scopulis quoque ipsis, & lapidibus*, inquit S. Ambrosius Præfat. in Psalm. *reperit Natura, in quo delectaret*. Sicuti in omnibus montium præruptorum saxis, omnique speluncarum, licet abdito recessu, aliquid nascitur, quod medicinæ facultati adjumento est.

Rerum profectò Novitas vehementius mentem allicit, quàm excellentia; Quamobrem quę assiduè oculis usurpamus, quamvis decora, & admirabilia ea sint, ut plurimum prætermittimus, nec oblectatione eorum animos afficimus, ignorantiam nostram hoc pacto lactantes, qua rerum cognoscibilium notitia mentes privantur, thesauro scilicet pretiosissimo, sub rerum omnium superficie, tanquam velo, à Natura recondito.

Hoc veritati maximè consentaneum de quacumque maris Cochlea affirmare haud dubitabimus,

bimus, si ejus fabricæ structuram, si colorum varietatem, si partium ornamenta, quibus omnes condecorantur disp iciemus, adeo in singulis prodigiosa, ut cum qualibet cæteræ de pulchritudine dimicent.

E quel che il bello, e il caro attresce all'opre
L'Arte, che tutto fà, nulla si scopre.

Ars enim, qua exornantur, supremæ mentis est, unde studio quodam laudabili in litoribus Oceani remotissimis colliguntur a multis, ut inter gazas pretiosissimas collocatæ lusus Naturæ oculis intuentium explicare possint, & oblectationem parere non imparem illi, qua Romanus Ulisses Petrus de Valle afficiebatur, cum Orbem Terrarum discurrens, *mores hominum multorum vidit, & Urbes*. Ille enim Epistola undecima referens Conchas in mari Rubro inventas ait: *Pescava io, e presi quantità di Ostriche, e Lumache di più sorti, tanti Coralli, e bizzarrie di quel mare, che ne hò empiute quattro, ò cinque casse, e già le mando in Italia, per farne col tempo una fontana in memoria de' miei viaggi. Nascono queste in certi fondi, de' quali è pieno il Golfo Arabico, e i Pescatori scendono in quei luoghi sin con la camicia a pigliarle, che l'acqua non arriva loro a mezzo petto. Io havevo gusto di dire, piglia questa, piglia quella, rompi quell'altra, e davo anco di mano, quando bisognava, essendo l'acqua chiara in modo, che si vede il fondo, più che non si fà a Pusilipo la state.* Hac ratione itinerum labores sibi minuens, dum oculos oblectamento demulcebat, ut olim suos Beda apud Condon. de Brigan. hujusmodi Naturæ ludentis opera sibi proponens, eaque miracula dicens, *quæ cum veris, ac seriis negotiis quasi fatigata ludendo efformat*. Nec lusus Naturæ Sapientiæ Divinæ ineptè tribuitur, cùm in sacris paginis eodem significetur circa Mundi opificium intenta *ludens in Orbe terrarum*.

Villa enim, ut ita dicam, menti spectanda in Cochleis proponitur, rustico quidem, & neglecto ornatu concinnata, at idcirco haud minus spectabilis, & decora. Hinc jure multi cum primò rem aliquam ignotam intuentur, adeo vehementi capiuntur amore, ut cætera negligentes, in ejusdem contemplatione sistant, non studio prorsus inani, quo Xerses ille Regum stultissimus Platanum adamans, Trunci amore militum Turmis, quas in Lidiæ partibus ducebat, turpem nuntium remisit, Ælianus var. hist. lib. 2. cap. 14. imò laudabili, cum Dei opera perscrutantes, maxima e rebus minimis Sapientiæ Divinæ argumenta percipiunt.

Multorum profecto Librorum volumina, quibus notissima pluries referuntur, unica superat pagina, quæ aliquid novi menti discipiendum proponit; ideo laudibus semper celebrandam studiosorum Academiam arbitror, quam Regiam Societatem Anglicanam dicunt, cujus Asseclæ hoc unum agunt, & versant, ut Naturæ recessus undique solerti indagine magis magisque patefiant: necnon Collegium Naturæ Curiosorum, quod in libera Imperii Civitate Schuinfurti anno 1652. natales sortita est Virorum delectu abundantissimum, quorum plurimi per Germaniæ Provincias dispersi, omnes medicis occupationibus dediti, physicis considerationibus, & experimentis vacant. Celebrandum pariter est Italicum Experimentale Sodalitium, cujus Collegæ veritatem adhuc ignotam experimentis detegunt, inter quos magni nominis Virum Florentia nutrivit D. Franciscum Redi, Patriæ decus, literatorum non infimæ magnitudinis sidus, & ob experimenta quamplurima in Naturæ arcanis studiosè peracta Magnis Etruriæ Ducibus charum, ut cætera ommittam, in Europa instituta, ad rerum veritatem perquirendam Veteribus omnino ignotam, pateatque Senecæ effatum, Nat. quæst. lib. 7. cap. 31. qui dum viveret, ait: *Multa sæculis tunc futuris, cum memoria nostra exoleverit, reservari*. Hinc etiam laudibus extollendus, qui Animalculorum partes minutissimas, nec antea visas, microscopii ope mole auctas, spectandas proposuit, qui in Araneorum formas, eorumque telarum structuram, tempus insuper, & fabricandi rationem exactè animadvertit, qui multorum Insectorum fibras accuratissima dissectione lustravit, omnes quidem Veterum Philosophorum jactabundas mentes redarguentes, multarum rerum cognitione penitus destitutas, comprobantesque, quod de Sapientia Divina Vates sacer affirmavit, asserens Deum mira semper operari, cum effundit illam *super omnia opera sua*; Quamobrem Recens Auctor P. Jo. Paulus Oliva Epist. Tom. 2. epist. 665. suo calamo extollens splendidam liberalitatem, & solertiam, qua Magni Etruriæ Duces Academiam promovent, ad res naturales attentè discipiendas, institutam, eos dixit, *Promotori d'ogni maraviglia naturale, e benemeriti di simiglianti delitie letterate, che sono i degni trattenimenti delle anime grandi, e che raddoppiano la corona in chi regna frà prerogative di tanto acclamate eruditioni*.

Ea etiam de causa Alexandri Macedonis curiositatem probamus, naturam Animalium omnium dignoscendi cupidam; quamobrem scimus ex Plin. lib. 8. cap. 18. *Aristoteli summo in omni doctrina viro aliquot millia hominum in totius Asiæ Græciæque tractu parere jussa*, mirè quidem illum oblectantibus Animalibus, quæ ex variis terræ marisque diffitis partibus deportabantur, vel Quadrupelia illa essent, vel Pennata,

nata, sivè Aquatilia; omnia sanè, aut forma, aut moribus, ad oblectamentum afferendum aptissima. Eorum partes deinde Philosophus Aristoteles diligenti perquisitione singillatim recognoscebat, ut omnium mores, proprietates, & appetitus, si clarè non deprehenderet, saltem argueret; idcirco Quinquaginta fermè volumina illa præclara de Animalibus condidit, quorum aliqua, a temporum ruinis sublata, quidquid ille de Insectis Terræ, de Musciculis Aeris, & Oceani Testaceis disseruit, nobis referebant.

Quamvis igitur utilissima sint omnium Aquatilium Testacea, arguendum me fore haud existimavero, si parvo volumine in succisivis horis, rebusque magis seriis subtractis, concinnato, quamplures Cochleas recensui, atque iterum his in paginis enumerabo, quas, licet inutiles visas, ac flocci æstimandas, aptas tamen duxi ad ingeniorum humanorum jactantiam infringendam, cum experientia satis abundèque sit comprobatum, quod Plinius in libris Insectorum animadvertit lib. 11. *Rerum videlicet naturam, nusquam magis, quàm in minimis totam esse. Quapropter*, inquit ille, *quæso ne nostra legentes, quoniam ex his spernuntur multa, etiam relata fastidio damnent, cum in contemplatione Naturæ nihil possit videri supervacaneum.* Quibus dictis non solùm voluptas illa asseritur, qua ob novas rerum cognitiones mens Hominum capitur, verùm Naturæ voluntas explicatur, quæ, asserente Tertulliano de Resur. c. 12. non ad ostentationem inanem divitiarum suarum res condit, sed ad homines utiliter eruditendos omnia molitur. Hoc de mari a nobis dicendum esse quis dubitet? sacro enim Vati, quælibet sub aquis condita obediunt, cum inquit; *Confiteantur tibi omnia opera tua: benedite Cete, & omnia quæ moventur in aquis.* Neque linguæ vocisque privatio locum dubitationi relinquit, ait acutissimè S. Prosper in Ps. 140. *cũ laudantia dicantur, quę sunt laudabilia, dũ quę non possunt eloqui, faciunt non taceri.* Sub aquis enim, Nazianzeno docente, veluti Nautilus cognitio est, quæ sine remis, sine velis, & clavo, fœliciter sinus Oceani profundissimos pervagatur, recessusque scopulorum abditissimos perlustrat, in quibus Purpurarum tincturas, & Concharum margaritas recognoscit, ac Platonis effatum damnat dicentis, *nihil memorabile producit mare.* Si Cœlo illud compares paludi quidem non absimile dices, at prodigiorum fodinas ejus sinus esse quis dubitet? Quamobrem S. Abbas Radbodus sub aquis vitam traducere posse peroptabat, ubi mira Naturæ opera sine ulla mentis evagatione contemplaretur.

Magna quidem ad hoc requiritur Vis ingenii, & perspicacia; quoniam, cùm aliquid difficile captu mente assequi non possumus, aut aliena nimis a veritate pronunciamus, aut omnino tacemus, ab eo animi mœrore abhorrentes, quo Tyrannus Ægyptiorum Farao excruciabatur, cum vilissimis ranis, & musciculis præfocatus indecorè moreretur. Quare etruscus ille Poeta Berni res æque difficiles, ac jucundas scitu mente revolvens, lepidè scripsit.

Hor dell' Ingegno ogni un la zappa pigli.
E sudi, e si affatichi, e si assottigli.

Idest Ingenii Ligonem quisque arripiat, & sudet, & defatigetur, & acuatur.

E quibus abundè comprobatur otio non inutili Cochleas e litoribus colligi posse, non ut supervacanea ornamenta, sicuti mulieres Brasilianæ, capiti imponamus, sed menti scientiam comparemus, quod Capite sequenti clarius comprobabitur.

CAPUT II.

Qua ratione a Cochlearum contemplatione Menti oblectatio augeatur.

QUæ hactenus dicta sunt, eam tantùm delectationem explicant, qua purus oculus in rerum naturalium contemplatione oblectatur; Quod si è rebus, quæ sensibus objiciuntur ad Artificem Divinum, a quo, tanquam a perenni fonte, quidquid pulchrum, quidquid bonum est in Orbe terrarum, emanat, mentem nostram extollamus, oblectamento prorsus inexplicabili afficimur. Brutorum profectò, non Hominum mos est, oculis tantùm, non mente uti, in hoc adeò specioso rerum theatro, in quo, teste Epitecto, tanquam spectator nascitur homo, optime sciente pulchritudinem non possidentis, sed videntis bonum esse; quamobrem (ait ille) *turpe est homini, si indè incipiat, & eòdem desinat, ubi cætera solent ratione destituta, magis autem convenit indè incipere, in eo autem desinere, quousque Natura nos evexit ad fastigium quoddam, quo nimirum res contemplaremur, eisque attenderemus*, Quas D. Gregorius Moral. lib. 26. cap. 8. *tanquam vestigia Creatoris agnovit, & per illa, quæ ab ipso sunt sequendo, imus ad ipsum.*

Neque debitum omne persoluimus, si cognitione solam curiositatem nutrientes, jejunas prorsus animi affectiones relinquamus: rerum quippe naturalium varietatem frustra contemplabimur, nisi earum Conditorem amemus. *Vanos esse sensus hominis, in quibus non subest scien-*

ſcientia Dei. ſacra teſtantur eloquia, & nullam prorsùs utilitas e ſola cognitione ad nos derivatur, niſi Theſauros, in rebus latentes, percipiamus. Quis Plinio, quis Ariſtotele in eruditione rerum naturalium major? attamen illorum miſertus eſt D. Abbas Clarevallenſis in die Pent. ſer. 3. eò quòd in rebus earum Ordinem, & Naturam, ſint perſcrutati, neglecto prorſus fine, in quem eaſdem Opifex ſummus direxit, ut nempè, ait Gilibertus ſer. 3. in Cant. *prudenter intuenti admirationem Conditoris facerent; & piè conſideranti amorem*.

Hinc S. Auguſtinum vehementer pœnituit ſeſe otiosè Araneum obſervaſſe, qui Muſcas venabatur, ac ſi truculentas Gladiatorum pugnas in Theatro circumſpexiſſet, cùm etiam ex aranei venatu haud parvam percipere poſſet utilitatem, ſalubriter animum erudiendo, ut S. Prophetа David eundem in pomariis videns, ſuos mores inſtruxit, dicens, *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*. At ubi ad meliorem vitæ frugem ſe recepit Auguſtinus lib. 8. Confeſs. ab inutili ſciendi voluptate abhorruit inquiens: *At ego jam in illa vanitate non eram; tranſcenderam eam, & conteſtante univerſa Creatura tua, inveneram te Creatorem*. Philoſophos omnes inſuper erudiens, cognitionibus tanquam alis uſuros eos eſſe, ut ad Dei ſolium mens evehatur, cum dixit: *Si placent corpora, Deum in illis lauda, & in artificem eorum amorem retorque*.

Neque longo pennarum volatu, ſed unico oculorum ictu opus hoc perficiendum eſſe docet Richardus Victorinus, cùm attentè perquirens, cur in ſponſa ſacris Canticis deſcripta, Columbæ potius oculos, quam linceos ſponſus adamaverit, demum ingeniosè ſibi reſpondet: Oculos Columbarum ſufficere, eò quòd haud longè ſponſus abſit, ſed ubique ſit proximus, ideo *Columbinum oculum Amorem eſſe, qui in rebus humano uſui conceſſis, quocumque ſe vertit, familiarem habet admonitionem amoris*.

Quamobrem Pinacothecam eſſe hanc rerum Univerſitatem S. Proſper judicavit, in qua ſummus Rex, atque opifex Deus ſuas collocavit ſtatuas, quibus publicatur. Illarum nempè nulli, licet elingui, dicendum eſt, *loquere ut te videam*, ut olim diſcipulo Socrates ajebat: *Habent enim, ſi intelligantur, linguam ſuam*, ait S. Auguſtinus in Pſal. 16. qua ſuum Conditorem celebrant, & amorem erga eundem ab Auditoribus exigunt, *& undique omnia tibi reſonant Conditorem, & ipſe ſpecies Creaturarum voces quædam ſunt laudantium*.

Cùm cæteris Animalium diverſorum agminibus omnes etiam ſpecies Teſtaceorum voces ſuas reddunt, carmine davidico extimulante: *Volucres Cœli, & Piſces maris, & qui perambulant ſemitas maris*. Omnia enim ſtatuis, Mercurium referentibus, æquiparavit Pachimerus D. Areopagitæ ſcholiaſtes de cœleſt. Hierarch. cap. 2. §. 5. quæ rudi Minerva ſculptæ, & pedibus manibuſque orbatæ, numina condebant in ſinu, nec ullam, licet ex minimis, rem judicare quis poteſt, in qua aliqua Divini Conditoris prærogativa non affulgeat. Conchulam maris aliquam menti tuæ proponas, inquit Tertullianus lib. 1. de benef. cap. 12. *& tibi, crede mihi, patebit Deus, ſanè totius expers invidiæ per ſingulas Mundi particulas ubique ſplendens*.

Neque enim Divini Conditoris prærogativæ radiis Solis tantùm, & Planetarum Hominibus deſcribuntur. Minimæ etiam viliſſimæque res, *quæ ante oculos ſtant*, docente Seneca; *auctorem ſuum ingerunt, & inculcant, nec oblivi ſci ejus ſinunt*. Et *a rebus mediis, & infimis nominantur Deus*, ſapienter inquit D. Areopagita C. Hierarch. cap. 2. §. 51. cum a ſingulis earum, aut Sapientia, aut Providentia, aut Bonitas ejuſdem indicetur, quibus tam mira, tam pulchra, tam varia ſcivit, potuit, voluitque conficere. Si ab ejus manibus venuſtatem talem rudis materia mutuatur, qua nam pulchritudine prædita mens erit, a qua quælibet Orbem Terrarum exornantia perficiuntur: *Inviſibilia profectò ipſius a Creatura Mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: ad Rom. 1. Omniaque cum mediocribus minima, mediocria cum maximis aſſiduo marte concertant, ut Artem ſui Conditoris declarent non magis prodigioſam, quàm dignam amore.

Hac de cauſa aliquos truncos arborum amplexos, illis oſcula dediſſe, nobis narrant hiſtoriæ, non quidem amore erga eas ductos, ſed Conditoris, qui hominum utilitati omnia perfecerat. Hac pariter de cauſa S. Rotardus floribus adeò ſuaviter recreabatur, ut cum virentibus non poſſet, ſaltem frueretur depictis, & apis inſtar, mel è ſingulis delibaret. Maximus inſuper Epiſcopus ſemper præ oculis eoſdem habens, Dei prærogativas, veluti coloribus in illis expreſſas, recognoſcebat. B. Joannes Marinoni, inter Clericos Regulares ob ſanctimoniam morum illuſtris, campos videns, ſeu virentibus herbis, ſeu matura ſegete flaveſcentes, pias lachrymas copiosè effundebat. Et D. Ignatium Lojolam in ſingulis rebus philoſophantem defixum hæſiſſe ſcimus, & animo pluries defeciſſe, ac ſi in ſingulis attonitus reddere. tur ab ipſo Deo, omnes earum partes moliente. Qua de re S. Theodoricus in medit. de Chriſt. Crucif. occupat. orbem Terrarum contemplari peroptans, eò quòd a gloriæ ſolio quodammodo recederet, ſuum errorem apud Deum excuſat, aſſerendo: a Mundo elementari omnes Ho-

minum

minum cognitiones expleri omnino posse. Nobis enim extra Cœlum degentibus Deum clarè intueri non conceditur, sed ea recognoscere, quæ Deus ipse condidit, ob quorum notitiam non mediocri de illo scientia potimur; quare Salomon unumquemque nostrum alloquens, viam ad illam aperit, cum ait Sap. 13. 5. *Considera opera Dei*, porrò, *a magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator harum videri*.

Hac mihi suadeo animi relaxatione Regium Prophetam Davidem rebus sensibilibus delectatum, cum per amœna camporum, per Aulæ cubicula, per silvarum invia spatiabatur, ubi varietate, & elegantia rerum, vel pulchritudine colorum, vel partium dispositione mentis curas sapienter demulcebat, dicens: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*, deinde Divinam Sapientiam haud potens intimè perscrutari, nec non providentiam, omnia gubernantem. *Quam magnificata sunt opera tua Domine*, subjungebat, *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget* hæc Ps. 91. *Stultus* quidem, eò quòd intimè omnia dispicere sibi suadeat, cum externam tantùm superficiem rerum contempletur, *Insipiens* verò, quia videndo attonitus hæret, mentem suam ratiocinatione a Deo jussa minimè exercens.

Mirari fas est dum ab Ethnicis ipsis hanc veritatem docemur. Plutarchum audiamus in herot. *Amor* Divinus, inquit ille, Trajanum alloquens, mortalium oculis subjecit rerum bonitatem, & pulchritudinem, *ut ipsis, quæ foris apparent, gradum faciamus ad Divinum illud amabile, & vere beatum, & admirandum pulchrum.* Sicuti Geometriam addiscere cupientibus pyramides, globuli, & cubi lignei, vel metallici proponuntur, ut in materia figuras tantùm speculentur.

Quæ cùm ita sint, negandum profectò est temporis pretiosi jacturam fieri ab homine, illoque indignum esse, quamvis ei Natura *os sublime dederit Cœlumque tueri*, in luto oculos mentemque defigere, in quo Testacea nascuntur: imò prudentis esse; cùm eorum perquisitione adeò salubriter potest mentem suam erudire; non secus, ac sapientem diceremus Regem illum, qui gemmas in luto dispersas, ad diadema condecorandum, ditandumque colligeret.

His igitur prælibatis, contra aliena dicta me ipsum munire necessarium duxi, antequam Testaceorum tractationem aggrederer, demonstrando scilicet utile otium, quo sapiens in eis perquirendis oblectatur. Quamobrem nullorum irrisiones perrimescens, quamplurima e Maris fundo accepta, in conspectum dabo. Flumina enim ipsa, quæ suas opes fœliciter in eo deperdunt, ac nomina, *elevaverunt vocem suam*, sacro testante eloquio: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*. Quippe sub aquis Innumera Testaceorum seges latet, quæ jure oculis spectanda proponitur, ut illam admirentur, menti verò, ut erudiatur, Animoque omni, ut erga Divinum Artificem amorem, sese salubriter oblectando, concipiat. Fœliciter igitur fruere his epulis literariis Quicumque hasce paginas pertractas. Illæ (benevole Lector) famem curiosam ut eximam, tibi donantur; si ventriculum nactæ fuerint fortè delicatioribus assuetum cibis, fastidientem animalia hæc Testacea, primo aspectu quidem horrida, sub eorum tegumento scias juxta Academicorum Intronatorum lemma. *Meliora latere*. Quod si mente ægra accedas, prorsus abstineas rogo.

Ægro namque optima sæpe palato
Insipida, at sanis sit placuisse satis.

CAPUT III.

Referuntur Proprietates aliquorum Testaceorum, in quibus elucet Providentia Divina.

SI ob Formarum, colorumque varietatem pretio non vulgari habenda sunt Conchylia, plurimi quidem ex eò, quòd sese oculis exhibendo in hoc amplo Mundi Theatro provinciam sibi impositam optimè exercent. Si Cœli enarrant gloriam Dei, a Cochleis etiam celebratur Deus, qui utique in viliſſimis rebus Sapientiæ, ac Potentiæ thesauros ostendit, ejusdemque Providentia non minus, quàm varia argumentorum ratiocinatione sensibus ipsis declaratur. Illis enim Deus non tantùm quidquid ad Vitæ conservationem requiritur, verùm etiam ad oblectamentum elargitur: Quamobrem Tertullianus ad infringendam audaciam Marcionis inter homines nequiſſimi, Dei Providentiam negantis, illi res infimas objiciens. An ne (ait) *Una cujuslibet maris Conchula non dico de Rubro sordidum artificem pronunciabit tibi Creatorem*? Serpentum mos est suos partus in arena relinquere. Divina verò Providentia rebus omnibus a se conditis, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur, donat, argumentum præbens in minimis majoris Providentiæ, qua majora, & Homines præcipuè moderatur, ac regit, quorum utilitati hanc omnium rerum Universitatem e nihilo evocavit.

Injuriosè redarguit Naturam Plinius, cum diceret cap. 29. lib. 9. *Carent Conchæ visu, omnique sensu alio, quam cibi, & periculi*, cap. verò 35. *Concha*, inquit, *in qua Uniones generantur, cum manum videt, comprimit sese, operitque opes suas, gnara propter illas peti, manumque si perveniat, acie sua abscindit, nulla justiore pœna, & aliis munita suppliciis*. Hujusmodi verbis Palinodiam cecinisse judicarem, nisi poeticè potiùs quàm historicè loquutus esset translatione quadam verborum, oculo tribuens quidquid tactu peragitur, cum asseruit Piscatorum cupiditatem ab eis sagaciter animadverti, sicut Virgilius de latratibus canum loquens ait. *Visæque canes ululare per umbras*.

Albertus etiam cognomento Magnus de Concha Pectine scribens; *Si quis* (ait) *digitum admovet subito claudit oculum, ex quo cognoscitur habere visum*. At experimentis sat mihi comprobatum apparuit ferè omnia oculorum sensu carere, Nautilo excepto. Quamobrem vera scripsit Aristoteles de Testaceis lib. 1. Animalium cap. 1. ubi sic legimus: *Habent profectò oculos tum cætera Animalium Genera omnia, præterquam testa intecta, & si quid imperfectum aliud est, & Talpa*.

Nunquid fortasse crudelem Naturam idcircò appellabimus? utpote quæ caliginoso in loco ea perpetuò damnarit, in quo nec victum quæritandi modum habent, nec lucis usura fruendi? Apage qui de recta Naturæ operandi regula tam absurda animo concipis. Ea nempè adeò prudenter in omnibus agit, ut licet liberali quadam manu, suos thesauros elargiatur, prodiga tamen nunquam sit, nec quid minimum frustra unquam operetur. Quamobrem prudens potius censenda est, si visum Testaceis animalibus non necessarium denegavit. Animalia enim omnia testis inclusa, præsertim ea, quæ Turbinata non sunt, & progrediendi facultate carent, humore marino præcipuè nutriuntur, quem, cum per poros attrahant, quærere utique non debent, cum in aqua generentur, & perenni quodam ubere semper ali possint. Ea verò, quæ præter aquam cibis diversis pascuntur, ut notat Aristoteles lib. 4. de Anima cap. 8. motu non carent, & olfactu, quo appetitu excitato, sensuum ductu eos inveniunt. Odor enim, asserente Theophrasto, Animalia omnia ad sumendum cibum inducit, quem naturali quodam instinctu ad nutritionem aptum esse judicant. Sic Purpuræ, Turbinens, & alia Conchyliorum Genera fœtidas appetunt carnes nassis inclusas a Piscatoribus.

Hic autem aliquid dicendum est de modo, quo Turbinata moventur. Testarum scilicet pondere onusta, pedibus, brachiis, & squamis orbata, spumanre reptatu incedunt, sicuti Vermes, qui, ut notat Albertus Tract. de Animal. cap. 10. *contractione, & emissione corporis progrediuntur*. Quamobrem ipse ossium defectus motui adjumento est. Sibi suasit quidam ex recentioribus Auctor, alioqui præclarus, juvari motum ab orbium circumvolutionibus, quibus dum moventur quodammodo nituntur, ac vires augent, ut moveantur facilius. At experientia didici ab eis quidem latibula formari, in quibus Animal inclusum, & spiraliter convolutum possit tutò progredi, sibique ponderosam domum semper unitam trahere; observare enim quisque potest Animal, cum moveri incipit, magna sui corporis parte e turbinata testa exire, cum qua deindè, sarcinæ instar dorso impositæ, progreditur, arcuatim membra flectens, ut suo loco fusius videbimus. Nunc satis superque sit Providentiam Divinam in eis elucentem admirari, qua gubernantur Testacea, & quod mirabilius est animadvertere, ab eis nempè bina saltem cornicula, e fronte emitti, non ad vulnera infligenda, sed ad itinera prætentanda. Tenerrima enim sunt, & quidquid in adverso potest objici, adeò facilè sentiunt, ut vix tactis, illico Animalia recedant, abscondantque sese in Testæ recessibus, quam secum semper deferre notavit ille apud Atheneum, *quia nemini credunt*: Plutarch. Apoteph.

Nequè ideò credendum est vitam in eis vivere infelicem, eò quòd angusto veluti carcere inclusa libertate frui nunquam possint, amantur enim recessuum angustiæ, sicuti cæteris rebus placet quidquid earum prodest conservationi, quibus munimentum formatur, sub quo offensiones evitent, recedendo, cum offendere neminem possint. Nec alia desunt Tutamina, ut conserventur: Illa enim, quæ semper, ut Plantæ manent in loco, ubi nascuntur, testa durior, vel crassior contra voracitatem Piscium defendit, alia licet mobilia præduri muniunt Mucrones, sivè Murices aculeati, alia lapidea lorica tuberculis aspera, multis verò oris apertura, vel angustissima est, vel operculo saxeo adeò arctè clauditur, ut neque aciculæ capacem rimulam insidiantibus relinquat; Quapropter aptius illis quam Terræ Fructibus Poetæ Berni carmina conveniunt.

Dalla Natura si vuol imparare
Ch'hà le sue Frutta, e le sue cose armate
Di spine, e reste, e ossa, e buccia, e scorza
Contro alla violenza, ed alla forza.

Haud equidem nego ex iis multa testa adeò tenui subtilique circumtecta vivere, ut quasi penitus inermia Piscium voracitatem evitare non possint, undè a Polipis præcipuè complexu crinium franguntur, rostroque abripiuntur ab Ave

Lari,

Lari, que referente Eudemo apud Gesner. de Aquat. in libero aere ea relinquit, ut cadant supra scopulos, ubi demum testis in partes concisis, facilè carnibus inclusis vescatur, reddatque falsum quod Ovidius dixit:

Ostreaque in conchis tuta fuere suis.

At nequè in iis Providentia defecit, cum arenis tumulata nascantur, ex quibus haud facilè exhumari possunt, sicuti Balani, & Dactyli inter cætera delicatiores saxeo quodam argine circumsepti, multique minimæ molis Turbines in spongiarum cavitatibus aluntur succo quodam fœditissimo, quo Pisces insidiantes arcentur. Quod si aliqua cortice ferè nullo munita, in escam tantùm generata videntur, eis tamen aliæ insunt dotes, quibus cæteris præstant, comprobantque effatum illud Horatii Neminem esse in hac vita *ex omni parte beatum*, sicuti nullus est, nisi apud Inferos, omninò miserrimus. Undè gignitur pius quidam affectus erga Dei Providentiam, cujus matrem admirationem esse affirmat D. Thomas cum Propheta clamantem: Ps. 100. *Magna opera Domini, cogitationibus tuis non est quis similis sit tibi*, nec in Cœlo tantùm, sed Terra marique omnes eam agnoscunt, dum vident, *Mirabilia Dei in profundo*.

Et ne Cochlearum indaginem ommittamus, illud hic ad memoriam revoco, quod de iis narrant multi, Ostreas videlicet, quæ in mari Persico nascuntur Persarum Regem imitari, qui Æstate Susas, Hyeme verò Ecbatanam Urbem incolit, cùm mensibus frigidioribus in Ponto magis temperato stabulantur, calidioribus verò in Egialo mari, cujus undæ minus calidæ sunt frequentibus Euris agitatæ. Conchas insuper, quibus uniones generantur gregatim ex uno in alium locum natare, ducente omnium agmen una inter cæteras majori, quod tamen Providentiæ laudi tribuendum non negarem si ex rationibus alibi discutiendis falsum esse non crederem. At nulli profectò improbandum est, quod de Cancello pluries docuit experientia, in limo nempè illum gigni, deindè in vacuas testas ingredi, ubi cum creverit in ampliorem testam subire, videlicet, aut Neritæ, aut Turbinis, sæpe etiam parvam Buccinam ingressum eam circumferre, ibidem nutriri, & augeri, deindè capaciorem petere. Aristoteles, qui in hoc minuto animali explicando diligentior videtur fuisse, quàm in multis aliis explicatu alioqui difficilimis, illum quodammodo inter Crustata, & Testacea Animalia ambigere dixit: Natura enim iis, quæ specie locustarum sunt, similis est, & ipse per se nascitur, quatenus verò testas ingrediatur, illicque vivat, testaceis similis est. Multi Eremitam Bernardum illum vocant, Eremitam quidem, quod alios fugiens in testa perindè, ac in solitudine vivat, Bernardum autem quod Plebs vulgari proverbio *Bernardos* homines fatuos esse dictet, fatuumque esse cancellum, qui crusta tectus, chelas habens, quæ ad vitam tuendam satis esse possent, alienas domos quærat, in quibus latens vivat. Verùm prudentem potius duxerim cum Aristotele, quòd nudas, & injuriæ valdè opportunas aliquas sui partes dura, & firma testa muniat.

Quid autem dicendum sit de Pinnis, Lectori judicandum relinquo, si tamen vera sunt, quæ de illis Plinius asserit. Illarum videlicet testas a canchris parvis habitari, eisque in capiendis piscículis auxilio esse. Pinnam enim scribit Oppianus in magnis testis esse imbecillem, sinè mente, & sinè oculis, ideòque hospitem cancrum excipere, a quo morsu admonitam, cum Piscis testam subit, illam claudere, prædamque communem in tuto depasci, undè Pinnophilax vocatus est. Quapropter tutiores viverent Ostreæ si etiam in ipsarum testis socius similis habitaret; opportunè enim admonitæ testas apertas ad aquam hauriendam clauderent, cum cancer lapillum chelis arreptum in eas immittit, eoque impedit ne claudant, deindè ingressus earum carnes deprædatur. Hic adde Echinometras, quæ semper testis inclusæ longis aculeis armantur, quibus utuntur, perindè, ac pedibus; his enim nitibundæ moventur, sedemque permutant, in Orbem se movendo, cujus rei argumentum Aristoteli fuit, quòd detritis sæpè aculeis inveniuntur, & semper aliquid algæ suis spinis implexum gerunt.

Ejusmodi autem Providentiæ opera necessitatis subsidium esse si quis dicat, cui Natura opitulari tenetur, adeòque admiratione minus digna, hæc profectò debenda erit Nautilo, cui pulcherrimam testam non Munimento tantùm Natura adjecit, sed Venustati; in qua, velut in navi argentea, naufragio haud obnoxia per summa maris spatiatur, remigantibus interim quibusdam brachiis, aut ventorum flatus excipiente membranula, quam ad velificandum extendit, vel statim crispat, si fortè aliquem insidiantem oculis deprehendat, petitque maris fundum, ubi tutò stabulatur.

Sed omnium proprietates prosequi velle infiniti esset Operis, cum singula Animalcula æquè ac maxima Divinæ Providentiæ argumenta patefacere homini possint, sicuti Ostreorum Species universæ eandem indicant cortice, quo teguntur, sivè aptius loquar, comuniuntur, tanquam Arce animata, cui aptandum videtur, quicquid de Davidica Turri S. Ambrosius dixit in Ps. 118. ideò fabricatam illam fuisse *Subsidio pariter, & Decori*. *Decori* quidem ob venustatem sivè colorum, sivè formæ pulcherrimam visu:

visu: *Subsidio* autem eò quòd semper receptui dare se possint, cum insidias animadvertunt, ad quas vitandas eas circumferunt. Undè Proverbium in eum, qui nulli fidit: *Cochleis tu es diffidentior*.

Idem S. Mediolanensis Antistes, quem nominavimus, in mentem revocat studium cum Religione conjunctum, quo ipse Echini proprietatem recognovit, illum nempè, imminente maris tempestate, saxis firmiter adhærescere, ne undarum impetu huc illucque agitetur, sicuti aliquæ aliæ Concharum species, Plinio referente, adhærescentes saxis signa sunt tempestatis, sed causam inquirens, nullam aliam esse sibi persuasit, nisi Dei Providentiam, quæ non laborans in maximis, neque fastidiens in minimis, omnia quæ condit, miris proprietatibus ditat, quæ in considerante admirationem pariter generat, & Amorem: *Quis Mathematicus*, inquit Ambrosius, *Quis Astrologus, quive Chaldæus sic poterit siderum cursus, Cœli motus, & signa comprehendere? Undè huic exiguo animali tanta scientia, ut futura pronunciet? Crede quod indulgentia Domini rerum omnium, id quoque præscientiæ hujus munus acceperit. Omnia replet sapientia, qui omnia in sapientia fecit*: Quæ cum ita sint, nonne imbecilli, ac diffidenti animo scopuli firmitatem inter maris agitationes Fides Divina communicabit?

CAPUT IV.

Referuntur varia Musea, in quibus Cochlearum, & Concharum Testæ conservantur.

SI igitur æquè possunt oculos recreare hæc Animalia Testacea, ac animum pellicere, ut sensibilibus rebus ad invisibilem rerum omnium Conditorem recognoscendum possit sibi viam sternere, a quo docente Seneca; *dum ponuntur sapores in pomis, odores in floribus, in lapidibus colores, usque ad delicias amamur*. Quid mirum si in diversis Musæis inter cætera tùm Naturæ, tùm Artis præclara opera Cochleæ suum non indignè locum obtineant. Et sanè turpis injuriæ nota illi esset, qui ex eo vituperaretur, quia oculis mentique eas inaniter proposuisset, ac si cum Nerone pretiosi temporis jacturam faceret purpureis aureisque retibus piscículos viles expiscando. Indignum quippè Homine est inutilibus quæstionibus totam mentem applicare, ut gloriam omnem ex iis consequatur; at laudabile aliquando ad ea divertere, quibus possit animus oblectari. *Quis non miretur*, ait Plinius de Platanis loquens, *arborem umbræ gratia tantùm ex alieno petitam orbe*? stultus Aristomacus fuit, qui sexaginta duorum annorum spatio Apum naturam, & mores studuit perscrutari; stultus Eliogabalus, qui, ut Romanæ Urbis magnitudinem indicaret, Araneorum telas in acervum ingentem collectas in domibus privatis, publico in foro proposuit; nec minoris stultitiæ damnandum dixerim Domitianum, qui ridiculum Muscarum venatum edoceret; At nunquam satis laudandus ille est, qui inter privatos parietes laudabili otio animi gratia per Montes, per Valles, per Maria, ac Fodinas sua mente pervagatur, & ex paucis rerum naturalium fragmentis, quæ sub oculis habet, ingentes Naturæ thesauros deprehendit, toto Terrarum in orbe latitantes.

Prudentes propterea, ac præclari Viri illi sunt, qui quasi *Cochleæ sine domibus nunquam sint*, patria domo exulantes, extero in solo eam colere putant, ubi post longas itinerum dimensiones aliquid scitu dignum in Academiis audiunt, vel visu spectabile oculis usurpant in Musæis, sivè à Natura, sivè ab Arte propositum. Id Pittagoras, id Socrates, Anaxagoras, Democritus, sexcentique alii fecerunt, quorum vita, ut loquitur Sinesius; continua Venatio fuit, ut modò per Ægyptum, modò in Græcia, modò apud Persas, sivè Indos aliquid novi, vel mente, vel oculis assequerentur; nihil tanquam vile requirendum esse à Philosopho pro comperto habentes, quod in hac vasta rerum Universitate è Thesauris suis à Natura depromitur.

At ne ex Romana Urbe longè aberremus: *Et qui tanta fuit Romam tibi causa videndi?* ut olim Titirum alloquens Pastor, si ab unoquoque eorum sciscitarer, qui ex diversis orbis Terrarum Regionibus illam petunt; non quidem libertatis Amor, responderent opinor, verùm potius Templa præclara invisendi, Mausolea celeberrima, prodigiosas Statuas, Villas, ac Palatia, & quidquid admirabile ex antiquę Romæ ruinis erutum, vel supra ruinas ipsas constructum Ars spectandum adjecit. Verùm saniori profectò consilio allicerent oculos quæ Natura proponit, ne tales habeant, quos ante navigandi peritiam habebant homines, cum

Sua quisque piger littora norat
Patrioque senex factus in aruo
Parvo dives, nisi quos tulerat
Natale solum, non norat opes.

Ego quidem, ut verum fatear, admiratione semper longè majore Naturæ opus videndum duxi, quam Artis, præclarum licet, & numeris omnibus absolutum hoc esset, illud verò nativo

tan-

tantùm decore præditum. Quàm difficile, ajebam, Ars ſuis operibus æquat Naturam; Si enim ſtatuam cernat oculus, manus ſcalpris munita, mente adjutrice, poterit è marmore ſimilem fabricare, verùm in ipſo marmore conſtruendo nunquam illam, ſtimulos licet ingentes voluptas adjiciat, æmulabitur. Poterunt Vitruvius, & Archimedes montes lapideos in Porticus, in Columnas, in Fornices diſtribuere, at Cochleam, vel minimam conſtruere, diminutam ſemper proportionem in orbibus circumducendis ſervando, non poterunt.

Horum animadverſione quilibet poterit Cochleas oculis perluſtrare, abſque eò quòd ſtultitiæ notam timeat, meritò olim illi tributam, qui jactabundus de ſe ipſo ajebat: *Ille ego ſum nulli nugarum laude ſecundus.* Poterit enim laudabiliter in apparatu convivii peculiarem cibum laudibus quis efferre, cæteris ſilentio non quidem contemptis, ſed prætermiſſis, & ſicuti in Gemmea bulla ſuum habet pretium Berillus, licet Adamante vilior, ſic pariter inter ſtatuas pretioſas tabulaſque egregiè picturatas, ſuum meritò locum obtinent Cochleæ.

Videntur igitur in Muſæo, quod à Vormio inſigni Medicinæ profeſſore in Øllandia, Vormianum dicitur, ab eodem publicis in paginis eruditè deſcriptum: videntur in Muſæo nobiliſſimæ Familiæ Calceolariæ: oſtentantur Bononiæ in Muſæo ab eruditiſſimo Aldrovando inſtructo; ſunt in Coſpiano; ſic dicto ab Illuſtriſſimo Marchione Ferdinando Coſpio, Viro cujus dotibus inſigniri Bononia jure gloriatur; non magis, ut Naturæ curioſa portenta, quàm Magni Etruriæ Ducis in Virum talem benevolentiæ indicia, qui hujuſmodi maris fructibus Muſæum cæteroqui præclarum, voluit condecorare.

In urbe eadem quamplurimæ ſunt apud Jacobum Zanoni, Virum pari humanitate, ac Botanicæ facultatis peritia, quam luculenter teſtatur opus eruditum Typis impreſſum anno 1675. quo multarum herbarum proprietates reconditas, novique Orbis plantas Italiæ ignotas patefecit; deinde à D. Peregrino Zanoni, Patris in utroque non impare Filio, ſummo ſtudio cuſtoditæ ſub vitreis laminis cum cæteris curioſis Naturæ operibus, quæ longa, & accurata ſolertia ex multis Mundi Regionibus Parens amantiſſimus obtinuerat.

Ibi etiam quamplurimæ ſunt apud Illuſtriſſimum Comitem Capraram, illum inquam, cujus præclaris dotibus ingens decus addidit Excellentiſs. Frater Comes Caprara bellicus Imperator, qui ſub invictiſſimo Cæſare Leopoldo ob ſcientiam rei militaris, & virtutem contra perfidum Turcarum militem plures numeravit triumphos in Ungaria, quam Dies. Quamplurimæ inquam illæ ſunt, & quidem ſelectæ omnes, & elegantiſſimæ magna diligentia ſervatæ ſub laminis cryſtallinis, quas Scriniola ex Ebano ſuſtentant in cubiculo, è cujus parietibus pretioſæ tabulæ pendent egregiè picturatæ. Multæ ſunt in Muſæo D. Prioris Ammonii, multæ apud D. Valerium Dalbonum.

Imolę multas perluſtravi in curioſo gazophylacio, quod poſſidet D. Hieronymus Formioni ex hereditate Patrui Joſephi Formioni habito.

Veronæ in Muſæo Muſcardo multæ conſpiciuntur multæ in Septaliano Mediolani inter omnia alia propter varia tum Naturæ tum Artis opera celeberrimo. Florentiæ multæ apud D. Vincentium Vivianum, Virum celeberrimo Galileo non imparem ob Mathematicarum diſciplinarum peritiam, Magnis Ducibus Etruriæ Galliarumque Regi acceptiſſimum. Sicuti apud D. Coſmum Roſerminum Piſanum aliæ multæ viſuntur. Multas etiam ſingulaſque præclaras ingenti nummorum vi ſibi comparavit ſtudioſus D. Henricmont Pariſis, Urbe Scientiarum Artiumque omnium altrice. Ibi etiam innumeræ Cryptam Varſalianam muſivo opere diſpoſitæ exornant, è remotiſſimis Oceani Regionibus delatæ, ut pariter exornant fontes in præclara villa, quam juſſu Sereniſſimi Principis Caroli de Haſſia Caſſel extructa eſt, ut tanquam Maris Flores oſtentarentur, haud brevi die vernantes, ut Roſa.

Obtinuerunr etiam ſuum locum in Palatio Regio, ubi antiquarum rerum varietates, & Naturæ prodigioſa opificia tum ad Advenarum Virorumque litteratorum uſum, tum ad perenne Urbis ornamentum tanta cura, & ſollicitudine, nec non tantis ſumptibus Ludovici XIV. Sapientia, & Liberalitas erexerunt.

Non deſunt Anconę ex mari præcipuè Adriatico habitæ in curioſo Gazophylacio adeo eleganter inſtructo à nobili Patritio Camillo Pichi, ut ratione dubitandum ſit, an major fuerit ejus in comparando induſtria, an potius in diſponendo ſagacitas. At ne Roma diſcedamus in hac etiam Urbium Regina multi Virorum egregii, vel Doctrina, vel nativæ nobilitatis excellentia inter prætioſas ſupellectiles Cochleas poſuere. Illæ videntur inter gemmarum matrices glebas in Regia Villa Excellentiſs. Principis Pamphilii apud S. Pancratium, quam dicimus *di Bel reſpiro*; ſunt in Villa Excellentiſſimi Principis Auguſti Chiſii apud Montem Eſquilinum poſita. Aliquas vidi in Muſæo, in quo inter ſelectas celebriorum Pictorum tabulas, & Veterum erudita monumenta paucas quidem numero, at forma elegantes quas poſſidebat D. Petrus Bellori, ob ſuam antiquorum

numiſ-

numiſmatum peritiam Reginæ præcipuè Suecorum inclitæ Chriſtinæ acceptiſſimus. Aliquot etiam præclaras in Palatio Villæ Regiæ apud Thermas Diocletiani, quæ à Principibus Perettis in ditionem venit Principis Sabelli, at modò poſſidetur ab Eminentiſſimo Cardinali Nigronio. Silentio non præteribo eas, & quidem pulcherrimas, quas D. Auguſtinus Scilla pingendi arte præclarus, tum nummiſmatum eruditione celebris, additis variis rebus lapideo ſucco obduratis, de quibus luculentam, & eruditam epiſtolam Typis edidit. Multas etiam repoſuit Eques Corvinus in ſuo Muſęo, quod, illo è vivis ſublato, Excellentiſſimus Dux Strozza dilecto D. Leoni Filio pretio comparavit, & quidem Artis, & Naturæ lucro; Omnia enim, quæ in illo conſervantur, ſub indecoro pulvere haud latent ut antea, ſed inutilibus rejectis, Inſpicientium oculis prudenti methodo diſtributa oſtentantur. Multas etiam collocavit in ſuo Muſæo D. Andreas Bonvicinus. Aliquas ex elegantioribus D. Carolus Antonius Magninus, apud ejus Hęredes conſervatas inter Arma Virorum illuſtrium, & varia tum Naturæ, tum Artis opera, ab ipſo Magnino ſuo calamo illuſtrata. Erant inſuper in domo D. Franciſci Galli, cujus ſolertia mira Naturæ opera collegit, variaque ex aquis ac tellure portenta curioſis oculis comparavit. Erant in domo Euſtachii Divini, quem excellentiſſima peritia in Teleſcopiis fabricandis celeberrimum reddidit. Innumeræ oſtendebantur in Muſæo Eminentiſs. Principis Virginii Urſini propè Urbis mœnia in Via Flaminia, deinde in ditionem Illuſtriſſimi Marchionis Virgilii Spadæ translatæ. Videntur etiam in Muſæo Illuſtriſſimi Urbani Roccii Equitis Romanorum Pontificum Præcurſoris, in quo ejus Architectonica mens multa curioſitati Pabula eleganter diſpoſuit. Quamplurima, & quidem ſelecta cuſtodit in ſuo cubiculo R. P. D. Hieronymus Ruvinetti Monachus Chartuſianus, quibus tanquam gradibus ipſius, & aliorũ mens ad ſummum opificem cognoſcendum elevatur.

Neapoli pene innumera repoſuit in ſuo celebri Muſæo numiſmatibus præcipue opulento D. Picchetti, Vir non minus eruditione, quàm Architectonicæ Artis peritia excellens. Genuæ pulcherrimum eorum apparatum magno pretio emptum addidit egregiè picturatis tabulis D. Franciſcus Maria Miconi. Ingentem eorum numerum ex variis Regionibus obtinuit Piſtorii Illuſtriſſimus Balthaſſar Sozzifantes inter Equites S. Stephani Prioratus dignitate inſignitus, ob egregias dotes animi ſui Magnis Etruriæ Ducibus maximè charus, & præclara morum integritate ac prudentia Lubianæ Populis acceptiſſimus Gubernator, ſicuti olim in Umbriæ Provincia Militum Romani Pontificis Generalis Præfectus. Eminentiſſimus Antiſtes Imolenſis Eccleſiæ Cardinalis Gualterius, nunc Ravennæ Pontificius Legatus, illas voluit recenſere inter multa, quibus opulentum Gazophilacium inſtituit. Non deſunt in Germania apud Magnates, nec non in Muſæis Virorum nobilium, & Philoſophorum multis. Sereniſſimus Elector Saxoniæ in ſuo palatio ſeptem cubicula extruxit, quorum primum innumera inſtrumenta mechanica continet, ſecundum ſcrinia, & loculamenta miro artificio compacta. Tertium Inſtrumenta mathematica. Quartum, & Quintum Tabulas egregiè depictas, Horologia, & varia artificioſa Automata. Sextum Vaſa pretioſa. Septimum Res, e terra, & ab aquis comparatas, inter quas Cochleas elegantiſſimas, & ad varios uſus accomodatas. Argentinæ Jo: Fridericus Spoor inſignis Bibliopola multas ſibi comparavit. Lipſiæ non paucas cuſtodit inter corpora petrefacta, & varia mechanicæ artis opera Philippus Spener. Ibi pariter Muſæum poſſidet rebus marinis refertum, præcipuè Teſtaceis Prænobilis Domicella non minus eruditione, quam linguarum peritia percelebris. Proſtant venalia Amſtelodami, & Londini translata ex Inſulis tum Aſiæ, tum Americæ, præcipue Antillis a Mercatoribus, qui Gemmarum loco aliqua ex illis habent, & ingenti nummorum pretio curioſis Naturæ Inſpectoribus vendunt. Ibi multa ſibi comparavit prænobilis, & eruditus Vir D. Theophilus Kahl, quas ſecum Wratislaviam tranſtulit, ibique tanquam Virtutis Naturæ inſigne indicium, & perenne monimentum poſuit. Amplum volumen vulgavit Londini ſub titulo *Hiſtoria Conchyliorum* ann. 1685. Martinus Liſter, in quo ferè innumera tum terreſtria, tum Marina eleganter expreſſit, ex variis Angliæ Muſæis delineata. Londini etiam D. Courtein ſua induſtria quamplurima magnis impenſis collegit, & diligenter ſervat. Nec prætermittendum eſt Gazophylacium Petiverianum Naturæ, & Artis, in quo D. Jacobus Petiver Pharmacopola Londinenſis, & Regiæ Societatis Socius Animalia, foſſilia, Plantas amniaque rariora arte producta, ac etiam Teſtacea congeſſit, brevibus deſcriptionibus, & iconibus illiuſtrata. Anno demum 1705. volumen aliud typis edidit Amſtelodami Georgius Everhardus Dumphius Conſiliarius Amboinocus, Plinius indicus appellatus ſub titulo *Muſæum Amboinicum*, in quo cum Tabulis figurarum ſexaginta deſcriptionem poſuit variorum piſcium cum Teſtaceorum, tum Cruſtaceorum, in mari amboinico repertorum.

Magnis verò Etruriæ Sereniſſimis Ducibus, (cum in variis Naturæ operibus tributa quodam-

dammodo ex Elementis omnibus acciperent) suum etiam, & quidem opulentissimum in conchiliis obtulit Mare, illudque inter pretiosas Gazas ad miros Naturæ lusus explicandas Florentiæ servatur. Ibi permagno oculorum ac mentis oblectamento illud perlustravi, cùm eximia Sereniſſimi Ducis Ferdinand. II. Benignitas dignata fuit aditum mihi permittere in Regium cubiculum, ubi latebat talis Conchiliorum Thesaurus. Visæ tunc mihi sunt omnes Maris divitiæ in compendium redactæ, adeo elegantia, adeo belle picturata singula erant, omniaque exactè levigata, & pellucida; nam quibus Natura ornamento nitorem negaverat Ars adjecit, studio & solertia D. Jacobi Mariani, Viri in fabricandis instrumentis mathematicis, & conficiendis tubis opticis æquè periti. Ejusdem opera ordine pulcherrimo distributa sunt in loculamentis serica tela viridis coloris circumtectis, quæ in scriniis ex ebeno compactis reconduntur. Sed ne è domesticis parietibus longius pervagemur. Ea in his paginis subjiciam, & quamvis sine coloribus appareant, facem præstabunt, ut illa dignosci facilè possint, quæ catalogis æquè longis, & obscuris, quia sine iconibus, Authores comprehendunt. Hac ratione non minus oculi, quàm menti Testaceorum observationem fore arbitror oblectamento.

CAPUT V.

Animalium Testaceorum divisio, in qua Specierum Varietas, eorumdemque Origo indicatur.

AD explendam Curiositatem dignoscendi multiplicem Testaceorum Varietatem, quæ in vasto maris sinu generantur, haud certè eorum numerum perscrutari quis debet, quoniam ex Davidis ore, Oceani penetralia mentis oculo perquirentis, habemus: illic *esse Reptilia, quorum non est numerus*: & quamvis hiperbolicè loquutum esse intelligamus, cùm omninò, quæ sub cœlo sunt, finito numero comprehendantur, non tamen à quavis mente, sed à Divina tantùm, quæ omnia procreavit, possunt singula numerari. Sufficeret autem omnes eorum species, aut formarum peregrina diversitate, aut partium combinatione, aut colorum varietate, inter se distinctas, quasi militari ordine ante oculos dispositas cognoscere; quod sanè obtineretur, si oculos convertere fas esset in eam Turrim, è qua Calligulæ Imperatoris mandato, mira Concharum Cochlearumque copia pendebat, ut in Posteris memoria excitaretur præclaræ, sivè, ut veriùs loquar, stultæ victoriæ è mari relatæ, cùm contra ipsum acies bellico tympanorum, tubarumque sonitu immittens, manum implere Conchiliis litore dispersis, militibus singulis imperavit.

Verùm etsi curiosorum oculi circa ipsam defatigarentur, quid profectò, nisi angusti litoris fructus dignoscerent? non autem cochleas in fœcundis vasti Oceani sinubus mira assiduaque varietate productas. In hominem singulas numerandi cupidum ea Biantis irrisio meritò caderet, qua illos prosequebatur, qui cũ Pisces in angusto maris sinu viventes numerare non valeant, multiplicem stellarum varietatem, eamque ab oculis remotissimam inquirunt. Ingens profectò sub undis Animalium Testaceorum numerus delitescit: & ne meritò irridear, omnium generationes singillatim referre non audebo, verùm aliqua eligens ex multiplici specierum varietate, quas in laudabili otio obtinuit curiositas, ostendam.

Apud Authores, qui de Testaceis tractationes instituerunt, non eadem fuit eorum divisio. Aristoteles æquè accuratus, ac curiosus Naturę perscrutator, postquam multos cetarios, & hamiotas defatigavit, Alexandri Macedonis stipendio laborantes in expiscando ex altis Pelagi fluctibus quidquid philosophica dignum erat observatione, ea in quatuor Classes divisit, ac singulis earum diversas alias species comprehendit, ut cap. 4. lib. 4. hist. animal. apparet. Etenim quia ad eorum plenam cognitionem haud necessaria est perfecta, & juxta leges Logicæ, sed prudens divisio voluntatis, ut ea, qua totus Terrarum Orbis in quatuor partes distinguitur, vel in octo intensionis gradus, calor, & frigus; Omnia hic cum Aldrovando lib. 3. de Testaceis, inter Scriptores eruditissimo, in duas Classes distribuam. Una comprehendet ea, quę unica testa circumtecta, Univalvia dicuntur, altera verò, quæ binis valvis defensa, vocantur Bivalvia.

Inter hæc autem Animalia aliqua, veluti milites catafracti, testa undique circumteguntur, ut Echni, alia ex tegumento unico, quo defenduntur, aliqua sui corporis parte exeunt, frontemque ostendunt, quasi dimicatura, duobus, aut quatuor corniculis armatam, eisque quidquid progressum in via impedire potest, explorant. Hujusmodi sunt Turbinata. Bivalvia verò ita binis valvis clauduntur, ut non ambæ ex omni parte arctè inter se conjungi possint, sed in aliquibus sunt perfectè clusiles, in aliquibus ore aperto aliquantulum hiant, ut in Balanis,

nis, Tellinis, Dactylis, Pectunculis, & his ſimilibus.

Hujuſmodi diviſione comprehendimus ea omnia, quæ Plinius longè pariter, ac confusè deſcripſit, poſtquam in difficillima Piſcium per quiſitione ultra centum ſexaginta quatuor diverſas ſpecies numeravit. Ubi enim agit de Teſtaceis. *Concharum genera*, inquit, *in quibus mira ludentis Naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, tot planis, & concavis, longis, lunatis, in Orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis; levibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato, jam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, caniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expanſa, prædenſata, porrecta, ſinuata, brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plauſum apertis, ad buccinum incurvis.*

Non tamen plenè, ſic deſcribens, levigatas omnes, & aſperas comprehendit, non armatas, vel inermes, non nitidas, vel aſperas, non expanſas, vel ſpiris convolutas, non planas, vel tumeſcentes, non ſtriatas, non pellucidas, & quotquot ingenioſo ſtudio Natura efformavit, mira oclorum varietate ita eos exornans, ut ſingulas diſtinctè obſervare oculus non valeat, ſicuti intimam earum cognitionem aſſequi intellectus deſperat. Sed hoc manifeſtius conſtabit, cùm formarum venuſtatem, & varietatem colorum obſervantes, videbimus, quàm clarè Divini Conditoris ſapientia in eis eluceſcat. Nunc poſt brevem enumerationem earum Origo indaganda eſt.

Si hujuſmodi Animalium varietate copioſæ Philoſophorum Turbæ paranda cœna hic eſſet, ut ſolebat ad gulæ oblectamentum antiquitas, & omnium voces excipiens, ſicut olim Tullius Tuſculanas Quæſtiones, ſingulorum ſententias exponere conarer, non tam è litore ſolvens, immenſo pelago navim audacter traderem, ſed propè Nembrotì Turrim in linguarum confuſionem inciderem, cùm ea ſit inter Philoſophos altercatio, opinionumque diverſitas, ut non veritatem proſequi velle, ſed pugnam fovere acriter videantur. Aliqui enim Ignem elementarem rerum Parentem vocant, alii verò Aquam: ſunt, qui vel ex eorum confuſione, vel ex proportione harmonica numerorum, vel ex artificioſo Naturæ ſtudio, vel ex fortuita rerum combinatione omnia deducunt. Eſt ſatis notus Democritus ille, qui à catholica fide, ac à rectè philoſophandi norma æquè aberravit, putans caſu progenitam hanc Rerum varietatem; quæ Mundum exornant; nunquam ſatis damnandus cùm iis, à quibus, res minimas penitus inutiles credentibus, ſummi Opificis Providentia, ac Potentia ſapientiſſima impiè negatur.

Nonnè forſan una cum cœteris rerum omnium choris, hìc quaſi infimus Animalium conditorem ſuum publicat Deum? & eloquenti, ut ita dicam, ſilentio aſſiduè explicat magnum illud Divinæ mentis volumen, in quo quidquid poſſibile eſt exactè deſcribitur; & quia ſub undis copioſiſſima latet Teſtaceorum Turba, Divitiæ ejuſdem oſtenduntur, qui penè innumera in ſingulis ſpeciebus progignit, non ſicuti inter majora Animalia, quorum numerus ad pauca dilatatur.

Cum primùm Orbem univerſum condidit, in tam miro, varioque rerum opificio nullum alium admiſit, quaſi ad laborum levamen, (ſi tamen labor tribuendus eſt ei, qui ſola ſua voluntate mentis ideas perfectiſſimè exequitur) tunc *enim omnia per ipſum facta ſunt*, eo vocis imperio, *quæ vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*: Undè cum primùm in Aquis Animalia vitam habuerunt, ipſe Conditor illis eſt elargitus: idcircò poſt verba illa: *Producant aquæ* addidit ſacer Hiſtoricus, *creavitque Cete grandia, & eorum animam viventem, atque motabilem.* In præſentia autem minori, ut ita dicam, ſtudio vult ea fabricare, aliiſque dividens laborem, operatur ut ſcribendi Præceptor, à quo diſcipuli manus in ſcribendo ita regitur, ut ambo eam moventes efforment characteres, æque à magiſtro, ac à diſcipulo exaratos, ita tamen, ut hujus manus impulſu ab illo recepto operetur.

Sed antequam ad cauſas inquirendas deveniamus, ſimul cum quibus Agens Univerſalis vitam communicat Animalibus Teſtaceis, quæ immenſos Oceani ſinus replent, ſcienda hìc eſt, magna lis, qua curioſi Perſcrutatores invicem altercantur. Ajunt multi, eis ineſſe Virtutem quamdam propagativam, ſicut in cœteris Animalium perfectorum ſpeciebus. Alii judicant omnia naſci ſicuti cætera Inſecta è maſſa aliqua putrefacta, prout exigit accidentalium rerum combinatio, è quibus talis maſſa componitur, nec omnes ipſorum vitæ originem eandem putant. E Terra ſuboriri, veluti è ſepulcris expergefactas, Animas falsò ajunt aliqui; ſunt qui omnibus tàm mortuis, quàm viventibus hanc generandi virtutem tribuunt, imò corporibus putreſcentibus, aſſerentes, cauſam eſſe putredinem ipſam. Nec deſunt, qui naturalem aliquam coctionem opinantur, quique animam quandam, univerſalem Mundi vocatam, aut Elementorum, aut abditarum influentiarum, ſive cœli, ſive ambientis, ſive caloris, à cujus vi fragmenta quædam vegetabilium, & ſenſitivarum animarum, inter cadaverum latebras

otio

otio torpentium, ad illam corruptam materiam animandam excitantur.

Sententiarum harum examen nullatenus hìc aggrediar. Animadvertere tantùm sufficiat, quàm perarduum, incertumque sit, veram causam Efficientem Animalium, spontè nascentium recognoscere. Unde Galenus assequi eam posse desperans, ab incœpto destitit, respuens opinionem Platonis, quam sequuntur Scotus, Suarez, aliique, cum asserunt, à manu Dei omnipotenti illa produci in materia præexistenti dispositaque, ne sibi persuaderet Potentiam illam, quæ cœteris virtutem formatricem sapienter communicat, ad efformandos scorpiones, cochleas, similesque vermiculos descendat. Quod idem negans recens Auctor in suis accuratis observationibus circa generationes Insectorum, timens, ne Peripateticorum Turba in ipsum inveheretur, qui ajunt: Non posse rem nobiliorem à minus nobili generari, suadere potiùs sibi conatus est cum Empedocle, & Pittagora, ab Aristotele relatis, vitam sensitivam etiam Plantis inesse, eamque Animalibus posse communicari: Ac si veritati consentaneum esset, quod pulchro aurium blandimento Fabulæ finxerunt, cum dicerent: Armorum ictibus vocem, & cruorem ex Arboribus emanasse, sub quorum corticibus Polidori, & Amadriades circęis artibus latitabant.

Qui Deum rerum omnium Auctorem, & cujuscunque animalculi conditorem non affirmat, acriter à D. Augustino in Ps. 148. reprehenditur; *Quando expavescit*, inquiens, *in minimis lauda Magnum. Qui fecit in Cœlo Angelum, ipse facit in Terra vermiculum*: Quod non solùm credendum est de prima rerum productione, verùm etiam de cœteris, & si omnium Conditor unicus affirmetur, lætabitur Mare, sicuti campi, ut inquit Plinius, quos manus Regum colebant, *gaudente terra vomere laureato, & triumphali Aratore*, copiosis fœtibus fœcundum, conditis à Divini artificis manu, non ideo minori pretio habenda, quia materiales animas effinxit, dum sua virtute è vili massa venustatis prodigia produxit. Eadem, inquit S. Ambrosius cap. 2. in Genes. sicut non *laborat in maximis*, ingentes quercus, & Cete grandia componens, ita non *fastidit in minimis*, reddens prodigiosum naturæ portentum vilem vermiculum, aut luteam cochleam, & sacri Vatis effatum comprobans, dum *fecit mirabilia magna SOLUS*, Ps. 71. 18.

Et quidem, ut verum fateamur, nonnè hujusmodi rerum opificium adeò mirabile est, ut cujuscunque mentis studium explere possit, indèque pateat, quod S. Augustinus pronunciavit, de Civit. Dei lib. 11. c. 21. Deum videlicet, *ita artificem esse magnum in magnis, ut minor non sit in parvis*, quare cum Pisida de Opific. Mundi, attonitus hæreat.

Mirando, come la Divina forza
Non si ristette, finche non aggiunse
Lavor immenso alle sue piccol' opre.

Si testam observas, deprimunt nè Dignitatem Artificis circumvolutiones illæ, admirabili quodam artificio procedentes? damnant fortasse orbes, quibus servata proportione finiuntur? Imò potius celebrant, cum è lapidea materia compactæ ceræ mollitiem ostendunt in multiplici varietate formarum, tot colorum, tot incisionum, tot anfractuum dispositione perornata. Si verò cum insentatis rebus, licet præclaris, de nobilitate contenderent, litem definiret S. Augustinus, qui museam, eò quòd sit anima prædita, antecellere Soli, Planetarum principi, definivit. Qui eas tanquam luteas animas, adeòque viles affirmat, palinodiam cantabit profectò cum Juristis, qui è pulchritudine corporum venustatem arguunt animarum, quibus à Natura conveniens domus fabricatur.

Hæc indicasse sit satis ad defensionem illorum, qui cochlearum productionem perscrutantes, immediatam causam earum affirmant Deum, semper majori æstimatione habendum cum Giliberto Abbate, 3. in Cant. qui copiosas variasque rerum species ab eo conditas mente pervolvens, illi dicebat: *Ubique totus es, ex toto te ubique operaris, & virtus tua ubique, & tota operatur, licet non tota ubique expendatur*. Semper in novas productiones intenta, & toti terrarum Orbi potentiæ suæ thesauros impertiens, ut cecinit Propheta, prævidens longævam assiduamque seriem productionum: *Generatio, & Generatio laudabit opera tua, & Potentiam tuam pronunciabunt*, Ps. 144.

CAPUT VI.

Quæritur an Cochleæ Propagatione Specierum generentur, aut potiùs Sponte ex se nascantur.

PRopagationem specierum in Testaceis negavit Aristoteles, eaque, sicuti Insecta, è massis putrefactis spontè nasci affirmavit. Antequam ad Quæstionis examen deveniamus, indicandæ sunt diversæ generationes, quibus Viventia producuntur. Triplici igitur modo, docente Philosopho, quorumcumque Animalium

partus vitam sortiuntur, sive propria virtute, sive ab altero communicata concipiantur à parentibus. Multa enim generant filios perfectos, qui perfecta similitudine causæ productivæ assimilantur, cujusmodi sunt Homo, Leo, Equus; Multa verò pariunt ovum, quod animal dici non potest, licet contineat partem aliquam, ex qua Animal formatur, & partem aliam, ex qua nutritur, antequam in lucem prodeat, & hac ratione Aves aliaque Viventia, tum Terrestria, tum Marina generantur. Alia deinde vermem producunt, qui licet dissimilis generanti paulatim ejus speciem induit, & hoc pacto multa insecta efformantur.

Præter generationes hujusmodi, quibus species Animalium propagantur, aliam notat Arveus, Exerc. 45. vocatque Metamorphosim quamdam, sive subitam transformationem, quæ tunc accidit, cum è materia disposita nascens Animal è nulla causa univoca, suæ speciei propagativa, procedit, citatque Aristotelem, Metaph. lib. 7. qui de hujusmodi Viventibus sermonem habens: *Quorum scilicet*, inquit, *materia potest à se ipsa moveri eo motu, quo semen movet in generatione aliorum Animalium*, qui motus dicitur spontaneus, & casualis, eo ferè modo, quo aliqua ab Arte fabricantur, velut opus Architecturæ, nec aliter possunt esse; aliqua verò, & ab arte, & à spontaneo motu possunt obtineri, ut sanitas. Horum autem origo solet esse putredo, lutum, excrementum, sive alia, in quibus insit Virtus efformatrix, & productiva, quæ juxta Aristotelis sententiam est calor quidam Vitalis, juxta Fernelium calor cœlestis, & primigenius toto elementari Orbe diffusus, secundum alios verò sunt qualitates diversæ, quorum non licet indaginem instituere, sed solùm Cochlearum originem invenire.

Quicunque rerum generationem fieri propagatione specierum affirmat, etiam sub frigidis aquarum undis eum ignem excitari putat; quo vivifica quadam Virtute, ut docebat Parmenides, omnia producuntur. Qua de re Lucretius, lib. 1. alloquens Deam illam, cujus nomine Veteres cum Platone significari voluerunt Providentiam, quæ Animalium generationibus præest,

——— *Ita capta lepore*, (inquit)
Illecebrisque tuis omnis Natura Animantum
Te sequitur, cupidè quò quamque inducere pergis.
Denique per maria, ac montes, fluviosque rapaces
Frondiferasque Domos Avium, camposque virentes
Omnibus incutiens blandum per pectora Amorè
Efficis, ut cupidè generatim sæcla propagent.

Nasci verò ex Cochleis ova docuit in suo Prodromo Illustrissimus Præsul Steno, de solido in solidum pag. 55. ubi habet: *Experientia constat, Ostrea, & alia Testacea ex ovis non ex putredine nasci*. Hæc autem sententia directè Aristoteli opponitur, lib. 5. hist. Anim. c. 15. qui postquam multos Piscatores ingentibus Alexandri Macedonis expensis defatigasset, ut sub mari Naturæ Arcana pernoscceret, constanter affirmavit: *Universim omnia Testacea spontè naturæ in limo diversa pro differentia limi oriri, nam in cæroso Ostreæ, in arenoso conchæ*. Quamobrem cupidus ab experientia ipsa veritatem addiscendi, antequam obtinere illam possem, recentioris cujusdam Tractatum de Cochleis Londini impressum legi, in quo asserit Cochleas non solùm, ut pisces ex ovis, sed virtute ab alio accepta generari, sic habens Martinus Lisser de Cochl. pag. 107. *Cochleas autem in coitu generari nihil dubii est, quod ipsum in multis earum speciebus tum terrestribus, tum fluviatilibus sæpius observavimus*; & postquam multa experimenta in Terrestribus Limacibus facta retulerit, quæ curiosus Lector ibi inveniet, ita loquitur de Aquatilibus, pag. 179. *Mense Majo Ostrea fœturam ejiciunt. Figura lenticulari est, & ipsis lenticulis paulo major. Saxis verò veteribusque Ostreorum testis rebusque similibus per maris fundum dispersis adhæret. Non sine ratione conjiciunt recenter edita ova intra viginti quatuor horas testis contegi. Mense Majo Piscatores captis Ostreis fœturam à re, cui adhæret, leniter cultello separant, ea mari rursus commissa, ut loci fœcunditas imposterum præservetur, nisi ubi adeò recenter edita sit proles, ut tuto dividi non possit. Post Mensem verò Majum auferre furtum est, nec nisi Ostrea, quæ justæ magnitudinis sunt, impunè capere licet. Hanc verò prolem, aliaque Ostrea ad quosdam maris sinus devehunt, ubi ea alveis quibusdam maritimis demittunt, quos lectos, sive strata vocant, ibi adolescunt. & pinguescunt.*

Alii, qui in eadem sententia conveniunt, eam historia quadam Eliani confirmant, referentis quasdam conchas sub mari Rubro vivere, quarum una ita arctè alteri adnectitur, ut dentes ambarum perfectè simul uniantur, adeòque manifestè comprobatur (ajunt ipsi) verum esse, quidquid in sua Mytologia dixit Fulgentius, quòd nempè Concha marina *toto corpore simul aperto miscetur in coitum*.

Hæ sunt bases, supra quas talem sententiam stabiliunt, quæ cum mihi semper visæ sint parum firmæ illi assentiri haud potui. E ne longè aberremus à mari, in cujus litore disputationem instituimus, omittamus ea, quæ de Terrestribus Cochleis narrantur (ab aliquibus enim

ova

ova producuntur, & simul nascuntur spontè, sicuti mures, & herbæ quamplurimæ) deducenda fortasse idcirco erit ex peculiari, vel unica observatione universalis illatio? Fallacissimum profectò argumentandi genus, cum potius è quamplurimis eruendam illam esse, quisquis Dialectica vel leviter imbutus, pro comperto habet, quando philosophari aliter non possumus, ut veritatem, in aliquo rerum abditarum genere absconditam inspiciamus.

Quamobrem multiplicem eorum generationem hic enarrabimus; sed primùm sciendum est, quod in multis post exactissimam anatomen observavit Aristoteles, rudem nempè partium molem inesse Cochleis marinis, sine sexus diversitate, sine membris ad propagationem aptis, ut suo loco clariùs patebit, ex quibus arguit nullatenus a Cochlers progigni alias posse, ut ab Animalibus perfectis; cùm certissimum sit a Natura data esse omnibus instrumenta ad finem obtinendum apta. Quod si Æliani veram opinemur historiam, eam arbitror convenire quibusdam Conchis, quæ binas valvas ita arctè simul connectunt, ut non duæ inter se conjunctæ appareant, sed una quodammodo nulla divisione circumscripta videatur. Non igitur ex diversi sexus commistione generare possunt Testacea, nec etiam possunt fœcunditatem ovorum habere: Habentur quidem ova præcipuè à Turbinatis tempore Veris, & Autumni, ut observat Aristoteles, lib. 3. de gener. c. 1. num. 24. at quia non aliquo determinato, sed totius anni tempore in ipsis insunt, definivit vulgò dici ova per quandam nominis analogiam, & ab eis tanquam ab adipe nutrimentum Animalis, non fœcunditatem indicari. Præterea si materia, ex qua generantur Ova, est Sanguis, ut ipse Philosophus docet, affirmandum necessariò est, *nullum Animal exangue*, ideòque nullum testa circumtectum, *esse oviparum*, Hist. animal. 6. cap. 2. & licet ova produceret, illa esse ad generationem inepta, quæ sine generis commistione pariuntur, etiam mulierculæ sciunt.

Tali base in hac quæstione fundata, diversarum specierum generationes, & partus si inspiciamus, omnes uno eodemque modo fieri videbimus. Apud Aldrovandum legimus lib. de Testac. incolas Pirræ Insulæ in Lesbio nunquam inveniisse Ostreas numero auctas, licet semper mole majores in eo maris sinu, ad quem solebant trasferre, ut pinguius nutrirentur, quod idem de multis lacubus affirmat Aristoteles l. 4. de gen. Anim. In Piscinis novis aqua maris repletis Testacea multa sponte exorta fuisse narrat Kircherus in Mundo subter. Apud Tarentinum litus ubi Mare parvum dicitur, generantur Conchæ illæ, quas Incolæ dicunt *Cozze* Mitulos Latini, nec alibi, quàm in Palis, & stipitibus, qui humi figuntur eo modo quo Venetiis ponuntur ad fundamenta Domorum stabilienda, eisque naviculas onerant, deindè transferunt ad alium Maris sinum, ubi nunquam generantur, sed solùm molem augent, aptioresque redduntur ad mensas. Progenitam esse magnam Ostrearum copiam in cænosis Pelagi locis, ubi exhausta aqua, temperies fuit in luto apto, ad earum generationem didicit ab experientia Aristoteles lib. 3. de Gen. Animal. cap. 11. & ego ipse ab eadem edoctus vidi Conchulas Cochleasque inter saxorum abditissimas rimas, & cavernulas delitescentes, quæ de profundo Mari eruta in frustra disrupi, præcipuè Mitulos è superficie illa lutea pendentes beneficio tenuissimi fili tanquam fructus ex arbore. Insuper Microscopico instrumento sum sæpe diligenter usus, ut in arena Testaceorum ova distinguerem, nil tamen aliud, nisi testas inveni, & adeò parvulas, ut inermem oculum penitus diffugerent, omnibus licet partibus Cochleæ absolutæ, orbibusque eleganti ordine circumductis, non absimili modo, quo etiam majores, & maximæ circumplicantur. Quæ perfectio fortasse nulli Naturæ opificio convenit, cum gradatim semper suis in operibus ad perfectiora procedat. Narrat insuper in Relatione Congi Philippus Pigafetta Turbinatas testas generari supra Balenarum cadavera, quæ in littora affricana marini æstus trasferunt post trunculentam pugnam, qua sæpè invicem congrediuntur. Aldrovando teste lib. 5. de Testac. *navigiis, putrescente fece spumosa, adnascuntur*, sicut apud Rodiorum Urbem supra luteas testas in loco, olim Cochleis penitus carente, *obducto cæno Ostrea reperiebantur*. Hoc etiam pacto e truncis putrescentibus nascuntur Conchæ illæ, Anatiferæ dictæ, de quibus suo loco agemus, sicut etiam de Dactilis, & Balanis intra viscera saxorum delitescentibus. Apud Insulam Loandam *Ambiazamatare* vocatam, hoc est Piscem lapideum, magna Ostrearum copia generatur supra cortices arborum, quæ sub marinis undis viresçunt.

Ex hac igitur aliarumque similium generationum inductione, quæ adduci huc possent, Conclusio Oppiani Aristotelicæ consentanea deducenda videtur, hoc est.

Quæ non concumbunt, nec fœtus nexibus edunt
Per se nascuntur, fœdo, velut Ostrea cœno:
Est non distincto semper levis Ostrea sexus:
Hos inter pisces, nec mas, nec fœmina nota est.

Possent quidem dici fœcundæ Cochleæ, ut Plantæ, quibus earum multæ assimilantur, idcirco Plantanimalia dictæ a Philosopho; & si Virtutem propagativam, ut Plantæ, non habeant fructu, in quo semen ad speciei propagationem

ſervatur, habere eam tamen poſſunt in corpore diffuſam, ut ex Plantis multæ eam habent in radicibus, & trunco. Anguilla, cui ſexus diſcrimen, ova, & ſemen Natura negavit, *atterit tamen ſeſe ſcopulis*, inquit Gaſſendus de hiſt. Animal. cap. 1. cum Plinio, *eaque ſtrigmenta viviſcunt, nec alia eſt earum procreatio*. Huic ſententiæ favet fœcunditas Purpurarum, quam cum Ariſtotele multi ſupponunt ex eo, quia tempore veris ex teſtis quidam humor muccoſus effluit, ex quo deindè primùm condenſato, & quaſi putamina Cicerum referente, poſtea putrefacto, humoque diffuſo aliæ purpuræ generantur, Fœcundæ tamen analogicè dicuntur Purpuræ, ſicuti fœcundos fungos dicimus (ſi tamen verum eſt illos naſci in locis madefactis aqua, in qua decocti ſint fungi) ex humore aliquo illorum, ut apud Cubaguam Inſulam certis anni diebus Oſtreæ humorem quaſi menſtruum emittunt, quo aqua efficitur rubra (Olaus magn. lib. 3.) Putamina enim illa dici non poſſunt ova, quæ ut talia ſint, debet Animal intra ipſa generari, meo quidem judicio maſſam illam concreti humoris, non a Purpuris progenitam duxi, cum e mari Purpurarum fœcundo acceptam diligenti indagine pervolvi, ſed potius Alcionium Dioſcoridis, quod Imperatus lib. 9. cap. 5. inter Alcionia Secundum appellat. Ranæ, ut Plinius affirmat, *reſolvuntur in limum nullo cernente, & rurſus vernis aquis renaſcuntur*; quamobrem, inquit Gaſſendus Teſtacea, & Zoofita renaſcuntur in locis, ubi alia primùm vixerint, quia humi aliquæ particulæ primigeniæ eorundem inſint, aut quia in cineribus putrefacti cadaveris ineſt aliqua diſpoſitio, licet occulta, ad novam perpetuamque individuorum ſimilium generationem. Hinc probabile redditur quod retulit Joannes Fabri Pallad. Sparg. cap. 2. generationem videlicet ſpontaneam è virtute, toto in corpore diffuſa, a ſe obſervatam fuiſſe etiam in rebus, quæ virtutem propagativam ſpeciei habent, tunc quando ex eis beneficio artis ſpargiricæ ſal ſeparatus, humoque ſparſus, ut vegetabilium ſemen, caloris, & humiditatis Elementorum auxilio, aliud corpus primævo ſimile portentoſo naturæ arcano germinavit: *Id experientia tentare poterit Zoilus quivis* (ſunt verba Fabri) *ſi ex calcinato aliquo mixto vegetantem ſalem extrahat purum putum, ab omni terrea fœculentia defœcatum, lotionibus, filtrationibus, & evaporationibus idoneis, donec in igne leviſſimo velut cera liqueſcat*. Hoc pacto cujuſcunque Plantæ ſal ſeparatus: *Terræ mandatur ſub dio, aliorum ſeminum inſtar. Tum aliorum ſeminum inſtar, ſtatim convocato ſpiritu Mundi in aere reſidente, & terra, & aquis ad generationem rerum omnium, ſtatim putreſcit, & germinat, ſimileque mixtum gerit, neque ſal terræ mandatus extractus eſt. Mirum certè, & quaſi incredibile, ſed quod vidimus, & fecimus facilè teſtari poſſumus. Quod & ultra rationem ſumma perveſtigavimus, eique tandem experientia ipſa conſonum reperimus. Hinc in phialis vitreis poſſunt flores, poſſunt plantæ plantari, & nutriri, creſcere, & germinare*.

Si vera ſint hæc, ut Fabri affirmat, quis credere recuſabit, quod Petrus Gilius refert. Bizantinos videlicet Oſtrea ſerere, quæ Vormius refert dici ab Italis *Gavatoni*, & eorum quaſi lac in teſtis ſeminare, id ipſum enim in aquam injectum ad ſaxa ima adhæreſcere, & Oſtrea fieri.

Alii verò cum Arveo judicant ſpontaneos partus in lucem prodire, non quia hæc virtus cauſæ Univocæ præexiſtat, verùm quia in terra marique inſit, neſcio quod ſemen, quod ipſi vocant genericum, quia ad generationes aptiſſimum. Hoc docuit Fabri, & Kircherus noſter Dial. 2. c. 5. itiner. æſtat. *Fiunt Cochleæ* (inquiunt Ambo) *ex ſemine generali viſcoſo, & tenaci ipſius aquæ, vivunt ex eodem*, quod a Deo Terræ Marique datum eſt cum imperavit Geneſ. 1. Phiſ. tom. 3. de gen. Anim. *ut Terra produceret animam viventem in genere ſuo, Jumenta, & Aquæ producerent reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram*. Aut quia Deus infuderit proprium ſemen cujuſcunque rei, ut opinatur Gaſſendus, & manu adeò liberali, ut nunquam ſpontanearum generationum ſeries in Orbe terrarum deficeret. Hinc Veteres miram fœcunditatem maris agnoſcentes, Deoque ſoli convenire putantes, illud Neptunum dixere, nempè Deorum Parentem, cujus manum loco ſceptri tridenti haſta exornarunt, ut ipſa dominium aquarum in triplici Regno, Animalium nempè, Vegetabilium, & Mineralium corporum indicaretur. Nos qui verum, & unicum Deum adoramus, & credimus, virtutem hanc ab eo donatam dicemus, & ne pulchra hæc productionum ſeries deficeret.

Continuò has leges æternaque fœdera certis
Impoſuit Natura locis.

Quo autem pacto ad finem ſtatutum perveniant, atque in iis animal in lucem prodeat, altioris indaginis res eſt, & admiratione potius, quàm examine mentis humanæ digna, ſicut ſi quis in ſilvis enutritus Artiumque mechanicarum penitus rudis, horologium rotatum inſpiceret, mirari quidem poſſet motus, & partes a quibus tale opus componitur, nunquam verò cognoſcere quo factum fuerit artificio. Verum hæc omnia, quæ in hoc Capite dicta ſunt libello alio contra oppugnantes exarato, enucleatius diſcuſſa ſunt.

CA-


A
Z
P
2
6
Z
X
X
5
Z
Z
N
2
M
X
X
X
A
4
B
3
6
C
C
D
D
7
8
9
10
1
E



CAPUT VII.

Exponitur Generatio Balanorum eaque confirmatur Caput præcedens.

INter multas Bivalvium ſpecies una eſt, quæ Balani nomine appellatur, qua voce quidquid glandium nomine a nobis intelligitur, Græci ſignificant. Hinc multæ Balanorum ſpecies, ut ſuo loco videbitur. In præſentia haud intelligendi ſunt ii, quos Petrus Gilius *leves*, dixit, *& in cavernis ſaxorum ſtabulari*, quoniam hæc etiam conveniunt Dactilis Bivalvibus propter ſimilitudinem, quam habent cum Palmæ fructibus ſic appellatis, ſed de iis, quos in noſtro Catalogo num. 25. & 26. Claſſis ſecundæ indicabimus.

De eiſdem loquens Aldrovandus lib. 3. de Teſtac. dixit: *In littore Anconitano ſaxa magni ponderis quinquaginta, & plurium librarum è mari trahuntur. His color, & conſtitutio exterior ea eſt, quæ lapidi Aetiti: rudis nimirum, & non difficilis læſu, aut tritu: interior verò cruſta, aut tunica dura eſt, & quæ poliri poſſit, haud ſecus, atque interior Aetitæ tunica, colore etiam ſubcæruleo. Rumpuntur hæc ſaxa majoribus malleis ferreis, non quò intus, ut in Aquilæ lapide alius calculus inveniatur, ſed quo piſciculi delicatiſſimi extrahantur ejuſdem generis cum ſolenibus, quas Cappas longas Veneti appellant: ſed eò delicatiores, quòd non aqua marina, ſed rore quodam tenuiſſimo per lapidem imbibito paſcantur. Hi plures numero ſaxo includuntur, ut ſingulis ſuis ſit nidus ad magnitudinem, & figuram piſcis omnibus lineamentis reſpondens. In his igitur validiſſimis ſaxis, in quibus aqua nulla, nullus liquor invenitur, præter eum, quem Piſcis continet, non figura modo Dactili, ſive ſolenis, ſed vita etiam, & omnis piſciculi laus perficitur, & abſolvitur, melior, ut multo ſit, quàm ſi in ipſo mari extra lapidem natus fuiſſet.*

Cum ergo his ultimis verbis doceat Aldrovandus Balanum in lapidum viſceribus naſci: libet exactiſſimum examen inſtituere, ut vera patet ejus origo, qua quidquid in præcedenti Capite diximus magis roborabitur. Pono igitur ſub oculis ſaxum, quod in partes diſectum veritatem oſtendat. In quarta figura repreſentatur Teſta cum animali, in ſecunda cavernula ſaxi, in quo vivit, quæ æquè dilatatur, ac ipſum Animal molem ſuam auget, & pro comperto ſatis haberetur in ſaxo ipſo Balanos generari, ſi aliquis eorum lapideis viſceribus circumdatus omnino deliteſceret, ſicuti in Quercuum Gallis muſcæ, vermes, & formicæ inveniuntur, ubi nullum apparet foramen, rimula nulla, per quam ingredi certè potuiſſent alibi generata. Verùm quia ex omnium cavernis, ut in figura apparet, extenditur ad ſuperficiem uſque Canaliculus quidam, idcircò ignotum eſt an generatio eorum intra lapidem fiat. Obſervando omnium domos, ita diſpoſitas, ut è ſuperficie lapidis centrum verſus, licet non per viam rigorosè rectam, augeantur, & nunquam è centro ad ſuperficiem, hoc credere recuſabam, ſuadens mihi extra ſaxum primùm generari, ut aliqui turbines viventes in ſpugnis primùm alibi nati, vel uti vermes oriuntur in ſuperficie lignorum pomorumque, deindè partes intimas corrodendo penetrant, ibique ſemper aluntur. Suſpicabar idcircò oriri poſſe in canaliculiculis quibuſdam turbinatis, & minutiſſimis, quos oculus microſcopii ope deprehendit in ſaxis, quique ſub vitro apparebant, quales num. 3. exprimuntur.

Nec obſtabat, ut hoc crederem, ſaxi durities, quoniam in alio ſaxo, ò fundo maris accepto, & in partes conciſo, innumeros vidi canaliculos non quidem rectos, ſed ſine ulla regula inflexo tramite procedentes, ut notantur in Tab. hic poſita n. 1. In ſingulis eorum vermis valdè vividus latebat n. 2. expreſſus, & n. 3. mole major, ut apparuit ſub Microſcopio, & quia illum obſervabam non ſolùm canaliculo abſconditum, ſed aliqua ſui corporis parte in luto, quo cavernulæ ſaxi replebantur ſtabulantem, inceſſit mihi ſciendi cupido, qua vi penetrare facilè poſſet duriſſima lapidum viſcera, e quibus calybis ictibus ſcintillæ ignis excutiebantur. Diligenti idcirco ſtudio perquirens, animadverti ex parte, qua ſaxum penetrabat, binos dentes evaginari, & quidem acutiſſimos ſimiles illis, quibus Viperæ truculenter feriunt, colore nigros, & adeo duros, ut ferri inciſioni tanquam oſſea reſiſterent. In figura 4. videntur quales Microſcopium repræſentabat, ut falces curvati, & dentati, ut ſerra in parte, quæ è gingivis prominet, ideſt ſupra lineam I E. Componitur autem binis his dentibus inſtrumentum quoddam ex utraque parte acutum, quo ſaxi particulæ paulatim radantur, & duriſſima quæque facilè terebrentur.

Hinc igitur prudenter credendum exiſtimabam, inde Ortum ducere Balanos, eò magis ſuaſus, quò magis credendi fundamentum, & ratio ex his, quæ ſubjiciam, augebatur. Præter ſupradictos vermes alios obſervavi, & quidem mirabili artificio in ſaxis incluſos. Inſpice ſub littera N. num. 5. & num. 6. litt. A C D. eos videbis ita inflexos, ut fig. A C D. formatur, in qua canales extenſi ſemper paralelli, hoc eſt

æqua-

æqualiter inter se distantes procedunt, usque ad superficiem, ubi foramina ostenduntur in A. lapideo tenuique septo divisa. Ubique digitalem crassitiem non excedunt in longitudine, & vermes inclusi acum subtilem, imò setam equinam in crassitie referunt, omnino similes iis, quos in turbinatis canaliculis supra observavimus. Cũ autem Balanum perfectè formatum nunquã invenire potuerim spatio canaliculi inflexi minorem, sicuti nec vermem, qui parvulos Balanos magnitudine superaret, probabile videbatur vermes illos saxũ pervadentes a Natura perfici posse, & in Balanos commutari, quorum domus remoto septo in canalibus perfectè repræsentatur, ut consideranti patebit. Nec novum in Natura profectò est, quod pluries Aristoteles observavit: videlicet sub pluribus formis posse idem Animal quasi personatum vivere. Credendum est enim non mutata substantia à Verme Aureliam, & ex ipsa Papilionem, vel Muscam emanare, nisi suadere nobis velimus Animam pueri aliam esse in Juvene aliam in sene, quod à veritate longissimè abetrat.

Verùm quia universalem Conclusionem ex præmissis non evidentibus inferre fallacissimum est, diligentiori indagine hæc perquirenda duxi. Quidquid igitur hactenus expositum est, cum D. Camillo Pichio nobile Anconitano, Viro æquè humanitate prædito, ac solerti in rebus naturalibus accuratè perscrutandis, communicavi, ut in Anconitano litore Balanorum fertilissimo, diligenti observatione ad conclusionem stabiliendam hæc tria perquireret. Primum: An in lapide Balanorum vermes inveniretur, quorum canaliculi ita è superficie extenderentur, ut sine curvatura aliquo in loco desinerent sicuti num. 5. litt. M. & litt. N. delineavi. Deinde an Vermes viverent etiam in saxis, in quibus Balani nunquam generantur. Demum an lapides aliqui vermibus illis omnino carerent, licet Balanis pleni. Humanissime ille postquam diligenter perscrutatus fuit, vigesima tertia Januarii hujus anni hanc epistolam dedit.

Se la Natura haveſſe in me ſollevato il talento conforme il deſiderio, potrei hora ſodisfare con uno ſpiritoſo diſcorſo alle ſue nobili iſtanze, ma non poſſo formare ne pure un ordinario racconto, che ſervir poſſa di luce frà le anguſte caverne d'un traforato ſaſſo di Ballani. Nulladimeno per dire conforme a' dettami della mia ignoranza, approvando la ſua conſideratione, dirò, che frà tanti vermi, che ſi fabricano la caſa nel ſaſſo, non ſe ne trovi pur uno, che non l'habbia perfettionata. E ciò è veriſſimo, mentre non viddi mai anche col Microſcopio una caſa, ò canaletto, che non giungeſſe in giro con due buchi nella ſuperficie del ſaſſo. Che detti vermi ſieno il principio del Ballano l'eſperienza non me l'inſegna, perche in altri ſaſſi, che pur eſaminai, non vi trovai ne meno il ſegno d'un di quei Vermi, benche de' Ballani ve ne foſſer di molti, e grandi, e piccioli. Hò fatto anche diligenza ſe in altri ſaſſi differenti da quelli, ove ſono i Ballani, ſieno l'iſteſſi vermi, e gli hò trovati. Si come hò veduto ancora molti ſaſſi de' Ballani privi di quei Vermi chiuſi, e raggirati nel guſcio, che ſogliono anche trovarſi ſopra le ſcorze d'ogni ſorte di Conchiglie, e in mille altre coſe del Mare, che perciò non sò immaginarmi; perche non ſi debba concedere la creatione de' Ballani ne' ſaſſi, ſicome non ſi nega quella de' Tarli dentro i Legni, e nelle Pietre. Hactenus Vir ille præclarus non minori studio, quàm efficacia Balanos in saxis generari mihi suasit. Imò evidenter comprobatum apparuit cum Balanos, vix natos, & orizæ magnitudinem non excedentes, ita absconditos in saxis vidi, ut licet omnes cum superficie communicarent, parvulo foramine in ea apparente, cavernæ tamen, ubi claudebantur semper spatio majores erant, qua centrum lapidis respiciebant; Quamobrem æquè impossibilis exitus, ac ingressus animalis inclusi deprehendebatur, quod tutò negat recens Auctor pag. 80. in epistola, quam edidit circa Corpora in lapides conversa, satis elegan. ti, & erudita.

Difficile verò, est invenire, an Virtus fœtifica, quæcunque illa sit, aquis potius mista, quàm saxo inclusa reperiatur. Saxo illam inesse suadent Gallæ, Glandes, & Omphacitides multæ, quæ à quercubus aliisque arboribus glandiferis producuntur. Nam cum Gallis, quas Coronatas vocant, crescit quasi ovum in earum centro clausum, & in ipso Vermis, qui in muscas mutatus ovum perforat, gallam rodit, evolatque è carcere, ubi vitam obtinuit. Hanc autem generationem arbitratur D. Redi Vir celeberrimus, pag. 240. *in arboribus non caſu fieri* (verbis ipsis utor latinè editis Amstelodami anno 1671.) *neque à ſupervenientium Muſcarum gravidarum ſemine ortum trahere! idque tanto magis, quòd nulla galluzzularum eſt, quæ vermem ſuum non habeat, & quævis Galluzzularum ſpecies proprias ſuas, & determinatas vermium muſcarum, & culicum ſpecies producit nunquam variante Natura.* Neque Generatio orta est ex semine à muscis ibi depositi, quoniam ex diligenti accuratissimi ejusdem Viri observatione, ut ipsemet ait, pag. 238. animadvertendum est, *quòd Galluzzulæ omnes ſemper, & conſtantiſſimè in certa quadam, & determinata parte rami novelli naſcantur: & quod Galluzzulæ minores, quæ à foliis quercus, æſculi, aut cerri procedunt, ibidem ſub fibris, & nervis*

eorundem conſtantiſſimè naſcantur, & nullam unquam galluzzulam viſam eſſe, quæ in plano folii inter duos nervos naſcerentur, ſed omnes infallibiliter procedere ab illa parte folii, quæ terram reſpicit, nullam à glabra, quæ Cœlo obvertitur: cum è contrario, omnes illæ, quæ in foliis fagi, & arboribus quibuſdam non glandiferis morantur, in parte foliorum glabra naſcantur. Qua de re ſupponendum eſt principium aliquod fœtiferum, à quo Vermes, Muſcæ, & Balani producuntur.

Nullus autem mihi ſuadebit (quod ille fortaſsè credit) Plantas nempè non ſolùm vegetandi virtute, ſed etiam ſentiendi præditas eſſe, qua animalia ſenſitiva in ipſis generata producere valeant. Scio à Pittagora, & ab Empedocle hoc ſibi perſuaſum. Verùm illud aſſerere potius eſt in ſcena oſtendere, aut florida fabularum Vireta, aut quæ in horrida ſilva inſignis Etruriæ Poeta Berni, finxit dicens.

Allor porſi la mano un poco avante,
E colſi un ramuſcel da un gran pruno;
E 'l tronco ſuo gridò, perche mi ſchiante?
Da che fatto fu poi di ſangue bruno,
Ricominciò à gridar, perche mi ſcerpi?
Non hai tu ſpirto di pietate alcuno?
Huomini ſummo, ed hor ſem fatti ſterpi,
Ben dovrebb' eſſer la tua man più pia,
Se ſtate foſſimo anime di Serpi.
Come uno ſtizzo verde, che arſo ſia
Dall' un de capi, che dall' altro geme,
E cigola per vento, che và via;
Così di quella ſcheggia uſciva inſieme
Parole, e ſangue; ond' io laſciai la cima
Cadere, e ſtetti, come l' huom, che teme.

Poterit igitur in ſaxo includi Virtus generativa, ut à Quercu continetur Virtus pariendi Muſcam, aut eodem pacto, quo maſſa aliqua ex luto, ovis, ac ſeminibus compacta virtutem haberet generandi flores, & Animalia, quæ mutuata potius, quàm propria appellanda eſſet. Hanc pro comperto habuerunt multi, qui in Adriatici maris litore, ingens ſaxum incidentes, varias, prudenteſque ſententias invicem contulere. Saxum enim, in quo Balanus generatur, nil aliud eſt, quàm argillacea maſſa, ſive luteum fragmentum cum ſpiritibus vegetabilibus herbarum, & Animalium compoſitum, quod ex monte Gomero, vulgò dicto *Monte di Ancona*, in mare ſubjectum prolabitur. Ita in argillis valdè duris vermes naſcuntur, & vivunt. Alii autem virtutem hanc prolificam non ſaxo tribuunt, ſed aquæ, quæ ſaxum valdè poroſum imbuens, ſecum transfert ſpiritus Animalis vegetabiles, qui antea lato in mari vagabantur. Meo quidem judicio veritati magis conſonum eſſe duco, Virtutem hanc, nec ab aqua pura, neque à ſaxo ſolo contineri. Non quidem à pura aqua, quoniam non repugnat Balanos in diverſis lapidibus gigni, cùm ubique terrarum non deſint pumicea ſaxa, in quorum poris, & cavernulis poſſit humor ille recipi, coagulari, & in Balanum perfici, & tamen in Anconitano tantùm, ac Tulonenſi litore, ut Gaſſendus refert, Phyſic. ſect. 3. de var. Anim. producuntur. Non autem à ſolo ſaxo, quod licet aqua dulci, roreque imbutum, nunquam Balanos gignit, niſi cum in mare demergitur.

Dicendum igitur eſt, Balanum toties generari, quoties cum particulis terræ primigeniis, aptiſque ad illius formationem, aliæ diſpoſitiones, & Concauſæ miſcentur, humiditas videlicet ſufficiens, ſpiritus ſalſi, & prolifici ipſius maris, qui arcano Naturæ puerperio foventur, uſque dum Vitam ſortiantur. Hac ratione pariter alia Teſtacea producuntur in ſaxis diverſis, præcipuè in Tarentino litore ea, quæ cùm ob ſaporem ſint omnium præſtantiſſima, Dactylorum nomine ſignificantur. Ego ipſe in multis multa inveni, ſed omnia Bivalvia, ac teſta fragili tecta. Quamobrem ſatis comprobatum agnovi Naturam prudentiſſimè ſemper operari, cum levi tantùm armatura circumtegere ſuos partus voluerit, quos jam lapideo munimento contra invaſiones protexerat. Inſuper ex eiſdem novum argumentum ſumpſi, ut crederem ſingulis lapidibus peculiarem virtutem ineſſe, à nullo quidem animali communicatam, ut in iis invariata ſemper generationum ſerie, Viventia omninò ſimilia producerentur.

Irridebit fortaſſe mihi hæc aſſerenti D. Redi, qui in obſervationibus Inſectorum pag. 391. conſtanter affirmat: nullam accidere generationem ſpontaneam, ſed omnes, quæ videntur in corporibus anima deſtitutis, *accidere*, ait ipſe, *ita tamen, ut muſcæ ordinariæ, & culices, ſemen antea ſuum eò deportarint, quo deficiente, ut alias dixi, neque ex herbis, neque ex carnibus putrefactis, vel qualicunque alia re, actu non vivente, quidquam naſcetur.* At quo nam pacto experimentum à me pluries factum oppugnaret, neſcio. Illud ſubjiciam. Flores hyacinthinos aliquantum maceratos, & contuſos in vitreo vaſe clauſo detinui, ut aliquam ſpontaneam generationem obtinerem: aliquarum hebdomadarum ſpatio eam ſum aſſequutus; nam innumeros vermiculos in putrida fœtidaque illa maſſa pellucidos inveni, qui per vitrum huc illuc diſcurrebant, quò magis à fundi humiditate diſtantes, eò vividiores. Duorum ferè dierum ſpatio vitam duxerunt, deinde in Aureliam transformatis, ex illa Papiliunculus colore cinereus, quatuor alis, & ſenis pedibus inſtructus evaſit,

Posito igitur, quod à nullo animali depositum fuerit semen in vase vitreo, ubi flores protriti subsidebant, dicet fortasse aliquis supra virentes flores fuisse à muscis relictum, at si hoc dicat, illum interrogo, quare à quolibet flore imò à quavis re putrescente semper vermes ejusdem speciei, & non diversi producantur, cum æquè bene omnium vermium semina potuerint a muscis ubique relinqui?

Ex his certis fidelibusque experimentis satis comprobata videtur Balanorum generatio, in saxis humore salso imbutis facta, & comprobatur quidquid de Cochlearum formatione dictum fuit capite præcedenti, & dicendum erit de Testaceis calycibus Animali privatis, qui in arida terra inveniuntur.

Videndum in præsentia est mirandum Naturæ artificium, quo Balanus saxea viscera permeat, æquè crescente caverna, in qua latitat, dum ipsius moles nutritione augetur. Certissimum primò est Balanum A. B. formari semper propè saxi superficiem, ut videtur num. 6. lit. X. deinde longitudine, & latitudine crescente, centrum lapidis Z. num. 2. petere, a superficie X. recedentem, ubi est foramen, per quod aqua maris liberè fluitat. Quod non cognoverat Aldrovandus cum dixit: *gratissimos esse palato Balanos, quia non aqua marina, sed rore quodam tenuissimo per lapidem imbibito pascantur*. Præterea ergo erravit à veritate, affirmans singulorum nidum esse, *ad magnitudinem, & figuram piscis omnibus lineamentis respondentem*. Videre enim poterat Balanum, licet in lapide inclusum, cœterorum instar piscium natare in humore a quo immediatè, & circumquaque alluitur, nec lapidi adhærere, in quo cavernula non perfectè, tanquam vagina ensi, Animalis corpori correspondeat, sed, ut num. 3. figuratur, ubi A. B. pro animali supponit. Crescit autem eadem cavernula, ut statuæ augentur, & fossæ, quibus per ablationem partium additur magnitudo, seu melius dicam vacuitas; quas partes Balanus ipse adimit, cum saxo hirudinis instar, adhærens parte A. valdè dura, calloque simili, & semetipsum contorquens, vi quadam à Natura ingenita, particulas minutissimas abradit laterum cortice rugoso, & aspero, augetque simul sibi molem, & domum.

Hujus artificii argumentum fuit asperitas quædam, quam in parte superiori latibuli animadverti formatam a circulis luteis, prout sub X. Z. num. 2. in fossis num. 5. qui circuli arefacti in pulverem minutissimum solvebantur, remanente superficie dura, & perfectissimè levigata, prout notatur ab X. & P. Vestiuntur idcircò a Natura testa duplici valdè aspera in externa superficie, qua veluti scobina, denticulos acutos habente, saxum erodunt, formantque domum, quam quisque, eandem testam in argilla, vel cera molli premendo, circumagendoque, obtinebit.

Crescente igitur hac ratione domo, simul etiam augetur Animal nutritum luto, quod ex pulvere saxi, & humore aqueo componitur, & in quo credendum est aliquem saporem Animal allicientem inesse, quod manifestè arguitur ex arenosis excrementis per partem B. siphoni similem, semper superficiem respicientem rejectis; materia illa hoc pacto remota, quæ Balani progressum impediret. Nec tanquam fictitiam miretur aliquis famem, qua hujusmodi cibus ab Animalibus appetatur. Epistola enim, quam D. de Viu misit ad D. Auzout, num. 32. in Eruditorum Ephemeride notata, refert ipsum vidisse saxa cujusdam muri propè Caen in Normandia, partem Mundi Australem respicientis, frequentibus foraminibus terebrata; & dum causam eorum curiosus inquireret, aliquos vermes invenisse hordei magnitudinem non excedentes. Tegebantur illi tereti testa subnigra, in una extremitate aliquantulum subtiliori apparebat meatus ad excrementa emittenda, in altera ampliori caput exerebant, in quo oculos decem valdè minutos numeravit, totidemque mandibulas, quas instar circini quatuor pedum semper agitabant; Nec illos erodere posse saxa dubitavit, licet injuriis aeris, procellisque tempestatum resistentia, cum multa eorum fragmenta in pulverem subtilissimum penitus redacta conspexit, quæ simul cum hujusmodi vermibus in pixide lignea optimè clauserat. Adeò comprobatur nullam potentiam, vim nullam in toto Terrarum orbe inveniri, quæ ab alia infringi, & omninò superari non possit, dum a parvulis tenuissimisque bestiolis, ut ille ait.

Mors etiam saxis marmoribusque venit.

CAPUT VIII.

De materia apta ad Productionem Testaceorum.

SIcuti spontaneæ rerum generationes sine causa univoca immediata non fiunt ad libidinem earundem, quæ velint esse quando cupido eas ad existendum alliciat, quoniam jam existerent, cum esse decernerent; Ita summus rerum omnium Opifex, qui immediatè, & solus juxta multorum sententiam, operatur, temerè suam potentiam non exercet, verùm semper rectissimas, rationabilesque regulas observans, in re qualibet, licet minima, summam harmoniam

reddit,

reddit, omniaque conficit, *in Pondere Numero, & Menſura*. Tunc maximè hoc patet, cum exempli gratia, ignis accenſus virtute propagandi calorem ſibi communicata non privatur, aut lapis in aere projectus ad terram deinde ſuo pondere deſcendit. Servat igitur in operando leges, quas ſibi metipſi impoſuit. Quamobrem tunc formam ſubſtantialem materiæ donat, quando diſpoſitam ad recipiendum eam videt, jubente lege jam ſtatuta: introducendas ſemper eſſe diſpoſitiones ante rerum generationem, quę tanquam pediſſequæ Domum præparare tenentur, in qua Forma ſubſtantialis eſt permanſura. Diverſimodè verò talis præparatio fit, & juxta exigentiam formæ introducendæ, ſicuti diverſus eſt apparatus conveniens mulierculæ ab eo, quem Reginæ dignitas requirit.

Cum autem Natura, & ejuſdem Author veluti Artifex inſignis operetur; ſicuti hìc, non ex eodem metallo format enſes, & ſceptra, coronas, & galeas, ita ille materiam ad rerum generationem eligit aptiorem, magiſque diſpoſitam, ut alicujus Viventis forma illi donetur. Indicata igitur cauſa, ex qua ſine divinæ Dignitatis injuria poſſunt Cochleę ſuam originem trahere, ut intimè eas perluſtremus, cognoſcenda materia eſt, in qua veluti ſupra fundamentum Domus, earum Generatio perficitur.

Solum humorem aqueum aliquo coagulo concretum illas eſſe aliquis æxiſtimavit, ſed falſo: Glacies enim, ſemper in aqua ſupernatat, deſcendunt verò Cochlearum Teſtæ, quæ potius lapideæ dicendæ ſunt ex humo, & aqua compactæ, cum lapidis definitione circumſcribantur. Eam ſi ex Ariſtotele deſumas, ubi ait, 4. Meteor. c. 9. *Lapis non flectitur, eſt friabilis, non recipit impreſſiones, non eſt ductulis*. Omnia hæc Cochleis convenire videbis. Verùm quia alteri etiam conveniunt, nempè Terræ, quæ pura non flectitur, in pulverem redigitur, impreſſiones non recipit, nec liquari ullo modo poteſt, & tamen lapis dicenda non eſt; Fallopii definitionem adduco. Obſervat hic Auctor oppoſitionem quandam in rebus. Terræ videlicet, quæ humido liqueſcit, non calore, opponi metallum, quod non ab humido, ſed à calore liquatur; & quia corpus aliquod eſt, quod liquatur à calore, & ab humido, ut ſal ammoniacus, ſic, ait, dandum eſt aliquid, quod neque ab humido, neque à calido emolliatur, nempè ſaxum, quod idem de Teſtaceis eſt affirmandum. Si igitur cum ſaxo conveniunt, promiſcua erit materia, diſpoſitioneſque communes, & ſaxis, & Cochleis, quibus ſolùm adveniens copioſior humor. ad formationem Viventis inſeruit, ut infra conſtabit.

Ad lapidum autem formationem docuit Ariſtoteles neceſſariam eſſe Materiam quandam, quam vocat *lutum lentum* compoſitum ex tenui terra, & aqua, quæ, frigore ſupervenire, cogitur in duritiem; aut aliam, quæ dicitur *ſuccus lapideſcens*, vel quia calor extrinſecus expellat totum humorem, à quo lapidis concretio impediretur, vel quia in ipſo inſit quædam Virtus congelans, ſive diſtincta ſit, ut in ſeminibus arborum Virtus propagativa, ſive cum ipſa materia mixta, juxta Alberti Magni doctrinam, lib. 4. de ortu, & cauſis ſubter. quam Georgius Agricola diligentiſſimè perſcrutatur. Vel lapides inde, & Cochleæ generentur ſtultè opinatus eſt Democritus in materia tali modo præparata animam eorundem agere, quaſi à calore ſuperveniente expergefactam. Ea quidem ab agente extrinſeco perficitur, quod agens æquè bene poteſt eſſe frigus, & calor, ut docuerunt Plato, Theophraſtus, & Ariſtoteles, ſect. 14. probl. probl. 111. calor inquam, non quidem nimius, ne in pulverem redigat maſſam illam luteam, non modicus, quia debet humorem exſiccare (ne iterum humido liqueſcat) & debitè concoquendo, lapidem perficere, ut in fornacibus lateres, aliaque ſimilia, quæ tantam induunt duritiem, ut à Chalybe percuſſæ ignem emittant, veluti ſilices. Hoc idem notavit Imperatus in terra vulgò *d' Iſchia*, & egomet in porcellanis Sinenſibus, non ſine amicorum oblectamento expertus ſum, imò etiam in Cochleis Venereis, quæ ex mari Moſambiquenſi acceperam. Quod ſi frigore ea materia induretur, expelli debet totum humidum nè calido iterum fluat, ut metallum, ſaccarum candidum, & glacies, in qutbus remanet humidum à frigore concretum, ideòque lapides dici non poſſunt.

Generatur itaque in tali materia forma ſubſtantialis lapidis, & Cochlearum, quarum teſta duriſſima eſt, ſi materia valdè denſa optimè exſiccetur, fragiliſſima verò, ſi humore careat; aut ſi humorem habeat, coctura non perficitur. Vocatur hæc eadem materia à Philoſopho, ut diximus, Succus Lapideus, eò quòd ex humida lapideaque ſubſtantia componatur, vel quia Deus talem produxerit, vel quia in maris æſtu paulatim è ſaxis minutiſſimę particulæ abraduntur cum terreis exalationibus miſtæ. Talem humorem, & ſuccum ſubtiliſſimè notat Agricola valdè differre ab aqua, quæ particulas lapideas ſecum detulerit, cum à calore per coctionem aptam, aut alio coagulo denſitas aliqua illi ſit inducenda, qua ſi careant argillæ, ineptæ erunt ad lapidum, & teſtarum productionem, & ſicuti *non omnis fert omnia Tellus*, ita non in quolibet maris ſinu Teſtacea producuntur.

Si autem de tali coagulo ſententiam laturi eſſent Chimici, ſal eſſe dicerent, quo putant condenſari quidquid gignitur à Natura. Verùm quia humores ſinguli cum ſale mixti, indurari non poſſunt, imò in generatione Cochlearum putandum potius eſt, ſale ſeparato, formari Animal teſta incluſum, quod argui poteſt ex ſapore ſalis, ut cum Galeno notavit Cornelius Celſus; ideò aliundè Teſtarum durities probabiliter derivatur. Ut tamen ipſorum genio indulgeamus, illum eſſe Nitrum potius exiſtimo; humorum enim coagulatio ex eo facilè obtinetur: idcircò fortaſſis Ægyptus Teſtaceorum fertilis Regio eſt, quia aquis Nili nitroſis imbuta, magnam nitri copiam ſubminiſtrat, ex quo vaſa aliaque multa Incolæ conficiunt. Habent enim teſtæ virtutem reſtrictivam, refrigerantem, & abſterſivam, quæ omnia Nitro conveniunt, ideòque in pulverem redactas, docet Galenus lib. de comp. med. applicandas Cicatricibus, Ulceribus, & Ambuſtis. Quod ſi verum eſt, ut Plinius affirmat, nihil generari, nihil enutriri à Nitro, dicendum probabiliter eſt, ex humore illo partem magis aqueam ad formationem, & alimentum Animalis ſeparari, partem verò magis terream, & nitroſam, ut Teſtarum fabrica conficiatur; ſicuti oſſa juxta ſententiam Ariſtotelis, de Gener. c. 4. n. 26. *ex partibus terrei alimenti habentibus admiſtum humorem, generantur, cùm virtute caloris interni exſiccatur humidum, & quia, quæ calore concreſcunt non diſſolvuntur igne, ideo nec oſſa.*

Talem humorem, qui facilè in lapides cogatur non ſolùm ineſſe telluri, ſed præſertim aquæ: innumeris penè hiſtoriis, variiſque experimentis comprobatur. Aqua Stygis apud Nonacriam, ait Seneca, ſi bibatur, ob gypſum miſtum viſcera obturat, quare Poeta Ovid. Met. 15. de flumine illo dixit:

——— *Quod potum ſaxea reddit.*
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Apud Auguſtam guttæ cadunt è crypta, quæ in libero aere indurantur. Propè Ambergam, Rhodum, & Tibur in aquis Albulis, paludeque Reatina ſaxum pariter generatur. In quodam fontè refert Strabo florum corollas ſtatim lapideas evadere, ſi in ipſum mergantur, Aveſque volitare amplius non poſſe, ſi alæ ejuſdem aqua madefiant. In Muſæo Uvormiano pag. 78. legitur Chirothecam Friderici Imperatoris una parte pelliceam, altera lapideam fuiſſe, hujuſmodi aqua madefacta. Quod ſi hæc, & ſimilia tanquam commento excogitata negentur, veriſſimum ſine dubio eſt circa palos, qui ad ſtruendas domos Venetiis in fundo maris figuntur, videri (ut Fallopius cap. 71. refert) *ſtrias lapidoſas quæ fiunt ratione ſucci lapidei, & prout eſt magis, vel minus purus, varios lapides generari.* Hac de cauſa in Mari coralia vireſcunt, quæ, ſi optimus ſit ſuccus, & perfectè miſtus, ſunt denſa, ſi impurus, ſpongioſa: Componuntur etiam Alcionia: imò quovis humore, generari Nitrum, ſalem, & lapides, qui ſub aqua concreſcunt, docuit Ariſtoteles 4. Meteor. cap. 3.

Hujuſmodi lapidifica Metamorphoſis, qua multa poſſunt in lapides abire examinanda ulterius hic eſſet, ſed de hoc alibi. In præſentiarum dictum ſit ſatis de eo, in quo Teſtacea conveniunt: Ad videndum in quo eadem præcipuè diſcriminentur progrediamur.

CAPUT IX.

An Cochleæ quæ in Terra invêniuntur, Lapides Terrigenæ ſint, in quamdam imaginem Cochlearum figurati, an potius in Mari generatæ.

ANtequam copioſam Cochlearum varietatem perluſtremus. Quæſtionem, quæ multorum ingenia fatigavit huc revocandam duxi; Non utique, ut eorum ſententias diſcutiam, cùm id à multis noviſſimè factum eſſe ſciam, ſed ut eas coram Lectoribus ſiſtam. Inquirunt Veteres Recenteſque Philoſophi: An Teſtacea poſſint in Terra generari, an potius omnia primùm in mari producta, deinde hac atque illac diſperſa in arida tellure vitam amiſerint. Loquimur enim hic de Teſtis ſine Animali ſenſitivo è Terra defoſſis, non de viventibus teſta circumſeptis. Quarum multa in Terra generari haud dubium eſt.

Nulli quidem latet innumeras ferè Cochleas, & Conchas ſub terra variis in locis delitеſcere. Præter aliorum paginas, qui hoc affirmant, adeat Niloſcopium Beccani, qui ſcire vult loca, & Regiones Teſtarum fertiliſſimas. At certum aliquid judicare haud poſſunt Viri rerum naturalium ſtudioſi; an iſtæ videlicet figuræ Cochlearum in lapidibus è teſtis marinis verè oriantur, quod plerique volunt, aut ſui generis lapides perpetuò extiterint, & cum ipſis montibus nati. Falſum hoc putat Vir præclarus, ac Præſul in Dania D. Steno, de ſolido intra ſolid. pag. 54. qui terreſtres Cochleas in tres Claſſes dividit, quarum duas in mari natas affirmat, aliam verò humi; Earum prima illas continet,

quæ

quæ cum marinis omninò conveniunt, altera eas, quæ solùm differunt pondere, vel gravioti, quia (ut ille ait) *succo ascititio repletæ*, vel leviori, quia *illarum pori leviorum partium expulsione ampliati sunt*, idcircò in lapidem, aut in calcem conversæ. Tertia demum eas, quæ sola figura marinis assimilantur, quarum aliquas aereas vocat, quia nempè marinarum Cochlearum testis vi succi alicujus dissolutis, spatiola eisdem respondentia inter glebas remanent aere plena, in quæ, introducto humore, seu materia lapidescente, formatur Cochlea aliquando gypsea, interdum crystallina, aut similis, quæ verè Cochleæ non sunt.

Aliqui verò cæcutientes, & liberè, prout ingenii propensio extimulabant philosophantes, nimis facilè tanquam verum pronunciarunt quidquid opinabantur, licet falsum ab experimentis comprobatum appareret. Nonnulli è contra sensuum ductui omninò fidentes, fallacia, & infulsa argumenta esse judicarunt, quæ intellectus, incertas à certis illationibus prudenter deducens ad veritatem stabiliendam speculabatur: utrique, mea quidem sententia, insciticæ tenebris involuti. In rerum enim naturalium, & abditarum perscrutatione sensu utendum est, quo comite intellectus tutùm sibi callem aperiat, in quo deinde ex una re cognita ad aliam gradum faciens, veritatem demùm teneat in profundo latitantem; alioquin errabit profecto, aut canis instar ab Æsopo descripti præda carebit, dum eam putabit habere.

Aristoteles autem eandem quæstionem agitans, sciens Ægypti Regionem Conchiliis plenam esse, maris ejectamenta illa credidit. Ea enim Regio mari Rubro subjecta, aquarum illuvione pluries sub undis jacuit, quibus siccatis, testarum ingens copia subsidit in arida, inquit Philosophus, ex quo Sesostris didicit mare Rubrum altius esse Ægypto, atque ea de causa, fossam è mari Erithreo in Nilum non duxit.

Insuper maximam partem Ægypti ex Nili alluvione excreviſſe contendit, eam præsertim, quæ à montibus memphiticis ad mare usque exporrecta, fluminis incrementis, latè irrigatur. Atque hinc jam effici, ut neque flumina ulla sint perennia, neque semper Mare aliquod fuerit, quod nunc mare esse cernitur, sed vicissim modò mare, modò terras eadem loca fieri certis quibusdam temporum conversionibus, quibus nunc maximi humores aliis, atque aliis locis existant. Ita Tanaim, & Meotida paludem, & ipsum etiam Pontum exiccatum iri, atque similiter omnia permutanda in temporis duratione. Hæc, & hujusmodi plura Aristotelis partim ex Herodoti de Ægypti historia, partim de Platonis Atlantide Insula videtur hausisse, quæ Oceani illuvie sub aquis jacet. Non est igitur mirum, si Ægypti Regio nil aliud esse videatur, quàm Testarum coagmentatio, si Delphinis, & reliquis piscibus statio quondam fuit. In hanc sententiam inter Veteres Strabo, & Plutarchus descendunt, sed multo certè prius Eratosthenes, qui sibi suasit plurimis in locis Concharum, & Ostreorum ingentem multitudinem cerni, & præter hæc salsos etiam lacus inveniri, quia ibi maria fuerunt, uti fit circa templum Hammonis, & in ea, quæ ad illud ducit via, quæ ipsius testificatione longitudinem habet trium millium stadiorum. Ibi enim plurimam Ostreorum colluviem esse scimus, & propè ipsum etiam navium maritimarum fragmenta monstrari. Hisce inductus Eratosthenes Stratonem physicum, & Xanthum Lydum laudat, qui existimarint ipsum Hammonis templum prius propè mare stetisse, ac deinde, mari defluente, in Mediterranea regione mansisse.

Ex impetuosis hisce marium inundationibus effrænatam quandam philosophandi licentiam tribuit Aristoteli, licet suo præceptori, Olympiodorus inter Interpretes eruditissimus, ejusque effata in somnis excogitata credit ad tuendum quidquid de Conchyliis opinabatur, falsumque esse, ait omnes regiones, ubi Conchyliorum testæ inveniuntur, sub Oceano latuisse. Ventorum potius impetu arguendum est, inquit hic Auctor, ablatas fuisse è littoribus, ac in variis Mundi plagis dispersas. Quis enim, si ventorum vis stateræ appendatur, hoc fieri posse negabit? Nonnè domus integræ, Surio referente, à fundamentis separatæ visæ sunt in Germania aliò transferri vehementi ventorum impulsu, eorumque flatibus magnas trabes Templo Moguntino ablatas, per aerem volitasse, quasi pennas haberent, à Conrado Argentino accepimus.

Hujusmodi argumentis inducti Prisci illi Scriptores, alios asseclas, qui de Conchyliorum origine fusè tractarunt in eadem sententia stabilivere. Verùm, ut candidè loquar, utrosque à recto veritatis tramite aberrasse judico. Qua nam enim repentina Ventorum procella, aut siderum impressione, huc illucque olim mare discurrens, Provincias, & Regna, longo licet intervallo dissita, unico quodam hausto potuit absorbere? Illud littoribus circumvallatum fuisse ab Auctore Naturæ pro comperto est, in quibus indelebili charactere præceptum posuit, cum diceret: *Hic confringes tumentes fluctus tuos*, eique semper, licet fluctuantium undarum impetu violenter exagitatum, paret, ac ut cum Basilio Seleucensi loquar, *Curvatis fluctibus termini Positorem adorat*.

Non igitur Venti, quorum flatibus leves

Conchulæ à loco ubi jacent vix elevari videmus, neque Oceani Procellæ adeò copiosam Testarum segetem in variis Mundi Pelagis disseminarunt. Harum enim multæ, sicuti summæ Alpes, nunquam sub Oceano latuere, attamen in illis Conchæ, & Ostreorum testæ inveniuntur. Quod equidem cùm aliorum relatu, tùm experimentis diversorum sum edoctus. In altissimis Thessaliæ montibus eas esse Solinus narrat. In arduis Calabriæ rupibus invenit Alexander ab Alexandro, & alibi multi. Quamobrem à diluvio universali delatas affirmarunt, ut cæteros taceam, Calceolarius, Maffeus, Orosius, Columna, & Imperatus, quod idem referens Ovidius ait.

Vidi ego quod fuerat quondam solidissima Tellus,
Esse Fretum, vidi factas ex æquore terras,
Et procul à Pelago Conchæ jacuere marinæ.

Unde Tertullianus hoc idem sibi persuadens, subjungit: *Adhuc Maris Conchæ, & Buccina peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse.*

Verùm quia ex Fracastorio, & Cornelii à Lapide doctis Commentariis accipimus Universum Terrarum Orbem haud jacuisse sub marinis aquis, sed sub cœlestibus, cum catharactæ Cœli apertæ sunt, inferendum necessariò est, eas ineptas fuisse ad tantam Cochlearum copiam generandam, quia dulces; Et quamvis falsis fluctibus additæ, quis tam facilè inferret Cochleas ex imo fundo Oceani in summos montes peragrasse, quò quadraginta dierum spatio, quibus sub aquis Terra latuit, vix Delphini, & Phocæ pervenerunt? Earum enim motus, quo progredi aliò possit, vel nullus est, vel adeo tardus, ut in Ignaviæ symbolum adducantur. Neque emortuis Viventibus vacuas testas in adeò locorum excelsa fluctibus asportari potuisse notat Joannes Quirinus, imò, docente S. Augustino, de mirab. lib. Sac. Script. lib. 1. cap. 4. *Universa, quæ in aquis vivere possunt Diluvii plaga non tetigit, quæ terrena tantùm mortificavit, ex ea nempè ratione, quòd Deus Terræ maledixerit, non piscibus, & aquæ, quoniam per aquam diluere maledictionem illam paraverat, quod in diluvio est factum. Aquatilia enim maledicto vindictæ non succumbunt, quia in maledictionis participatione non sunt.*

Scio equidem impudentis esse, non confiteri aliquibus in locis mare aliquando fuisse, ubi Conchylia inveniuntur. Ultrò concedendum hoc est; sed negandum de omnibus. In Alpibus enim Tridentinis cum Joannes Goropius Beccanus perreptaret, altissima quoque montium cacumina utroque pede uncis innixo, & manibus pinnato baculo gressum firmantibus, & ipse conchas invenit, & ab iis, qui Capricornos, sive Ibices, & Damas insectantur didicit non rarò inveniri. Et crebrius haud dubiè invenirentur, si lapides æquè illic, atque in infimis locis exciderentur. Nunc cum vectura illinc nulla esse queat, nulla est lapidicina, nisi cum arces ex ipsis rupibus excavantur, angustis præcipitiis, & capreolorum semitis; vel funibus subeundæ. Cum igitur ejuscemodi testæ internis, vel terræ, vel saxorum visceribus delitescant, & in summis Alpium rupibus rarò in terra tententur, non potest fieri, ut illic crebro videantur. Videntur tamen saxis torrentium vi derasis, vel immani gelu, magno tonitru divulsis, vel fulmine, turbine, aquarumve violentia præcipitatis, aut disruptis, vel alia vi quapiam naturæ dehiscentibus, quibus fiat, ut quæ intus condita fuere prodantur. Apud Limburgos, Leodios, Chondrusos, Namurcos, Hannonas, Atrebates, Tornacenses, & alios multos, a quibus, vel marmora, vel alia lapidum genera advehuntur, non parva est testarum copia, & Varietas. Vidi ipse in marmore cæruleo solidissimo pectines multos, & ipsorum sedem ita affabrè delineatam, ut nihil ars simile posse videretur. Vidi in silice durissimo tot Conchulas totas lapideas, & conclusis valvulis integras, ut magna cura, & arte ex illis fuisse cæmento aliquo compactus videretur. In suburbano Parisiensi agro, qui supernè copiosa fruge luxurians, subtus cavus magna sub parte est, & vehiculis pervius, inveniuntur testæ non paucæ turbinum, elegantissimo ordine, & tortæ, & tuberculis insignitæ, atque ita omnibus modis perfectæ, ut nihil præter vivum piscieulum ad integritatem desit. Vidit sub Veronensibus montibus Saraina quum Veterum monumenta scrutaretur; ibi namque reperiebantur: *Echini lapides, Paguri, Conchæ, Cochleæ, Ostrea, stellæque, Pisces, avium rostra, & id genus alia passim multa.* Videtur etiam Antuerpiæ quibusdam in locis postquam ad aquam subterraneam fodiendo ventum est, magna quædam crusta ad duos circiter pedes crassa, aliquando etiam tenuior, quæ tota est ex hujusmodi varia Conchyliorum congestione coagmentata, quasi vena lapidis, aut marmoris esset. Nec certè in Mari, aut litore tanta congeries Concharum nullibi visa est, ut frustra somniemus ita paulatim, mare recedente, fuisse congestam. Nam si hoc ita evenisset, cerneremus adhuc in Zelandiæ, & Flandriæ littoribus tantæ crassitudinis congeriem jacere. Non igitur magis ibi mare fuisse credendum est, quàm in lapidicinis Megarensium, è quibus lapis eruitur, Concharum marinarum congerie compactus, & candidus, qui ab ipsis Conchides appellatur. Quod si a mare ille originem duceret, in Piræo potius inveni-

veniri deberet; & tamen cum tota Græcia variis promontoriis mare amplectatur, nusquam tamen Conchis affluentior, quàm Megaris invenitur, ubi Megarius ille lapis adeò solidè componitur, ut Caris Phoronei filii sepulchrum, & alia opera ex eo facta fuisse Pausanias testetur.

His enumeratis, Quæstionis solutio non ex historiæ monumentis petenda est, sed è Philosophiæ penetralibus; ad quæ rapiendi sumus hac mirabilium rerum consideratione. Aristotelem prius audiamus, qui lib. 3. de Gener. cap. 11. tom. 4. Mauri pag. 580. num. 2. *Testacea*, inquit, *ita se habent ad Aquam, sicut Plantæ ad Terram, ideoque Plantæ possunt vocari Testacea terrestria, Testacea possunt vocari Plantæ aquatiles*. Non tamen inde inferendum est lege inviolabili semper Plantas à Terra produci, ut à Mare gigni non possint, sicut multa, quæ sub aquis vivunt, in telluris gremio etiam foventur. Hæc enim pari fœcunditate ditissima est, ac Mare, in quo præter innumera penè agmina Crustata, Squamosa, atque Testis inclusa, multi frutices germinant, & Plantarum species. In eo enim crescit Herba, quam Lumbricaram vocant, crescit pariter, quæ dicitur Lanuta, crescit Capillaria, Forcellata, Tremula, Palmisolium, & alia crescunt vegetabilia lapidosam substantiam habentia, ut Coralia, Millepora, Porus Cervinus, Frondipora, Retepora, Tubularia, Muscus Petrosus, & alia. Imò, sicuti inter Pisces, ut notat Ælianus, lib. 16. c. 18. *sunt Leonum, Arietum, Panterarum, & Equorum effigies, insuper stellæ, & Piscium genera avium formas referentia*, ita pariter humi diversi gignuntur lapides, quibus, vel Plantarum, vel Animalium membrorumque diversorum effigies exprimuntur. Inter eos singularis est Lapis Cissites, qui nomen trahit à Camecisso, idest hædera, cujus foliis assimilatur, lapis insuper Rhodites sic dictus, inquit Boetius, à figura Rosæ, sicuti Stilicites à stipite, Amigdaloides à nucleo amigdalarum, Bucardia à corde bovis, Ophites à serpente, Fungites à Fungis, & cæteri innumeri, quos Gesnerus recenset ubi tractat de figuris lapidum, & Ambrosinus recitat una cum lapidibus, quos Cephaliten, Carditen, aut Persicaten, à figuris videlicet, quas referunt, appellat. Olaus Vormius, uti refert in suo Musæo lib. 2. cap. 13. possedit lapides luteos, qui pectus cancri exigui referunt, quorum pars exterior levis, & lubrica lineis albis, juncturas costarum in cancris referentibus prædita. Vocantur tales lapides Carcini, non aliter, ac datur Amigdaloites a forma amygdali, Botrytes a botri similitudine, Pisolithes à Pisis, Sicytes à figura ficus.

Neque ommittenda à nobis sunt ossa illa enormia, quæ Gygantum fuisse vana hominum ingenia crediderunt, ac ab aquis, virtute lapidifica impregnatis, in lapides indurata. Huc revocanda esset Quæstio, qua quæritur. An Virtus lapidifica Terræ insit, ut medusæo quodam dominatu, non fabuloso, sed vero, omnia valeat in lapides transformare. At nè extra Chorum divagemur, supponenda tanquam vera, ac experimentis comprobata; lapides multos, membra humana, arborum fructus, & alia referentes, primùm vera membra verosque fructus extitisse, sed de omnibus tamen cujuscunque generis ossibus, quæ passim in subterraneis fossis inveniuntur negandum est, sic de cornibus incredibilis longitudinis, quę monocerotum esse dicunt. Quid autem de hisce sentiendum sit pauca alibi dictis addamus, & quidē quod ad Gygantes spectat, refragante Sacro Textu, ut negare non possumus, ita quoque nonnihil communi famæ concedendum est, quam de Gigantibus variæ apud Auctores relationes, veluti jure suo fidem legentibus extorquent. At fabulosum existimo Gygantem illum, quem Plinius lib. 7. cap. 16. asserit in Creta, rupto monte inventum quadraginta sex cubitis altum, aut aliud corpus humanum, quod Fulgosius lib. 8. in Plutarcho affirmat inventum in Urbe Mauritaniæ, & dimensum sexaginta cubitos impleviſse; Tandem, ut multos ommittam, quos Kircherus in Mundo subterraneo refert, falsum existimo, quod omnem admirationem superat narratum à Boccaccio, in Deorum Gen. cap. 68. repertum nempè in Erice monte Drepanitanæ Urbi proximo, hominem sedentem, tantæ altitudinis, ut prægrandis navigii malum ducentis cubitis longum excederet. Quærendum hic esset num verosimile saltem sit, Naturam carneas moles tam vastas producere potuisse, & an corpori excedentis magnitudinis repugnet corpus organicum majus, & majus in infinitum, sed ut brevitati consulatur, adnotasse sufficiat: à Natura, utpotè sagaci, sicut omnibus animantibus, ita & hominibus ad actiones suas probè obeundas determinatam corporis magnitudinem constitutam esse, ut quidquid ultra eam fuerit, meritò monstrosum videri queat. Fabulæ itaque sunt, & anilia deliramenta quæcunque de hujusmodi prodigiosæ magnitudinis gigantibus produntur: Hoc satis dilucidè comprobat, quod Athanasius Kircherus de se ipso refert, Mund. Subter. lib. 8. sect. 2. *Certe*, inquit, *cum anno 1637. Drepani morarer multum sanè cum peritis de hujusmodi invento monstro Gygantis quæsivi, criptam montis intravi, ubi dicebatur inventum fuisse cadaver. Sed nihil horum quæ de vastitate specus supra allegati Auctores tradunt, reperi; imò vix puto altitudinem triginta pedum, quantam*

tam memini conflitisse, neque mihi unquam, aut pedes manusque, aut cranium, similiaque membra, ex quorum proportione ad ordinarii hominis membra facta, in notitiam veræ quantitatis prædicti gygantis devenire sperabam, exhibere potuerunt, quæ partes organizatæ, uti desunt, ita quoque veritatem rei suspectam faciunt.

Verum igitur est quod ipsa Sacra Scriptura testatur lib. 1. Reg. c. 17. videlicet Goliath altum fuisse palmis novem supra decem. Verum, quod Historiæ referunt de celebri Viro Lusitano minori quidem statura, non impari viribus, Ori enim admoto manibus pomo, ex eo ita commodè dentibus frustula carpebat, ut manus removeri nihil possent, decem licet bajuli toto conatu trahendo duplicem funem illis alligatum, enixè laborarent. At hujusmodi vasti corporis homines, quia admodum rari idcirco omnia, quæ in criptis inveniuntur ossa, sive dentes, sive tibiæ, sive costæ, non Gygantum reliquias, sed opus esse Naturæ in subterraneis locis generatum firmiter tenendum est. Terrarum Orbem perlustra, in Palatinatu non procul Spira, costis, aut fœmore humano similes lapides invenies, item propè Heidelbergam Saxoniæ, eruuntur saxa ossium instar rotunda, quorum alia forma cranii humani, alii mali persici figuram exprimunt: alibique passim tanta eorum seges invenitur, ut ibi esse, non possit, nisi exercitus Gygantum, & quidem miræ magnitudinis, quæ ossium moli responderet, antea extitissent, quos certè nullæ veterum historiæ commemorant, neque à majoribus traditum est Nepotum Posteritati. Exercitus pariter Gygantum extitisse necesse fuit in caverna illa in quam Panormi Illustrissimus Marchio Carolus de Vintimiglia, Vir eruditissimus, nec non exactissimus Siciliæ historicus introduxit Patrem Athanasium Kircherum, eique magnam ossium hujusmodi copiam ostendit. Rem totam ex eodem Kirchero audiamus. Me duxit, ait ille, ad locum tribus ferè passuum millibus Panormo dissitum, quod mare dulce vocant. Erat ibidem ingens montis Promontorium, & è regione foramen prægrande, per quod in obscura immensi specus latibula patebat aditus: descendamus, inquit, jam monstrabo tibi, mi pater, quantum Natura in similibus humani corporis membris effingendis possit, accensisque tædis, famulis præeuntibus, ingressi sumus longissimi tractus antrum, & cum jam aliquantulum intima penetrassemus ostendit mihi in sinistro antri pariete, longè latèque exporrectum mirum Naturæ opus: Pariter dentes referebat parvos, mediocres, maximos, & excessivæ magnitudinis ea serie, qua Natura maxillis Animalium inserere solet, infixos, tanta copia, ut centum carros, inde onerari posse facilè crediderim, tanta animalium dentium similitudine, ut vix hos ab illis distinguere potueris, supra quidem candorem pellustrem, inferius verò radices mostrabant acutas, omnes tamen in lapidem solidum conversos, tum ecce ad me Vir Illustrissimus; Hi sunt dentes, quos nonnulli Impostores hinc exemptos, pro Gygantum, aut Elephantorum dentibus imperitæ plebi vendunt. Sed non stetit hic mira Naturæ industria: ulterius progressi in subterranei cuniculi parietibus, nescio quæ humanorum membrorum lineamenta intuiti sumus; nunc enim Tibiarum protuberabant formæ, modò vertebrarum genuumque vestigia, nullo tamen ordinis nexu spectabantur, videbantur quoque nonnulli tumores argillacei ingentes, qui excisi ex una parte os genuum, ex altera concavitatem relinquebant, calvariæ haud absimilem: Unde luculenter admirabilem Naturæ in ossibus, aut ossibus similibus saxis formandis industriam primò cognovi. His addendum est discrimen, quod idem Auctor comparata horum ossium symetria, cum humanis, observavit esse inter ossa vera, & à Natura minerali producta, quòd illa semper tibiarum canales, fistulososque meatus olim medulla refertos retineant, hæc verò solidum lapidem sine ulla Tibiarum concavitate mentiantur, & talia sunt ossa lapidea, quæ in multis Musæis exhibentur, quare illa purum Naturæ opus credenda sunt.

Ex hac certa rerum inductione, rationi eque, ac experientiæ consentanea patebit profectò quàm legitimè inferatur Conclusio, in qua asseritur etiam Testacea posse sub Terra generari. Inter cæteros id affirmat Gassendus, *cum Natura*, inquiens, Physic. sect. 3. *eadem ubique sit, & rerum omnium semina ubique contineat, lapides efformat ex succo idoneo in mediis continentibus, referentes externa specie Conchas, & Pisces, quos procreare eadem solet in medio, ac dissito mari*. Ex eo quod, ut idem Auctor probat, humore salso Terra non careat apto ad eorum generationem, eoque vel à mari per secretas rimas mutuato, vel à fossis aqua repletis, in ejusdem visceribus subsidente: deinde in probationem adducit, quod ex Asclepiodoro Seneca narrat 5. Nat. quæst. 15. *Demissos videlicet quamplurimos à Philippo Macedoniæ Rege in metallum antiquum olim destitutum, ut explorarent, quæ ubertas ejus esset, quis status, an aliquod futuris reliquisset vetus avaritia, descendisse illos cum multo lumine, & multos durasse dies, deinde longa via fatigatos vidisse flumina ingentia, & conceptus aquarum inertium, vastos pares nostris, nec compressos quidem terra supereminente, sed liberæ laxitatis nõ sine horrore visos.*

Na-

Natura nunquam otioſa ibi res format, ubi aptum humorem invenit ad earum concretionem eòque progreditur, quoad ejus materia patitur, ultra progreſſura, ſi loci, & materiæ inopia non excluderetur. Antuerpiæ Latomus quidam vivum bufonem in medio marmore invenit, non aliunde quidem generatum, niſi ex apto humore marmori incluſo. Argenteam arborem à ſe viſam in fodinis refert Fabri, tom. 2. phiſic. ſect. 1. Memb. 1. lib. 3. c. 7. de Lapid. ex qua virtutem omnium productivam, quamvis loci anguſtiis, vel materiæ inopia impeditam ubique ineſſe arguit. Non eſt igitur mirum Teſtas in montibus ſummis inveniri, minùs verò mirum in illis inveniri, in quibus ſalſugo aliqua eſt marinæ ſalſugini compar. Similis enim materia ad formas tales recipiendas eſt apta, multiſque in locis reperitur. Adde aquam maris cùm ſale miſceri, undè *detergit roboratque valdè ventriculum*. In ſale inſuper nitrum ineſſe deprehenditur, *quia validius quàm ſalſa aqua miſta cum eo ſoluit ventrem, ſubvertit ſtomachum, & facit nauſeam*. Undè inferendum eſt in multis regionibus, ut in Ægypto non ſalſuginis modò, ſed nitri etiam feracibus non mirum eſſe Conchylia generari, ſicuti generantur in ſubterranea arena, quæ loco, & Natura marinis vadis reſpondet, cùm ea temperamentum quoddam liquoris marini exugat, Oceano in Terras ſurſum per omnes canales magna vi irruente. Hinc igitur deducitur quo pacto lapides in aquis generentur, ut Ariſtoteles docet 4. Meteor. c. 3. & cavis ſubterraneis, & maximè ei arenæ, quæ proxima eſt aquis per Orbem Terræ ſubtus meantibus, liquor quidam communicetur, qui Conchyliorum figuras facilè induit, vitam etiam accepturus, ſi locus vivum piſciculum alere poſſet, aut etiam, ut putat Grandi de verit. diluvii univerſ. quia in diverſis Oceani alluvionibus quoddam prolificum Teſtarum ſemen Terræ communicaverit, non autem quia, ut Recens Auctor Joannes Quirinus de foſſilib. aſſerit, Conchyliorum primigeniæ particulæ fortuitò coeuntes illorum formam conſtituant. Somnia hæc ſunt Athomiſtarum.

An autem primùm Teſtæ formentur, an potiùs cum ipſo Animali naſcantur, non una eſt inter Auctores opinio; Grandi, quem ſupra citavimus Teſtarum calices ante Animal generari affirmat; domus enim, ut ipſe ait, conſtitui, debet antequam habitetur, quæ utique perfici poterit ab ipſo Animali, non autem fundari. Huic ſententiæ favere poterit, quod in minutis Conchis bivalvibus pluries adnotavi. Lenticulæ magnitudinem illæ non excedebant, Teſtarum valvis ita perfectè conjunctis, ut etiam cultri acie aperiri difficile poſſent, vacuæ tamen, & ſinè ullo animalis veſtigio ſemper inventæ, idcircò argumento erant nullum adhuc Animal ibi fuiſſe generatum, Verùm quia inter arenas, & lutum è maris fundo acceptum, plures, & quidem minutiſſimas Conchulas, ope microſcopii deprehendere potui animali fœtas, clarius innotuit generari Teſtam ſimul, & Animal, cujus cadaver in Superioribus non apparebat, eò quia extra mare humor ille muccoſus, quo formabatur, nec dum in calloſam ſubſtantiam obduratus, penitus exaruerat. Teſtaceis enim Conchæ haud quidem parandæ ſunt, ut domus, verùm putandæ veluti eorum pars conſtitutiva, ut cæterorum Animalium oſſa, a quibus ſi divellantur, illicò vitam amittunt.

Putat Falloppius Tract. de foſſilib. Teſtacea omnia, quæ ſparſim in Terra inveniuntur cum Animali incluſo formari, quod defectu humoris moritur, remanente cadavere, quod ex humore lapideſcente aliquando reperitur obduratum. At ejus ſententiam coram lectoribus ſiſto, quos admonitos velim quàm cautè credendum circa rerum naturalium inquiſitionem quidquid Phantaſmata objiciunt, menteſque ſinè delectu rationum opinantur. *Rationi enim*, inquit Ariſtoteles lib. 3. de gener. cap. 10. *fides habenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, conveniunt cum iis, quæ ſenſu percipiuntur*. Quamobrem mihi perſuadeo, non omnes Conchyliorum figuras e Teſtis marinis oriri, quod plerique volunt, ſed ſui generis lapides eſſe, in ipſis montibus natos, & intrinſeca virtute auctos, quam eis Naturæ Conditor impertivit, quaſi *ludens in Orbe Terrarum*, luſibus utique ejus dignitati non abſonis, cum Sapientiæ, ac Providentiæ argumenta luculenter in ſingulis præbeantur.

Antæquam Quæſtionem abſolvamus difficultas diluendâ nobis eſt, quam Columna Diſſert. de Gloſop. objicit Theophraſto, qui multiplicis generis oſſa in Terra generari credebat: *Non enim*, inquit ille, *Natura quid fruſtra facit, vulgato inter Philoſophos axiomate. Dentes ii fruſtra eſſent, non enim, dentium uſum habere poſſunt, ita nec Teſtarum fragmenea tegendi, ſicut nec oſſa nullum Animal fulciendi. Dentes ſine maxilla, Teſtacea ſinè Animali, oſſa unica in proprio elemento Natura nunquam fecit, quomodo in alieno nunc potuiſſe, & feciſſe eſt credendum?* Argumento huic licet adeò impar videar, ut non armis me, ſed hoſtili dumtaxat riſu, & ſolo claſſico ſuperatum iri adverſarius arbitretur, contradicere fas eſt, ut totum nihili pendendum videatur. Primùm igitur illud adverto, multas plantas humoris defectu in ipſa generatione deficere, ac mori: innumeros etiam flores vireſcere, qui licet ad fructus ordinati a Natura, in fructus non abeunt, imò in ipſis

Ca-

Calycibus arefiunt, ſicuti plurimi Arborum fructus marceſcunt antequam matureſcant. Satis profectò apertum eſt pluries Naturæ ſtudia fruſtrari, cum Animalium perfectorum loco generantur Monſtra; deindè miror adeò facilè Columnam ſibi ſuaſiſſe vera oſſa illa exiſtere, quæ in Terræ viſceribus efformantur. Analogo enim ſignificatione nomen illis tribuendum putaverim potiùs, ſicut Oſtreorum nomina applicantur teſtis terrigenis, ſeù lapidibus, quibus formæ Teſtaceorum maris repræſentantur. Quid ergò arguendum dices affirmantem terrena Teſtacea eſſe Naturæ opus, quo marina referantur? Nonne in pluribus hanc agendi metodum exprimit, & in convolvulis præcipuè, quæ rudimenta Plinius eleganter dixit Naturæ *lilia facere condiſcentis*: haud impari modo, quo Artifices argillaceas, ſeu cereas ideas conſtituunt, quas ſubindè in marmore, aut metallo perficiunt. Gaudet namque Natura hujuſmodi rerum ludibriis, & uti omnia in omnibus eſſe oſtendit, ita pro conditione ſingulis in rebus laborat, quantum poteſt, ut ſin minus ſenſum, ſaltem vitam; ſin minus vitam, ſaltem figuram nudam iis, ad ſuam in Univerſo decoris majeſtatem atteſtandam, imprimat. O quàm provida, ſagax, & prudens illa eſt, ò quàm formoſa apparet Veritas; Hæc ubique ſolis inſtar aliquo modo ſuos radios explicat, illa ſemper ex aliquo fine prudenter operatur, nec quidquam in Mundi Theatro unquam profert, quod licet numeris omnibus abſolutum, cæteris rebus non antecellat, admiratione tamen dignum non ſit. Sed ne a mare nimis longè aberremus, ad ejus Cochleas redeamus.

CAPUT X.

Earum Varietas in Formis, & Coloribus obſervatur.

QUi Conchyliorum varietatem obſervat, eam laudem Naturæ tribuendam exiſtimabit, qua Virtus Michaelis Angeli Bonarotæ inter ſtatuarios eximii, celebrata meritò fuit, eò quòd in operibus, ab eo ſculptis, duo vultus omnibus lineamentis omninò ſimiles cerni non poſſent; Adeò fœcundo erat ingenio menteque capaci, ut novas ſemper ideas in marmore repræſentaret. Teſtaceorum enim tanta eſt varietas, & in ſingulis formæ peculiaris diverſitas, ut nulla alteri correſpondeat. Mirantur plerique cum Plotino Platonis aſſecla, *artificioſam hanc ſtupendamq; Varietatem in abditiſſimis quibuſque beſtiolis*, cum finalem cauſam in Naturæ laboribus ſcrutari neſciant. Verùm ceſſabit admiratio, ſi cauſæ efficientis cognitio ignorantiæ tenebras diſſiciat. Hæc porrò Divina mens eſt, quæ infinitæ ſapientiæ argumentum unica vel linea æqualiter convoluta in omnibus luculenter ſuppeditare hominibus poteſt, peritia longè majori, qua Giottus ille ad oſtentandam prodigioſam ſuæ artis peritiam, firmato cubito in tabula, circularem lineam adeò perfectè pennicillo delineavit, ut non aliter quàm circino ducta videretur, Omnia circumvolutos Orbes oſtendunt, at in ſimilibus figuris diſſimilitudo adeò magna cernitur, ut Boldonus eam admirans dixerit de Longob. cap. 7. 129.

Tanto Natura in un ſembiante ſteſſo
Di varie forme hà i ſimulacri impreſſo.

Hoc eſt in eadem Cochlearum apparentia diverſarum formarum Varietatem impreſſit Natura, quas, ut incundè oculis uſurpatas, ſic ſermone fusè expreſſas ſcimus a nemine. Nec mirari profectò debemus, cum ea ſit Conchyliorum copioſa ſeges, *ut nulli facilius ſit loqui, quàm rerum Naturæ pingere*. Quod etiam de Floribus Plinius aſſeruit. Quòd ſi verbis aliquo modo expreſſas in his paginis candide Lector exoptas, eas eleganti æque, ac luculenta deſcriptione tibi ſubjicio de Italico ſermone in Latinum converſa, qua P. Daniel Bartolus (Ricreatione del Savio capit. 11. lib. 11.) ſummi Conditoris Excellentiam in viliſſimis quibuſque rebus ſe prodentem, indicavit. Superant profectò vires eloquentiæ meæ, ait ille, prodigioſæ Cochlearum Teſtæ, multiplex partium ſtructura, convolutionum varietas, ornatus elegantia, colorum diſpoſitio, formarumque mira diverſitas, quæ in eadem materia tam variè componitur, & tam pulchrè condecoratur. Quotquot oculis uſurpavi, chiliades licet plures excederent, minimam earum partem conſtituunt, nullo prorſus calamo deſcribendam, & quò plures darentur in ſcenam, eò minor dicendi eſſet facultas. Adeò verum eſt inopes nos copia fieri. An non Cochleis ſexcentis modis in ſpiram circumductis prodigioſa Dei ſapientia explicatur? nihil in rerum Natura vilius quàm illæ, multiplici tamen artificio a Conditore Divino redduntur capaces. Earum aliquæ ita orbibus circumvolvuntur, ut ſcapo illi hæreant, & quò magis a baſi recedunt, eò in acutiorem turbinem mira proportione extenduntur. Aliæ contra in ſe ipſis Cochleatę ex nulla parte in mucronem exuberant, inter has quæ Venereæ dicuntur, & earum ſimiles ſuos orbes omnino contegunt teſta, cujus pars altera plana, altera in gibbam elevatur. Aliæ ex baſi pinnulis, aut criſtis, aut muricibus cinctę, paulatim deficientes turbinem exprimunt. Aliæ verò aliquando depreſſæ tonſillas,

fillas, & tubercula, altero alteri superimposito ostentant. Multæ videntur quasi planæ, multæ subrotundæ, rugosæ multæ, vel expansæ, vel apertæ, vel angustis orbium anfractibus cochleatæ, omnes quidem inter se diversæ, sed omnes artificio, elegantia, & venustate ita pares, ut de pulchriori judicium ferrè non possis. Quæ sinè arte, & veluti negligentia quadam formatæ videntur, maximæ etiam censendæ sunt pulchræ, cum in ipso neglectu, errores placeant, & in rudi quadam massa majestas eluceat, ac, ut ita dicam, pulchritudinis monstra judicentur. In singulis oris aperturam si cernas, suam quodque venustatem explicabit labris, aut simul strictè conjunctis, aut omninò apertis, modò in longos canales productis, modò in brachia expansis, quibus lapideos polypos representant. Nec facilè causa reddi potest, cur in multis labra multiplici plicatura reflectantur, cur in pluribus dentibus muniantur, non ad vulnera inferenda, sed ad ornatum. Dividuntur subindè in vulgares, & pretiosas, in nobiles, & rusticas; quarum plurimæ crustatæ, squamosæ, corticosæ, crispis corrugatæ, aculeis spinosæ, mucronibus horridæ, multæ verò leves, pellucidæ, nitidæ, & sandracca velatæ, nonnullæ velut malleo contusæ, vel opere musivo tessellatæ. Inter omnes verò præcipuè Nautilus ob testam pretio habendus, argenteo vel margaritarum nitore præclaram.

Nec silentio prætereundi sunt colores, quibus omnium testæ exornantur. Innumeræ gignuntur albæ, argenteæ, lacteæ, badiæ, cinereæ, pullæ, subnigræ, purpureæ, flavæ, aureæ, porraceæ, amethistinæ, & puniceæ, plurimæ discoloribus fasciis victatæ, modò in longum, modò transversim ductis, vel sinuosè crispatis; Aliæ veluti opere phrygio pictæ, aliquæ tessellulis albis, & nigris omninò distinctæ, aliquæ multiplici colore depictæ. Ut plurimum sinè regula coloratæ videntur, aut guttatim aspersæ, & punctis signatæ, aut notulis rotundis, seù quadratis maculatæ, fulvis, rubris, sanguineis, ut in lapide Jaspide, centenisque diversis coloribus adeò variegatæ, ut verba ad significandum apta deficiant. Ommitto igitur, quæ recensèri hic possent, striatas, rugosas, sulcis excavatas, & crenulis crispas, ommitto eas, quibus coronæ minutissimis incisuris notatæ, venustatem addunt, quibus cristarum duplex ordo circa orbes circumducitur, & nodulis conjunctis instar torquis ditatur. Ommitto eas, quibus decor additur a duplici linea altera unionum, gemmarum altera, passim guttulis coronatis distincta, eas demum, quarum partes tuberculis, tonsillis, pinnulis, & bracteolis laciniantur. Inter omnes, veluti inter ignes Luna minores, Una est, quæ indico in litore reperitur funiculis discoloribus contexta, inter quos veluti alia filo alba, & violacea simul contorta, per orbium semitas ordine adeò eleganti discurrunt, ut nunquam in spirarum anfractibus confusa, suum quodque situm occupet, ostenduntque peritiam, qua Artifex illam composuit. Huc usque P. Bartolus. Huic luculentæ satis, ac perspicuę Cochlearum descriptioni unam addendam censeo, longè omnium meo quidem judicio elegantissimam. Parva licet mole, in angusta orbium aglomeratione magnum exhibet artificium. Nunquam inter Persas fœmina, licet muliebris luxus excultrix, multicolores linteolos glomerando, cidarim pulchriorem suo capiti aptavit, qui cum hac Cochlea posset de pulchritudine dimicare. In Brasiliano litore frequenter reperta, maris ejectamentum dicenda non est, ut de Unionibus dixit Tertullianus, sed ejusdem proles, quò pulchrior, eò cæteris charior. Ab Indis vocatur patrio nomine *Caramugio*, quod idem est, ac Latinis Cochlea. Fraga dicitur ab Italis a forma, & colore purpureo simili, sed melius Latini Neritam appellarunt, hoc est maris genitam, ac si cæteris rebus, quæ in mari generantur pulchritudine antecellat, sicuti Nereides inter omnes Nerei Filias venustate elegantissimæ.

Si colores quibus tegitur inspicias, eam Cochlearum Reginam dices, Bisso, & Purpura indutam, seù potius opere phrygio condecoratam. Cutem enim ostentat lineis unionum ditatam, quarum una alba est, altera nigra, & continuato ordine alternatæ. Inter ea alia linea coralliorum collocatur, triplicique hoc colore adeò spectabilis apparet, ut Gratiarum manibus elaborata videatur. Fabulosum quod ad excitandam admirationem Lucianus narrat, Prometeum nempè Aquarum Præsidem igneam naturam induisse, at certius vero Cochleam hanc sola aqua nutritam igneo colore rubescere, quam piceus, & albus adeò egregiè notant, ut meritò Naturæ ingeniosum opus dicas, & maris florem, sed incorruptibile, cum conchas floribus æquans Lucretius lib. 2. dixerit.

Concharum genus parili ratione videmus
Pingere Telluris gremium, qua mollibus undis
Litoris incurvi bibulam lavat Æquor arenam.

Verùm singulas recensere impossibile cum sit, confusa quadam cognitione omnes simul complecti sufficiat, qua ad earum Conditorem nostram mentem attollamus, inquirendo, quod D. Hieronymus in homine perscrutatus est: cur videlicet, in tam vili, & abjecta materia speciosissimam formam posuerit non verò cœlesti?

Lutea licet massa compositæ, vasa, quæ Raphael Urbinas pinxit, pretio superant. Inter sensitiva Animalia quamvis viliores cutibus, veluti acu pictis, & phrygio opere decoris, adeò æstimantur, ut *cortex tantùm in fructu* meritò dici possit, sicuti Plinius lib. 16. capit. 18. dixit de subere.

Et quidem, ut verum fatear, non semel præclaros sapientesque viros admiratione obstupescentes vidi, cum plurimas ex elegantioribus in eorum conspectu darem, non aliter, ac si Auroræ palatium perlustrarent, in quo, ut S. Præsul Appollinaris describit Carm. 2.

Diripiunt diversa oculis, & ab Arte magistra
Hoc vincit quodcunque vides.

Nullam enim ex eis esse omnium pulcherrimam judicare quis potest, cum singulæ, vel partium structura, vel colorum varietate, vel orbium circumvolutione æquè possint oculos recreare, novoque oblectamento animum pellicere, ut sensibilibus rebus ad invisibilem rerum omnium Conditorem quisque sibi viam sternens, eum tanquam siderum Principem, a quo cætera lumen mutuantur, agnoscat, ac prosequatur amore, a quo, docente Seneca, dum ponuntur sapores in pomis, odores in floribus, in lapidibus colores, usque ad delicias amamur.

Hoc igitur pacto honesta laudabilique oblectatione afficitur sapientis oculus, dum Cochleas recognoscit, miraturque singulas, quamvis in eadem specie numerandæ sint, propriis quibusdam lineamentis a cæteris differre, ut stella differt a stella in claritate. Attamen admiranda hæc Naturæ opera, quàm hominum pauci recognoscunt! Satis enim comprobatum est: *Ab assuetis passionem non fieri*, ut inquit Philosophus, & cum omnia condita fuerint in hac Rerum Universitate, ut (docente S. Basilio in princip. Parab. Salom.) *ad veri, ac solius sapientis cognitionem facile penetremus*. Conditoris tamen obliti, ejus miracula non celebramus. Quod si miracula dicenda non sunt omnia ea, quæ in hac rerum Natura existunt, ex eo provenit, ait S. Augustinus, *quia fiunt continuato quasi quodam fluxu labentium manantiumque rerum ex occulto in promptum, atque ex promptu in occultum, usitato itinere transeuntium*. Undè admiratio non paritur, si segetes è mortuis seminibus quotidie efflorescant, ingens verò excitatur, si cadaver in tumulo reviviscat, *non quia hoc sit majus, sed quia rarum*, inquit idem S. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 6.

Hæc libuit superioribus dictis adnectere, ut voluptas cognitionis Animo pariat utilitatem, indèque arguatur; Quàm pulchra, quàm delectabilis visu inexausta mens illa sit, qua infinitæ rerum species comprehenduntur, si parvæ, & quidem non inter omnes pulcherrimæ, intuentium oculos, animumque adeò delectant? Verum nè vasto in Oceano felici quodam naufragio mens mea deperdatur, vela hic Colligam, & Cochleas iterum oculis subjiciens, quidquid menti suggerunt proferam, certè philosophica indagine dignum. Sed antequam varia Problemata proponantur solvenda, quò magis obvia, eò difficiliora, humanæque mentis activitatem prorsus excedentia; de Coloribus, quibus Cochleæ pinguntur, aliquid delibabimus.

CAPUT XI.

Undè nam oriatur diversitas Colorum in Cochleis.

OCcultis profectò, & prorsus nobis ignotis legibus inscribuntur Conchylia, quæ a muscæ notulis musica dicuntur, occulto etiam artificio asperguntur Venereæ, signantur Turbines, & variatur colorum apparentia in Nautilis, & Unionum matribus, sicuti occulta arte Flores, Fructus, Gemmæ, ac Metalla colorantur. Quamobrem Bellonius post diuturnum, & laboriosum examen in hæc verba prorupit, nempè, *de colore forma, & substantia dicere possum, quod eos viderim sæpius, undè veniant non sat dicere possum*. Imò Plato ipse. *Quò autem mensuræ modo*, ait, *singuli colores singulis misceantur, etiam si quis noverit, narrare prudentis non est, præsertim cum nequè necessariam, nequè verosimilem de his rationem afferre ullo modo possit*.

Attamen sicuti non otiosè oculos mentemque defigimus in rebus iis, quæ in hoc Naturæ Theatro proponuntur, & laudabili studio, considerare cum D. Hieronymo possumus flores, Lilium cum Nisseno, cum Tertulliano Pavonem inter aves ob plumas præclarum, ita non audaciæ, sed laudi tribuendus est conatus ille, quo rationem inquirimus in tenebris omninò latentem, inter quas semita aperienda est mentis face, a veritate probabili nobis communicata, illorum instar, qui metallorum fodinas ad thesauros eruendos magno cum vitæ discrimine perscrutantur, luteasque glebas, ut plurimum manibus pertractant. Fœliciter erramus, inquit Aristoteles, quando cum errore aliquid verum assequimur, ita non quæcunque procellosa maris agitatio navibus nocet, licet a litore quæsito eas removeat, si ad ignotas terrarum plagas apulerint, ubi novos mores Incolarum agnoscant Nautæ, novisque mercibus redeant in Patriam onusti.

Li-

Licet igitur veram claramque rerum cognitionem assequi non sperem, ubi Increatæ Sapientiæ lumen ignorantiæ tenebras prorsus exterminat; in hac caliginosa gymnade, in qua versamur, colorum inquisitionem pro mea tenuitate, quæcunque illa sit, hoc pacto aggrediar.

Primò suppono duplicem colorum speciem Cochleis inesse, sicuti etiam, in Gemmis, Opaci videlicet, & Diaphani sivè Perspicui. Uterque autem, vel eis realiter inest, etiam absente luce, vel solùm apparens est, cum lux affulget, & pro diversa lucis intensione color variatur, ut videtur in gemma Opalo, & in testa præcipuè Nautili, in quo, ut in Iride notavit Seneca quæst. nat. lib. 1. cap. 3. *videmus aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cærulei, & an dissimiles colores sint scire non possis, nisi cum primis extrema conferas*. Hujus coloris perspicui examen Opticæ disciplinæ relinquo, ut colorum tantùm originem, qui sinè ulla lucis mixtione corporibus insunt, recognoscam.

Septem verò sunt Colorum species, juxta Philosophum lib. de sen. & sensib. cap. 4. art. 3. num. 10. Niger nimirum, sub quo comprehenditur Fuscus, siquidem Fuscus est quoddam Nigrum, Albus, Flavus, Puniceus, Purpureus, Viridis, & Cæruleus, qui colores consistunt in quadam mediocritate inter album, & nigrum. Reliqui colores componuntur ex mixtione horum septem. Alii verò ad mixturam colorum, eorundemque secundum naturales gradus genesim. Quinque præcipua eorum genera pro fundamento ponunt. Album, Flavum, Rubrum, Cæruleum, Nigrum, quorum mixtura omnes alii intermedii, quorum non est numerus enascuntur.

Albus nigro ad æqualitatem partium commistus nullum alium præterquam cineritium parturit, cum niger albo mistus semper subalbidum quiddam obscurum producat, usque dum totus albus color in manifestam nigredinem, vel niger in albedinem superiniecta semper uberiori nigredine, vel albedine convertatur, sed ad alios progrediamur.

1. Albus, cum flavo subflavum albo vicinum, flavus verò cum rubro aureum sivè fulvum. Ruber cum cæruleo Purpureum, & cæruleus cum nigro subcæruleum nigro proximum producet.

2. Albus cum rubro producet colorem quem *Incarnatum* dicimus, & ruber cum nigro subrubrum ad nigredinem vergentem.

3. Albus cum cæruleo proferet colorem cinereo similem, flavus verò cum nigro fuscum.

4. Flavus cum cæruleo producet viridem colorem ex omnibus intermediis constitutum, quem ad Homines, & Animalia oblectanda videtur Natura composuisse.

Atque ex hac quadruplici colorum combinatione omnes componuntur colores, qui nunc remissius nunc intensius ad eos revocantur, quorum quique nomenclaturam suas ex rebus quas colorant videlicet ab Elementis, à Nubibus à Mineralibus, Metallis, Herbis, Floribus, Volucribus, Piscibus, Reptilibus, & Insectis sortiuntur.

Qui plura desiderat legat in Tractatu quem Parisiis edidit de coloribus anno 1613. Ludovicus Savottus.

His prænotatis adjungo, quæ in lib. 5. de Generat. Animalium Aristoteles indicavit, circa multicolorem eorum apparentiam. Dividuntur igitur Testacea omnia sicut Animalia cætera in Unicolora, Vesicolora, & Varia. Unicolora sunt, quæ quoad omnia individua speciei sunt unius coloris. Ex. G, Conchæ mergaritiferæ in parte interna semper margaritarum colorem ostendunt, altera Nautilorum species lacteam albedinem habet, altera colorem opalo gemmę similem. Animalia Versicolora, sed unicolora sunt, quorum totum corpus est unius tantùm coloris, sed quædam Individua sunt unius coloris, quædam alterius. Diversitas hæc videtur præsertim in Pectinibus; quorum aliqui albi sunt, aliqui rubei, aut fusco colore saturati. Animalia varia sunt, quorum corpora sunt varia, ita ut secundum unam partem sint unius coloris, secundum aliam sint alterius coloris. Rursus Animalia varia subdividuntur in duas Classes. In prima Classe continentur, quæ sunt varia secundum totum genus, itaut omnia individua generis, aut speciei sint varia. In secunda Classe continentur ea, quæ non sunt varia ex toto genere, sed solùm secundùm aliqua individua. Hæc lege adeò immutabili colorantur, ut aliquando, vel circumstantia loci, vel temporis, vel cibi, diversum colorem induere non possint. Quamobrem cum eodem Philosopho notandum est frequentius colores variari in Animalibus, quorum species continet aliqua individua unius coloris, & aliqua alterius coloris, quàm in Animalibus unicoloribus, hoc est quoad speciem determinatis ad hoc, ut secundum omnia individua sint unius tantùm coloris, ex ea potissimum ratione, quia cum species est indifferens ad plures colores, etiam ejus individua possunt esse indifferentia, adeòque ex uno colore possunt transire ad alium, qui non repugnat speciei, sic ex albis fiunt nigra, vel ex nigris alba, & ex albis partim nigra partim alba. Ex oppositа ratione Animalia Unicolora determinata ad hoc, ut secundum omnia individua speciei sint unius

coloris, non poſſunt mutare colorem, niſi rarò ex aliquo morbo, vel ex aliqua extraordinaria portione, adeòque viſa eſt Perdix alba, Urſa alba, Cervus etiam, & Paſſer albi, & Florentiæ Leucoæthyops Sereniſſimo Æthruriæ Duci à Genuenſi Senatu donatus.

Quibus poſitis, dicendum eſt, colores, quibus Conchyliorum teſtæ ſemper pinguntur, itaut nec eorum ſitus nequè figura varietur, exigi ab aliquo principio intrinſeco, eoſque producente; ſicuti lux, & calor à Sole producitur: non verò fieri mera qualitatum combinatione, à qua *quidam Naſutuli*, ut ait Boetius in Libro de Gemmis, *omnium rerum cauſas venantur*, & cum immediatas, & veras ſcrutari neſciant, generi-cis quibuſdam vocibus, & ut plurimùm falſis, ſuas ſententias fucatas proferunt, nè tacendo ignorantiæ dedecus patefiat. Qualitates cæco agunt modo, nec artem poſſident, qua conſtanter, & eadem ſemper emanante influxus periodo, colores diſponant, ita ut roſæ, circuli, teſſellulæ, ſexcentæque aliæ maculæ repreſententur, non fortuita pennicillorum combinatione, ſed ſtudioſa peritia, qua multicolores redduntur Avium plumæ, viridia arborum folia, & candidi calyces Liliorum.

Nec è patrio luto Animalia, teſtis incluſa ad nobilitatis faſtigium immeritò attollimus, quid enim mirum ſi hæc poſſint, cum nomine Potentiæ ſummæ, ſummæque ſapientiæ Teſtacea operentur. Naturæ enim Conditor, qui omnibus præeſt rerum ſenſibilium actionibus velo quodam obtegitur; mereturque Epigraphem, quam Planetarum Principi, Mari, Terræque dominanti, quidam aptavit, cum ſcripſit: AB UNO.

Concurrunt quidem in pictoria hæc arte alia multa, e quibus, ut ita dicam colores exprimuntur, & multicolor tinctura exugitur, ideò Uniones, qui à mari Britannico generantur non æquè albeſcunt, ac Margaritæ orientales Sinus Arabici, & Purpura Cypria magis rubeſcit, quam ea, quæ in mari Adriatico nutritur, ſicuti Purpuras in mari Aquilonari nigreſcere, in Auſtrali, ut plurimum rubras eſſe, in Orientali verò, & Occidentali lividas ex Ariſtotele accepimus. Docet deindè idem Philoſophus duplici ratione variari poſſe colores in eodem ſubjecto, vel quia in ejus generatione alterari nimis poſſunt humores, mutarique temperies, quæ ad talem colorem ſubjecto inducendum exigitur à Natura, vel ex diverſo potu aquarum, quæ, ſi calidæ, candidum colorem inducunt, ſi frigidæ, fuſcum, ex ea potiſſimùm ratione, quia cum calida multæ particulæ aeris miſcentur, ex quibus candor provenit, ut apparet in ſpuma ex aqua, & aere compoſita. Verùm rationem hanc Ariſtotelis ad trutinam non revoco. Illud affirmare indubitanter placet, quod experimentis ſatis evidentibus roboratur. Colores videlicet non paucos à diverſitate humoris, quo Animalia nutriuntur oriri, rurſumque variari à diverſa eorum caloris Coctione, ſic Mitulorum caro, ſi coquatur igne, e pallido colore in vitellinum tranſit.

Quod ſi Pili, Plumæ, & Pelles Animalium ab eorum excrementis proveniunt, ut Ariſtoteles ipſe docuit, confirmatur quod diximus. In cute enim Cochlearum teſtacea colores præcipuè apparent, non aliundè profecto multicolori, & varia, niſi ex variis humoribus, quibus nutriuntur, ſicuti ex multiplici cibo magis multicolores ſunt Veſpæ quàm Apes, inquit idem Ariſtoteles 5. de gener. cap. 6.

Cum Oceano miſceri hanc diverſam humorum temperiem arguere poſſumus è Coralliorum præſertim diverſitate. Inveniuntur enim alba, nigra, roſea, & purpurea, & quidem non in diſtincta maris plaga, ſed ex eodem lapide aliquando conjunctim nata, certè ex diverſitate humorum, quorum ſedimentum ad diverſos Coralliorum ceſpites ſemen poſuit, præbuitque alimentum, ut fœliciter in propria ſpecie ſinguli germinarent. Hæc verò humorum neceſſariam ſeparationem tum accidere probabiliter mihi perſuadeo, cum maris æſtus non adeò fervet, & magis frigeſcit, ſicuti videmus Balſamum Ægyptiacum dictum *della Mecca*, aqua calida diſſolvi, penituſque miſceri, eadem verò frigeſcente ſeparari in globum condenſatum.

Iſtam verò tincturam ab exhalationibus, & mineralium corporum ſpiritibus provenire judicant multi, cum tingendi vim habeant; nonnulli ex varia Elementorum coctione illam deducunt; plerique verò ſalinis corporibus, vitrioli, & aluminis adſcribendam eſſe exiſtimant, quibus omnia Corpora ſaturantur, & potiſſimum ſalis ammoniaci, cui inſitum putant colorum omnium ſeminarium, qui in ejuſdem fumo, cum ſublimatur igne, manifeſtè apparent. Sed ne ab inſtituto noſtro diſcedamus, harum opinionum examen ommitto. Ad Lucernam enim Cleantis in abditiſſimo terræ antro labore improbo mentem damnaremus otio jucundo privatam, quo in maris litore ad animi relaxationem minimè vituperabilem cœpimus feriari.

Suppono igitur cum Agricola miſta eſſe cum aqua maris ramenta plurima mineralium, & particulas ſalium, nitri, & aluminum, quæ quidem agnoſci poſſunt, præſertim ſublimatione in fornace ſpagyrica obtenta; ex qua diverſorum corporum miſtione neceſſariò diverſitas colorum, & ſaporum naſcitur, cum rubrum Rubrica, & flavum Ochra communicet, ſicuti alios colores Rubigines, Salia, & Bitumina producunt. Hinc

aqua

aqua Fontis Tungrenſis igne ſuppoſito ebulliens rubeſcit, Aqua Nili æruginoſa apparet tempore ſiccitatis, in lacu Babilonico calidis menſibus rubet, & quamvis multæ aquæ perſpicuæ ſint, & claræ, alveos tamen diverſimodè tingunt; Hinc in fonte Theano proximo alveus rubicundus apparet, & litargirii decoctum, cum aquæ puræ infunditur, ut lac albeſcit, & condenſatur. Ex quibus ſatis arguitur Cochlearum teſtas diverſis coloribus pingi poſſe ab aquis marinis, pro diverſitate corporum, quibus ipſæ inficiuntur.

Negandum autem non eſt macularum diverſitatem poſſe etiam ab extrinſecis, & accidentalibus cauſis derivare; vel quia humiditas frigore exſiccetur, vel quia è varia caloris coctura variatur coloris apparentia, ſicuti in agro Patavino apud Imperatum lib. 5. glebæ ſunt, in quarum meditullio terra alba latet, quæ colore cianeo pingitur, ſi aeri exponatur. Ita pariter Ceruſſa ex plumbo facta flammarum vi in flavum colorem degenerat, & magis aduſta in minium evadit. Ita *ova cocta multo fiunt candidiora*, ut notat Bartolinus de luce Animal. lib. 2. prob. 4. Poma à Sole diverſimodè calefacta etiam diverſimodè colorantur, & Concharum valvas in aprico expoſitas variis coloribus infectas, ego ipſe poſt aliquot dies penitus albas inveni. Hinc Ariſtoteles Probl. de color. ſect. 38. num. 2. ad quæſitum cur Nauticæ artis ſtudioſi ut plurimum colorem rufum acquirant, reſpondet; ex eo naſci, *quia mare per ſuam ſalſedinem eſt calidum, & exiccativum, adeòque aptum ad cauſandum colorem rufum*,

Quid ergo mirum ſi Teſtacea innumeris penè diverſiſque coloribus induantur, ac ſi, licet ejuſdem ſpeciei ſint individua, & in eodem aquarum gremio generata, è diverſo ubere traxerint alimentum? Atque hæc de coloribus in genere dixiſſe ſufficiat, velle propinquius immediatas cauſas ſingulorum ſcrutari temerarium eſt. In examine rerum naturalium ibi ſiſtere prudentem Philoſophum decet, ubi ſenſuum ductu probabilibus rationibus ſciendi curioſitatem lactat, quem nonniſi ſummi Conditoris cognitione omninò explere in hac vita poſſumus. Qui jure meritò artem penitus arcanam ſibi vindicat Flores, & Conchilia coloribus pingendi, cum dicit in Pſal. 491. *Pulchritudo agri mecum eſt*; ac ſi diceret, inquit S. Mediolanenſis Antiſtes. Quis enim alius artifex poteſt tantam rerum ſingularium exprimere venuſtatem? Abditarum igitur harum rerum fibras magis intimè ſcrutentur alii, nos interim Conditoris Sapientiam in eis arguentes, Poetam Saluſt. Eubartes audiamus cum ait illum admirans.

——— *il qual le piaggie*
Di più varii colori orna, e dipinge
Che dell' Aurora il matutino volto.

Ejuſdem enim juſſa ſic exequemur, qui vult apud Laurentium Craſſum Poem. 3.

Mentre opre si belle al Mondo ſpande,
Che per eſſe ammiriam quanto ei ſia grande.

COROLLARIUM

Quæ circa colorum Geneſim in capite ſuperiori dicta ſunt, Experimentis comprobantur.

DIximus è varia ſulphuris variis ſalibus miſti concoctione varios quoque, & diverſos colores emergere. Secundò ab exalationibus, & minerarum particulis ſivè ſpiritibus; Tertiò ex ſalinis corporibus vitrioli, & aluminis provenire; Hæc autem omninò experimentis, quæ adducemus ſatis ſuperque patebunt.

Si ponantur laminæ plumbeæ in ſcypho aceto acerrimo pleno, ejus acrimonia aliquot dierum ſpatio reſolutæ in puriſſimam candidi coloris ceruſſam convertentur. Si verò hanc crucibulo igni validiſſimo impoſueris, videbis paulatim in flavedinem quandam lucidam abire, paulo poſt in herbaceum colorem poſtea in Fulvum, ac tandem in intenſum colorem rubrum, quem minium vocant, degeneratam; rurſus in nigram ſcoriam caloris ignei incremento mutatam.

Si autem quæras quomodo hic color candidiſſimus primò, deindè in rubrum, & tandem in nigram ſcoriam degeneret. Reſpondet in Mundo Subterraneo lib. 81. ſect. 2. Kircherus, hoc fieri caloris ignei incremento; primò ſiquidem acetum, ignea qua pollet acrimonia, plumbum in particulas minutas diſſolvit, quarum ſingulæ cum ſale miſtæ ſint, à terreſtribus deindè fecibus ſeparatæ, lucidiſſima corpuſcula exhibent, non ſecus, ac ſi vitrum, in minutiſſimas partes contuderis. Degenerat deindè in alios colores, ut dictum eſt, & tandem in nigram ſcoriam, quia cum partes ſalinæ albæ, ignem expertæ fuerint, ſulphur illis admiſtum in ſal flavum abit, eò quòd aduſtio particulas tranſmutet in vicinum albo colorem. At ſi ceruſſa vehementius aduratur, jam obfuſcatis corporibus ſalinis, ceruſſa ex albo, & flavo colore miſta, ſubvireſcente colore imbuta conſpicitur, quam luminis reflexio in tali diſpoſitæ materiæ combinatione exhibet. Rurſus ſi hæc adhuc

vehe-

vehementius aduratur, in flavum colorem paulatim, eò quòd materia vehementi calore exagitata juxta colorum naturalium progressum in eum colorem, qui viridi est propior degeneret: salina verò corpora, cum exhibent luminis illustratione colorem, quem adustionis incrementum secum portat, atque hoc pacto intensissimum rubedinis gradum, idest minium, tandem intensissima caloris vi producet; à quo gradu si ignis vehementius, & vehementius intendatur, videbis quod uti per luminosum colorum gradus in rubrum excrevit, ita hoc per umbrosorum colorum gradus, idest pumiceum, cæruleum, cinereum paulatim ordine deflectet, donec in nigri coloris scoriam, albo oppositam, jam omnibus spiritibus dissolutis, instar carbonum degenerat. Atque ex hisce luculenter patet, quomodo colores caloris vi in mineralibus paulatim ex uno in alterum gradatim juxta ordinem naturalis misturæ, transmutentur.

Quomodo autem salina corpuscula se mutuo destruant, & instaurent, hoc patet experimento. Si gallarum in aquam limpidam resolutarum infusioni vitriolum admisceas, ea statim in atramentum degenerabit, quod certè provenit ex combusto sulphure, quo Galla constat aquæ communicato. Si verò huic atramento aquam stygiam superaffuderis, ecce (mirum dictu) aqua atramentosa mox pristinæ claritati restituetur, eò quòd aqua stygia corpuscula gallarum sua acrimonia prorsus consumet. Si verò rursus huic aquæ jam in pristinam claritatem reductæ oleum tartari affuderis statim in atramentum reducetur, quia oleum tartari non absimilem gallæ tincturam continet. Undè pulchrum arcanum patet; Si enim in carta candida vitrioli aqua aliquid inscripseris caracteres siccati prorsus evanescent, ac mox si cartam gallarum infusioni immerseris, nigerrimo colore imbutæ apparebunt. Quas si denuò deletas cupias, id spiritu vitrioli, aut aqua stygia præstabis. Pari modo tinctura violarum cærulea, oleo vitrioli suffusa purpurascit, cui si guttas aliquas spiritus corni cervi affuderis, color purpureus in viridem continuò vertitur.

Quæ omnia dependent à varia differentium corporum constitutione, quæ cum variis, & differentibus salibus variè tingentibus turgeant, ita quoque varias colorum transmutationes admittunt.

CAPUT XII.

De Vario Testaceorum Usu.

QUidquid rerum omnium Conditor oculis Mortalium subjecit, non ea solum de causa factum esse dixit Apro S. Paulinus Epist. 5. de Resur. *ut ex iis carnalia emolumenta capiamus, sed etiam multo magis spiritualia perlegamus*. Et rationi valdè consonum est, inquit Tertullianus, quod cum homo spiritu constet, & carne, utrique ejus parti fuerit abundè consultum. Hinc totus Terrarum Orbis veluti vasta Bibliotheca animo est, ut in ea erudiatur, corpori verò tanquam ditissimum Penu, quo indigentiæ satisfiat. Quare D. Bernardus in Ps. qui habitat serm. 14. *Quanta*, inquit Deum alloquens; *largitus es ad sustentationem, quanta ad eruditionem*! Quamobrem sicut olim ad sustentationem Eliæ Corvi dapiferi extiterunt, juxta illud 3. Reg. 27. *Corvisque præcepi, ut pascant tibi*; ita pariter omnibus rebus præceptum posuit, ut nobis utilitati essent delectando scilicet sensus saporibus, odoribus, coloribus, & cantu; dando carnibus cibos, ossibus arma, pellibus vestes, plumis ornatum, tincturas sanguine, medicamina succis, margaritis divitias. Nec minus quàm cætera omnia Conchyliorum Species afferunt homini utilitates, quas recensebimus. Possent hìc numerari innumeri penè modi, quibus Medicinæ facultati prosunt; sed illos data opera ommittimus nolentes transcribere, quæ fusis narrationibus Alii suis in paginis posuere. Quærat curiosus Lector apud Dioclem Caristium, Galenum, Mattiolum, Cornelium Celsum, Plinium, & Dioscoridem.

Medicamentis, quibus vel ex testarum attritu, vel ex carnium coctione utuntur Pharmacopolæ in medicinæ subsidium longè nobiliores sunt usus, qui cæteris facultatibus præstantur à Cochleis; Ante omnes ille sciendus est, quo rebus omnibus anteponuntur, cùm loco pecuniæ adhibitæ rerum omnium pretium æquant, easque producunt virtute quadam ab hominum arbitrio accepta, unde Aristoteles Probl. de prud. sect. 30. notavit multos alioquin prudentia præditos, ideò summè avaros esse, & pecuniæ tenaces, quia ea quidquid sibi libuerit facilè consequantur. Propè Regnum Congianum ubi flumen, Coanza dictum ab Incolis, ex lacu, è quo Nilus originem trahit, excurrit in Oceanum, adjacet Insula, cui nomen *Loanda*, vulgo *Paese Raso*, *esenza Monti*; parum enim eminet supra mare, mille quidem passibus lata, viginti verò millia passuum in longum extensa. Hæc

igi-

igitur dici potest copiosa monetarum fodina, quibus populi Congiano Regi subjecti auro argentoque prædivites utuntur in commerciis, loco pecuniarum præbentes Cochleas, quæ referente mihi oculato teste, sunt parvulæ Venereæ, quas num. 233. Classis 3. indicabimus. In Regno pariter Tobuti, quod affluit fluvius, *Nigir*, sivè *Senega* dictus, Cochlearum testæ ex Persico Mari acceptæ loco monetarum habentur. In Regno Bengalensi illæ sunt, quas Itali nominant *Porcellette*. In quadam Philippinarum Insula Venereæ, num. 247. descriptæ, expenduntur. Quæ omnia à PP. Societatis Jesu Missionariis relata mihi sunt. Insuper Joannes Rho in Examerone Orat. 37. num. 49. de aliis narrat pecuniæ loco habitis ab Incolis Capitis Viridis. Undè falsum redditur vetus Græcorum adagium, quo Concha vilius esse significabatur quidquid nihili faciendum putabant.

Hinc ad alios peculiares Usus transeamus. In Insula Goana, & Ollandiæ regionibus Conchyliorum testæ igne perustæ, uti lapides, calcem subministrant ad ædificia extruenda, quæ tamen imbribus facilius dissolvitur Philip. à S. Trinit. itin. Orient. lib. 7. cap. 7. In Orotingana Regione loco ligonum Pinnis magnis utuntur Rustici, Olaus magnus pag. 203. Georg. 2. & vitibus varia Concharum genera fertilitatem addunt, dicente Virgilio.

— Quacumque præmes Virgulta per agros
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra,
Aut lapidem bibulum, aut squallentes infode Conchas.

Eas verò ad nobiliorem usum Ars militaris accepit (Gio. Boem. nè costumi delle Genti En. 11.) belligeros spiritus ciens apud Incolas Insulæ Cumanæ in Animis militum Buccinis loco Tubarum, ut olim apud Romanos cum

Buccina jam priscos cogebat ad arma Quirites.

Prisci Homines antè Tubam inventam utebantur, aut fumo, aut Cochlea marina. Tritones aliqui fabulantur Concha perforata buccinare Scholiast. Homeri Iliad. 6. Plinius jam Concha canentem Tritonem dixit, & Virgilius de Misseno Tubicine.

Sed tum forte cava, dum personat æquore Concha.

Accepto fortasse à Piscatoribus documento, quorum mos est apud plurimas Nationes sonitus buccinis reddere, antequam piscari incipiant, ideoque dicti sunt Conchitæ, & Conchiliarii à Plauto, cum ait: *Salvete fures maritimi Conchytæ, atque Namiotæ, famelica hominum natio, quid agitis?* Dubium autem est an sonos edant, Pisces alliciendi gratia, sicut ad ovilia vocatur Pecus, vel ad venatum canes extimulantur, sivè potius animi relaxandi, ut apud Incolas regionis indicæ, quam dicunt Xaguaguara, mos est lyræ loco Ostreorum testis invicem repercussis ad numeros sonum edere, quo choreas, & tripudia solemniter ducant. Græcos olim gavisos margaritarum sono refert Plinius lib. 9. cap. 3. subeunt, inquit, luxuriæ ejus nomina, & tædia exquisita perditiore portatu: siquidem quum id fecere crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, & collisu ipso margaritarum: in Insula, cui nomen S. Marta non solùm parietes ornantur juncorum, & palmarum storeis, margaritarum lineis distinctis; sed ad cubilia, & domorum januas Concharum copiam appendunt, quibus à ventorum flatibus agitatis sonus reddatur (Petrus Martir. lib. 4. dec. 3.) In quadam Hispaniæ plaga maritima fistularum vices supplent aliquæ Cochlearum species in longum turbinem convolutæ. Apud Romanos Senatorum suffragia loco schedularum Conchulæ referebant in foro, cum de morte, vel vita captivorum decernebant (Didimus apud Athenæum) Imò magno pretio illas mercari solebant, quarum purpureo succo vestes tingebantur, parvi habentes multorum vitam, cujus discrimine obtinebant paucas coloris guttas, quibus luxum, & fastum lactabant, illum ostentando in vestibus, subditis interim exosi, ut Alexander Persica veste clamydatus, summis autem in amoribus habitus, cùm Græcorum more modestè indueretur.

Saniùs quidem Conchyliis usi fuere, ut alibi diximus duo illa Romanæ Reipublicæ decora Lelius, ac Scipio, cum solebant Conchas ad Cajetam, & Lucrinum legere, & ad omnem animi remissionem ludumque descendere. Authore Polluce ludi genus est, quo ducta linea dispertitos in partes pueros dividit, mox projecto Ostraco sivè testa, pars, quæ supinum pronumque ejus casum divinarit, alteram in fugam dilapsam insequitur, deprehensus considet (asinum nominabant) repetitque cantionem *nox an dies?* Lusum istum apud Hollandus etiam. num in usu esse scribit Nomenclator, vocarique ibi *Luysen est noppem*, sivè *Nol of bol*; quod est *Planum ne an Cavum?* Præter hunc alterum refert, quo Conchæ supra stagnantem aquam vehementer jaciuntur, & victor dicitur ille, cujus Concha aquæ superficiem leviter tangens, plures saltus ediderit, antequam, cessante motu, demergatur in aquam. Ex hoc autem puerili ludo posset quis innumeros penè circulos observare in aquarum superficie formatos, rationemque excogitare: cur semper factis novi succedant, unumque alter quodammodo insequatur.

Co-

Come i Delfini, quando fanno segno
A marinar coll'arco della schiena
Che s'argomentin di campar lor legno.

Quando Concha vix aquam abradens (Sil. Ital. de bello pun. lib. 13.)

Exiguos format per prima volumina giros
Mox tremulum vibrans, motu gliscente liquorem
Multiplicat crebros sinuati gurgitis Orbes:
Donec postremo laxatis circulus oris
Contingat geminas patulo curvamine ripas.

Sed recensere quis poterit quot modis mechanicæ Facultates Cochleas adhibeant? Ex ipsis plastica arte conficere Porcellanam præcipuè in Kiansi provincia Sinarum scripsit Pancirolus ibi enim testas minutatim concisas sub terra in locum aliquem secretiorem recondunt, quem Pater liberis suis designat, atque ibi octuaginta annos manent occultæ, quo tempore elapso, filii, vel nepotes eas eruunt ad pretiosa illa vasa conficienda. Conficiuntur autem, inquit Jo. Linscot. c. 25. navigationem Orientalem describens contra Pancirolum, ex durissima terræ specie, quæ cisternis injecta maceratur, donec duritie devicta, sæpèque versata, quemadmodum apud nos agricolæ lac in butirum exercent, in summitate materiam excernant, ex qua subtilissimum opus fit. Ex iisdem pariter bene contusis, & maceratis conficiuntur Intrita, in quibus cameorum cælaturæ impressione representantur. In Brasilienſi Provincia imberbes aliqui inter agrestes populos capillum subnascentem Conchulis interceptum detondent, quas è collo pendulas ad istos usus circumferunt. Cochleam quam numero nono Olearíam dicemus solebant Veteres in usus quotidianos oleum haurire, vel ea oleum decapelare, cujus figura ad id percomodè quadrat. Hujusmodi etiam, sicuti & testam Nautili Aurifices, additis ansa, & basi, in urceos efformant eleganti artificio, quòd eam contra venena aliquid valere credant. Multæ etiam ustæ dentifriciis conficiendis sunt utilissimæ.

Apud Ægiptios Cochleis Venereis utuntur mulieres, & eisdem ornamenta quædam linea in amylo aqua diluto, lota, deindè exiccata poliunt, adeò ut splendeant. Eisdem Itali, atque Græci, & Turcæ chartas levigant, quod & Plinius olim factitatum fuisse memorat, & Martialis cum ait lib. 3. cap. 12.

Lævis ab æquorea cortex Mareotica Concha
Fiat, inoffensa curret arundo via.

Ideòque à nonnullis levigatoriæ, vel levigatæ dicuntur. Hujusmodi Conchis, ex Mari Rubro acceptis, onerantur Cameli, eisdem appensæ Claves non solùm in Europa, sed in nova Hispania gestari solent. Has Aurifices in duas partes secant, & Cochlearia conficiunt, hoc vocabulo expressa, quia fiunt ex Cochlea: ex multis vascula illa conficiuntur in quibus Tabacum servatur. Has equorum frœnis, & phaleris nonnulli accomodant, aliqui manubria armorum, baculorum aliorumque instrumentorum confecerunt. In Urbe, Bengala dicta, ab Indis è Conchis Margaritiferis in crustula dissectis scrinia, & belli instrumenta miro artificio exornantur. Concha, quæ num. 2. Clas. 3. describitur coquinariæ arti inseruit, in quadam Insula Philippinarum ad omnia ciborum genera elixanda. Inveniuntur enim in eo mari adeò capaces, ut earum moles trecentarum librarum pondus exæquent, sicuti aliæ innumeræ parviores Pictoriæ arti colores, & pigmenta conservant.

Cujus autem calamus ad vivum posset hìc explicare quot ornamenta fontibus, parietibus, & statuis addant Artifices ingeniosi? Adeat curiosus Criptam, quæ Varsaliana dicitur propè Parisios, quam splendida Regis magnificentia, & studiosa Architectorum industria præclaram ornatibus effecerunt. Ibi miros aquarum ludentium fontes, ibi Phebi ad vivum expressam imaginem videbit in marmore post emensa Cœli spatia inter placidas limpharum undas laboris levamen sumentis; ibi anhelantes ejusdem equos sitim restinguere, omnia verò lapillorum Concharumque musivis operibus exornata, vel columnis Cochlearum more contortis, vel Encarpiis ex ipsis Cochleis concinnatis, sivè in phrigia ornamenta minutis conchulis distributis, sivè in Tritonum simulacra coaptatis, pluribus quidem, sed omnibus ingeniosis modis inter multicolores lapillos ad ornatum disseminatis.

Nec omittendus hic est pius usus, in quem multorum religio easdem convertit, conservando scilicet lustralem aquam in templis, ac domibus, fabricando earum testis globulos, quibus preces solent nuncupari, quos vidisse se narrat Joannes Rho, aureis filis elegantissimè intertextos, à Pervano Regno Summo Pontifici Urbano dono missos, compositum pariter præclara arte ex innumeris Conchyliorum testis Altare, quod fusè per partes hìc Auctor describit. Ornamenta insuper elegantissimè concinnata sacris imaginibus addi in aliquibus Belgii templis ex oculatis testibus accepi. Sicuti apud Britones Galliæ Populos à Sanctimonialibus quibusdam, omnis generis minutissimæ conchulæ tali arte disponuntur, ut flores vernantes referant, coloribus variis picturatos. In eadem Provincia Patres Capucini ordinis S. Francisci in Conchis, quæ Auriculæ dicuntur sal servant in mensa.

Illis

Illis utuntur pauperes incolæ in Oris; quarum nomina dicimus Curianam, Urabam, & Xaguaguaram, ad verecundiæ munimem, non secus, ac Adam, & Eva post innocentiæ jacturam consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata (Petrus Martir. lib.4.dec.3.) Alii ad pietatem significandam, qua longas itinerum peregrinationes susceperunt, ideòque Conchæ, Pectines dictæ à Latinis, vulgò appellantur *Cappe Sante*, *& Cappe di S. Giacomo* ab usu Peregrinantium, qui eas dorso, & Pectori appensas ferunt, cum ad eum venerandum Galiciam proficiscuntur, morem aliquorum hoc pacto damnantes, quorum olim superstitiosa Religio, postquam eas Dianæ, Venationis Deæ tutelari, sacraverint tanquam amuleta Canibus appendebant, ut inquit Gratius inter Veteres Poetas non ultimus de Venat. vers. 400.

——— *collaribus ergo*
Sunt qui lucifugæ, cristas inducere malis
Iussere, aut sacris conserta monilia Conchis.

Non minus quidem damnandi, quam Trogloditarum fœminæ, quæ ut amulæta inter ubera gestabant, aut illæ, quæ parvulas, & candidas venereas, uterinos calculos à figura dictas, tanquam uteri morbis salutares pectori appendunt, seu verius dicam luxuriæ superbiæque prætextus est, quæ ut hæc, & alia ornamenta, ceu valetudinis gratia, auro argentoque inclusa ostententur, efficit, amatorum potius illiciæ, quam sanitatis tuendæ instrumenta, aut amuleta morborum.

Laudabili autem usu in Stemmatibus ostentantur, vel argento, vel auro, vel coloribus cianeis decoratæ, vel fasciis purpureis distinctæ, vel aureis Zonis circumseptę. Collocantur etiam inter Aquilas, & Leones, Animalium Principes, ad celebrandas, vel Prosapiæ dignitatem, vel longissimas per Terrarum Orbem excursiones, vel in mari classicas pugnas, quas abundè relatas agnoscet curiosus Lector in cap. 30. Voluminis, quod Marcus de Vulson eruditè conscripsit. Eadem è cœno, ubi vilia natalia sortiuntur ad nobile fastigium evexit inclitus Galliarum Rex inter Ludovicos XI. cum Equites S. Michaelis dictos, aureo torque insignivit conchis simul connexis efformato, additoque numismate, in quo S. Michaelis imago Tartareum Draconem vulnerantis videbatur, revocans hoc ritu in omnium memoriam Pietatem Caroli Septimi Regis erga eundem Archangelorum Principem, cujus patrocinium sibi spondens, imaginem in vexillis ostentando, victorias Terra Marique ex hostibus se relaturum sperabat, ut retulit, cum illum apud Aurelianensem Urbem sibi, & Galliarum incolumitati in aere dimicantem vidit (Scev. & Luis de Sain. Marth. Hist. de Franc.)

Nec tacenda est utilitas præcipua, quam ad corpora sustentanda suis carnibus afferunt Testaceorum plurimæ species. In Provincia, Curtana dicta, apud Pariam conchis, & Ostreis, ut plurimum vescuntur Incolæ, licet leporibus, & cuniculis maximè abundent (Hieronym. Gilius lib. 16.) Aliqui Populi, referente Strabone, Ostreas in Piscinis nutriunt, ut mensis parandas facilè inveniant. Cui autem latet quanto apud Romanos essent olim in pretio? In hoc præcipuè damnandos, quòd Providentiæ ordinem evertentes, Gulæ, & Vitio illi darent, quæ ad vitæ sustentationem abundè condita è mari piscabantur. Multi enim ad venereos stimulos addendos illis utebantur. Aetio docente omnia Concharum genera talem virtutem continere, à Poetarum commentis indicatam, cum asserunt Venerem, vel natam in concha, vel in concha cimbæ loco, Ciprum profecisse. Plerique verò, ut gulam explerent, Lucullo non absimiles, qui lautissima cœna dies omnes claudebat, omnium Elementorum tributis comparata, sivè, verius dicam, Trisauci Cerberi, & Geriones triplici abdomine ventricosi semper expetebant, quas vocabant Viduarum cupedias ad saporis præstantiam indicandam, pretio licet enormi comparatas (Celius Rodigin. 27. lect. cap. 23.) Quamobrem Seneca lib.24. ep. 11. in turpe hoc gulæ vitium invehens: *Quantum* (ait) *ex tot Conchyliis tam longè advectis per istum stomachum inexplebilem labitur?* Quibus malis, ut mederetur Respublica, Lex Scauri, & Populi Censorum fuit, Conchyliorum usum prohibens cœnis, ac ea ferenti pœnas perscribens.

Ad memoriam hìc revocantur nunquam satis damnandi mores, quibus eisdem utuntur fœminæ. Varios autem illarum usus recensere quis potest? Capitis satis licet concinnato, & cirrulis floribusque abundè calamistrato Cochleas addunt, in fimbrias, in tenias, & cristas circumponendo, *nec putant onera*, ut inquit Ambrosius, *si pretiosa sint*. Ex iisdem, & gagatarum globulis multæ monilia, & cingula contexunt, præsertim viduæ, Rondeletio narrante, apud Gesn. 629. quæ luctus tempore nonnisi nigris candidisque ornantur. In Insula Cumana ex Conchis Monilia, & ex Cochleis corollas, & armillas pauperes fœminæ sibi comparant, ex margaritis verò ditiores: in Brasilia Barbarorum fœminæ circulos è buccinis dissectos bracchiis aptant, ita ut membris hinc inde intumescentibus nunquam extrahi amplius possint, aliquæ autem auribus, labris, genisque perforatis appendunt. Ex Epistola P. Petri Martini, quàm retulit P. Gobien in Actis eruditorum Trevoltii impressis accepimus in Ora Piscariæ Mercatores Ollandos à Piscatoribus Buccinas emere, quas

patrio idiomate Xanxus appellant, easque ad Regnum Bengalense transferre, ubi ex illis plures circulos demunt, quos bracchiis, & cruribus Barbarorum Fœminæ tanquam Armillas ad ornatum aptant. Apud Gallos in Urbe Agde lineas formant, referente Fabro, *quas gaſtant ad pompam, & decorem*. Eis utruntur in fucis Græcorum mulieres, in ſucco pomi citrii diſſolutis, & ſublimato, vel adipe gallinaceo permiſtis: ſic enim facies ſplendidiores, & candidiores effici putant. Verùm omnium amores ſibi vindicant Margaritæ. Nec ſolum Columbus hoc agnovit in Inſula, cui nomen Gratiæ dedit, ubi poſt diuturnos in mari labores, & vitæ diſcrimina primùm appulit, Americanas Regiones inviſens, cum magnam vidit Margaritarum copiam à nigris fœminis pectore brachiiſque nudatis oſtentari. Fœminarum faſtus, & vanitas cum ipſis nata, delicias Margaritarum huic ſexui in Mundo muliebri veluti præcipuum Elementum recenſet, & mulieres ſe non putarent, ſi Margaritis carerent. Nonne, & Iſaias cap. 3. verſ. 23. in Mundo muliebri eas recenſet? Illis utuntur quamplurimæ non pudicitiæ tuendæ, ut Puellæ Bengalenſes, quæ contra violentos ſatis munitæ ubique incedunt, ſi candidis margaritis ornentur; ſed ut amatori potius ſint incitamento, & venalem ſuam pudicitiam hac edera produnt, dum pulchriores judicari ſtudent, ſi tamen pulcha dicenda eſt, ut cum Tertulliano loquar, de habitu Mulier. cap. 53. mulier, habitu meretricio velata, quo potius oſtentantur corpora, quam veſtiuntur inquit Solinus. Longis Margaritarum lineis collo pluries circumductis vanitatis mancipia efficiuntur, *quarum tamen licentia*, ait Seneca lib. de benef. cap. 9. *non ſatis viros ſubjecerat, niſi bina, ac terna Patrimonia auribus ſingulis pependiſſent*. Fuit olim amentiæ pompa, *cùm veriore luxuria, quàm triumpho* (Plinii verbis utor lib. 17. cap. 3.) Pompei imago Margaritis gemmiſque teſſellata Romanis Civibus ſpectanda exiſtebat in foro, verùm longè majorem fœminarum ſtultitiam dixerim, cum eiſdem onuſtæ incedunt, in quavis corporis parte eas oſtentantes, ut olim Lolia Paulina, Cleopatra, & delicatuli Parthorum Oratores, quos Romæ vidit Tertullianus de habit. Mulier. c. 5. *habentes in Peronibus Uniones*.

Heu monſtroſa Vanitatis fœmineæ deliramenta! Quæ concharum excrementis ſuperbiunt, pulchrioreſque ſe credunt. At cedo Margaritas plurimi faciendas eſſe apud homines, easque adeò pretioſas exiſtere, ut omnium amores ſibi meritò vindicent. Numquid ideò fœminarum ornamentis addendas quis dicet, magna nummorum vi, qui Natorum alimento, Familiarum conſervationi, & Populorum bono debentur, comparatas? Jure Plinius lib. 9. cap. 54. in hanc Gulæ, & Luxus libidinem invehitur, ubi ſic ait; *ſed quid hæc parva commemoro? cum populatio morum, atque luxuria, non aliundè, quam a Concharum genere proveniat? Iam quidem ex tota rerum Natura damnoſiſſimum mare eſt, tot modis, tot menſis, tot piſcium ſaporibus, quibus pretia capientium periculo fiunt. Sed quota hæc portio eſt reputantibus Purpuras, Conchilia, Margaritas? Parum ſcilicet fuerat in gulas condi Maria, niſi manibus, auribus, capite, totoque corpore à fœminis juxtà viriſque geſtarentur. Quid mari cum veſtibus? Quid undis fluctibuſque cum vellere? Non rectè recipit hæc nos rerum Natura, niſi nudos. Eſtoſi tanta Ventri cum eo Societas, quid tergori? Parum eſt niſi quo veſcimur, periculis etiam veſtiamur. Adeò per totum corpus anima hominis quæſita maximè placent*.

Hujus tamen objurgationis aculei non mari debentur, ubi Teſtacea naſcuntur, ſed eis abutenti, quoniam (docente D. Ambroſio) *nihil Natura deliquit, alimenta dedit, non vitia præſcripſit*. Hæc agnoſcens Alexander Severus, quum quidam Legatus uniones duos uxori ejus per ipſum obtuliſſet magni ponderis, & inuſitatæ menſuræ, vendi eos juſſit, qui quum pretium non invenirent, ne exemplum malum a Regina naſceretur, ſi eo uteretur, quod emi non poſſet, in auribus Veneris eos dicavit. (*Ælius Lampridius in vita Alexandri.*)

Quàm verò ſaniùs utuntur Margaritis Preclaræ illæ mulieres, à quibus in templis Altaria, ſacræque Imagines eiſdem decorantur. Egit hoc inter cæteras Diva Eliſabet Hungariæ Regis Filia, & Langravii Uxor, cum in Templo Margaritis, & gemmis onuſta patibulati Numinis effigiem plagis cruentam inſpiciens, vanitatis pertæſa, pietatemque edocta in teſtimonium pœnitentiæ, quæ fuerant Mundi, & carnis arma, malitiæque inſtrumenta, pro tabernaculi ornamentis Deo Optimo Maximo dedicavit. (Sandeus l. 4. pag. 304.

Non igitur humano Generi tam variæ, ac multiplices Conchyliorum ſpecies ad inutilem pompam Natura produxit, ſed ad laudabiles uſus, inter quos, vel unicus illam maximè commendaret, quo ejus in producendo prodigioſa fertilitas, ſivè, ut verius loquar, Divini Conditoris Bonitas, & magnitudo etiam in Rebus minimis oſtentatur.

PARS

PARS SECUNDA.

Describuntur Testacea in Parte quarta delineata.

ARduum profectò opus aggredior, & quasi in spatioso Pelago vela solvens, naufragium potiùs mentis timendum esse, quàm animi relaxationem sperandam agnosco. Ea enim est Testaceorum copia sub undis, ut deficientibus verbis, singulis vel solum nomen imponere Eloquentia desperet. *Adeò facilius est Naturæ facere, quàm homini recensere*, ut cum Philosopho loquar. Ad eorum Classes, sivè Genera solùm referenda, vel amplo volumini deficerent paginæ, & quivis calamus, licet in scribendo velox, à labore deterreretur. Ut igitur Gruis, & Vulpis cœnam non instituamus, ineptè loquendo, cùm ad animi relaxationem loquendum est, selectas Cochlearum Testas in præsentia oculis subjiciam, ne in cognoscendo animus defatigetur. Oculorum enim propria est cognitio Rerum, quæ Turbam faciunt, ut sunt Flores, Plumæ, Lapides, ac Testacea. Dividam itaque omnia in tres Classes, Univalvium videlicet, Bivalvium, & Turbinatorum, & in qualibet eorum ea in conspectum dabo, quæ diversitate Formarum, aut Accidentium notabiliter, constanterque variata in omnibus, visa mihi sunt omninò specie differre.

Privantur quidem præcipua venustate, cùm in paginis delineantur, cùm enim unicam partem semper ostendant, aliæ celantur, quibus spectabiles adeò sunt, ut non facilè, quæ nam earum sit pulchrior possit oculus definire. Imò cadaver potiùs ostenditur à calamo, dum hic negando colores, eo privat decore, qui etiam Animæ pulchritudinem in Hominum vultu depingit, amoremque allicit oculorum.

Oblectabunt nihilominùs quoquomodo expressæ, ut Lisippum monetæ, celeberrimum illum statuariæ Artis peritum, solitum ex manipretio cujusque statuæ denarios deponere aureos singulos; illum quidem, cùm sexcenta, & decem opera ab ipso facta memoriæ in monetis revocabat, nos verò, dum à singulis ingens similiem Testarum numerus à summo Opifice in amplo Oceano dispersus publicabitur, de quibus meliùs, quàm de Lisippi signis Plinius diceret *tanta omnia esse Artis, ut claritatem possent dare, vel singula*. Sunt enim, ut facies Hominum de quibus loquens in Octavio Minutius Felix: *Eadem*, ait, *figura omnibus, sed quædam unicuique lineamenta deflexa; sic, & similes universi videmur, & inter se singuli dissimiles invenimur*. In omnibus Turbinatis, ut de reliquis taceam, lineæ spiralis circumvolutiones videmus, non tamen in omnibus est totidem Orbibus producta, nec in omnibus æqualiter apparens, sed in aliquibus partim cælata, partim manifesta, in aliis supra firmam basim, quasi circa columnam convoluta, in aliis verò sinè ullo fulcro Cochleata, in his depressa, ac plana, in aliis intumescens, & sinuosa, in omnibus denique similis, & discriminatim apparens.

Describam igitur breviter in hac parte Cochleas in parte quarta calamo delineatas, ut colores præcipuè, locus ubi generantur, & aliqua earum proprietas indicentur, relinquendo quidquid pro comperto non est. Erraret profectò, qui alieno vultu calamo, vel pennicillo repræsentaret Heroem. Si pulcher est fucis deturpatur, Nec Ars, sed fatuitas ad libidinem depingit, cùm loco Cyclopis deformis exprimit venustum Achillem.

Ad eas autem significandas vocibus necessariò utar sæpius à Græcis mutuatis, nec culpabiliter à puritate Latini idiomatis receditur, cùm aliter loqui non possumus. Aliquibus enim proprium nomen non fuit ab antiquis Auctoribus impositum, vel si tribuerunt, recognosci haud facilè possunt, quia figuris non expressæ. Figuræ enim descriptionibus magno adjumento sunt; siquidem hac ratione ipsæ res velut in conspectum adductæ memoriæ, & intelligentiæ magnopere subveniunt; Quapropter Marcellus Virgilius Latinæ linguæ pariter, ac Græcæ peritissimus in eruditis Commentariis ab ipso editis supra Libros Dioscoridis, à tali laberinto recessit dicens, *nihil difficilior esse in tota hujusmodi rerum Commentatione quàm in appellationibus his concordem Veterum historiam ostendere*. Subjicio igitur breves Cochlearum descriptiones, quæ Iconibus earumdem additæ respicentium oculis non minus oblectamentum afferent illo, quo Enea ab armis sibi à Venere donatis afficiebatur, dum

Maravigliando al fin sopra lo scudo
Si ferma, e l'indicibil artificio
Ond'era intesto, e l'argomento esplora.

CLASSIS I.

Continens Univalvia non Turbinata.

UNivalvium non Turbinatorum agmen ducat Nautilus. Talis dicitur à verbo Græco *Nautilos* quo Piscis, & Nauta significantur. Ab hujus testa navicula repræsentatur eminenti puppe in se ipsa aliquantulum reflexa. E fundo Maris per aquæ superficiem velificat, membranulam miræ tenuitatis tanquam velum extendens, vespertilionum alis similem, quam duobus primis brachiis sustinet, & quatuor aliis subremigans media cauda uti gubernaculo sese regit. Triplicem Nautilorum speciem aliqui asserunt, una tamen earum à Cochleis, quæ Umbilicatæ dicuntur non differt, ideò duas tantùm species diversas agnoscimus. Qui nunc describitur ad secundam pertinere dicitur ab Aristotele, sed quia è voluntate pendet hìc ordo, illum, qui dicitur ad primam spectare n. 13. describemus. Uterque eorum cùm per mare velificat solet aqua testam implere, si quid pavoris interveniat, ut facilius demergatur, ad vitanda hoc modo pericula, ascenditque rursus testam convertens, quam humore exonerat industria admirabiliori ea, qua Navium sentinæ sordidis aquis evacuantur. Quapropter Aresius Episcopus Dertonensis eleganter illum describens ait,

Non hà ferro, ò bitume, ò tela, ò trave
Ne mai del navigar apprese l'arte
Un Pesce in Mar; e pur Nocchiero, e Nave
E di se stesso, e in qualsivoglia parte,
Che il vento soffi, egli di nulla pave
Nè fuor di sè brama timone, ò sarte.

Ab eodem Navium fabricam, navigandique artem desumptam Oppianus affirmat. Pompilium illum esse ajunt Eustatii fabulæ, conversum ab Apolline in Piscem, ideò Pompilum à Latinis vocatum. Porcellanam eum dixere Galli, eo quòd illam, ut diximus Capite XI. ex ejus testa aliarumque Cochlearum ab Indis confici existimaverint. Alii verò concham margaritiferam appellarunt, non ex fœcunditate qua Margaritas producat, ut falsò putavit Auctor Musæi Septaliani, & Bellonius, ideò à Rondeletio redargutus, sed ex colore; quo Margaritis assimilatur, Videtur enim massa quædam è Margaritis compacta, habens in exteriori facie operimentum, aut castaneo colore circumtectum, aut albo, qui primùm ametisthinum induens, in janthinum subnigrum degenerat in ea parte, quę testæ aperturam versus reflectitur. Apud Jabadium Insulam, & in Mari Sinensi generatur, ubi Ars pretium illi addit egregiis Florum, & Avium cælaturis, foliataque pictura.

2 Sub hoc numero in altero latere ejusdem aperto interior fabrica patet, quæ in triginta, ac plures concamerationes dividitur. Ex una in aliam pro libito Animal transmeare putarunt aliqui, per siphunculum quemdam, quo in omnibus aditus patet, ut in ingustiorem semper, & magis intimam stationem secedens pericula tutius evitet. Hoc suaviter ad Arni ripas cecinit Strozza dicens,

Gode egli solo un gran palagio altero
Di gemmata, e mirabile struttura
Ed hà quasi à nostr'onta, ove dimori
E sale, e stanze, e ritirate, e fori.

Verùm quia foramen illud vix subulæ exili aditum concedit, & Animal in latiori parte Testæ, ut ossibus caro, conjungitur, credendum hoc minimè est. Ad alium porrò usum Natura eas construxit, ignotum tamen, nec unquam ab Auctoribus Nautilum describentibus ad trutinam revocatum. Ego quidem, ut meam sententiam feram, ad motum inservire mihi suadeo, ut Animal facilius possit in aqua supernatare, & sub undis pro libito circumvolui, cum

Egli sol nave, & egli sol Nocchiero
I perigli del Mar scanza più volte.

Sed de his valdè dubiis fortasse alibi. Certa nunc perspiciamus Pars igitur externa induitur tunica quasi ossea castaneo colore maculata. Interior verò unionum apparentiam sivè gemmæ Opali variam ad varias luminis reflexiones exhibet, quam cum egregio Poeta Tasso observans.

—— hor azzurra, & hor vermiglia
Diresti, e si colora in guise mille,
Sic'huom sempre diversa à se la vede
Qualunque volta à riguardar la riede.
Così piuma tal'hor, che di gentile
Amorosa Colomba il collo cinge
Mai non si scorge à se stessa simile,
Ma in diversi color al Sol si tinge.
Hor d'accesi rubin sembra un monile
Hor di verdi Smeraldi il lume finge
Hor insieme gli mesce, e varia, e vaga
In cento modi i riguardanti appaga.

3 Concha, Patella dicta à Latinis, Lepas à Græcis, quasi squama saxorum, quibus semper adhæret. Multiplex illa est, sed omnes duabus classibus comprehendit Scaliger. Altera earum illas continet quarum in medio videtur prominens centrum, ut in Clypeis Umbo,

sicuti

ſicuti apparet num. 4. in altera verò numerantur magis depreſſæ, ut num. 5. 6. & 7. Differunt aliquæ notabiliter à cæteris foramine quodam, quod patet in ſummitate ad reiiciendas partes inutiles nutritioni, ut in Echinis. Carent motu progreſſivo, moventur tamen attollendo aliquantulum teſtam ad humorem facilius attrahendum, & ſi à ſaxo divellantur vitam amittunt. Expreſſam ſub hoc numero dicitur Cypria quia in Cyprio mari, ut plurimùm generatur, habet rimas æqualiter diviſas, & à centro ad Circumferentiam rectè extenſas. Colore eſt luteo in externa facie, in exteriori albo. Ipſa verò apertura ſivè baſis non ad amuſſim rotundatur, ſed paulo longius ex altera parte ferè procedit.

4 Patella indica major, colore Margaritæ ſublucidæ in parte gibboſa, in cava livido, ſanguineis maculis bellè diſtincto.

5 Patella candida ubique ſtriis valde eminentibus diſtincta certo numero, & ordine, at in multis eædem ſtriæ ſunt minus notabiles.

6 Patella reticulata, quaſi retis foramina oſtendens conſtanti proportione à circumferentia ad centum diminuta, luteo colore, aut cinereo.

7 Pulcherrima hæc eſt colorum varietate, quibus depingitur. Circa centrum aliquæ libeæ ſubnigræ in girum ductæ, album, quo tota tegitur exornant, ubique à punctis nigris, rubeis, flaviſque diſtinctum.

Plures quæ delineari poſſent omittuntur, quia ſolùm propter colores inter ſe diverſæ. In aliquibus pars concava videtur cruore imbuta, in aliis purpureo, aut flavo, aliquæ faciem nigram, vel cineream, aut ad pullam accedentem oſtendunt, in cujus ſummitate nota eſt violacea, quam multi vocant Oculum Hyrci.

8 Tubuli, aut Siphunculi maris. Dividuntur ab Aldrovando in quinque ſpecies, inter quas duæ ſunt præcipuæ. Hi mole majores nomen trahunt à forma aliquantulum curva, ut dentes canis, vocanturque Dentales; ſunt rotundi, & ſtriati, albo colore aliquando labeculis pallidè rufeſcentibus maculato.

9 Antales dicuntur alii ejuſdem formæ, ſed parviores. Falsò putant nonnulli è maxillis Piſcis Dentalis cecidiſſe, in eorum vacuitatibus vivit Vermis cum ipſis generatus: ſunt rotundi, & expoliti. A Dentalibus diſtinguuntur parvitate molis, & colore, quem ut plurimum roſeum habent, aliquando lineis pullis in baſi commiſtum.

10 Auris marina, ſic dicta à ſpecie auris humanæ, quam habet. Dicitur à Bellonio Patella major; quia Patellę inſtar ſaxis adhæret. Oſtendit in parte extrema principium lineæ ſpiralis, in qua patent foramina aliqua, quò magis ab origine diſtantia, eò majora, & magis eminentia, per quæ Animal humorem exugit; Lutea eſt, ut plurimum externa facies rubiginoſis notis maculata, ſivè ut ſex ſordidè rufeſcens, colore pallidè viridi aſperſa. Aſpera eſt, & inæqualis ob quaſdam ſtrias, quarum etiam maximæ profundius ſulcantur.

11 Ejuſdem auriculæ pars concava, in omnibus ſemper ſpectabilis, aliquando enim videtur Margaritæ orientalis decor, aliquando Æneus color argento miſtus, aliquæ verò diverſas Opali tincturas juxta varias luminis irradiationes indicant.

12 Patella optimè levigata, Uberis papillam exhibet, nunquam hujus figuræ molem excedens. Invenitur apud Canarias Inſulas, quas Fortunatas appellamus, in qualibet parte lactis albedinem induit, perſpicuo ſuco circumtectam.

13 Nautilus ſivè Nauplius num. 1. indicatus; vocatur etiam Italicè *Polpo Moſcardino*, aut *Moſcarolo*. Naſcitur in Adriatico Italiæ adjacenti, illumque inter Sepias Piſcatores deprehendunt propè litorales ſcopulos, ubi frequenter paſcitur, & præſertim maris ſiculi. Teſta illi eſt valdè ſubtilis folioque papyraceo ſimilis, pellucida, & fragilis, lacteo colore imbuta. Naviculam exprimit tribus partibus compacta, nempè lateribus binis, & carina, in qua ſtriæ canaliculatim ubique ductæ terminantur, illamque dentibus aſperam reddunt, colore luteo, aut pullo diſtinctis.

14 Exprimuntur ſub hoc numero nomine generico Balanorum teſtæ, ſivè calices, qui ferè nunquam ſoli, ſed multi conjunctim generantur ſupra ſaxa, ligna, aliorumque Oſtreorum teſtas, ut plurimum cinereo colore, aut carneo, vel vinoſo.

15 Hæc Balanorum teſta à ſuperiore in his differt, primò quòd huic anguſtior apertura, ſecundò Peponum inſtar inciſionibus quibuſdam ſatis profundis ferè æqualiter in multas partes dividitur. Color illi eſt ignaviter Rubidus. Invenitur in ſcopulis.

16 Echinus marinus, ſic dictus à Græcis, eò quòd vas quoddam ad hauriendam aquam adhibitum exprimat. Cordi valdè ſimilis eſt aculeis admodum raris parviſque contecto. Vocatur etiam Echinus Spatagus, colore terreo. In profundo mari paſcitur, undè difficiliter obtinetur.

17 Echinus alio nomine dictus Carduus maris ſivè Calyx Echynatus caſtaneæ marinæ è colore caſtaneo, quo tegitur. Multi etiam colore flavo, multi ſubnigro, & rubeo inficiuntur, ideò Aurantia maris dictis. Eos in quinque

que ſpecies diviſit Rondeletius. Tres tantum exprimuntur à nobis. Hic differt à cæteris mole, & aculeis quibus armatur longiſſimis omnium. Quiſque eorum globulo, ſivè mamillæ adnectitur, ut patet in A B, & facilè in partem omnem eriguntur, ut Animal, ipſis utens tanquam vecte, moveatur.

18 Idem Echynus colore luteo, aculeorum veſtigia demonſtrans.

19 Echynus aculeis digitalem craſſitiem æquantibus orbatus. Dicitur ab Ariſtotele Echynometra Pelagia, eò quòd cæteris mole antecellat, vivatque in abditiſſimis Pelagi cavernis. Color illi eſt Tophaceus, aut Oleacinus.

20 Tubuli vermiculares, ſic dicti à Vermibus quos continent. Adhærent ſaxis, cæterorumque Oſtreorum teſtis adnaſcuntur, ut ſerpentes ſinè regula circumflectuntur, ideò Turbinati dicendi non ſunt. Innumeros quos vidi ad quatuor ſpecies referendos duxi ABCD, indicantur illi, qui ut plurimum ſoli, & innumeris penè modis circumflexi generantur figura rotunda, & levigata. In E, oſtenditur maſſa quædam formata ab aliis, qui nunquam à cæteris ſeparati naſcuntur, ſuiſque orbibus non quidem perfectè rotundis ſimul conveniunt. Pars interior rotunda eſt, externa verò ferè triangularis. Colore ſunt albo, cinereo, vel oſſeo, ſub F ſunt alii in longum non rectè producti. Figura pariter trium laterum, quorum angulos criſta quadam dentata veluti ſerra mirifice exornat: colore badio, aut vinoſo. Aliquando inveniuntur rotundi, & quadam lanugine circumtecti. G illos indicat, qui ſemper quaſi viſcerum maſſam conſtituunt, quare multi piſcium viſcera crediderunt humore aliquo lapideſcente indurata. Magnitudinem à figura expreſſam non excedunt, ut plurimum colore fuſco, terreo, & livido, ſub luto ſcopulis immobiliter adhæreſcentes vivunt, teſtamque habent minutiſſimis ſtriis aſperam. Qui ſub litera M, indicantur os habent fere rotundum, & quo magis ab eo Tubus recedit anguſtior evadit, donec in turbinem acutiſſimum deſinat, ut plurimum carinis navium adhæret.

21 Patellis, ſuperius expreſſis alias addimus quarum prima eſt Patella magna fulva lateribus paulatim compreſſis denſa, & leviter ſtriata, mucrone albeſcente, & nigro.

22 Patella ſubfuſca exiguis tuberculis ſecundum ſtrias exaſperata.

23 Patella alba ſtriata vertice intorto.

24 Patella nivea ſtriis raris profundis, & inæqualibus donata vertice fere acuto.

25 Patella nigra magna tenuiter admodum ſtriata.

26 Patella oblonga denſe ſtriata. Hanc *miniatam* vocant *Martinus*, Liſter forſan ob maculas, quibus ſine ullo ordine diſpoſitis condecoratur.

27) Lepas ampla ſtriata colore ſubalbo ma-
28) culis furvis notata.

29 Patella levis fuſca in acutum mucronem veluti conus deſinens.

30 Patella fere quinque ſtrigibus radiata, in parte concava levis, & pellucida cum macula nigra in centro.

31 Patella ingens nigris latiſque maculis inſignita.

32 Patella mucronata; Habet enim mucrones acutos in girum ita diſpoſitos, ut totidem breviores ſint, quot ſunt longiores alternatim porrecti. Umbonem effingit in centro. Pars concava ex albo plumbea illi eſt. Gibboſa cum ſanguineis, & fervis maculis deturpata.

33 Echynus complanatus, tertiam digiti partem vix æquans in craſſitie. In ejus parte ſuperiori foramen patet, circa quod ſtellulam efformant quinque radiorum pene innumera foraminula adeo anguſta, ut nec equina ſeta permeare poſſit. Aculeis orbatus albus apparet.

34 Hoc teſtaceum in genere patellarum viſum eſt comprehendi poſſe. Adhærebat enim tenaciſſime cortici Teſtudinis, quam è mari Adriatico Bononiam tranſtulerunt Piſcatores. Teſtaceo giro in ovalem figuram extenſo, non plano ſed gibboſo ita formatur, ut ſex levibus conchis videatur compactum, totidem etiam habet radios, quinque inciſuris ſeu crenis diſtinctos, à quibus concha illa indicatur, in centro ejus quatuor aliæ conchulæ ſubtiliores aſſurgunt, ita ſimul compactæ, ut indicent os in crucis figuram efformatum. Has Animal ſub teſta latens modò aperit, modò claudit, ad aquam ſeu attrahendam, ſeu emittendam. Spatiolum inter duas cochleolas, & girum ſolida membranula obtegitur. Color eſt illi ubique ſubalbus.

35 Portionem delineavi arundinis in litore Antii reperta, cujus ſuperficiei tenaciſſime adhærent Balani ſine ullo ordine diſpoſiti quorum unus ſub numero.

36 Apparet microſcopio auctus. Etiam hic videtur compoſitus ſex conchis ſtriatis ſed inæqualibus, ſpatiolis interjectis planis, & levigatis. In ejus apertura quatuor veluti ſquamæ teretes, & acuminatæ ita protuberant ut os animalis incluſi, cui adhærent, in modum crucis efformant. Color illis eſt ſubalbus in amethiſtinum propendens.

37 Apparet intima baſis ejuſdem Balani. Videtur illa quaſi placenta alba ex dura teſta formata at tota canaliculis perforata, qui à centro originem trahunt, & quo magis à centro recedunt, ampliores ſunt; ubi autem perverint ad circumferentiam, inflexi aſſurgunt intra reliquas teſtæ partes, in quibus quò magis aſcendunt, eò anguſtiores evadunt.

38 Teſtaceum Anonimum niſi ad Tubulorum genus illud pertinere velimus exiſtimare. Nomen illi impoſuit Author eruditus, ſed non exprimendo in noſtris paginis. Radici aſſimilatur rotundæ, & inflexæ ubique fere levigatum totum albeſcit. In inferiori parte ſiphunculi inſtar foramen habet. Superior verò ita intumeſcit ut Tholum aſperum illi ſuper impoſitum eſſe videatur, quod anguſta foraminula veluti cribrum reddunt. Illud à nullo Authore expreſſum inveni, antequam è meo ſtylo prodiiſſet. In nullo muſeo aſſervatum vidi præterquam in prædiviti, & præclariſſimo Sereniſſimi Magni Ducis Ætruriæ ex Amboino inſula receptum.

39 Aliud oſtreum parvum quidem, at non parum elegans Teſtaceorum Agmen claudat Oſtreum curioſiſſimum nuper ex Hollandia habitum, non tamen apud Hollandiam natum. Illud eſt ut in lamina apparet (mole quidem non parum auctum, ut ejus partes diſtinctius exprimerentur) cornu ſimile Arietis, at magis circumvolutum. Ab ore ad mucronem ita extenditur, ut quamplurimis inciſuris in plures partes dividatur minores ſemper, & minores, decrementi proportione perfectè ſervata, qualis in helice apparet, prout magis in mucronem anguſtatur. Teſtam habet candidam fragilem,& aliquantulum propter tenuitatem tranſparentem. Curioſus ejus intima luſtrandi (videbam enim in parte ſuprema A B, cavitatem ſimilis conchæ perfecte rotundatæ, & inſtar globi bifariam diviſi,ubi foramen erat auguſtum in A) bina diſſecui, &, mirum dictu, in toto ejus ambitu triginta numeravi hujuſmodi conchas, ſeu ſemiſphęricos globulos, ita in tubi cavitate diſpoſitos, ut alter alteri ſuperimpoſitus eſſet debito ſpatio inter utrumque relicto, poſt foramen omnibus anguſtus canalis inerat, qui è ſuperficie convexa ſuperioris propendens ad concavam ſubjecti fere perveniebat. Tres hujuſmodi conchas delineavi ſub numer. 39. expreſſas ſub characteribus C D, quorum canaliculi ſeu ſiphunculi in E. Color interior eſt argenteus ſeu margaritarum ut in Nautilo indico. An hæc ſeries fornicum ſeu concamerationum, ſphericarum hujus Teſtacei illud munus exerceant, quod in Nautilo ejus ſepta, ſeu Diaphragmata, Quis affirmabit? rationem enim hucuſque non inveni,quæ ad dubitationes meas evincendas ſatis eſſet.

Hactenus de Teſtaceis Univalvibus, quæ ex variis Maris littoribus curioſa obtinuit Induſtria, nec ab omnibus rerum naturalium Hiſtoricis relata. Explicanda nunc eſt ſecunda Bivalvium Claſſis copioſior proculdubio, & pulchrior.

CLASSIS II.

Continens Teſtacea Bivalvia.

1 COncha, Mater unionum dicta,aut Margaritifera, à Margaritis, quas gignit. Binis valvis componitur parum, & æqualiter excavatis, extrinſecus rugoſa, & aſpera, at non ſtriata. Intus autem levis, & albeſcens ex argenteo colore. Teſta valida eſt, & ponderoſa, pectinibus ſimilis unicam auriculam habet. Magnitudinem à figura expreſſam, ut plurimum non ſuperat; at in quibuſdam Indiarum locis diametro palmi longitudinem æquat, talis etiam conſpicitur in noſtro Muſæo. Aliquando viſam adeò capacem, ut Piſcis incluſus ſeptem ſupra quadraginta librarum ponderaret, Petrus Martir refert. De generatione autem Margaritarum inter Problemata aliquid prælibabimus. Hic teſta tantùm inſpicienda, in qua naſcitur Margaritum, quod falsò dicitur Unio à Latinis ab hoc, *quòd ab una naſcitur Unus*, ut Marbodeus, & Albertus cum Solino opinati ſunt: Ex qua licet falſa opinione, verum intulit ingenioſus Auctor, cum in Concha unionem pinxit, ut dicaret Sereniſſimam Mariam Joannam Baptiſtam Sabaudiæ Ducem, Matrem eſſe, ac Tutricem Victorii Amedei Secundi, appoſita Epigraphe. *Ad Coronas educat Unum. Unionem* dici, quaſi Unicum, quia *nunquam duo totaliter ſimiles inveniuntur*, verius dixit Plinius. Satis enim comprobatum eſt plures,& quidem magnos aliquando ſimul generari, ut videntur in præclara Concha conſervata in Muſæo in qua plures Margaritæ Teſtæ adnatæ videntur. Centum, & viginti Gaſpar Morales coram ſuis militibus numeravit in alia. Americus Veſpuccius in epiſtola ex Indico litore ad Hiſpaniarum Regem miſſa, *Oſtreolas* (inquit) *nonnullas, in quibus naſcuntur, Mercati ſuimus, ubi in quibuſdam centum, & triginta uniones, in aliquibus verò non totidem reperiebuntur*. In Inſula, quæ vocatur *delle Perle* in Mari S. Michaelis dicto, adeò pro comperto hoc habent Incolæ, ut fœcunditatem Concharum hujuſmodi, & Gallinarum omnino ſimilem dicant, qua ſicuti ab iſtis Ova, ſic ab illis Margaritæ ſucceſſivè, & quaſi ſtatuto

tem-

tempore maturæ emittantur. Quæ nam autem magnitudo illis à Natura perscripta sit, affirmari non potest. In diversis Maris sinubus diversę generantur, ut in variis Mundi plagis variæ sunt Arbores, Flores, Fructus, & Animalia: Inter ea alterum alteri antecellit, & quod in aliqua Regione minimum apparet, alibi comparatum, videbitur sicut inter Viburna cupressus, Petrus Martyr multas refert Turturum ovis omninò similes. Celeberrimæ omnino sunt illæ, quarum altera Cleopatra aceto dissolutam propinavit Antonio, ut experiretur in gloria palati quid saperent Margaritæ, in qua unico haustu opulentissimum Regnum deglutiebat, alteram verò in binas partes dissectam nescio Quis Veneri sacravit, quarum singulæ centum sextertiis, videlicet bis centum, & quinquaginta mille aureis scutis, ut Budæus affirmat, pendebantur. Gonzales de Oviedo unam obtinuit rotundam, & pondus viginti sex ceratiorum habentem. Aliam emit Petrus Arias de Avila in continenti Occidentali Indica Gubernator, anno 1525. piri formam exprimentem, ac pondus triginta ceratiorum superantem ducentis aureis nummis. Romæ quadraginta quatuor mille scutorum pretio alia nuci avellanæ similis vendita fuit, & Maximilianus Transilvanus cum per Terrarum Orbem peragraret in epistola quadam retulit binas Margaritas ovi anserini molem æquantes, quibus cujusdam barbari Regis corona ditabatur.

In variis autem maris partibus generantur Margaritæ. Sunt in Britannico, in Scotico, & Americano, verùm quia colorem lacteum ostendunt, nec nitidæ sunt, ut Orientales, parvi habentur. In Provincia Caindù cui Tartarorum Rex dominatur, candidæ nascuntur, licet parum rotundæ, in quodam lacu cum salsedine maris misto. Apud Insulam Zipangu dictam rubicundas, magnas, satisque rotundas expiscantur Incolæ. Prætiosissimæ verò sunt, quæ apud Indicas plagas obtinentur. Tres autem sunt sinus maris cæteris fœcundiores parvarum Margaritarum, quæ dicuntur *Algiofræ*. Primus nempè Sinarum Regno propinquus *Ainao* dictus, secundus propè Armuziæ Regnum in Arabico mari, ubi *Giulfan* vocatur. Tertius inter caput Comorini, & Insulam Taprobanam, ubi Piscaria à Margaritarum piscatione dicitur tota illa terræ plaga, quæ caput Comorini dividit à sirtibus proximis Urbi, cui nomen *Manar*, ubi Incolæ dicti *Paravi* indociles, & inermes Conchas Margaritiferas ad vitam alendam continuò expiscantur. Nec impari periculo, ac labore eas hoc modo sub aquis quæritant. E naviculis, quas ponderosis saxis veluti anchora firmant, ad ima maris ducentis ferè palmis profundi descendunt, alligato lapide pedibus, ne ob undarum impetum huc illuc divagentur, ibi Ostreas Unionum in sacculo, qui è collo pendet reponunt, deindè è saxo pedes liberant, ut facilè Naviculam repetant funis ductu, quo eadem firmatur saxorum beneficio, novumque aerem attrahant ad respirationem perneccessarium. Piscantur autem in tranquillo mari Sole nitente mensibus Aprilis, Maii, & Septembris, & quia Concharum carnibus Polipi, edaceſque Pisces avidè pascuntur, solent Sacerdotes Idolorum veneficis incantationibus eos colligare, ne offendantur Urinatores, solvuntque sub vesperam, ut Prædones Margaritarum avidi, perterrefacti ab earum piscatione arceantur. Dividitur deindè præda, cujus decima pars Regi offertur, vigesima autem donatur Sacerdotibus.

2 Tellinæ quæ dicuntur Pedatæ à pedunculo quodam, quo è truncis putrefactis, tanquam fructus ex arbore, pendent. Color illis est albidus, aut cinereus, ex binis valvis, & quatuor aliis testæ partibus constant; Eadem figura repræsentat Conchas, quæ Anatiferæ vocantur ab Avibus, quas generant juxta variorum opinionem. Ejusdem speciei (si quidem sunt) eas esse judico, licet non omnes sint hujusmodi avium fœcundæ; neque enim inauditum est in Creta Insula tantùm bacchiferam germinare salviam, & Chiensi solo Lentiscum resinam gignere, quæ Mastiche cognominatur.

Prodigiosas hasce Conchas Petrus Pena, & Matthæus Lobelius in Plantarum observationibus describentes, ajunt generari apud Orcades, & Hebridas Insulas, in Tamesi celeberrimo Angliæ flumine, & in multis litoribus Scotiæ. Michael Megerus agens de Volucri arborea asserit à se pluries visas pullis fœtas. Hector Boetius in Historia rerum Scoticarum curiosè super hujusmodi Conchis inquirens, adhæret relationi Alexandri Galli, qua affirmat verè in eis Aves gigni, *Bernacles* dictas ab Anglis, *Clachis* à Scotis. In eadem sententia est Bodinus in Theatro Naturæ. Aliquando hujusmodi Concham cum ave inclusa oblatam Francisco Regi refert Scaliger. Fabius Columna in Historia Plantarum, Corradus Munsterus, in Scotiæ descriptione, Olaus Magnus, Aldrovandus, sexcentique alii negare non audent. Quamobrem dubitandum non esse videtur, ubi veritas tot insignium Virorum testimonio roboratur. Cum tamen Præclarum hoc Naturæ prodigium propriis oculis intuendi vehemens cupido meum animum extimularet, à nobili Viro Londini commorante mihi amicissimo aliquam ex iis obtinere curavi, sed Concharum loco hujusmodi epistolam dedit. Mitterem libentissimè Conchas à te expetitas, in quibus Aves generantur, ut ais, sub mari, quod Angliæ, & Scotiæ littora al-

ra alluit; At, ut verum fatear, hujusmodi prodigium nunquam audivi. Nascuntur quidem vermes aliqui sub aqua non in Conchis, sed in putrescentibus lignis, illisque immobiliter adhæresunt, donec ad certam molem aucti papilionum formam acquirant, qui aquæ supernatantes paulatim in Aves abeunt. Difficillimum tamen est hujusmodi ligna invenire, avesque tales rarò, & mitioribus anni mensibus obtinentur. Falsum est, mihi crede, quod pro comperto tenes, verum autem quod admiratione risuque tuam epistolam exceperint omnes quotquot à me lectam auribus perceperunt; vale.

Videat igitur, qui arcana Naturæ perscrutatur, quàm firmiter possit alienis narrationibus adhærere, dum adeò discordes sunt, longèque inter se divagantur. Omnes quidem Aves Britannicas, quæ Bernecles dicuntur, referunt, neque vix Historicus, aut Phisicus est, qui earum mentionem non faciat, multi tamen è truncis, multi è foliis arborum putrefactis, ex mucore carinæ, vel ex viscoso scopulorum marinorum humore, alii nonnulli in Conchis Bivalvibus progenitas credunt. Eas è foliis fragmentisque lignorum putrescentibus gigni posse putat Fabri, eò quòd certum sit è foliis hærbæ, scabiosæ dictæ, papiliones multicolores generari, sicuti è Bovinis excrementis, differentes Apum species excludi experientia comprobatum esse affirmat Kircherus, Mund. Subter. lib. 12. sect. 2. cap. 2. quare Ovidius cecinit Metam. 15.

Delectos mactatos obrue Tauros
(Cognita res usu) de putri viscere passim
Florigeræ nascuntur Apes.

Sicuti pariter è foliis fraxini formantur Cantarides, cùm enim, inquit idem Fabri, Natura, *semper tendat ad perfectiora, & puriora, separat purum ab impuro, & putredinem respuens, ad formandum Animal meliores partes conservat.* Hujusmodi generationem fortuitam esse docet Kircherus Mund. Subt. lib. 12. cap. 9. eamque fieri beneficio seminis apri, loci, & materiæ ritè dispositæ. Seminis quidem non Concharum sivè lignorum proprii, sed aliundè mutuati. Cùm itaque, inquit ille, Anates Anseresque in mari glaciali stabulantes eam ovorum in glacie copiam deponant, ut universæ Europæ alendæ sufficere possent, & Sole Arietem Taurumque subeunte, disrupta glacie simul universa illa ovorum congeries una rupta, fluctibusque maris involuta, hinc inde qua maris impetus patet ad obvias Insulas depellatur, accidit, ut ubicumque spermaticus humor convenientem matricem invenerit, ibi vel dispositione aeris, aut terreni, marisve conditione ambientis ex perfectæ volucris semine perfectam volucrem excludat. Cùm verò mari glaciali viciniores Insulæ non sint, quàm Orcades, & Hebrides Scotiæ, uti & Hiberniæ, hinc patet quomodo in illarum litoribus istiusmodi Anseres ex tam differentibus subjectis nasci dicantur, in quibus, vel minima particula seminis recepta plastica virtute ejusdem fermentata paulatim in perfectissimam volucrem transformetur, & hujusmodi Conchas sibi donatas dicit à doctissimo P. Barilerio Ordinis Prædicatorum, & rerum naturalium indagatore studiosissimo.

3 Concha Pecten dicta ob Strias, quibus Pectinis formam exhibet. Italicè dicitur *Cappa Santa*, sivè *di S. Giacomo*. Multiplex est hujusmodi species. Hæc maximam repræsentat, quæ à summo cardine ad imam oram palmi longitudinem aliquando implet, latitudo verò ad uncias ferè decem porrigitur. E testis altera modicè cava, altera plana est, quæ solo adhæret. Utreque testæ qua parte auritæ strictiores sunt, & similiter striatæ; ipsæ autem striæ admodum crassæ, & eminentes à cardine incipiunt, & ad imam oram rectæ procedunt. Eædem majores striæ aliis quoque striis minutis exornantur, quas etiam minutas in ipsis auriculis, & in canaliculis observamus. In utraque testa ad medium cardinem similis sinus amplus pyriformis est, ibi niger quidam nervus sinum occupat, ipsumque cardinem maximè obfirmat. Intus albet, extra ex albido, vel rufescit, vel helvaceum colorem ostentat maculis rubiginosis, aut cruentatis, & in girum dispositis in striarum partibus eminentioribus. In illis verò, quæ in Oceano generantur, testa hæc plana multis coloribus variè exornantur, albo videlicet, rubro, carneolo, rutilo, igneo, flavo, citrino, russeo, subminio, iisque omnibus miro ludentis Naturæ artificio diversimodè dispositis.

4 Pars ejusdem gibbosa in longum striata colore alba, aliquando nigra, perfectè ubique clauditur operculo, exceptis auriculis, in quibus patent rimulæ, quarum altera Animal exugit humorem, quo nutritur, altera reiicit excrementa.

5 Pectem striis valdè minutis signatus. In utraque testa æqualiter gibbosus, aliquando in uno, aliquando in utroque latere auritus. In litore Aquitanico frequens, sub arena, ut tellina, pascitur. Multicolor apparet, omnesque colores calamo pingere impossibile est. Multos enim candidus color in externa facie dealbat, multos vinosus tegit, inficiuntque alios colores diversi aqua quasi diluti, & pulcherrimè temperati, alii verò veste pulla, & rubiginosa teguntur, quam lineolæ, undulæ, & puncta helvea, oleacina, vel furva mirè discriminant. Pars autem concava aliquando violaceum, ali-

quando mustelinum, & burrum ostendunt, veluti sandracca pelucidos.

6 Pecten quasi planus, auriculas habens à cæteris differentes, ut plurimum luteo colore, invenitur etiam albus, thalassinus, nigricans, & sanguineus.

7 Pecten planoconvexus parum dissimilis ab eo, quem num. 3. descripsimus: differt solum striarum dispositione. Majores enim à cardine ad imam oram ductę aliis minutissimis striis intersecantur, undarum seriem crispati maris referentibus: albus ut plurimum, at circa cardinem ubi lineæ striarum concurrunt cerasinum, aut malacum colorem ostentat, paulatim oram versùs dilutum.

8 Pecten in una tantùm parte auritus, habensque strias valdè inter se distantes, colore assimilatur citro maturo, & rarò invenitur.

9 Pecten quinque tantùm striis excavatus, amplior cæteris, cum auriculis binis æqualibus, colore albido alium terreum tegente, qui circa oram minutissimis, & frequentibus rimulis signatus apparet.

10 Singularis, & præclarus Pecten hìc est. Videtur ex tribus valvis constare, altera alteri superimposita. Unicam tamen habet testam, operculo conjunctam, sed tribus in locis gibbosam. Color illi est æneus cum nitore.

11 Pecten cum fasciis, subalbum colorem habet circa cardinem cum flavo confusum in medio punctis nigris frequenter notatum.

12 Pectunculus, in quo supra flavum colorem maculæ candidæ, & cruentatæ serpunt sine regula.

13 Pectunculus minutissimis striis à centro ad oram signatus; supra colorem onichinum, quo tegitur, fasciis nigricantibus cingitur, vel punctis plumbeis roseisque aspersis.

14 Striæ hujus Pectinis rugosæ sant in partibus depressioribus, in eminentioribus verò levigatæ. Colore livido, notulisque flavis, ac roseis signato.

15 Pecten omnium longissimus, levibus rugis striatus, colore ut plurimùm mustellino, aut subnigro, flavis notis maculato, in cardine autem balaustinum, aut igneum ostentat. Invenitur etiam unicolor, nempè croceus, sulphureus, sanguineus, igneus, ruber, puniceus, cinereus, & aurantio similis.

16 Pecten roseo colore, quem quinque striæ albidæ, & inæquali distantia dispositæ dividunt. Hujus speciei alter depingi hoc in loco posset cum striis lividis, aspersus colore viridi, subflavo, lurido, & porraceo.

17 Concha Persica è mari Persico, ubi nascitur, dicta. Corticem habet asperum, & rugosum, luteo colore, intus verò albescit, & lacteum nitorem Margaritarum Occidentalium repræsentat.

18 Concha Corallina, aliter Pictorum dicta, non quia ad usum Artis pictoriæ colorum pigmenta in ea reponantur, verùm quia in minutissimum pulverem redacta, purpureum colorem, quo videtur imbuta pars anterior, olim Picturæ submini strabat. In Ægeo Mari propè Cariam vivit, referente Aristotele. Levis, & nitida intrinsecus, extrinsecus verò tuberculis inæqualibus aspera.

19 Concha ferè plana, & perfectè circinata, cæterarum ejusdem figuræ ampliss ima, albo colore intrinsecus, extrinsecus castaneo, & furvo misto. Dentatæ non sunt valvæ, quas ligamentum à cæteris valdè diversum unit.

20 Spondylus, sivè Ostrea. *Gaideropode* dicitur hæc Concha, quasi Asini pes, quia ab ea repræsentetur. Tarentini eam dicunt *Scataponzolo*. E scopulis nascitur, imò pars eorundem propter saxeam substantiam videtur, nec nisi ferreis sarculis, & labore avelli potest. In medio cardine vinculum nerveum prędurum inseritur. Testa admodum inæqualis est, & sinuosa, inferior valdè scabra, & veluti saxeis squamis tecta superiorem cavitate superat, Superior verò bronchis canaliculatis, & spissis armatur.

21 Gaideropoda valvas unitas, & apertas ostendens, sunt ambæ intus, ut lapis parius candidæ, foris pars inferior concolor est saxis è quibus formatur, in superiori verò bronchi, & tubercula sinè ullo ordine dispositа teguntur quasi laneo operimento pingui, & untuoso rufo colore.

22 Alia eodem nomine donata, sed coloribus diversa. Candida enim invenitur, coloribus roseis, & minio aqua diluto, distinguitur etiam à cęteris propter rostrum è cardine productum pedunculo simile, quo fructus arbori connectuntur.

23 Balanus, de quo abundè actum est c. VII. dicitur etiam Pholades à Græcis, quo nomine res abdita significatur. Frequens est in litore Anconitano, & Narbonensi: latitudo digitum cum semisse æquat, longitudo ferè ad ad medium palmum extenditur. Componitur duabus testis non perfectè in omni parte clausis, Albidus est in parte concava cinereus in gibbosa, quæ reticulata quasi veste circumtecta valdè corrugata est, & quidem asperior ea parte, qua penetrat saxum, in quo vivit. Sapore palatum allicit, humoremque tamquam salivam emittit, qui noctu adeò refulget, ut caracteres admoti commodè distinguantur, sed de hoc fusiùs inter Problemata agendum.

24 Ejus-

24 Ejuſdem Balani teſtæ diverſimodè collocatæ, & apparentes.

25 Concha naſcens in Arena, aut in luto, multiplici nomine ab Auctoribus ſignificata. Pinnam vocarunt Latini à figura quàm habet ſimilem Pinnis murorum, ut docet Aldrovandus. Alii autem à nomine Græco *Pinos*, quo ſordes ſignificantur, derivatum credunt, eò quòd ferè ſordet luto in quo paſcitur. Ab Olao Magno dicitur *Nacherone*, *Nacre* à Gallis, *Parricella* à Tarentinis, Aſtura ab Anconitanis, Concha Ægyptia ab Ermolao, ab aliis Lana Pinna, ſivè Pinna Lana propter laneum capillamentum, quod producit, exhibitum in figura, quæ hìc indicatur. Dicitur etiam *Perna* à parte Animalis hoc nomine expreſſa, aut Pinna Magna, quia cæteras mole ſuperat aliquando tribus palmis longitudine correſpondens. Exteriorem faciem terreæ glebæ ſimilem habet, multoque luto maculatam, ſi in luto ortum habuerit, interiorem rubidam ſivè helvam cum nitore, pars verò acuminata, ubi Animal adhæret margaritarum vulgarium, aut æris colorem oſtentat. Si autem in arena radicem figat, foris eſt minus ſcabroſa, intus argento ſimilis, glaſteo colore velato. Quaſi planæ in parte ampliori ſunt teſtæ, è quibus conſtat, aut ubi acuminantur quaſi conum quadrilaterum effingunt.

26 Pinnam hanc Aculeatam vocat Aldrovandus, at propter ſquamas, non quidem perfectè complanatas, ſed aliquantum eminentes, & canaliculatas, ſquamoſa videtur potiùs dicenda. In parte concava ſubflavo pellucido nitentique argenteum colorem indicat, in gibboſa verò terreo, vel tophaceo deturpatur. In utraque Concha cancellum ſemper commorari referunt Ælianus, ac Plinius, qui è ſumma ora teſtæ, quaſi è ſpecula vigilans, ſi ferrum, quo Piſcatores ſolent è fundo Maris pinnam adimere, aut aliquid ſimile admoveri animadvertat, piſcem pungendo conſcium periculi facit, à quo mox binas valvas claudendo, & ſibi, & comiti contra offenſas tutamen paratur. Alii verò opinantur eundem aucupari piſciculos, & vermes, quos veluti pretium pro locata domo in alimentum pinnæ ſolvat, ſed falsò; cùm enim Pinna more Plantarum nutriatur, aqua, & luto; in eadem teſta, ſicut in multis aliis Conchis; cancellos fortuito commorari dicendum eſt. Producitur à carne Animalis nervoſus quidam ramus in majoribus pinnis palmi fere longitudine extenſus, veluti oloſerico capillamento concinnatus, quæ lana à multis dicitur, ab aliis Biſſus marinus, ut diſtinguant à terreſtri lineo, & goſſipino. Contra hyemis humiditatem valet, & in auribus poſitus ſurdos juvat. Sunt qui putant ejuſdem beneficio ſcopulis firmiùs adhærere, cum mare ventis validius agitatur, multique ſibi perſuadent rete quoddam eſſe ad piſces capiendos aptiſſimum; at probabiliùs credendum exiſtimo deſtinatum à Natura, veluti radicem in Plantis ad ſugendum humorem, quo Animal teſta incluſum nutriatur.

27 Dactilus, dictus à fructu Palmæ, cui aſſimilatur, tunica ſubtili circumtegitur colore caſtaneo. Pholades etiam vocatur à latendo quia, ut Balanus intra ſaxi viſcera naſcitur, ſed non adeò duri. Frequens eſt in multis Italiæ litoribus, binis teſtis ſubtilibus una alteri coaptata conſtat, intus levis colore albido, vel cinereo.

28 Dactilus non diſſimilis colore, ſed aliquantulum figura, naſcens in locis arenoſis.

29 Muſculus dicitur hæc Concha à Latinis, à figura, qua muris rictus exprimitur. Tarenti ubi copioſè ſupra ligna generatur, dicitur Cozza. Stabulatur etiam in cavernulis lapidum, ſedemque non mutat, ſiquidem villis ſivè ſetis quaſi ſcopulis ligatus adnaſcitur. Hujus Conchæ utraque teſta admodum tenuis, parte verò acutiore paulo craſſior, & ſpiſſior eſt. Reliquo ambitu rotundo, multo tenujor, & fragilis. Ferè ita menſuratur, longitudine duos digitos, & dimidium explet, latitudine paulo ſupra unum. At in aliquibus locis ad miram magnitudinem pervenit. Huic unicum ligamentum ex adverſo cardini, ad oram ſcilicet rotundiorem, collocatum. Caro intus palleſcit cruda, cocta vitellis ovorum ſimilis eſt, in ambitu fimbriata. Teſta foris ex cæruleo nigricat, intus ex cæruleo albeſcit, utrinque verò levis admodum. E litore tamen Drepanitano, & Luſitanico multi ad me delati ſunt, quorum aliqui partim vivido cinabaro, & ſandichyno colore tecti, alii verò argenteo, thalaſino, venetoque mirè pigmentati.

30 Concha ſivè Conchites in Italia frequens rugoſus roſtro ſubtereti, & inſigniter adunco donatus, deſcribitur à Martino Liſter tract. de lapidibus Bivalvibus cap. 2. Huic color ferè albidus interdum ſublividus.

31 Concha naviculam exprimens, Romboides à nonnullis dicta, Muſculus ſtriatus à Mattiolo, ab aliis Mitulus: In profundo mari ſub cæno ſtabulatur, in parte inferiori, navis carinæ ſimili, aditus patet, quo Animal veluti Planta ſaxis adhæret, quamobrem piſcem illum diceres, quem Diodorus Siculus refert reperiri, cùm in Ægypto Nili aquæ à campis recedunt, vel ranas illas ab Æliano viſas Neapolim inter, & Puteolos *media anteriori parte formatas; media poſteriori luteas, & informes*. Caro enim in teſta incluſa paulatim in calloſam ſub-

stantiam degenerat, eò duriorem, quò magis saxo propinquam. Luto tartaroque circumtectus terreo est colore, at ubi explicatur subalbus apparet castaneis notis maculatus, habet latera sulcis striata, & minus profundis, quo magis ad punctum concursus sivè centrum accedunt, Plana est pars superior, ubi binæ valvæ minutatim denticulatæ uniuntur, lineisque signatur ita dispositis, ut lancearum acumina alterum alteri superpositum effingant.

32 Concha quasi perfectè rotundata in omnibus partibus levis, & nitida; extremæ ejus oræ ambitus minutissimis dentibus est asper, colore pullo; assem mole æquat, in Iberico litore copiosa, ubi testæ conjunguntur fulvus color, nigro paulatim dilutus interdum videtur.

33 Conchula figuræ magnitudinem non excedens, sed pulcherrima visu, eburnea in parte convexa, in concava Margaritis, vel argento obrizo similis, in oris spissis denticulis crispa, frequens est in Adriatici litoris arena.

34 Tellina sinè dentibus longitudine cæteris antecellens, parum lata est, & adeò expolita, ut arte superadditus nitor videatur. Igneo colore fulget, aut ex flavo in Balaustinum rubescit, interdum rosea est, & aliquibus zonis candidis circa cardinem dispositis decoratur.

35 Tellina coloribus diversimodè temperatis, & evanidis, undasque referentibus signata: formantur autem undulæ colore baliolo chrisolitico, indoque aqua diluto supra fundum vinoso tinctum, in ambitu est serrata, & cum superiori pascitur in mari Lusitanico.

36 Tellinæ maris Italici extrinsecus colore fulvo cum terreo porraceoque misto, intrinsecus verò, ut plurimùm cianeo, interdum cum lacteo confuso.

37 Tellina umbone omnium acutissima; testa, quæ coloribus diversis quasi tessellato opere decoratur, admodum tenui.

38 Concha dicta ab Incolis maris Jonii, ubi abundat, Nux maris, cortice rugoso, colore terreo.

39 Solenis, hoc est Concha longa, à Tellinis sola longitudine diversa, intus Margaritarum nitore pellucida, foris verò sub cortice furvo oleacinoque latet.

40 Concha Pictorum dicta, non è colore, quem Priscis suppeditabat alia num. 18. descripta, sed ab usu Pictorum, qui colores, argenti, aurique pigmenta, ut plurimum in ea reponunt. Hæc ad pictoriam artem cæteris est præstantior; generata enim, ut plurimum sub aquis fluviatilibus caret spiritibus, & particulis salis, quibus multi colores inficiuntur, & deturpantur. furvo porraceoque tegumento induitur in parte verò Concava argento, vel Margaritis similis; aliquando ex argento rubescit, aliquando aqua cum glastino mista quasi velatur. In hujusmodi Conchis, quas Albulæ aquæ Romam ferunt, parvulos uniones inveni.

41 Tellina semper in eodem situ distincta fasciola candida, quam color castaneus in vinosum abjens hinc inde terminat; E litore Germanico, & Britannico Romam missa.

42 Tellina, qua mare Neapolitanum satis abundat, longè cæteris subtilior, & fragilis, subalba colore punctatim sub viridi aspersо, & lineolis ostrinis dilutis, glastinis cinereis, & helvaceis notato.

43 Tellina roseo colore zona candida divisо, interdum invenitur in Latino litore lactea, balaustinam notam habens in umbone, sed nitidior, & pulchrior apud Maderam Lusitanici maris Insulam,

44 Tellina in eodem mari generata, in ambitu serrata, diversa à cæteris propter figuram quam vides, minutissimis strigis rugosa, & lacteo colore.

45 Tellina alba lineis castaneis huc illuc sinè ulla regula discurrentibus signata, & punctis subflavis aspersa, in mari Drepanitano frequens.

46 Tellina frequentissima in litore Antii, flavo diluto tincta simul, & furvo, vel cianeo, terreoque. Innumeras, quæ hic describi possent, ommittimus eò difficiliores, ut calamo describantur, quò pulchriores coloribus apparent. Aliquæ enim ex Oceano Occidentali delatæ, ita pellucidæ sunt, ut non è Testacea substantia videantur compositæ, sed ex velo albo duplicato quidem in margine propter aliquam majorem densitatem, qua magis albescunt. Nonnullæ melino, vel citreo colore circumtectæ, innumeræ nivis albedinem purissimam referunt.

47 Concha, Levis à Rondeletio appellata, cùm levitate à cæteris differat. Significabimus hoc nomine generico eas omnes, quarum testæ admodum sunt expolitæ, & uniformiter striatæ. Sicuti Ostreum Conchas omnes asperas, & corrugatas indicat, Cochlea autem cætera Testacea turbinata. Ab aliquibus dicitur Cama levis, quod nomen aptiùs aliis aptatur, ut inferiùs patebit. Huic color est cinereus circa oram rufescens, extra rugis asperatur, figura quodammodo rhomboide. Ipse umbo exiguus acutusque est, proximè verò sub umbone cardo constat ex duobus exiguis sinubus, & totidem, aut trinis denticulis.

48 Concha relata à Martino Lister: cordis figuram aliquantulum depressi refert colore gipseo flavescente.

49 Con-

49 Concha Tellina etiam dicta, ſed non, ut cæteræ in longum producta. Extrinſecus albeſcit cum quodam rubore, intrinſecus colore albo.

50) Conchæ quaſi ſimiles forma exteriori, interiori verò diſſimiles propter den-
51) tes, & commiſſuras. Color ambarum ſubalbus, & in parte gibboſo vinoſus zonis helvis faſciatus.

52 Concha à Rondeletio rugata dicta à rugis, quibus facies externa criſpatur. Colore terreo.

53 Alia Concha rugata, intus levis, ex parte verò gibba: aliquæ rugæ tranſverſim ducuntur, ſed minus criſpatæ: ex altera parte ab umbone ad rectam lineam procedit, ex altera adverſa rotundior eſt quam ſuperior.

54 Concha à colore coralii, quo externa facies aſperſa illuſtratur coralina dicta; interna autem alba eſt, & levis.

55 Cama vocatur Concha hæc. Nomine autem Camæ aliqui ſignificari putant eas, omnes, quarum teſtæ valde ſubtiles, adeoquè minus quàm cæteræ ponderant. Aldrovandus verò eas intelligit, quarum oræ non perfectæ ubique conjunguntur, ſed alicubi patent, ut in Baiano ſatis obſervavimus. Hujuſmodi eſt præſens, in cujus valvis patet aditus in A. ad attrahendum humorem à Natura fabricatus. Varietatem habet in figura. Nam ex his alia admodum concava, alia minimè profunda, alia diverſimodè ſinuoſa, alia ad amuſſim ferè rotundatur, extrinſecus etiam in multis tuberculorum quorumdam non levia veſtigia tam benè diſperſa, ut quandoque braſſicam cucullatam, vel criſpum Intubum diceres. Intus cum argenteo quodam ſplendore aliquando vireſcit, aliquando rubet, vel flaveſcit, nonnullæ auripigmento cum nitore illuſtrantur, multæ Margaritarum albedinem purpuriſſa velatam oſtendunt, multæ æris rubiginem, flavedinem vitream multæ, & cupream rubedinem ſub ſandracca pellucida latitãtem. Pulchriores inveniuntur in Dalmatico litore ſaxis adhæreſcentes, & alibi à marinis æſtibus eructatæ.

56 Multiplici nomine exprimitur Concha hæc. *Solen* dicitur à Græcis hoc eſt fiſtula ſivè canalis, cui aſſimilatur, cum teſtæ ambæ quibus conſtat, conjunguntur, à latinis *Unguis* quem ſubſtantia, & colore imitatur. *Concham longam* eam dicunt Veneti, & alibi Italico verbo *Cannolicchio*, ſivè *Peſce cannella*. Vivit, ut Tellina ſub arena. Hæc teſta ſeptem digitos longa vix unum lata eſt. Huic ſumma cuticula ſivè membrana, qua regitur ſubfuſca eſt, vel tellinarum vulgarium coloribus pingitur, inter quos linea albidior in longum extenditur ut plurimum, interdum aqueo cianeo undulata. Utraque pars extrema retuſa, & quaſi prærupta, utraque ſemper aperta, & naturaliter hians. Copioſe in litore Veneto, & alibi colligitur.

57 Binis valuis valdè tenuibus componitur Concha hæc, & quidem ſunt ferè planæ, ut piſcis ſquamæ. Concha tenuis teſtæ videtur appellanda, extra ſcabra, & lutea, intra ex argenteo colore glaſtino velata, paulatim ad rufum cum nitore pellucidum tranſit. Abbundat in Drepanitano litore, ubi ab Incolis dicitur *Sartaniello*.

58 Concha denticulata marmorea ſubſtantia, intus candida, foris maculis fulvis ſerpentibus mirificè exornata.

59 Cama, alio nomine Clycimerydes magna, hoc eſt Cama magna dulcis: ſalſedo enim minor, quàm cæteris illi ineſt; In Iberico mari adeò creſcit, ut pedis longitudine commenſuretur. Ponderoſa eſt, & denſa, figulino colore, maculis pullis deturpato, in parte externa, quæ multiplices tunicas alias aliis ſuperimpoſitas oſtendit.

60 Concha pariter dentata, colore candido, quem lineæ ſubflavæ undas maris referentes bellè diſtinguunt.

61 Aureus color eſt huic multis præſtantiori, Circa cardinem candidæ notæ ita diſponuntur, ut ſi binæ valuæ conjungantur, formetur quaſi ſtella ſex radios habens. Hæc Concha cũ duabus prioribus deſcriptis ex Ulyſſiponenſi litore fuit delata, nũquam aliundè habita.

62 Concha è mari Gaditano habita, minutis dentibus in circuitu aſperſa. Spectabilis illa eſt colorum cauſa, quibus veluti opere phrygio videtur ornata, æque calamo, ac penicillo difficilibus, ut exprimantur. Sabflavum enim colorem, quo tota tegitur, albus, rufus, viridis, fulvus glaſtinus diverſimodè confuſi, & temperati diſtinguunt. Forma ejuſdem exprimitur à figura.

63) Conchæ faſciatæ, non minùs pulchræ,
64) quàm cæteræ. Tales dicuntur à faſciis, quibus exornantur. Hæ enim caſtaneo colore in rubrum propendente, ac pellucido, ità diſponuntur à cardine imam oram verſus, & ex uno latere in alterum, ut multis in locis interſectæ, aliiſque aliis ſuperimpoſitis majori coloris denſitate dupplicatum velum videantur. Notantur inſuper maculis rubicundioribus veluti muſicæ notis, aut muſivi operis fragmentis pellucida ſandracca nitentibus. In parte concava leves, & candidæ, ut parius lapis; Pulchriores: Tarentino in mari generantur, quas Incolæ à cæteris inferioris notæ diſtinguunt: vocantes patria voce *Camadie*.

65 Con-

65 Concha levis, & fasciata, subtili teretique testa, in concava parte cianea, in convexa verò livida, zonis castaneis, & subflavis cincta.

66 Concha levis albida, in parte gibbosa lineæ furuæ, & sanguineæ, ità serpunt, ut angulos acutos sæpissimè efforment.

67 Alia ex levibus Conchis flavedine quadam aqua diluta colorata, maculas insuper habet subvolturinas, & sanguineo colore punctatim, & diversimodè notatur. His tribus Conchis Neapolitanum litus abundat.

68 Concha satis nota in cænis, estrea Latinè dicta non Ostreum. Significantur enim hac voce, ut bellonius notat, omnium Concharum Testæ, quæ scabrosæ sunt, & immobilitèr terræ adhæresçunt. Huic admodum crassa, valida, & ponderosa testa est, figura subrotunda, & inæqualis. Item valuæ inæquales, & dissimiles, scilicet altera plana, altera cava, utraque verò extrinsecus rugosa, & aspera admodum, at non striata. Intus autem levis, & albescens cum argenteo quodam nitore, foris color ferè fuscus: ad semipalmarem longitudinem Conchæ diameter aliquando excrescit, at in Indico mari, Vasco Gama referente, hæ Conchæ quasi umbellæ magnitudinem implent.

69 Concha Canaliculata, & squamis aspera, ad Drepanitanum litus maris æstuantis violentia ex Arcipelago delata Drepanitani marmoris albedinem æquat. Artificiosa quadam dispositione squamæ quædam in striis elevantur, sed aliquantulùm plicatæ, ut scobina scalpro elaborata videatur, nec facilè à calamo exprimenda.

70 Concha parum excavata, & quasi perfectè circino rotundata; in utraque parte albescit, in externa minutissimæ strigæ à centro ad marginem producũtur, aliis lineolis in transversum incisis corrugatæ. Ab Oceano Occidentali in lucem edita, mirum Naturæ artificium ostendit.

71 Concha longis strigis canaliculata, in quarum singulis è cardine ad oram veluti crista eminet minutatim serrata, colore puniceo.

72 Concha rugata albo colore tecta, quam subminius, citreus, puniceus, & palearis color distinguunt. Pulchriores deferuntur à Lusitanico mari.

73 Concha frequentissimè visa in litore Centumcellarum, & aliis adjacentibus Ethruriæ. Pars convexa striis excavata; ex albo sulphureum colorem induit in uno latere, & ex eodem aliquantulum nigricat. Ubi testæ conjunguntur denticuli frequentes in linea recta dispositi.

74 Concha Indica non dissimilis à superiori, nisi solo labro in altera parte magis extenso, ut plurimum alba, interdum ex albo nigrescit.

75 Alia sulcis magis profundè excavata, luteo colore in mari Italiæ Mediterraneo abundè generata.

76 Concha à Rondeletio Longa dicta; verum quia longitudine alias multas, quidem diversas æquat, nomine, quod Plinius eidem imposuit à cæteris illam distinguemus vocando Camam Peloridem, Camam quidem, quia Camis assimilatur, quarum testæ non perfectè clauduntur, ut num. 56. notavimus; Peloridem, quia propè Pelorum Siciliæ montem frequentissimè invenitur, aut quia, ut Atheneus asserit, Peloron rem magnam, & miram significat, Magnitudo tamen similis illi est, quam figura hic exibet. Valdè pulchra est visu, colore albo circa cardinem distincto fasciis roseis, quibus binæ notæ candidæ radiorum instar ab eodem cardine extensæ superimponuntur; rugas, quibus in girum crispatur, aliæ minutiores ità transversè discindunt, ut dupplicitèr corticosa videatur.

77) 78) Conchæ oblongæ, & angustæ. Italico sermone dicuntur *Cozze*. Ambæ striis leviter rugosæ, colore castaneo, & albo, similiter notatæ. Dissimiles tamen specie sunt. Indicata enim à num. 78. semper hispida, & pilosa cute superinduitur, frequens est in oris Siculis post maris spumeas procellas.

79 Concha testa admodum crassa, & firma, in margine dentata. Prodigiosa est cute, qua tegitur oloferico villoso simili, adeò mirificè à Natura texto, ut eidem aptari possit, quod, S. Hieronymus de Floribus dixit, nempè, *revera quod sericum, quæ Pictura textricum potest Floribus comparari?* Colore è rufo nigricat, at circa cardinem rubet, in concava parte ex albo nigrescit oram versus, in qua colorem lienarem etiam ostendit. In mari Tarentino Piscatores deprehendunt, vocantque communi voce Nucem Pilosam.

80) 81) Concha Indica in diverso prospectu representata, & quidem pulcherrima visu. Ponderosa propter substantiam marmoream, qua formatur, nec à pario marmore differt colore, supra quem notæ puniceæ, & roseæ sinè ullo ordine variis in locis flexuosè excurrunt, à centro ad oram striæ admodum crassæ, & profundæ diriguntur.

82 Concha Imbricata; in striis enim veluti tectorum imbrices corio lapideo aliquantulum elevato effiingit, adeò mirificè dispositos, ut difficiliùs eos sermone exprimas, oculis verò usurpes jucundiùs. E rubro mari defertur,

fertur, interdum quindecim librarum pendera habens, colore autem eſt puniceo ſivè marmoris Tiburtini.

83 Concha alia imbricatim undata non impari Naturæ artificio, Venuſtatem illi addunt canaliculi in ſtriarum depreſſionibus rectà è cardine excurrentes. Ex Orientalibus Indici maris ſinubus in Europam delata mirum ludentis Naturæ opus in Principum Pinacothecis, & Fontibus regiis ſumptibus exornatis, ſua forma oſtentat.

84 Concha ferè perfectè rotundata, à cardine ad oram ſtriata ſulcis veluti ab aratro factis, nempè duo latera in angulo acuto deſinentia habentibus. Planum eſt intervallum quod unum ab altero ſeparat, at aliquantulum rugoſum: ſulcos eorumque ſinus lineolæ caſtanei, vel crocei coloris ſinuosè ita contexunt, ut opus ſegmentatum, & phrygium videatur, rarò invenitur in litore Siracuſano.

85 Concha Faſciata inter cæteras præſtantior, & non ubique obvia. Teſta leviſſima, argentea veſte ſuperinduta, faſciolis oloſerici nigri ſegmentata, in gaditano litore accepta!

86 Concha eltera parte profundè quidem excavata, altera ferè plana, ut Pecten maximus. Striæ parum profundæ quo magis à margine recedunt cardinem verſus, eò minùs apparent, & in planam teſtam ibeunt. Intus colore candido, foris caſtaneo. In Mari Indico naſcitur.

87 Concha propter formam Piriformis dicenda canaliculis rotundis minutatim ſulcata. Albo colore, & circa centrum citreo, & ſubviridi, tribus inſuper undis fulvis notata. Naſcitur in Mari Indico.

88 Concha ſtrigis ſemicircularibus ſulcata, ſtriis verò perfectè planis, ſupra quas veluti veprium acumina ritè diſpoſita eminent alba colore, frequens in litore Adriatici ſinus.

89 Concha Indica viſu prodigioſa, ſinuoſis rugis aſpera maris undas favonio criſpatas repræſentat, inter cæteras hoc ſingulare habet in criſpis, quòd ita diſponuntur, ut in media teſtæ facie à cardine ad oram, in altera verò parte ex uno latere ad aliud excurrant, & ſi tunicæ quibus componitur detegantur; tranſverſo, & miro opere contextæ videantur: maculis furui, vel caſtanei coloris Inſularum inſtar, in mari ſine ordine diſpoſitis notatur.

90 Concha ſimilis deſcriptæ num. 87. coloribus mirifico opificio depicta. Sulci parum extant, teſta verò admodum excavata, diverſis coloribus ſimul miſtis, ita aſpergitur, & fucatur, ut opus acu pictum in lapide expreſſum videatur.

91 Concha ſtriata umbone roſtrata vinoſo colore terreis maculis diſtincto.

92 Bucardia dicitur hæc Concha à forma, qua Bovis cor exprimit. In profundiſſimis Adriatici maris partibus propè Dalmatiam ſtabulatur. Teſta tenuis, & friabilis eſt, in parte concava eburnea, in convexa cutem habet firmè adhæreſcentem colore ſubrufo, qui à cardine magis recedens, magis luteus, & rubiginoſus evadit.

93 Concha, quæ à Latinis dici poteſt Echinata ſtriata; ſulcatur enim rotundatis canaliculis, ſupra quas ſpiſſæ ſquamæ eminent altera alteri perfectè coaptata, ac ſuperimpoſita. In mari Rubro, ſivè in ſinu Perſico generatur. Plurimi ab omnibus habetur non formæ ſolùm elegantia, ſed colore exuberanti roſarum, quo in parte concava videtur imbuta.

94 E litore maris Atlantici delata Concha hæc ſulcos dupplicatos, & veluti capillorum trices contextos oſtendit, colore, ut plurimum ſubflavo, in ſtriis verò aliquantulum rufeſcenti. Cingitur inſuper pulcherrimis zonis fulvis, helvacèis, & rubeſcentibus in limbo evanidis, multiplicique in loco paulatim decoloratis.

95 Etiam hæc alia in Maſſiliano litore inventa, Echinata ſtriata dicenda merito eſt. Strias enim magis inter ſe diſtantes armatas habet aculeis rotundis, & robuſtis ad vulnerandum aptiſſimis. Color illi eſt ex fulvo, & citreo, punctiſque rubidis aſpergitur.

96 Nux maris dicitur Concha hic poſita, Tarentino in mari, & alibi frequens. Striæ valdè ſpiſſæ, & rotundatæ colore albo fulvis, vel rufis maculis notato.

97) Concha ſtriata Echinata ſubrotunda, à ſuperiori diverſa ob diſtantiam ſtria-
98) rum majorem, aculeis non hiſpidè ſpinoſis, ſed pinnarum inſtar leviter criſpatis, colore oſſeo, vel puniceo. Naſcitur in Adriatico.

99 Concha faſciata dicta à Tarentinis *Camadia de Luna*, quia in plenilunio impinguatur. Teſta craſſa, colore albo, furvis zonis cincta.

100 Nuces maris ab aliis diverſæ in parte concava candidæ, in convexa ex albo flaveſcunt: ſtrias habent zonis diverſimodè flaveſcentibus, caſtaneis faſciatas. Abbundant his litora Italiæ, ſed pulchriores mare Affricanum producit.

101 Concha in parte externa aſpera ob criſtas, quæ in ſingulis ſulcis quibus ſignatur, eminens, plumbeo colore, & braſiliano in litore reperta.

102 Tellina in litore Brasiliæ frequens fere rotunda, & lineis quibus leviter corrugatur valde spectabilis, in binis partibus laterum oppositis totidem complanatas depressiones ostendit, quarum angustior cordis formam exprimit. Diversimode pingitur à violaceo colore, reliquæ autem partes fulvo tinguntur circa centrum paulatim albescente.

103 Tellina in litoribus Europæ vel nunquam vel rarò visa, in Brasilienſibus verò frequens. reticulato opere illam dices circumtectam, colore autem plumbea est, sed ut plurimum fulvo maculata.

104 Tellina quam pariter Brasiliæ litus producit antecedente levior, & subtilior, lacteo candore albicans multiplici tunica videtur composita, ob lineolas, quibus signatur, supra quas aliæ lineæ transversim ducuntur eo modo quo hic expressas vides.

105 Concha Brasilienſis niveam albedinem ostendens è centro circumferentiam versus ita dilatatur ut elipticam figuram potius imitetur, non circularem. Sulcis profundis signatur, quorum partes eminentes imbricum dispositionem simulant, cortice levi ac fragili, ideòque rarò integra obtinetur.

106 Tellina è mari Brasiliæ habita, magnitudine aliquando fere semipalmarem longitudinem æquans. ejus color ad cæruleum inclinat, supra quem fascia vinosa, & carnea extenditur, ubique autem valde pellucida est, & nitida.

107 Tellina alia in eodem mari frequens, digitalem crassitiem, & longitudinem æquans, ubique candida.

108 Concha quam subjicimus nunquam visa inter tot diversas species, quas è multiplici maris sinu industrius labor obtinuit. In pectinum genere videtur enumeranda, quibus assimilatur. Binis constat valvis fere omnino complanatis, ubique nitida est. Utraque pars intima lactea est, inferior externam faciem habet candidam superior zizifino colore rubescit. In hac lineæ apparent rubræ in nigrum vergentes, quæ à centro ad circumferentiam ductæ illam in partes fere æquales dividunt, sicuti circa centrum aliæ lineæ sunt inæquali intervallo positæ. Utraque autem facies interna lineas habet à circumferentia in centro coeuntes, & in superficie eminentes, ac si fila glutine aliquo illi addita essent, quæ nota peculiaris distinctionis est, cun in cæteris pectinibus internæ facies perfecte levigatæ appareant, externæ verò striatæ.

109 Concha imbricata quæ inter Testacea bivalvia non infimo in loco ponenda est. Color illi est candidus, quem tubercula cruenta distinguunt.

110 Concha duobus valvis constans leviter imbricatis. Dicitur cor Veneris eò quod cordis figuram habeat, quando clausæ, & simul connexæ videntur. Summo pretio habetur quia, rarò invenitur. Ubique candida est.

111 Tellina indica, & rara sicut sunt aliæ duæ proxime hic describendæ. Videtur ex ebure formata ob albedinem, & levorem. Supra dorsum binarum valvarum lineola ex fulvo ad nigrum inclinans sine inflexionum ordine serpit.

112 Pellem Cameli asperam sua cute imitatur, quam hic vides, inter omnes fortasse hujus generis protiosissimam. Ampliori circumferentia, quam cæteræ quasi perfecte rotundatur magisque explanatas habet valvas. Color illi est subalbus, quem circa centrum dispositæ ternæ fasciolæ flavidæ dividunt in partes æquales, maculæque aureæ signant sine ordine dispositæ.

113 Convenit hujus forma cum aliis, sed gibbositate aliquantulum magis tumescente diversa. Eodem colore albo tegitur, quem maculæ flammularum formam exprimentes inæquali intervallo inter se distantes discriminant redduntque illam in genere Bivalvium æque pretio habendam, ac visu speciosam.

114 Concha brasiliano in litore generata. Tiburtinum lapidem colore imitatur, levigata est in parte interna, in externa verò sulcis parum profundis corrugatur.

115 Cama leviter rugata, colore carneo, qui circa centrum ad roseum, seu purpureum inclinat, & ab eodem oram versus tres radii sparguntur.

116 Tellina brasiliano in litore frequens, minutissimis crenulis signata; Intus purpureo colore saturatur, foris ex carneo albescit prope circumferentiam.

117 Concha binis valvis compacta, in ora Brasiliæ frequens. nunquam in litoribus Enropæ adjacentibus visa, licet in illis multæ figuræ similes copiose producantur. Ejus præcipua nota distinctionis est summitas sulcorum non semirotunda, ut cæteræ ejusdem generis, sed plana, & transversim minutissime crenata.

118 Concha bivalvis, cujus testæ conjunctæ optime levigatæ sunt, & pellucidæ. Maculantur iu externis, & oppositis faciebus infectis auro diluto, aliquibus maculis fulvis ad sanguineum inclinantibus. Alterum ex duobus lateribus aliquantulum explanatum cordis figuram simulat, in quo lineolæ coloris ex viridi, & rubro simul confusis serpunt. reperitur in oris Brasiliæ.

119 Non abſimilis forma eſt hæc alia inter arenas etiam braſilienſes generata, ſed mole antecedenti præſtat. Ex binis valvis, quibus conſtat, una hic ſubjicitur, in qua repreſentantur maculæ undas maris ſimulantes ſine certa diſtributione inflexionum. Colore aureo illæ formantur, qui ſupra oſſeum ſeu album, quo tota concha inficitur, optime nitent, nec æquali coloris intenſione formantur, ſed varia, paulatim circa extrema ita evaneſcente, ut oloſericum opus perfecte imitetur, quod vulgo dicitur *Punto franceſe*. Ejus circumferentiam faſcia non parum lata comitatur coloris flavidi, in quę lineolæ fulvæ tranſverſim ductæ in partes inæquales diſtinguunt. intus candida eſt, & ubique pellucida gummi velata.

120 Tellinam ſeu potius conchamlevem dicam, quæ ſub hoc numero apparet. Indicum mare illam produxit figura oblonga, & minutis crenis circa centrum corrugata. In parte interiori nitida apparet, colore helvaceo in album propendente ſaturata; in exteriori verò tophaceo, ſupra quem lineolæ nigerrimæ ita diſcurrunt ſine ullo ordine, ut plurimis in locis inflexæ angulos modò acutos modò obtuſos reticulati operis inſtar efforment.

121 Concha Braſiliana cuſpidata. Sic eam appello ob cuſpides, quas in lateribus teſtæ craſſæ, & ponderoſæ emittit. Tota criſpis circa centrum ductis corrugatur. Color illi eſt albicans cum amethyſtino confuſus in parte gibboſa; in concava verò albeſcit.

122 Oſtreum Papuanum ſic dictum à litore indico, ubi generatur. Duplici conſtat teſta, Ambæ inter ſe ita concurrunt ut ab A ad E lineam rectam efforment, minutiſſimis crenis aſperam quibus connectuntur. In B. centrum eſt, ibique ligamentum valvarum inhæret. Ex hoc ſtrigæ valde exiles, & ſpiſſæ originem habent, & quo magis ad extremitatem accedunt, eò ampliores fiunt. Non tamen in utraque parte ſtrigis hujuſmodi aſpera eſt, nam ea facies quæ litt. B. C. indicatur fit aſpera rugis, quæ circa centrum B. diſponuntur, nulla ſpatii æqualitate ſervata, ſed lamellas ſeu ſquamas: efformant alteram alteri neglectu quodam naturæ ſuppoſitam.

123 Deſignat numerus hic Oſtreum idem ex altera facie viſum, intus ex albo flavum apparet, cutis verò externa tophacea eſt & lurida.

124 Concha è Bajano litore Braſiliæ tranſmiſſa, magnitudine, quę delineata apparet: binis componitur valvis fragilibus, & levigatis. Appendices illis prominent ſubtiliſſimis plicaturis corrugatæ. Colorem habet albam in flavum propendentem, & ſæpe in ſubnigro confuſum.

125 Eadem concha duplici teſta compoſita in ea facie repræſentata, ubi centrum, & appendices ambæ conſpiciuntur.

126 Concha indica valde nitida tum in cõvexa tum in concava facie. In hac alba eſt, illam verò plures ſimul confuſi colores eleganter exornant; quippe carneus cum albo, albus cum fulvo undas maris imitantur.

127 Concha duplicibus valvis compoſita, quæ à centro ad circumferentiam rotundis ſulcis dividitur, Hos maculæ caſtanei coloris ſine ordine diſpoſitæ exornant.

128 Concha ex inſula Amboino in Italiam translata. Illam conchiarum omnium pulcherrimam dicam ob elegantiam, qua in ea fabricanda uſa eſt Natura. Duplici ſerie ſtriarum corrugatur; altera earum, quæ de centro ad circumferentiam extenduntur, altera earum, quæ circa centrum ducuntur. Inter has inciſuras oſtendit adeo minutas, pulchro ordine diſpoſitas, ut ſubtili ſcalpro additæ videantur. Undique candidiſſima eſſet, niſi in concava parte flavedinem quamdam oſtenderet: propter raritatem conchas cæteras pretio ſuperat.

129 Concha indica in litore Amboini reperta fere perfecte rotunda, ſtrigis valde tumentibus dividitur. In utraque parte candido lacte ſaturata, quod ſine ordine maculæ ſubnigræ non deturpant, ſed exornant.

130 Oſtreum ex Inſula Amboino allatum. Illud in ſuo Catalogo etiam exhibuit Martinus Liſter, vocavitque Pectinem anguſtum margine, & auribus productiſſimum. Malleum manubrio inſertum poſſet appellari. ſeu potius notam Ægyptiam T. videtur imitari ejus forma. Duabus valvis componitur, in externa parte undique inæqualibus ob frequentes ſquamas, colore tophaceo, terreo, & ſubviridi maculatas, quibus ſine ullo ordine videntur compactæ. Intus plumbeum nitorem referunt; Longitudine ſua fere palmum attingunt.

131 Tellina fere rotunda, & craſſa, aliquantulum in utraque parte gibboſa. Partes exteriores coloris ſubalbidi frequentiſſimis crenis circa centrum ductis corrugantur, ſupra quas lineolæ ſubnigræ in angulos acutos inflexæ tranſverſim ſine ordine ſunt additæ.

132 Pecten cum duplici auricula ſtriatus minutiſſimis ſulcis, ſeptem inſuper veluti plicaturis majoribus criſpatur, ſupra ſingulas earum quatuor pulvilli intumeſcunt; colore purpureo ut plurimum ſaturatus apparet, aliquando igneo, & aurantio ſimili. E Braſiliæ litore obtinetur rarò, & ideò magno pretio habitus. Bini hujus generis non vulgaris magnitudi-

nis integri, & pulcherrimi servantur in Musæo Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ. Unum mole minorem in claſſe Teſtaceorum collocavi.

133 Ejus fragmentum hic appoſitum cernitur, in litore Pernambuci inventum, vel undarum ſævientium impetu, vel caſu alio hoc acciderit, utrumque ſane deplorandum, quòd integrum Naturæ opus inter cætera Bivalvia ſpectare non liceat. Pretioſum illud merito dices, non ſolùm quia in remotiſſimis ab Europa litoribus obtinetur. ſed quia partium compoſitione, & coloris præſtantia in Teſtaceis rariſsimis elegantiſsimum eſt. E particula hic ſubjecta totius integræ conchæ ſtructura arguitur, tanquam ab ungue Leo, vel ab ingenti coloſsi membro ejus magnitudo, ſicuti ingentem molem ſimulacri ſolis prope Rhodum à terremotu proſtrati deducebant, qui pollicem ejus manus amplecti non poterant. In eo pars illa, quæ in cæteris fere plana eſt, vel in radios à centro ductos diviſa, ſulcis habet profunde excavatam, quorum ſummitates rotundatæ & in plures pulvillos efformatæ, minutiſsimis inſuper ſtrigis ſignantur, ita ut non è teſtacea materia ſed lineo velo molliter complicato efformatæ videantur. Balauſtino vel Sandychino ſaturatur colore, pars verò interna candida ſandracca tegitur.

134 Tellina indica ovali fere figura abſoluta minutis crenis criſpata, colore fere candido, ſupra quem lineæ furuæ ſine ordine detruncatæ ſerpunt.

135 Oſtreum Amboinicum duabus valvis conſtans, quæ parum craſſæ fere complanatæ apparent Earum ſubſtantia folioſa eſt, & fragilis. In parte externa parum extantibus rugis veluti ſquamis corrugatur, colore terreo, ſubflavo, cum porraceo miſtis maculatur. In parte interna plumbeus, & roſeus cum flavedine quadam confuſus nitet.

Hactenus de Conchis bivalvibus. Impoſsibile enim eſt omnes recenſere, quas non ſolùm Muſæum, ſed totius Pelagi fœcunditas calamo deſcribendas ſuppeditaret. Triginta quinque ſupra centenas ſpecies propoſui, ut aliquas indicarem, eas ducens fore Naturæ perſcrutatoribus non injucundas. Claſſem modò ſubjiciamus Tertiam, qua non ſolùm numero plures, ſed viſu delectabiliores complectuntur.

CLASSIS III.

Comprehendens Teſtacea Turbinata.

1 COncha potiùs quàm Cochlea exprimitur in figura præſenti, in qua os teſtæ valdè anguſtum videtur more Concharum. Turbinata tamen eſt in parte, qua labrum inflectitur, abſconditque ſub ſe ſpiras, quibus circumducitur. Cardo, circa quem turbinatur, aliquantulum eminet, illumque tubera quædam aculeata coronant. Colore exprimit candidum marmor; maculæ quædam caſtaneo, vel violaceo colore certo ordine, ac intervallo in girum diſpoſitæ inſtar operis ſegmentati duabus Zonis eam cingunt in medio. Pars concava nitet, ut Porcellana Sinenſis: ab aliquibus velum nauticum vocatur propter figuram, in qua navium carbaſus exprimitur, *Latina* vulgo dicta. In Perſico mari colligitur.

2 Cochlea eodem nomine ſignificata, at à cæteris valdè diſcrepans, in centro hujus eminet quoddam tuberculum Balano ſimile. Colore, quem habet carneum, ſquilliticam cepam refert in parte gibboſa, in concava verò è carneo albicat perfectè levis, & nitida. In Indiis Orientalibus frequens, & apud inſulas, quas dicunt Philippinas invenitur trecenis libris ponderans, eaque in arte coquinaria ad carnes elixandas, & in Templis pro aqua luſtrali ſervanda Incolæ utuntur.

3 Cochlea quaſi omninò in Concham vulgarem explanata, intus livida extra caltea: è litore Hollandico habui, binas verò alias huic additas ex Siracuſano mari. Patet in earum centro foramen valdè profundum, circa quod orbes occulti producuntur; Mirificè pinguntur à Natura: ut plurimum colore leucophæo, aut violaceo diluto: teſtæ coloribus luteis, ravis, câſtaneis, luridis, & roſeis punctatim notantur, In parte interiori lividæ, vel cinereæ.

4 Rotundiores ſuperioribus ſunt iſtæ Cochleæ, quarum labrum in medio ore ſatis aperto inflectitur, multæ ex his colore vinato, aliquæ badio, multæ ſanguineo, vel violaceo aſperſæ. In parte externa albæ, teſta admodum ſubtili.

5 A terrenis Cochleis hæc non differt, niſi colore, quo præclara redditur. Binas è litore Oſtienſi propè Romam Amicus ad me tulit poſt maris procelloſi alluvionem, quarum altera ſulphureo flaveſcit, & linea oſtrina ſubnigra per medias ſpiras circumvoluta circumdatur, altera verò roſeo dilucido pulchrè purpuraſcit.

6 Expri-

6 Exprimit testa hæc Cochleam num. 2. positam, at aliquanto magis abbreviatam, & rotundam, magis etiam in cardine prominente instar glandis, exprimuntur orbium circumvolutiones. Hujusmodi aliquas habuimus è litore Iberico, colore varias: alia enim albido pingitur, alia livido, carneo, vel figulino, maculis nigris notato.

7 Cochlea In Rubro mari generata, gravis pondere, colore eburnea, circa labrum quo finitur, plicas minutas indicat veluti in tela Ollandica crispa: Ex oris apertura magis longa quàm lata dente quodam exerto quasi in duas partes dividitur.

8 Levem testam habet hæc Cochlea tribus orbium anfractibus finita: colore flavo sive citreo, in majori orbe nigricant lineolæ flexuosæ, in altero verò striæ parum excavatæ sinuosè serpunt.

9 Olearium dixerunt hanc Cochleam Veteres, eò quòd lucernæ loco, vel pro mensura olei eadem uterentur. Peponis magnitudinem æquantem Indiarum Incolæ expiscantur. Cortice veluti marmoreo, & crasso tegitur, quo si denudetur pulcherrimum margaritarum nitorem ostendit, vel ut gemma, Eliotropium dicta, multicolor apparet. Inter pretiosa vasa aureosque calices supra Principum mensas ob ejus venustatem reponitur.

10 Conchylium Rondeletii fortasse est Cochlea hæc, eo enim nomine, licet generico, videtur indicata cùm dixit: *Conchylium ea parte latius qua in turbinem desinit, sine aculeis, & tuberculis, foramen non rotundum, ut in Purpura, & Buccina, sed longum.* Ab eadem purpureum colorem produci Plinius asserit, at quia eodem nomine generico, & universali, ideò de veritate historiæ dubitandum profecto est. Pro comperto tantùm habemus multiplices Testaceorum species ab ejus pulchritudine superari: colorem enim album ostendit, maculis quibusdam ità notatum, ut vestem Attalicam auro, argento, & multicolori oloserico textam imitetur. Quare Galli in excogitandis Cochlearum aptis nominibus non minus ingeniosi, quàm in Floribus significandis Belgæ, eam *Drap d' argent*, Hoc est argenteum textile, nominarint.

11 Cochlea Cælata antonomastice dicta, eò quòd operculum habeat inter cætera singulare. Omnium enim Cochlearum calci adnascitur operculum, inquit Aristoteles, *quod carni hæret, ut unguis noster*, & ab Animali intra testam ductum, illam perfectè claudit; quapropter idem Aristoteles docuit omnia Testacea dici posse Bivalvia. Multis in locis frequenter reperitur, sed non in omnibus æque pulchra. Omnis quidem crasso scabrosoque cortice coloris lutei tegitur tanquam trilici ferreoque munimento loricata, in quo innumeri penè pulvilli, strigæ, squamulæ, & filamenta crispata, adeò pulchro ordine disposita apparent, ut opus phrygium in rudi corio acu pictum diceres. At si decorticetur margaritarum nitore decoratur, & tubercula supra orbium circumvolutiones spirali dispositione recurrentia, eò minora, quò magis ad mucronem accedunt, margaritæ bifariam divisæ videntur. Quamobrem Cochlea Perlata dicitur à nonnullis.

12 Alia ejusdem speciei sine cortice eodem margaritarum nitore præclara, sed in diverso prospectu oculis repræsentata.

13) Duplex operculum earum; In alterius
14) superficie plana spiralis linea apparet, qua tota massa lapidea videtur in orbes circumflexa. Pellicula hæc tegitur colore fulvo, oleacino, cum tophino misto, cæterum intus eburnea. Alterius verò facies illa est, quæ Animali adhæret, aliquantulum labrosa, in margine depressa circa centrum. Colore, ut plurimum igneo, vel arantiato, vel balaustino, aut carneolo, quem subviridis cum terreo mistus circa centrum deturpat. Umbilicum marinum propter similitudinem cum umbilico vocatur à multis, à quibusdam Belliculum, à nonnullis Lapis S. Margaritæ, & oculus S. Luciæ, fortasse propter virtutem astersivam humoris oculis noxii, aut quia contra venenatas oculorum fascinationes infantes juvare creditur, idcirco collo eorum appendunt tanquam pretiosum amuletum. Augustinus Scilla agens de corporibus in lapides conversis in epistola, quam satis eruditè scripsit, ova potiùs Cochlearum esse sibi suadet, sive animalcula abbreviata, nondum perfecta, & ab eisdem Cochleis generata, At alibi examinanda res est.

15 Cochlea unò prospectu visa non dissimilis ab alia descripta num. 1. ex altera verò Piriformis apparens. Ex Indico mari defertur fragilem, & subtilem testam habens sub veste admodum eleganti, reticulato quodam opere distincta, colore vinoso sive carneo, cum maculis mustelinis sine ordine dispersis.

16 Nivis candorem imitatur hæc Cochlea, quæ Papiracea substantia videtur compacta, at non plicatili. Semicircularibus canaliculis distinguitur, inter quos striæ ferè planæ maculis flavis tessellatæ.

17 Cochleæ eodem modo canaliculatæ similibusque notis distinctæ. Testam habent superiori crassiorem, os valdè labrosum, & valvulis coronatum, in cujus extremitate foramen profundum patet; ex eodem cuticula quædam supra orbium maximum distenditur quasi glutine aptata. In Siculo mari collectas habui.

18 Cochlea maris Mediterranei, dicta à Rondeletio *Echinophora* à tuberculis, quibus spiræ frequenter gibbosæ tumescunt, & proportione servata diminutis. Candida colore sed rara.

19 Echinophora frequentissimè ad victum collecta, figura alteri similis, colore autem tophaceo, vel murino.

20 Cochlea à nemine observata, & Ulyssipponensi in litore reperta, in parte concava colore candido, carneolo in gibbosa. Hæc insuper transversis lineis tanquam scalpro incisis rugata, punctisque fulvis aspersa. Ex binis oris labris alterum inflexum prominet, alterum verò supra maximum orbem expansum crenulas abdit; Eidem ligula quædam adjacet, bifariam cingens testam, quatuor notis ex fulvo nigricantibus distincta.

21 Proximè superiori in plerisque notis similis est Cochleæ hujus testa, at sine ligula & maculis; Differt etiam labro turgescenti, & triplici plicatura glomerato.

22 Cochlea ex novo Hispaniæ Regno Americano ad præclarum Virum missa. Marmoream substantia suo pondere refert; rotundis striis ubique crispata, orbium anfractus, ita prosequentibus, ut ubique veluti funiculis cincta videatur. Os à cæteris diversum illi est. Videtur enim, quà mucro orbibus finitur, strictè strangulatum. Solet ab Indis Americanis foliata pictura argento, auroque mista decorari ad mensas, & Altaria exornanda.

23 Levis testæ Turbo in mari Adriatico frequens, subtilissimis crenis crispatus, colore lapidis Tiburtini, tribus supra decem orbibus, licet mole parvus, extenditur.

24 Major mole hic alter Turbo decem tantùm orbibus finitur, valdè autem illi tumescunt omninò levigati, Color inest illi marmoreus subalbidus, & aliquantulum vetustate flavescens.

25 Cochlea quasi funiculis spissis cincta, & in spirarum ductibus diminutis, colore terreo, & violaceo diluto bicolor apparet.

26 Inter pulchriores recensenda est hæc Cochlea extero in mari Indiarum progenita, & partium fabrica elegantissima. Cochleam depressam vocarunt Nonnulli ob figuram quasi planam, mirum Naturæ artificium in ea non distinguentes. Figura hic expressa ejus faciem planam ostendit, in qua Cochlidii gradus, cò minores, & angustiores, quò magis ad anfractuum centrum descendunt. Nituntur autem lateri veluti muro, ab ore usque ad imum mucronem turbinato, atque Cochleatos anfractus à Cochlidio dividente, illumque duæ lineæ candidis, & castaneis maculis alternatim tessellatæ in utroque limbo comitantur in parte externa, ubi tessellati lineares orbes recurrunt. Fimbria ejus est eodem colore sinuosè dispositò, alteramque testæ faciem exornante, maculata.

27 Ea est, quæ sub hoc numero ponitur parum elevata quamvis gibba, lacteo colore imbuta; lineis partim furvis partim colore castaneo tessellatis exornatur.

28 Convenit hæc Cochlea cũ altera num. 17. descripta, in strigis, & maculis. Basim autem planiorem habet: ubi striarum orbes deficiũt, Umbylici forma apparet, quamobrem dici potest umbylicata. In summitate oris plicaturæ omnes simul glomeratæ quasi galericuli cirrum eleganter efformant, Colore ubique est candida, & adeò pellucida, ut notæ externæ ex rubigine rufescentes etiam in parte interna distinguantur. Ex Indiis Orientalibus habetur.

29) Hujus characteristica est quidam sinus
30) cavus velut Umbylicus, unde Cochlea umbylicata dicitur, ab aliquibus verò Tigris nominatur, supra colorem eburneum, quo pars extima tegitur, atræ maculæ miro quodam ordine sunt dispositæ, si verò lapideo quasi cortice denudetur argenteum margaritarum candorem ostentat. In Malabarico sinu invenitur.

31 Argenteam substantiam Conchæ margaritiferæ habet hæc alia Cochlea ex litore Ollandico habita, horrida æquè, ac venusta, inter cæteras non minoris pretii est. Corticem enim habet loricatum, asperum, & tuberosum: frequenter racemosa cornicula quædam glomerata, & canaliculata ex eodem ita eminent, ut licet ex lapidea substantia formata, ex molli cera videantur brassicam cucullatam ad vivum exprimere. Multicolor dici potest, cum puniceo, terreo, viridi, violaceo, atro, sexcentisque aliis dilutis coloribus sit aspersa.

32 Ad aliud Cochlearum genus transeundum nobis est, quas Turbinis nomine significabimus. Turbo autem ille dicitur, qui ex ore lato paulatim productus in acutissimum mucronem definit, quare magis longus est, quàm latus, Cochleæ verò orbibus minus extensis magis latæ sunt quàm longæ. Plurimæ inveniuntur Turbinum species, & omnes admodum pulchræ. Turbo indicatus ab hac figura non solùm extenditur orbium circumvolutionibus, sed ipso ore, quod ori Purpurarum valdè simile est, beneficio canaliculi, quem ad finem utilem, licet nobis ignotum, Natura fabricavit. Colore carneo, aut subflavo, multis in locis frequenter reperitur.

33 Turbo nivea albedine candidus, & levigatus. In tribus Orbibus quibus finitur, ex albo nigricat, atro colore mucro induitur. Possent hoc loco depingi alii figura similes coloribus

ribus flavis, rubeis, sanguineis, leonatis, tophaceis diversimodè mistis diversi. Juxta Syracusas, & Catacense litus copiosè habetur.

34 Turbo strigis semilunaribus, striis autem planis rugosus, frequenter invenitur albus, vel plumbeus, aliquando flavescens, & violaceo colore in aqua diluto tinctus, rarò punctis fulvis, & rufescentibus aspersus.

35 Æquè spectabilis est hic alius, ubique sinuosis lineis tam benè sulcatus, ac si essent scalpro incisæ. Osseum colorem habet, & cum binis aliis superioribus in Adriatico generatur. Parva molis illi est. Hujus tamen, sicuti & aliorum ejus generis magnitudinem Microscopii ope amplificatam exhibebimus, ut clarius abdita partium structura in rebus licet minimis oculis patefiat.

36 Turbo inter Cochleas potiùs numerandus, ore longo angusto, & denticulato, ut in Concha Venerea, colore albo, cum notis fulvis, vel rufis cum albo paulatim confusis. Sulcis, æquali spatio divisis, distinguitur, & opere quasi tessellato, propter maculas nigricantes, decoratis.

37 Turbo, orizæ magnitudinem non superans; at si mole parvus, maximè quidem venustus, tribus coloribus, à quibus eleganter distinguitur; flavo enim tegitur, supra quem fasciola candida piceis maculis tessellata lineam spiralem format, orbesque testæ inclusos indicat, & pellucida veluti sandracca superinducta undique nitet.

38 Turbo cinereus sinvosè productus cum striis nigricantibus.

39 Turbo albus, & levis, in quo orbes videntur turgescere beneficio ligulæ astrictoriæ, quæ supra eosdem ab ore usque ad mucronem circumducitur.

40 Turbo in Syracusano litore frequens, albo colore, fasciolis ex flavo nigricantibus segmentatus, & nitens. Interdum violaceo colore tinctum mucronem habet.

41 Turbo Levis, pullus, cujus orbes è dextera in sinistram convoluuntur, ore compresso, denis spiris fastigiatus, tenuis, ad magnitudinem avenæ grani factus unciam dimidiam longitudine implet. Ejus basis paulò angustior est velut alter mucro, mediaque pars intumescit. Apertura angusta, & ad imam ejus partem sinuosa, item ejus oræ leviter reflectuntur. Orbium anfractus linea nigricans comitatur, quam veluti filum tenue, & album testæ insertum punctatim signat.

42 Turbo tredecim spiris convolutus, quas puncta è colore castaneo, in duplici linea disposita pulchrè exornant.

43 Turbo, qui cum proximè sequenti propter figuram similem inter Buccinas numerari potest, de quibus suo loco inferius agemus, at quia molis parvitate ineptus est ad sonum, Buccina non dicitur. Frequens est in Adriatico mari, & leviissimus testa, ovi corticem referente, colore figulino, vel vinoso.

44 Turbo cujus maximus orbis ventricosus, ore prodigioso quatuor dentibus munito, quibus ferrei veluti claustri apertura effingitur; Intus albicat, foris castaneo colore tinctus.

45 Turbo aliquando ostrino diluto tinctus, aliquando vinoso colore, interdum ossibus similis. In singulis orbibus instar aurantii decorticati videtur in plures æquales partes dissectus, quas fasciola plana eleganter distinguit.

46 Turbo colore flavus, testa admodum subtili ornatur à quibusdam tuberculis supra orbes eminentibus, quos veluti filum spiraliter ductus arctissimè stringit. In Adriatico reperitur, & in Lusitanico mari frequenter, & pulchrior.

47 Turbo furvo colore trāsversis lineis profundè canaliculatus, quatuor orbium anfractibus finitur, testam habet valdè crassam, & robustam.

48 Turbo veluti malleo frequenter compressus, Pars interior albicat, circa oris aperturam inter labra reflexa alteram partem dentatam ostendit. Ex ipsa ligula quædam nascitur, orbemque ad mucronem usque connectit modò testæ inserta, modò apparens, sed alio in loco collocata.

49 Turbo ex oleacino colore albicans, punctisque atris aspersus, & quasi sandracca pellucidus.

50 Turbo figuram nuclei olivarum referens, duabus fasciis altera candida, altera picea cinctus.

51 Turbo Pyriformis squamis plenus, colore cinereus, Hunc cum quatuor præcedentibus ex Indico mari habui.

52 Quatuor subsequentibus figuris Turbines exprimuntur Buccinis similes, at quia mole parvos inter Turbines retulimus. Malleolo negligenter collisus videtur, hic primus, quia inæqualiter compressus. In ora aperturæ labrum eleganter reflectitur, & animalis collo locum præbet cum ad motum exerit caput è testa.

53 Turbo septem spirarum anfractibus finitus, ore valdè longo, levis ubique, colore lapidis Tiburtini, interdum ex helvo subniger.

54 Supra modum tenuis, ac tenera est hujus turbinis testa, adeòque admodum pellucida,

lucida, & levis est. Ei ingens apertura ovalis, color est ex flavo albescens, interdum vinosus. Intra tres spiras finitur, quarum duæ inferiores admodum exiguæ.

55 Longior antecedenti Turbo, levissimus, colore atro cum nitore.

56 Turbo levis fasciola tenui in orbium commissuris arctè ligatus, caret mucrone acuto, sed veluti basi rotunda finitur, colore eburneo. Vivit in spongiis.

57 Turbo Indicus. Vocari potest Avena marina propter figuram, qua exprimit arundinem palustrem, aut arboris folium glomeratum. Colorem habet vinosum, notulis, punctisque flavis, fulvis, castaneis, & violaceis dilutis, ob nitorem venustis.

58 Turbo colorem Margaritarum sub marmorea veste cælans, videtur compositus duobus testæ segmentis, ita Cochleatis, ut giros efficiant angulo obtuso mucronatos, in quibus passim exeritur lingula quædam, eleganter illos exornans.

59 Turbo minutissimis sulcis asper in omnibus spiris, maxima excepta. Hæc corona pinnulis plena circumdatur, in qua velut in disco videntur aliæ minores subsidere. Propè oris aperturam si cernas, illud quatuor quasi crispis convolutum dices, hæ autem pinnulæ albicant in veste pulla, qua totus Turbo tegitur.

60 Alius sine coronæ ornatu, colore livido, interdum albo.

61 Turbo tuberculis ubique distinctus, quæ supra colorem aureum mirificè albescunt.

62 Turbo undosis anfractibus productus, crenulisque transversis asper; undè è linteo leviter crispato videtur compositus. Multicolor plerumque, interdum albus, vel eburneus, vel nigricans, vel subviridis.

63 Hujus Turbinis præcipua distinctionis nota est, macularum candidarum, & sanguinearum dispositio. Modò enim colore flavo, & cianeo diluto, quo testa pingitur confunduntur, modò ab eo omninò distinctæ apparent. Ut plurimùm in Neapolitano litore colligitur, colore osseo tectus cum candidis notis.

64) Duo Turbines Indici Maris, qui inter
65) eos connumerandi censentur, Muricesà Latinis dictos, Binis coloribus nempè albo, , & pullo, quibus teguntur, penè innumeras colorum apparentias effingunt. Hic nivis superatur albedo, illic à nigredine penitus cælatur, in quadam parte paulatim color pullus diluitur, & albus quodammodo detegitur, amboque semper ita miscentur, ut tertius quidam color ex albo nigrescens, vel albescens ex nigro videatur. Quibusdam lineolis piceis, quasi calamo factis, & undosis transversè cinguntur, ac si fila essent acu testæ inserta: Sulcos in longum ductos habent, & circa oris foramen valdè productum, & angustum, testa frequentissimè crispatur. Differunt aliquantulum inter se dispositione partium, & colorum, qui tamen omninò similes sunt in ambobus.

66 Quinque fasciis cingitur hìc alius cæteris elegantior. Altera colore subnigro est, altera purpurea, vel ad minium accedens, tertia fulva, viridis quarta, ultima ostrina; omnes ita à summo vertice mucronem usque ita circumvoluuntur, ut intervallo quodam distinctæ inter se, in eo videatur veluti album indusium, quò turbo tegitur. Valdè nitidus est, & levigatus, & ab Indico mari cum cæteris octo superioribus habetur.

67 Turbo potiùs partium structura, quàm pictura coloris in pretio habendus. Collare lineum canaliculatum nunquam Artificis manus crispavit, à quò exprimi posset hujus oris apertura. Nunquam obstetricis manus regium infantem fasciolis artificiosius cinxit, quàm Natura turbinato huic Animali marmoream massam miris circumvolutionum anfractibus Cochleavit; sed hunc videre juvabit, nam ejus speciem verbis repræsentare haud ita expeditum. In mari Rubro nutritur, & non dissimilis in monte Etrusco, quem dicunt Peglia, sub glebis invenitur.

68 Turbo minutissimis rugis à cardine usque ad imum mucronem crispatus miro Naturæ artificio. Præcipuam distinctionis notam præstat os quasi perfectè circinatum, venustum propter coronam quasi ex opere topiario compactam, cæsariatam, laciniis plenam, & coloribus galearum cristas referentem. ex Indico mari habui.

69 Turbo Tuberosus dictus à tuberculis, quæ uberum instar ex orbibus spirarum ad tutamen pendent. Os habet cum labro admodum producto. In luto stabulatur, quo si expolietur multicoloribus succis videtur sine ordine aspersus. In eò viridis, furvus, & violaceus inter cæteros distinguuntur.

70 Duæ parvæ Buccinæ, in quarum basi foramen satis profundum patet: ut parius lapis perfectè expolitus, sunt candidæ, & nitidæ rubro, vel castaneo colore tessellatæ. In Indico mari inventas Purpurati Principis manus cæteris hactenus descriptis addidit.

71 Turbo ex Indiarum litore habitus cum aliis, qui in hac pagina describuntur, Figura quasi pyriformis, minutissimis sulcis leviter rugosus. Colore figulino, vel pumiceo.

72 Turbo cianeo diluto tinctus, punctiſque candidis, & pullis notatus. Aliquando invenitur albus cum maculis rufis.

73 Turbo, ut viſu delectabilis, ſic dictu non facilè exprimendus. Hujus Cochleati orbes ſimul connectuntur ligula quadam, quæ variis in locis modò contexta, modò foris educta, veſte quodammodò reticulata eos induit. Ea autem colore eſt furva, teſta Cochleata ferruginea.

74 Color albus, & pullus diverſimodè confuſi hujus Turbinis cutem eleganter pingunt. Pars, in qua eſt oris apertura æquè producitur, ac alia, quæ plurimis orbibus finitur. Ab hac conus exprimitur in æqualia tubera diſtinctus.

75 Turbo Muricatus, ſic dictus à corniculis quibus Murices muniuntur, veſte alba tegitur, quam plurimæ lineolæ rubræ, & flavæ ſinuosè inflexæ reddunt indumento Perſico ſimilem.

76 Turbo pariter Muricatus, quaſi ex fumo nigricans, & lineolis magis fulvis circumdatus, parvus licet mole teſta duritiem ſilicis æquat.

77 Oculus Cæſius antonomaſticè dici poteſt hic Turbo. Exprimit enim colore cinereo pellem felis melitenſis, ejuſdemque oculos quibuſdam tuberculis in ſpirarum ductibus pulchra diſpoſitione aliquantulum eminentibus, in quibus ceſia veluti pupilla pellucet, colore ex leonato nigreſcenti coronata. Alia etiam minora tubercula in ſpiras diſpoſita oſtentat colore fuſco, quo Cochleæ venuſtas augetur. Rara eſt, & in Indico lttore inventa, & nunquam in ullo licet prædiviti Muſæo viſa.

78 Turbo vulgo Garagoo dictus à verbo Hiſpanico *Scaragol*, multis in locis frequens multiplicique colore tinctus, ſtriis criſpatur inſtar retis diſpoſitis, & in ſingulis nodis ſive interfectionibus earundem veluti ferreo ſtilo contuſus videtur.

79 Turbo Tuberoſus quaſi ſubtili, & candida tela Ollandica indutus, quæ in multiplices plicaturas, & pulvillos corrugatur, orbium anfractus obſecundantes, quidam veluti funiculus colore vinoſo, & rufo intermediat.

80 Turbo in Siracuſano mari frequens, ſulcis undoſis aſper, at præclarus fabrica colorumque varietate. Singuli enim orbes ex duobus teſtæ fragmentis conſtare videntur, quorum unum candidum eſt, alterum ex fulvo purpuraſcit.

81 Niveus eſt hic alius, notulis ex ſanguineis nigricantibus veluti calami ductibus ſignatus, atque in partes ferè æquales diſtinctus, ut Pepones.

82 Innumeris penè coloribus ſimul miſtis hujus Turbinis cutis pingitur: in parte interna, ut plurimum albo, circa oris aperturam violaceo, & nitido, in externa aſper eſt, & luto deformis, ſub quo ſtabulatur.

83 Turbo albus, in cujus orbibus labroſæ teſtæ particulæ paſſim pendent mucronem verſus, tanquam pinnulæ, & laciniæ lapideæ, quibus formæ elegantia augetur, & magis quidem à punctis rubiginoſis, quibus ſpirali linea diſpoſitis notatur.

84 Rarus admodum hic Turbo eſt ex Indiis habitus, colore ziziphino. Aureus, croceus, & candidus etiam invenitur, & admodum nitidus. Circa ſpirarum commiſſuram foſſiculæ æquali intervallo interſe diſtantes apparent, alterum oris labrum falcatum prominet, & inflectitur, ut in cane venatico.

85 Turbo, Pentidactilus, à verbo Græco dictus, hoc eſt quinque digitos ſive appendices habens. Quatuor muniunt aperturam oris, quintum à ſpiris in conum productis formatur. Intus colore albo pingitur, extra albo etiam flaveſcente. In adjacentibus Europæ littoribus frequenter colligitur.

86 Turbo albus, & levigatus. Marmoream teſtam gerit, præter primum orbem planum cæteri ſunt gutturoſi, & veluti tonſillis tumentibus pleni.

87 Turbo Pentidactilus alteri non abſimilis circumvolutionum numero, & fabrica. Differt autem teſta ſubtiliori, & aculeos minus productos habet, veſpertilionis, ſive draconis alam imitantes. Niveus habetur colore ex litore Ulyſſipponenſi.

88 Turbo, Magnus appellatus, quia omnium, quos hactenus obſervavimus, eſt maximus. Colore pumiceo, vel figulino, ore producto, crenulis tranſverſis criſpatus ſupra orbem cæteris majorem cervicem veluti bovinam, & robuſtam oſtentat. In mari Rubro frequens, & in monte Pelio Etruriæ invenitur.

89 Piramidales Urnas, quibus cadaverum cineres Priſci ſervabant, Turbines ſequentes exprimunt, Baſim ampliorem, & planiorem, quam in ſuperioribus hi habent, qua de cauſa etiam aſſimilantur Turbini luſorio, qui à Græcis Trochus dicitur, à Virgilio eleganti Carmine indicatus, cùm narrans Reginam illam furiis agitatam, dixit.

Ceu quondam torto volitans ſub verbere Turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent.

Strombi nomine cum Plinio nos illos indicabimus, qui tamen tàm varios, & miros, vel non agnovit, vel neglexit. Sub hoc numero deſcriptus duriſſimo ſub cortice albo, & ſubviridi Margari-

garitarum nitorem, veluti cristallina pelle circumtectum eçlat. Ex mari Brittanico missus mirè oculis spectabilis.

90 Strombus Tuberosus spissis valvulis intumescens. ex argentea substantia videtur fabricatus, quam saxea cutis circumdat. In ora Piscariæ colligitur.

91 Strombus minimus in arena litoris Adriatici frequentissimus, sicut, & alibi. Colore vinoso sive flavescenti, maculis rubricantibus ac terreis notatus, ubi spirarum orbes conjunguntur subucularis albidior una cum spiris circumflectitur.

92 Strombus admodum profundus decorticatus, colore margaritifero, transversis sulcis corrugatus.

93 Margaritæ nitor etiam hunc alium condecorat, tegitur tamen à cuticula crocea, & nitida. Funiculo pariter cingitur in spirarum commissuris colore paleari, notulis vitellinis, aut lienaribus tessellato.

94 Strombus Auritus; ex parte enim, quæ oris apertura est, prominet veluti labrum auriculæ Leonis simile. Invenitur apud scopulos Syracusarum. Testa illi est subtilissima, & aspera, ex minutissimis filis, quæ setis equinis contortis similia difficilius sermone exprimi possunt, oculis verò usurpantur jucundiùs. Colore tingitur terreo, aliquando puniceo. Pars autem interior argenteo cum glasteo misto, ut in marinis Auriculis.

95 Eadem figura exprimitur à præsenti Strombo. Veste attalica crispata eundem indutum dices, si cingula, funiculos, fila simul intorta, & eorum nodos mirabili quadam artificio dispositos observes. Visu quidem esset delectabilior si verbis exprimi possent colores lacteus, subalbidus, violaceus, ametistinus, ac purpureus, quibus formæ elegantia augetur.

96 Strombus Umbilicatus in Indico litore cum antecedenti repertus. Hæc autem est hujus nota characteristica habere in centro testæ sinum cavum veluti umbylicum: margaritarum, & coralliorum lineis videtur ornatus.

97) Adriatico mari generantur hi bini
98) strombi, ciceris molem non excedentes. Concurrunt ad eorum ornatum colores terreus, subviridis, fuscus, & ravus diversimodè supra oleacinum dispersi. Aliquando in summo mucrone purpurascit.

99 Strombus nitore maximè pellucidus, & veluti sandracca illa tectus, qua Sinarum Artifices scrinia, baculos, & vasa mirè depingunt. Sanguineum colorem habet notulis lienaribus maculatum, argenteumque ostentat si cuticula exuatur.

100 Strombus pariter Umbylicatus, margaritarum candorem celans sub cortite marmoreo.

101 Trocus antonomasticè Magnus, & Duplex appellandus. Superat enim cæteros magnitudine, & ex duplici Turbine in basi simul coeuntibus videtur compositus. Pulchra striarum transversarum dispositione sulcatur. Qua spirarum turbines coaptantur, rotundæ striæ circumferuntur alterum ab altero discriminantes.

102 Trocus Magnus, & Auritus, sic dicendus ab ampla auricula, quam in basi circa oris aperturam extendit. In parte interiori fulget Unionum nitor, in exteriori cutis lapidea, & alba, fasciolis terreis segmentata. Uterque hic Trocus in indico mari colligitur.

103 Turbo instar Muricis tuberculis armatus. Ex diversis tunicis corticosus apparet, alterum oris labrum ita crispatur, ut quamvis asperum, & rude elegantissimam formam ostentet.

104 Turbo Anguloſus, & transversim lineis leviter crispatus, quasi collum in basi producitur, juxta quod oris apertura valdè longa, & in centro spirarum foramen profundum patet.

105 Turbo lapideis costis ita munitus, ut ipsi testæ superimpositæ videantur, ac firmatæ claviculo, qui à basi ad mucronem usque in omnibus spiris apparet. Ex binis labris quæ amplum os circumdant, alterum testæ incumbit, alterum leviter crispatur. Colore, ut plurimum cinereo, terreo, conchyliato diluto, vel calteo.

106 Octo Turbines in hac lamina exprimuntur Obeliscis potiùs quàm Pyramidibus similes. *Fiscaroli* dicuntur à Tarentinis, cùm eo nomine alios non dissimiles significent, quibus Pueri ad sibilum edendum utuntur, quem dicunt Italicè *Fischio*. Omnes partium dispositione elegantes in Oceano generantur, præter eos, qui à numero 108. & 111. indicantur, sunt enim hi in Adriatico mari frequentes. Qui describitur sub hac figura ejus magnitudinem non excedit. Magnum tamen artificium parva mole comprehendit. Spirarum enim anfractus depressi, & striæ in acutum mucronem desinentes opere attalico exornantur notulis croceis distincto.

107 Turbo nitidus, & eburneus, in quo spirarum commissuræ vix dignoscuntur, maculis rufis notatus.

108 Turbo molem grani hordeacei æquans, colore figulino, vel tophaceo, spissis contusionibus æqualiter excavatus.

109 Turbo Indicus niveus, & nitens, à binis faſciolis Conchiliatis, quæ tritici folia ſuo acumine exprimunt, cingitur, orbiumque commiſſuras leviter ligatus vix demonſtrat. Rarus, & pulcher.

110 Dupplicatis ſpirarum anfractibus conſtare videtur hìc Turbo; quarum ſingulæ frequentibus ſulcis à baſi uſque ad mucronem ductis criſpatur. Colore terreo, vel albo.

111 Turbo in ſpongiarum cavitatibus vivens, frequens in mari Adriatico. Orbes habet mira arte compoſitos ex teſta, quæ videtur primùm rotundata, deindè in ſpiras circumtorta, & funiculis frequenter connexa, ut plurimum candido colore, funiculi autem lividi punctis rubicundis, flavidis, & conchyliatis diſtincti; aliquando invenitur aureus, vel roſeus albis filis ligatus.

112 Turbo albus, venulis rubris, aut rufis diſcriminatus. Spiras habet inſtar helicis ferreæ, quæ lignis inſeritur.

113 Turbo eburneus ſulco admodum profundo excavatus, quem duo veluti cingula ſimul unita comitantur, ut in baſi columnæ corinthiæ ad ornatum componuntur ab Architectis.

114 Tuba dicitur ob longitudinem hìc turbo, colore oſſeo. Diſtinguuntur in tres veluti partes ejus orbes à duplici ſubuculari, qui à baſi uſque ad mucronem ſpirarum ductus proſequitur. In Perſico mari, ſed rarò invenitur.

115 Turbo eodem tubæ nomine pariter ſignificatus, longitudine æqualis ſuperiori, nec minus elegans. ſexdecim, & aliquando viginti ſpiris finitur, mucronem habet mira proportione valdè acuminatum, colore eſt eburneo, & Cochleatis criſpis corrugatus.

116 Strombus lacteus, & levis, in quo ubi ſunt orbium commiſſuræ profundus canaliculus circumducitur.

117 Turbo inſtar helicis ferreæ, notulis rufis ſignatus; duodecim ſpiris productus. Dicitur ob longitudinem Fiſtula Muſica.

118 Eodem nomine ſignificare hunc alium poſſumus, à nonnullis Cervinum Cornu dictum. Cæteris præſtat longitudine, & notulis conchyliatis, ſive ex purpureo colore nigricantibus, quæ juxta ſpirarum commiſſuras in girum diſpoſitæ eburneum colorem, quo tingitur, pulcherrimè diſcriminant.

119 Pulchrior antecedenti eſt præſens Turbo, quem Galli cum Ollandis Pontificiam Thiaram dixerunt. Triplici enim corona decoratus videtur, quam ſpira tuberculis eminentibus formant in cono. Minor cono, oris apertura eſt; notulis arantiatis, vel ſandichinis aſpergitur, & ob raritatem magni æſtimatur.

120 Pluris tamen habetur alius ab hac figura indicatus, quam Galli appellarunt Plumam à proportione quadam cum pluma ſtrutiocameli. Ejus pulchritudinem augent maculæ igneæ, ac rutilæ, ſupra lacteum colorem quo tingitur diſſeminatæ.

121 Turbo Ventricoſus dictus à primo Orbe, quo cæteros amplitudine ſuperat. Præcipua nota illi eſt labrum denticulatum inſtar rotæ in horologio, & roſtrum veluti navale, quo viam tentat dum movetur, quare Turbo Roſtratus dici etiam poteſt, ut ab alio ventricoſo diſtinguatur.

122 Cochleas in hac lamina figuratas Turbines nonnulli dixere, Nos Cylindros appellabimus propter figuram, qua Cylindris aſſimilantur; perfectè enim levigati ita rotundantur, ut nullum ſpirarum ſignum appareat, niſi in baſi, quæ plerumque eſt admodum plana, vel leviter orbium commiſſuris intumeſcit. A Cylindro tamen recedunt propter mucronem, quo coni potiùs figuram induunt. In ipſo oris apertura eadem ferè longitudine producta, & anguſta. Cæteris Cochleis præſtant colorum varietate, qua undæ, lineæ, faſciæ, meandri, puncta, folioſum, & frygium opus in eorum teſtis adeò pulchrè formantur, ut maris portenta dicenda meritò ſint. Poſitus ſub hoc numero, in Indico mari repertus, niveo tegitur candore, quadratis notulis piceis ita teſſellato, ut ex ebeno, & ebore compoſitus videatur.

123 Cylindrus Indicus, & rarò repertus, colore conchyliato, qui candidis notis paſſim celatur aurea lineola circumdatis, in baſi perfectè complanatus.

124 Turbo Cylindroides rufus, vel albus punctis fulvis, vel rubeſcentibus aſperſus.

125 Cylindrus indicatus in A. Tam mira colorum varietate pingitur, ut quàm viſu delectabilis, ſic dictu non facilè exprimendus. A viridi enim, à flavido, ſanguineo, fuſco, citreo, & oleacino videtur ſine arte aſperſus, alter autem poſitus in B. vinoſo tingitur, circa baſim glandulis prominentibus decoratur, & ubi in mucrone decreſcit eum cingunt quędam veluti fila frequenter nodis implicata.

126 Opere acu picto condecoratum diceres cylindrum hìc poſitum à quatuor coloribus, albo videlicet, livido, ex viridi flaveſcente, & molochitico, ſive albo, livido, furvo, & terreo, mirabili quadam diſtributione ſimul confuſis.

127 Ravida veste tegitur hic alius, fascia alba transversim cinctus, & binis aliis fasciolis in longum segmentatus.

128 Cylindroides perfectè planus in basi, in qua orbium anfractus linea spiraliter contorta indicantur, colore fulvo, helvaceis notis nigricans.

129 Cylindrus corona multiplici decoratus, quam format globulorum linea in spiris orbium supra basim eminentibus posita. Colore aureo, notis albis artificiosè distincto.

130 Cylindrus satis elegans colore albo, cianeo diluto, tyrio, & castaneo coloratus.

131 Venustas hujus Cylindri augetur à notis aureis, & rufis, ordine artificioso distributis, nitidus est, ut cæteri, & perfectè levigatus.

132 Tegitur hic alius veste quasi bissina, in qua quadratæ notulæ sanguineæ, punctæ croceæ, & lineolæ rufæ, vel fulvæ opus quasi acu pictum efformant.

133 Jaspidis fragmentum in Siculis montibus erutum hunc Cylindroidem diceres ex multiplici colorum mistura, qua tingitur; nec eam speciem verbis repræsentare est ita expeditum.

134 Jaspidem etiam hic repræsentat, at coloribus diversum, tingitur enim albo, rufo, rubro, mustelino, terreo, modò exuberantibus modò decoloratis, & quasi velo tectis.

135 Cylindrus turcicam vestē attalica manu pictam ostentans, quàm difficiliùs sermone exprimas, oculis verò usurpes jucundiùs sinuosas picturas, & meandros, quos aureus color cum albo, & sanguineo confusus efformat. Interdum invenitur quasi squamis tectus, quæ iisdem coloribus effinguntur.

136 Cylindroides colore fulvo dilucido tinctus, & squamis sanguineis decoratus.

137 Mucronem versùs cylindri hujus furvo colore imbuti giros efficiunt quidam veluti funiculi candidi, & circa basim pinnularum corona est redimitus.

138 Cylindrus candidus fasciolis piceis segmentatus.

139 Cylindrus viridi aquato imbutus, albis fasciolis cinctus, quas notulæ anthracinæ distinguunt. Reperitur etiam albus, roseus, luteus, nigricans, & Aurantio similis.

140 *Turbo* levis minutissimis sulcis corrugatus, colore cinereo; in medio ore dente armatus, qui valdè prominet.

141 Cochlea hæc Cylindroides melius vocatur, quàm cæteræ huc usque descriptæ, æquali enim crassitie, ut Cylindrus in longum producitur. In basi verò ovi mucronem refert, in quo tres, vel quatuor spiræ, quibus finitur lineolis indicantur. Invenitur aliquando brevior, olivæ Hispanicæ fructum referens: optimè levigatus, & quasi sandracca sinensi velatus nitet, undosis meandris diversorum colorum pingitur, ut clarius in figura sequenti apparet.

142 Coloratur enim hic à candido, aureo, livido, vinoso, subviridi, flavo, citrino, luteo, violaceo, sexcentisque aliis coloribus, ita artificiosè simul confusis, & dispersis, ut acu pictus videatur. Invenitur in litore Brasiliano mole longè minor, quem Incolæ vocant Zimbo, eumque in pulverem redactum, cum potu miscent ad confringendos lapides in renibus, & vesica generatos.

143 Turbo albus, & rarus, figuram exprimens cochlearum, quas multi ex natione Hispanico dicunt *Garagoi*.

144 *Turbo* sive Murex, specie eleganti singularis, Orbium enim alter magis eminet supra alterum, quam in cæteris, & singuli æquali divisione sunt striati. Conus, in quo oris est apertura, crispis ita corrugatur, ac si esset violenter inflexus, pars exterior colore carneo pingitur, interior roseo, labrum nigro, in roseum paulatim rubescente.

145 *Turbo* non minus pictura, quàm fabrica elegans, & dictu non facile exprimendus, colore subflavo cum tuberculis albescentibus, fasciolis insuper transversis cingitur ex colore rubro nigricantibus.

146) Turbines auriti. Labrum enim habent expansum, & auriculæ hominis
147) similem. Conveniunt figura differunt colore: alter enim osseo pingitur, alter filis aureis sinuosè inflexus signatur.

148 Buccina parva, & levis, os habens ori hirudinum simile, & dente valido armatum. Intus albicat, foris colore burro flavescit.

149 Buccina sicut ebur expolita, niveum candorem habens, & basim ex multis membranis, altera alteri superimposita corticosam.

150 Murices bini parvi gibbosi, leviter crispati, & rari, in parte orbis cæteris amplioris, ita intumescunt, ut columbæ pectus ova foventis exprimant. Labrum circa os veluti alam expansam habent, coloribus flavidis supra album sine ordine aspersis notantur.

151 Tur-

151 Turbo, quem auritum nominat Aldrovandus, albus, & nitidus, ut parius lapis. Circa ejuſdem os labra prodigioſo artificio, ita reflectuntur; ut admirationem pariter augeant, & venuſtatem.

152 Turbo pariter Auritus cum labris duplici dentium ordine munitis, & nigris notulis teſſellatis, in reliquis partibus coloratas venas oſtendit, ut gemma Gagates.

153 Coloribus ſimilibus pingitur hìc alius circinatus, & craſſiori labro, quod notulæ tyriæ diſtinguunt in plures partes, diverſus ab antecedenti. Orbium maximus multis in locis ſine ordine leviter intumeſcit.

154 Turbo ab hoc numero indicatus antecedentibus præeſt macularum diſpoſitione, & oris artificio; hoc enim à figura exprimitur, illæ autem quadruplicato ordine diſpoſitæ ſervataque inter ſe diſtantia, aureo colore candidos orbes condecorant.

155 Magnitudine omnibus antecellit Turbinis hujus teſta, pariter auriti, & tuberoſi, labra eleganter ita reflectit, ut animalis collo locum aptet. Poſt maximum orbem valdè tumeſcentem brevi, & lato angulo finitur, tuberculos habet in girum diſpoſitos, aliquoſque eorum valdè è teſta prominenres, ac falcatos, ut canis venatici dentes. Alterum è labris eſt denticulatum, alterum crenulis rugoſum. Quem hìc figura exprimit album cerneres, ſi oculis uſurpares, tribus faſciolis croceis, & fulvo undatis cinctum. Interdum invenitur multicolor ex albo, vinoſo, rufo, & ametiſthyno confuſis. In labro inſuper prominente, & reflexo quinque notas habens, quibus pulcherrimè decoratur.

156 Turbo forma non diſſimilis, è duplici proſpectu delineatus. Ex uno ſulcis in longum ſtriatus apparet, & maculis croceis in forma crucis diſpoſitis, notatus, ut veſtis Attalica aureis floribus intertexta, ex altero verò os anguſtum oſtendit, & utrumque labrum candidum denticulatum, quod à fuſco colore partem internam deturpante mirè diſtinguitur: cingitur inſuper à mucrone ad baſim ligula alba, rufis lineolis tranſverſim diviſa. Ubique autem videtur veſte alba indutus cum filis aureis intertexta, quare ab aliquibus vocatur *Drappo d' argento*.

157 Pulchrior faſcia cingitur hìc Turbo, illa enim maximo orbi inſtar circuli marmorei perfectè coaptata, ubi minorem connectit roſtrum falcatum exerit, & pari modo è minori ad minimum producitur. Ejuſdem conus parum elevatur; ex binis labris alterum crenis aſperum, & nitidum, alterum verò reflexum, & inſtar membranæ pellucidæ ſupra orbem ita extenſum, ut ab eo non perfectè abſcondatur reticulatum opus, quo teſta veluti ſcalpro inciſa rugatur. Colore, ut plurimùm tingitur albo, plumbeo etiam infectum è Luſitanico litore habui.

158 Cochlea aurita cæteris rotundior tribus faſciis æqualibus ſegmentata; ultra ampliorem Orbem tribus aliis finitur, Colore caltulo, burris maculis diſcriminato. Aliquando videtur ſanguineis maculis cruentata. In labroſo, & curvato ore pars dextera tranſverſis ſulcis corrugatur, ſiniſtra admodum levis, & alba, ſicuti altera violaceo liquore in limbo videtur infecta.

159 Cochlea pariter aurita, & faſciata. Os habet orbium maximo æquale, & labrum valde craſſum, ac validum, ita reflexum, ut canaliculum ſatis profundum efficiat. Colore tingitur ravo, ubique criſpatur ſulcis tranſverſis, quos octo faſciæ albeſcentes comitantur, & binæ binæ in plures veluti claſſes dividunt.

160 Turbo Auritus Muricatus. Finitur mucrone acuto, & brevi. A Gallis vocatur Crumena, eo quod mucroni adnectatur Orbis inſtar inflatæ crumenæ maximè ventricoſus cum ore longo, & anguſto, quorum alterum labrum denticulatum, crenatum alterum. Ex uno proſpectu viſus, partes aliquas aliquantulùm turgefactas oſtendit. Ubique tamen expolitus, & levis, excepta parte anguſtiori, leviter rugoſa, ac ſi ſubucularibus clauderetur. Colore eſt carneus, rubro aureoque vermiculatus, notulæ autem, quibus labrum diſtinguitur, è ſubnigro in anthracinum degenerant.

161 Loco faſciarum notulis diſtinguitur quaſi negligenter, & fortuitò à pennicillo factis hæc Cochlea. In brevi cono, quo finitur orbes omnes indicat ſulcis parum excavatis ſecundùm longitudinem inæquales, & orbium maximo perfectè coaptatos. In parte exteriori colore pingitur ex carneo rubeſcente, ab aliis coloribus diſtincto, ut in Jaſpide, eique ſuccedit lacteus, quo pars interior albeſcit.

162 Strigis parum profundis ſulcatur hæc alia Cochlea aurita. Quinque orbium ſpiris convoluitur, quorum quatuor in mucronem minuuntur, medietati amplioris orbis æqualem. Colore pingitur terreo, in quo triplex ſulcorum diſpoſitio aliquantulum evanida apparet.

163 Ovi figuram exprinit Cochlea hìc deſcribenda, in longum minutiſſimis ſtriis corrugata, veſte Attalica aurea videtur induta à Natura, eaque colore purpureo vermiculata. labrum ori adnectitur niveum, faſciis ſubvolturinis ſegmentatum.

164 Cochlea pramnio colore lydium lapidem ſimulans, ultra majorem ſpiram vix duabus aliis parum eminentibus finitur. Hæc cum cæteris in præſenti lamina delineatis in mari Indico ſunt repertæ.

165 Cochlea in litore Drepanitano poſt maris procellas frequens, terreſtribus Cochleis ſimilis, quare in terra generari à nonnullis dicitur, ſimplicem quidem, & levem teſtam habet, ſed colore amethiſtino circa ſpirarum centrum albeſcente elegantiſſimam.

166 Cochlea Depreſſa, quæ dicitur Perlata, non ex margaritis, ab ipſa generatis, ſed à margaritarum nitore, quo fulget decorticata cute lapidea, & rudi. Faſcia colore puniceo aſperſa cingitur, qua inſignis pulchritudinis nota illi augetur.

167 Perlata pariter ex eadem ratione dicenda eſt hæc alia cortice duro, & ſcabro induta. Quatuor orbium ſpiris clauditur, cum quibus funiculi, & veluti fila intorta circumducuntur: eſt in eis mirus Naturæ luſus, Sulcis brevibus, & moderatè profundis criſpatur, & ad variam lucis reflexionem margaritæ nitorem cum multicolori ſpecie confundit.

168 Cochlea in mari Mediterraneo Italiæ non rarò reperta. Perlata dicenda videtur à colore unionis, ſub cortice veluti ovi Struthiocameli celato.

169 Cochlea, cujus teſta craſſa eſt: & ponderoſa, colore carneo maculis rufis, & caſtaneis invicem alternatis victata.

170 Cochlea Umbylicata Perlata. Quinque orbium anfractibus clauditur, quorum declivitas inſtar propugnaculorum Eriſmatis pendet in ſubjectam veluti ſemitam agere quodam marginatam. Albedine Margaritarum Occidentalium pellucet nudata cortice albo, quo tegitur, & vermiculato ſinuoſis lineis colore rubris, quem lacca exhibet. In litore maris Luſitanici reperitur.

171 Cochlea Turbinis figuram habens, in nullo Europæ litore viſa, & ſuperiori coloribus ſimilis.

172 Cochlea in mari Mediterraneo frequens, colore albo, vel plumbeo minutis ſulcis corrugata, corticem habet maculis oſtrinis lienaribus, ſubvolturinis diſtinctum, ſub quo margaritarum colorem celat.

173 E marmorea ſubſtantia videtur formata Cochlea hæc, parva, ſed valida, labro extenditur, ut Turbo Pentidactilus, ſub quo oris apertura valdè anguſta; In majori, & ſerè unico orbe, quo intumeſcit, parvi pulvilli prominent, & teſſellulæ quadratæ diſperſæ ex colore anthracino notabiles.

174 Cochlea murici ſimilis propter teſtæ validitatem, & tubercula, quibus in maximo orbe intumeſcit, os habet valdè dilatatum. Præcipuæ notæ illi ſunt binæ cruſtulæ ſubnigræ propè os, quod crocea linea coronat. In parte interna albeſcit, in externa aut alba eſt, aut carnea.

175 Murex albus, & parvus teſta valdè dura cum labro extenſo, ſub quo præcipua pars Coni occultatur. Quatuor orbibus finitur, quorum ſinguli in partes æquales frequentibus contuſionibus dividuntur.

176 In figuris, quæ ſubjiciuntur, Buccinæ indicantur mole quidem parvæ, ut pomi citrini ſemina, at coloribus admodum floridæ, & macularum varietate ſpecioſiſſimæ. Quam primo loco vides alba veſtis tegit, punctis purpureis aſperſa, maculis amaracinis notata, ac lineolis flammeis, & inflexis vermiculata.

177 Color leonatus, roſeus, & niveus in extremitate ſimul confuſi formant veluti lamellas ſuperimpoſitas teſtæ vinoſo humore imbutæ ad ornatum hujus Cochleæ. Ex quatuor faſciis quibus baſis vittata jacet, binæ albeſcunt, aliæ purpureo colore ſaturantur.

178 Undas maris ſinuosè inflexas exprimit color puniceus, quo pingitur hæc Cochlea lacteum candorem paſſim oſtendens, multis in locis purpura aliquantulum rubeſcentem.

179 Cochlea, quæ à figura Galeæ, quam aliquo modo exprimit Galeiformis videtur appellanda, colore, ut plurimùm helvaceo, ejus fabricam oculis meliùs quàm calamo tantùm delineatam hoc loco ſubjicio.

180 Supra colorem vinoſum punctis puniceis aſpera videtur hæc, vittata triplici ſerie macularum albeſcentium, quorum medietatem lienaris color circuit, paulatim in vinoſum evaneſcens.

181 Cochlea ſub hoc numero poſita vix binis orbibus præter alium majorem, & ventricoſum convoluitur. Eadem piceo colore deturpata punctis croceis frequenter aſpergitur.

182 Veſtem phrygiam, & meandris intertextam huic Cochleæ formant colores purpurei diverſimodè exuberantes, vel remiſſi, partim enim in puncta rotundati, partim in lineas rectas, & ſinuoſas producti, partim etiam undoſos anfractus imitantes eleganti pictura mirum Naturæ luſum oculis ſubjiciunt.

183 Cochlea, cui Turbinis nomen aptari poſſe videtur, & quidem Tuberoſi, propter frequentiſſimas glandulas, quibus teſta leviter paſſim intumeſcit. A cæteris præcipuè dignoſcitur propter orbes ex appoſita parte aliquan-

quantulum depreſſos, ac figuram aliquorum Piſcium exprimentes. Munitur etiam in utroque latere criſta aliqua leviter ſerrata inſtar alarum Piſcis. Colore ſubalbida, & quaſi duobus filis ſimul contortis, altero albo, rufo altero cincta.

184 Cochlea albo, terreo, & fuſco, colore ſimul miſtis maculata, teſta prævalida, tonſillis, & pulvillis paſſim turgeſcente.

185 Hanc Cochleam videre juvaret; nam verbis repræſentare, haud ita expeditum. Sic enim ejus pulchritudinem cerneres, ſicuti imperitus ille mellis dulcedinem ſibi ſuaſit ſolo palati experimento. Mira partium fabrica, & pulcherrima colorum varietate æque redditur inter cæteras præclara. In ea orbium ſpiræ adeò teſta conteguntur, ut vix in brevi mucrone indicentur, adeòque concha potiùs quàm Cochlea videtur appellanda. In parte concava valdè levigata eſt alba, vel livida, vel carnea maculis rubidis cruentata. In Gibboſa tegitur veluti oloſerico filis albis, rubeis furvis, purpureis, aliiſque ſexcentis multicolori. Coſtæ inſuper ſuperinjectæ in æquales partes eam dividunt, multiplici colore valde notabiles. Illam obtinent in alto Mari Indici Piſcatores.

186 Cochlea faſciata inter Purpuras numeranda, de quibus ſuo loco agemus. Teſta conſtat prevalida aculeis complicatis horrida, quibus maximus orbis armatur in collum corrugatum denſinens. Conus, licet brevis, tribus ſpiris convolutus, inſignitur ovalibus glandulis excavato canaliculo circumdatis. Colore pingitur flavido, notulis vinoſis ſanguineis, & terreis intermiſto. In duas partes etiam dividitur faſciis alba, & rubra, aut janthina. In Oceano Orientali reperitur.

Hinc ad aliud Cochlearum genus progrediamur, quæ vocantur Buccinæ. Cætera Teſtacea Hæ ſuperant magnitudine. Buccinæ autem illæ ſunt, quæ ore quidem lato, mucrone autem acuto claudunturjuxta Ovidii carmen:

——— *Cava Buccina ſumitur illi*
Tortilis in latum, quæ turbine creſcit ab imo.

Quamobrem ſonitum edunt ſi voce inflentur, & Tritonum ori admotas Pictores, & Poetæ repreſentant, inter quos Ovidius Neptunum deſcribens ait:

Cæruleum Tritona vocat, Conchaque ſonanti
Inſpirare jubet, fluctuſque, & flumina ſigno
Jam revocare dato ———

Imò ab antiquis Romanis loco Tubarum fuiſſe adhibitas affirmat Virgilius, canens:

Buccina jam priſcos cogebat ad arma Quirites.

Septem igitur Buccinarum formas hìc tibi ſubjicio, quas inter omnes elegantiores duxi.

187 Omnium agmen ducat Buccina levis, & nitida, è duplici faſcia candida, qua primus orbis cingitur, dicitur Faſciata. In mucronem deindè acuminatur ſenis minoribus ſpiris, à quarta Cochleæ parte commenſuratum. Oris labrum parvulis veluti aciculæ globulis diſtinguitur, in parte gibboſa notulæ furvæ, & ravæ colorem vinoſum frequenter decolorant.

188 Buccina Magna antonomaſticè dicta ex magnitudinis mole novem anfractibus producitur proportione ſervata diminutis, illique primi orbis longitudine commenſurantur. Circa orbium commiſſuras veluti capillorum trices circumvoluuntur, & ſingulis eorum labrum quoddam adnectitur, quo veluti diſtinctus cortex indicatur. In parte interiori ex carneo colore albeſcit, exteriorem verò ſemicirculares maculæ albæ, rufæ, & caſtaneæ invicem alternatæ condecorant. Labrum, quod reflexum orbi propinquo adjacet, minutiſſimis crenulis corrugatur, quod verò expanſum oris aperturam amplificat, undoſis ſinubus criſpatur. Invenitur in mari Europæ adjacente, ſed coloribus dilutis picta, labriſque crenatis, ac tuberoſis,

189 Buccina quatuor ſpirarum ductibus mira Naturæ arte eleganter circumvoluta, intus livido colore ſubalbida, foris reticulatis faſciolis ſuperinduitur, inter quas roſeus color rubeſcit.

190 Buccina inter quinas circiter ſpiras mucronata, quarum prima admodum inflata; lacte videtur imbuta in parte interna, deindè velo janthino velata. In externa verò ſanguineæ maculæ partim ſupra albam teſtam diſperſæ jacent, veluti Inſulæ in mari Ægeo, quibus convenire videtur quicquid de Fortunatis cecinit Taſſ. cant. 15. ſtant. 41.

Tutte con ordin lungo eran dirette
E che largo è frà lor quaſi egualmente
Quello ſpatio di mar, che ſi framette.

Invenitur etiam roſeo colore, rubeſcens in parte interna, in externa furva, ut mali perſici cortex.

191 Buccina intrinſecus livida, extrinſecus terrea. Ex binis labris alterum margine quodam rotundo prominet, alterum inſtar Galearum criſtæ inflectitur. Septem minimum ſpiras in integra teſta numerare licet. Huic crebræ, & minutiſſimæ ſtriæ ſecundùm ſpiras circuminjiciuntur, Item aliæ ſtriæ craſſæ ductu undato, & tranſverſo eminent.

192 Buccina ſenis orbibus finita, minutiſſimis filis tranſverſè ductis aſpera, colore tophaceo in parte externa, interna verò albo. In mari Brittanico naſcitur, ſicut & antecedens.

193 Buccina foris rufa, intus candida. Inter cæteras præcipuè distinguitur propter bina cingula rotunda, quibus singuli orbes inter se colligantur. Ac si esset malleo compressa, quadratæ valvulæ in omnibus ejus partibus, ita disponuntur, ut inter singulas veluti filum quoddam emineat reticulato opere connexum, & in notis albescens. Os ferè perfectè circinatum rotundo cingulo coronatur, & in rostrum canaliculatum desinit.

194 Turbo marmoreus dictus ob testam albam, & ponderosam. Ventricosus dici etiam potest propter orbem nimis intumescentem, undè Galli illum appellarunt Crumenam. os habet longum, angustum, & triplici dente munitum, mucronem insuper rugosum, & maximum orbem lamellis quadratis, & subnigris tessellatum. In mari Rubro pascitur.

Sequentibus laminis triginta parvulæ Cochleæ exprimuntur, ope Microscopii auctæ, ut artificiosas earum partes prodigioso studio à Natura elaboratas oculus armatus faciliùs deprehenderet, calamoque clarius indicaret. Omnium autem testæ adeò eleganti specie decorantur, ut quæ nam cæteris pulchritudine præstet haud facilè definias. Neritarum nomine omnes significabimus, non quia, ut docet Plinius lib. 9. cap. 33. *Sint ex Concharum genere, quæ per maria navigant, præbentes concavam sibi partem, alteram verò flanti auræ instar veli opponentes*, sed eo quòd illi Cochleæ tale nomen conveniat, quæ, ut ait Ælianus, *magnitudine exigua, forma pulchritudine eximia spectatur*. Ut autem ejusdem nominis originem indicent nonnulli, fabulam Hesiodi, & Homeri, in scenam proferunt, qua decem supra quadraginta filias ab Incolis maris Nereo, & Doride progenitas dicunt, & Nereides appellatas. Alij verò à fabularum commentis non recedentes, illud nomen deducunt à filio eorundem parentum, cui nomen fuit Nerites, Hominum simul atque Deorum formosissimus, quem cùm Venus in Cœlum adducere vellet, recusasse ajunt, quòd inter parentes, & sorores vivere, quàm Cœlo potiri mallet. Quamobrem Indignata Jovis Filia, illum in Cochleam ejusdem nominis convertit, comitem verò, & ministrum illius loco Cupidinem, ipsum quoque juvenem, & formosum sibi delegit, & alis, quas Nerites habuerat, eundem induit, remanente interim præstantis formæ elegantia, qua cæteris Cochleis testa excelleret. De Nerite Cochlea loquens Bellonius sic ait. Nerite quoque turbinati generis conchula, testām in anfractum intortam habet, qua penitus inclusa nulla ex parte, præterquam capite conspicua est. Rondeletius autem illam esse affirmat cujus testa est levis, ampla, & rotunda. Verùm quia res tantummodo descriptas tuto recognoscere non valemus, nisi illæ lineis etiam exprimantur, ne tempus, & operam daperdamus, Auctorum sententias frustra perquirendo, Neritæ nomine eas Cochleas in præsentiarum significabimus, quæ inter omnes pulchriores judicavimus.

195 Omnium agmen ducat, quæ in Sardiniæ litore reperitur fragæ magnitudinem non excedens. Hujus testa claviculatim intorta innumeris globulis, secundùm spirarum proportionem diminutis, adeò pulchrè exornatur, coloreque puniceo saturata purpurascit, ut è coraliorum substantia compacta videatur.

196 Nerita depressa; & Umbylicata, In parte, qua oris est apertura, ferè plana, in opposita aliquantulum gibba. in utroqoe leviter rugata. In testæ centro sinus cavus, qui dicitur Umbylicus, profundè patet, in cujus fundo angustum foramen aciculæ vix capax. Hac Cochlea, funiculo per foramen magis dilatatum inserto, multi uti solent orbicolorum loco, quibus vestes connectuntur. Dunchercano in litore frequens reperitur colore viridi diluto, lacteque misto tincta, ac punctis instar radiorum à centro sparsis purpurascens.

197 Nerita binis tantummodò spiris absoluta, levi, ac tereti testa, in parte gibba coccineo humore videtur imbuta, quem lineolæ nigræ, & ex nigno albescentes decolorant, in plana verò idem color punctatim dispersus purpureum stistinguit.

198 Nerites colore olivarum nigro, & albo ita depictus, ut linguas animalium extremas, alias aliis superinjectas effingant.

199 Nerites quem Turbinem meritò appellares propter mucronem acutum. Superatur partium structura, quibus constat, ab opere, quo decoratur. Cingitur enim funiculis multicoloribus, albis scilicet, & pullis, aut albis, & rubris, aut vinosis, & rufis. Inter funiculos flexuosæ sunt maculæ, & colore rubicundo, vel conchyliato, vel nigro, quæ ab interjecto colore albo sive argenteo clarius distinguuntur. Cortice nudatus perlarum nitore fulget, frequens reperitur in Adriatico, pulcherrimus in Jonio sub luto stabulans.

200 Nerita habens testam veluti corium piscis sive serpentis squamosum; non tamen horridam, sed pellucidam, & nitidam Colore pingitur oleacino, qui in singulis squamis, ut lac albescit. Ternis fasciis pullis cingitur, quas interruptæ squamæ majores exornant. Invenitur in mari Indico.

201 Nerita frequens in Adriatico, extrinsecus alba, lineis, & tessellulis fan-

dice

dice Indica formatis notata, intrinsecus colore margaritarum argentea.

202 Alia parum dissimilis à superiori, maculis sinuosis tessellata.

203 Nerita inter cæteras mole minima, ternis fasciis albis, & zonis aliis rubeis vittata, quas puncta candida frequenter notant.

204 Alia candido quidem colore imbuta, sed frequentissimis punctis subnigra, maculas habet ovales filo pullo circumseptas.

205 Nerita squamis lividis, & albidis discolor, quæ à coloribus anthracino, & subvolturino subjectis mirè distinguuntur. Hæ ultimæ tres in mari Indico reperiuntur, & veluti Sinensi gummi velatæ.

206 Ex Indiis etiam hæc alia mittitur sulcis canaliculata, qui acutum angulum efficiunt, Ut ebenum nigra, præterquam in centro, quod ut ebur albescit. Ex uno insuper latere sunt candidæ, & falcatæ notulæ, in quibus elegans Naturæ lusus.

207 Nerita cujus testa veluti domorum tecta videtur imbricata. Colore tophaceo, & terreo vilis, at tessellulis quadratis juxta orbium commissuras artificiosè dispositis præclara.

208 Nerita depressa nitore quasi vitrea, colore roseo, supra quem notulæ semilunares albæ, & plumbeæ lineam spiralem secundùm orbium ductum efformant.

209 Præsens alba est, maculis pullis, & puniceis notabilis, in cæteris cum superiori convenit.

210 Ita etiam hæc alia, colore carneo, & maculis albis plumbeis intermistis tantummodò dissimilis.

211 Nerita depressa umbylicata, colore cinerea, puniceo punctatim aspersa.

212 Carneo colore tingitur hæc, quasi filis oloserici rufis, & conchyliatis segmentata.

213 Nerita depressa, sulcis cochleatis aspera, quos subuculares intorti comitantur. Elegantia redditur prædita à corona, quæ ovalibus tuberculis distincta eam representat, quam in columnarum capitellis Architecti ad ornatum effingunt. Color illi est plumbeus lineis pullis signatus.

214 Nerita cinereo colore subalbida, & rubris notulis flexuosè cruentata; os habet singulare dentibus diversis armatum.

215 Ternis dentibus munitur hujus etiam os, & quidem acutis ut sunt scalpri. Ejus pars interior albescit, externa cinereo, vel vinoso velatur colore, & minutissimis strigis crispatur.

216 Nerita cujus testam albam bicolores fasciæ plumbea scilicet, & picea cingunt. Ex duabus Cochleis constare illam diceres, quarum una altera continetur. Ex his minor nigerrima punctis vix apparentibus licet albis aspersa. Os falcatum habet, & cum cæteris in hac lamina signatis in Indico litore reperitur.

217 Neritæ huic vestem formant frequentes, & spissi funiculi flavidi ex colore purpureo adjecto magis visibiles, & maculis atris notabiles.

218 Ebeni nigredinem superat hæc alia mole minima, lacteo colore punctata.

219 Nerita cinerea, & vulgari cutè tecta, sed ut margarita Orientalis elegans si expolietur.

220 Nerita magis aspera, & lamellis semilunaribus albis, & nigris alternatim distributis tessellata.

221 Nerita ex quatuor coloribus albo, viridi, oleacino, & pullo multicolor.

222 Neritam hic figuratam nunquam satis laudabis. Ad ejus ornatum color albus, piceus, & balaustinus, sive coralinus concurrunt. Videtur enim quasi Coraliorum lineis supra orbium spiras circumvolutis, & proportione summa diminutis, ornata. Has albæ lineæ ex globulis candidis videlicet, & piceis alternatim variatis intermediant. Mare ubi generatur illud est, quo Brasiliana litora alluuntur, ut mihi vir summa fide dignus retulit. Auctor tamen Musæi Cospiani illam in Rubro mari reperiri ait, ubi Cochleam Pharaoniam Piscatores appellant.

223 Ejusdem Cochleæ facies alia, oris aperturam ostendens, valdè angustam, colore lacteam, & minutis crenulis rugosam.

224 Cochlea limacis nomine communiter appellata à forma, qua terrestribus limacibus omnimodè assimilatur. Colore tingitur rufo, & nitido, cereis punctis aspersa, & maculis notata, ex porraceo albescentibus.

225 Cochlea umbylicata, instar globi perfectè circinata, & levis, colore onichino.

226 Alia similis, figura levis, & nitida, aspersa coloribus subviridi, rufo, & croceo veluti multa aqua dilutis. In ea orbium commissuræ indicantur à fasciola alba claviculatim intorta. In centro apparet quasi basis scapi, quo orbes fulciuntur.

227 Cochlea alba, propter colores rubrum, & ostrinum, phrygio veluti opere picta.

228 Cochlea reperta in litore Siracuſano aurea cute tecta, quam color fulvus punctatim ſignat, & veluti velo glaſtino ſuperinduta.

229 Cochlea muricata, cujus forma nimium ſpectabilis. Ultra majorem orbem quatuor aliis turbinatur mucro, quem valida, & acuminata cornicula inſtar dentium in girum diſpoſita coronant. Intus albeſcit, foris carneo colore rubet.

230 Cochlea, quæ Sarmatica dicitur à mare, in quo viſam aliqui narrant, Ejus teſtam delineavi non ex prototypo acceptam (à nullo enim, ſicuti nec à me inter cæteras poſſidetur) ut fabuloſam Cochleam in ſcenam adducerem. Ex inſueta enim corporis mole, oculis, pedibuſque cæteris Cochleis à Natura negatis Fictitiam omninò eſſe putavit Jonſtonus Vir eruditiſſimus, à quo ejuſmodi Cochleæ deſcriptionem deſumptam hic ſubjicio. Sarmatica (inquit) dolium corporis mole æquat, cornibus arboreis cervum. Extrema cornua in orbiculis rotundantur unionum inſtar ſplendentes. Cervice ejus craſſa, oculis accenſæ candelæ modò micantibus, naſo obrotundo, & pilis felium adinſtar obveſtito, rictu oris magno, ſub quo pendet, prominetque carnea moles aſpectu ſubhorrida. Quatuor nititur cruribus, totidem latis, & aduncis palmis, In Dania ſe vidiſſe fortè mentitur Thevetus lib. 20. Conſmog. tom. 2.

Cochleas hactenus viſas ſequitur agmen earum, quæ licet turbinatæ, orbes ſua met teſta, ita occludunt, ut Conchas potius dixerint Auctores, quàm Cochleas. Quod, ut intelligas concipias animo concham ſimplicem per planum extenſam, deindè utramque in partem reduci, & complicari ad rotundam ſive ovatam concham efformandam duobus extremis, quæ prius in plano oppoſita jacebant, nunc inter ſe junctis, & cohærentibus, dempta rima, quæ denticulis aſperjuſcula eſt. Sed ut à cæteris conchis diſtinguamus nulla ſpirarum circumvolutione reflexis, Venereas cum eiſdem Auctoribus appellabimus. Undè autem hujus nominis ethymologia derivetur, non una, & eadem eſt ipſorum opinio. Tales dici, ait Plinius, eò quòd apud Gnidiorum Venerem colebantur. Illis enim narrat Mutianus inhærentibus plenam ventis ſteriſſe navem, portantem Nuncios à Periandro Corinthi Tiranno, ut caſtrarentur nobiles pueri, qua de cauſa Remoras idem Mutianus appellat. Porcellanas verò Geſnerus, quia ex illis percellanica vaſa confici ſibi ſuaſit, præcipuè in Provincia Sinarum Kiamſi. Aldrovandus autem tale nomen impoſitum eſſe putat à *pulchritudine, ſplendore, & levore*, quæ dotes Veneris formoſique corporis præcipuę ſunt. Variarum ſpecierum Venereas Auctores in ſuis paginis exprimunt. Nos multiplices aſſerimus, & quidem ſingulas ex ſuo prototypo acceptas, ſicuti omnes coloribus adeò pulchris variegatas, ut in earum accurata deſcriptione verba calamo deficiant.

231 Quæ primum locum obtinet, teſtam habet levem, os quod per totam teſtæ longitudinem in omnibus extenditur, æqualibus crenulis aſperum. In partibus extremis foramen eſt, alterum ſumendi cibi gratia, non aſperum non rotundum, ſed parum prominens, non tamen in angulos procurrens: alterum ad excrementa rejicienda. Intus glaſtino, ſed diluto colore tingitur, in labris ut lac albeſcit.

232 Parte autem in tumorem elata, paleari colore, ſupra quem diſperſæ fulgent maculæ rotundæ vitellinæ, ſeu cereæ cum melle miſtæ, circulis aureis circumſeptæ. Hujuſmodi conchis abundat mare Rubrum, ex quo Mercatores in Ægyptum transferunt, ubi in chartis, & pannis expoliendis illis incolæ utuntur.

233 Venerea parva levis, & nitida, intus colore violaceo, foris, ut ebur alba, labris diverſimodè crenatis, ejus dorſum inæqualius quàm cæteris, & gibboſum, ita ut illi quoque teſta incumbere poſſit, ſed obliquè. Idem per medium pallidum eſt, ſive ſubluteum. Frequentiſſima in litore Inſulæ Loandæ cui Cõngianus Rex dominatur, ibique loco monetarum habetur, ut Solinus narrat, inquiens. *In Regno Congiano nullus alius præter Cochlearum marinarum loco pecuniæ uſus eſt, quas mulieres ad hoc conductæ colligunt.* Nam mare aliquantulum ingreſſæ corbes arenis replent, quibus Cochleas, parvas, & utriuſque ſexus miſtas reperiunt, abluunt, ſeparant, fæmellæ enim maſculis ſunt pretioſiores, quia lucidiores, & viſui jucundiores, & ita in regium theſaurum condunt. Et tales Cochleæ, quamvis in omnibus hujus regni litoribus reperiantur, non tamen aliæ præter has ſolas, quæ colore, qui cinericius eſt, ſaltem ab aliis differunt, ſunt in pretio, unde maximus Regis cenſus. Has mercatores Ollandi ad partes Americæ deferunt, ibique cum aliis mercibus commutant. Etenim nuntiatum fuit publicis paginis per Europam diſperſis, cum anno 1707. Claſſis Hollandica tredecim navium, quas onerarias vocant, ex Batavia indica in Europam rediret, deferri inter pretioſas merces hujus generis conchas, pondus 192951. librarum æquantes, ut eas in ora novæ Guineæ cum aliis mercibus pecuniæ loco mercatores commutarent.

234 Hanc triplices faſciæ æqualiter inter ſe diſtantes, & teſſellulis fulvis diſtinctæ cingunt, pars gibboſa ex janthino colo-

re al-

lore albeſcit, ſupra quem ſtellulæ fulgent conchyliatæ. Pars concava candida eſt.

235 Venerea zizifino colore flaveſcens, binis faſciis albis vittata, veluti labro excreſcente alboque coronatur cum rubiginoſo interpuncto.

236 Venerea lactea tribus faſciolis oſtrinis ſegmentata, quas aureæ laciniæ exornant.

237 Violaceo ſucco imbuta videtur hæc alia ceteris longior, & maculis inſuper xerampelinis notatur, inter quas quatuor majores, magiſque exuberantes apparent. Ex labris albis alterum minutis inciſuris eſt aſperum, alterum dentibus munitum.

238 Venerea alba faſciculis tranſverſis aureis vittata.

239 Venerea ſtrigis rugoſa, intus alba, foris ex violaceo carneum colorem induit, aliquando anthracinum.

240 Livido, & rufo colore pingitur hæc concha, in dorſo binæ lineæ flavent in ovalem ferè ſpeciem conjunctæ, & in earum medio ſubviridis teſta.

241 Venerea undequaque alba, ſed in parte gibboſa colore janthino præclara. Labra autem melle flaveſcentia puncta ſanguinea ſpectabilem reddunt.

242 Venerea cæteris gibboſior, & ex utraque parte magis producta, ex cera cum melle miſta videtur formata, punctiſque helvaceis aſperſa.

243 Ex flavo albeſcit hujus teſta, quam lividæ maculæ veluti albo velo ſubſidentes diſtinguunt.

244 Venerea minima, & lactea, Calculus uteri dicta, ſive etiam Belliculus marinus, circa litora maris invenitur.

245 Venerea Pyriformis livida, notulis tyriis, & quaſi velo albo tectis teſſellata.

246 Venerea ſtellata inter omnes ſpecioſiſſima. Loco pecuniæ habetur in quadam ex Inſulis Philippinis. Pars interior, qua compreſſa eſt, & plana, videtur rufa, & ex rufo caſtanea. Ubi autem in dorſum elevatur, partim violaceo, partim livido tincta, intus ſtellulis lecteis, & aureis decorata.

247 Stellata dicenda etiam hæc eſt, è notulis rotundis, & caſtaneis notabilis, cæterum cinereo colore vulgaris. Omnes ex Indiarum litoribus habentur levitate mira præclaræ.

248 Venerea teſtudini ſimilis. Ejus dorſum bifariam ſecat ſulcus ſecundùm longitudinem teſtæ productus, à quo aliæ rimulæ tranſverſæ coſtas ſub cute animalis apparentes ſimulant. Colore terreo, aut xerampelino.

249 Eburneam diceres ex albedine hanc Cochleam, ore anguſto, & labris exactè expolitis, circa partem qua ſaxis adhæret veluti cingulum eminet, ex ejus teſta formatum.

250 Venerea in mari Siculo, & Tarentino frequens, ubi vulgò vocatur Porcelletta. Lapidem Bezaar dictum colore lurido repræſentat, interdum minùs aliquando magis exuberante, binas faſcias quibus tranſversè cingitur, vix indicat. In partibus oppoſitis ubi foramina duo, colore carneo in ſubminium propendente rubeſcit, in cujus medio binæ maculæ nigerrimæ hinc inde diſpoſitæ. Circa oris aperturam color dorſi paulatim evaneſcens in album mutatur, quo crenulæ labrorum albeſcunt, intus verò violaceo palleſcit.

251 Venerea quæ ovi gallinacei figuram referens ex mira albedine Lactea dicitur. Præter candoris elegantiam notæ illi præcipuę ſunt oris apertura non recta, ſed circularis, extremitates magis productæ, quàm in cæteris, inſuper ex labris alterum tantummodò minutis rimulis rugoſum. Intus flavida, aut albeſcens.

252 Venerea labris niveis, & ubique inciſuris frequenter crenata. Ejus color ex albo vinoſus apparet cum carneo miſtus, ſtellæ ſive maculæ partis gibbæ lenticularum ferè magnitudine, quædam dimidia atræ, in medio ambitu rufæ, & janthinæ, dorſi latus ſecundùm longitudinem teſtæ alba linea ſecat partem internam janthinus color tingit, in mari Mediterraneo reperitur, at in Oceano ſubviridi colore, & furvo aſperſa.

253 Venerea ore albo, & crenato vulgaris, at plurimi habita, & admodum rara propter colorem, eo enim pellem canis Brittanici exprimit, cinereis notulis diſtinctam, & pellucido nitore præclaram.

254 Pari pretio æſtimantur quatuor aliæ ſequentes. Quam hic cernis, in oppoſita dorſo facie plana ferè eſt, & alba, deindè ligneum ſive helveum colorem induit, ſupra quem dorſi ſummitas amethiſtino fulget.

255 Huic ſanguineæ notulæ ceruſſatam cutem cruentant.

256 Venerea ovi gallinacei figuram exprimens colore rara, quo fulvam Leonis cæſariem imitatur, ejus teſtam rotundis lamellis cinereis teſſellatam faſcia ejuſdem coloris bifariam ſignat. Oris margines denticulis rubiginoſis armantur.

257 Venerea teſtudinis inſtar gibboſa, lacteo colore tincta in parte dorſo oppoſita,

poſita, ejuſdem latera partim livida, partim helvacea, dorſum autem rufum albis ſtellulis, notabile.

258 Venerea longitudine majori, quàm cæteræ extenſa. Dorſum in ſummo varium eſt carneis, pallidis, fulvis, & glaucis maculis. Utrinque per latera ſubminium apparet. Pars, ubi oris apertura, denticulis albis aſpera. In mari Siculo reperitur interdum tranſverſis faſciolis ſegmentata.

259 Indica, & rara eſt, quæ ſub hoc numero deſcribitur: ferè undequaque ex livido albeſcit, & frequentibus lineis fulvis, non in longum productis, ſed minutatim conciſis ſignatur, ita ut ſpatiola ferè rotunda cinerea interjaceant, & aliquando veluti caracteres Arabici, ſive notæ arbitrariæ eſſingantur. Latera ſtellulæ janthinæ exornant, quas plumbeus color, aut flavus offuſcat. Oris labra veluti carnea dentibus rubiginoſis corrugata. In una extremitate tres, aut quatuor teſtæ circumvolutiones linea ſpirali indicantur cæterum perfectiſſimè levigata.

260 Venerea parvula mole at maculis præclara, colore ad flavum inclinante tegitur, ſupra quem lineolæ muſtelinæ juxta longitudinem ſerpentes, vel undatim diſpoſitæ exornant.

261 In hujus ſuperficie orbium incluſorum rudimentum apparet. E ſinu Perſico copioſè collecta, non vili pretio eſt, propter levorem, & miram colorum varietatem. Ejus teſta admodum valida, & pondoroſa, intus albeſcit ut porcellana, ore minimum patet, dentibus rubiginoſis hinc indè rugoſo. Foris qua parte ſaxis adhæret, ut ſilex ſubnigra, qua verò elevatur in dorſum, innumeris coloribus ita variegata, ut Teſtudinum marinarum cortices expolitos referat, jucundiùs uſurpandos oculis, quàm verbis facilè exprimendos.

262 Venerea cujus longitudo latitudinem ſuperat, intus ametiſtino colore, foris livida, & aureis ſignis notabilis.

263 Venerea cæterarum protioſiſſima, & admodum rara. Figura, ut vides, à cæteris omninò differt, colore ex paleari undequaque albeſcit, rotundatis veluti annulis aureis, aut croceis & inæqualibus condecorata.

264 Venerea in ore Moſambiquani maris frequens, teſta duriſſima, & ponderoſa. Antonomaſticè Tigris appellada videtur propter maculas, quibus pingitur, Inexplicabilis autem eſt Naturæ, aut labor, aut luſus, quo ejus cortici venuſtatem addidit. Vinoſo, ut plurimum humore imbuta, & ſanguinea faſcia vittata maculas habet fulvas, conchyliatas, atras. oſtrinas alias aliis ſuperimpoſitas, variaque ratione, & miſtura multicolorem. In ore autem parte interna lacteum candorem oſtentat. Sub eodem numero eſt Concha eadem in duas partes diſſecta, internas orbium circumvolutiones demonſtrans.

265 Venerea levi, & fragili teſta: Faſciata, dicitur à quatuor faſciis dorſum tranſversè ſecantibus, quarum omnes colores ſanguineus, rufus, & citrinus diverſimodè confuſi pingunt. Cæterum undequaque cinerea, præter rubiginoſos dentes, quibus ori labra rugatur: in extrema teſtæ parte lineola cochleata internæ ſpiræ indicantur.

266 Subtili fragilique teſta componitur hæc alia omnium longiſſima, innumeris penè coloribus paſſim aſperſa oculis ſubjicitur, atro præcipuè, rubiginoſo, fulvo, terreo, & helvaceo. Faſciis inſuper violaceis in longum ductis, & aliis melleis tranſversè ſuperimpoſitis decoratur. Huic frequentes oris inciſuræ amaracinæ colore badio diſtinguuntur.

267 Cochlea ex genere venereo, minutiſſimis crenis in ore diſtincto. Ejus pars in qua aditus Animali patet, Ziziphino colore inficitur, cæterum reliquum teſtæ ſpatium candiſſimo lacte ſaturatum apparet, ubique autem eſt nitida, & pellucida non ſecus ac cæteræ quæ ob nitorem dicuntur Venereæ. Illa eſt egregium munus Magni Etruriæ Ducis, ejuſque numquam ſatis laudatæ Benignitatis monimentum.

268 Ad idem genus Cochlearum refertur, quæ hoc numero indicatur. A cæteris tamen ob multa diſtinguitur. Habet enim ſpirarum indicem ſatis apparentem, cortice valde levem, & os minutiſſimis crenis diſtinctum, & adeo frequentibus, ut quadrageſimum numerum attingant. Ejus color ex oleacino ad Tirium inclinat, ſupra quem undæ helvaceæ; circa os verò albeſcit.

269 Cochlea, quam jure dicimus faſciatam: illam enim frequens Zonæ circa centrum juxta ſpirarum circumvolutiones cingunt modo anguſtiores modo ampliores. Oleacinæ ille ſunt; cæterum ex ebure videtur compacta; os tamen, in quo quinque dentes prominent, colore croceo aſperſum oſtentat, labroque ſatis craſſo munitum. Indicum mare illam produxit.

Cochleas, quas diximus Venereas aliud Cochlearum agmen comitatur, quæ vocantur Purpuræ, apud Veteres propter purpureum ſuccum magnopere expetitæ. Una quippe libra hujuſmodi coloris, ſive oloſerici eodem infecti, *tanti quidem pretii erat, ut æquali argento penderetur*, centum, videlicet aureis nummis, ut Cornelius Auguſti nepos refert apud Plinium lib. 9. cap. 9.

Quam-

Quamobrem Poetæ, ut significarent sauciatæ Palladis vulnus fascia Deam decente alligatum, Purpuream dixere, hoc est pretiosissimam. Purpurea pariter veste apud Romanos induebantur Consules, purpuream milites, Reges, ac Fœminæ ad luxum ostentabant. Quamobrem apud Martialem Lib. 13. epig. 87. conquerentes de purpurario Urinatore ajunt Purpuræ.

Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas.
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

De Zenone itidem referunt Historiæ, antequam in Zenophontis gymnasio Philosophiæ morali operam daret, Purpurarum mercaturam exercuisse, quas ingenti quidem lucro Athenis venditasset, nisi cùm navi, Purpuris onusta Tyro Athenas redeunte, & à repentina Ventorum procella in sirtes collisa, spem suam, & patrimonium misero in naufragio perdidisset. Zenone autem feliciores alii multi, qui Romæ vectigalium oneribus non gravabantur, dummodò essent Purpurarii Mercatores. Tyrii pariter in celeberrima Phenicie Insula Tyro, ubi Purpurarum flos pretiosissimus, postquam Alexander Macedo continenti addidit, (*Magnam vim succorum Tyro vetere prebente*) libertate donati fuerunt, ut Namiotæ Purpuras expiscarentur.

At si olim ex aquis pretiosissimus earum color, etiam vitæ discrimine expetebatur, nunc à tellure copiosè obtinetur. In America nascitur in Crocei fruticis fructu breve animaculum, quod statim, ac in aerem fructu jam maturo est emissum volat, ita ut culici simile videatur, priusquam autem perficiatur, animalculum, fructum cocci colligunt, & sanguine infecti lanas tingunt. In Gallia Narbonensi Anthyllon, vel Antycellion herba duorum generum est, una foliis, & ramis lenticulæ similis, palmi altitudine sabulosis apricis nascens, subsalsa gustanti; altera Chamæpitui similis, brevis, & hirsutior, purpurei floris, odore gravis, in saxosis nascens, inquit Plinius, ex qua descriptione putat Volateranus hoc fortè intelligi à Plinio, quod nostri Fullones cremisinum vocant. Chermes verò ex radicibus herbarum sumitur, ait Brasavolus, cum granula circa radices colliguntur, quæ brevi tempore in vermiculum transeunt, aperiuntur enim granula, & parva quædam formica alata exit; In multis etiam Germaniæ partibus colligitur, excellentior verò in Polonia circa Cracoviam, à quo *Vermiculatæ* vestes nominantur, sive *Chermisina* à Chermi veteri Sardiniæ Urbi, ubi tali colore fuerunt lanæ, & oloserica stamina primùm infecta.

Verùm ne à Mari discedamus, *Aquarum est*, cum D. Ambrosio loquar, de Purpuris differente, *quod in Regibus adoratur, aquarum est species illa, quæ fulget*. Purpurea clamide ante omnes primùm indutum incessisse in Asia Phenicem in regia dignitate constitutum, ex Cedreni, & Suidæ historia accepimus, dono sibi impertita ab Hercule Tyrio philosopho tunc temporis celeberrimo, postquam Vertagus ejus canis Purpuram ex undis extrahens purpureo rictu ignotum florem Domino indicavit, unde Herculeam nominavit Politianus. At nec Asiæ Affrica, nec Affricæ invidet Europa. In multis enim maris Sinubus Purpuræ producuntur, in Cyprio, in Sardico, in Tarentino, & antiquitus celebrantur in Adriatico mari generatæ quare Salius Poeta.

Nec Sydone vilior Ancon, murice, nec Lybico,
Fert Laconicum mare Conchilia, ex quibus ad infecturam vestium Purpura comparatur, nobilitate solis iis, quæ in Rubro mari capiuntur inferiora. Ab omnibus autem color omninò simimilis haud exprimitur; Pro Solis enim propinquitate colorem habet, & puniceum quidem procreat Affrica, ideſt quasi violaceum colorem, Tyrus autem rubrum. Partes item Aquilonares nigrum, Austrinæ rubrum magna ex parte ferunt; Orientales verò violaceum, quo etiam Purpura Tarentina commendatur. Nec ab uno Conchyliorum genere producitur, fertur enim à Muricibus, & Buccinis. E Cochlea Echinophora sub num. 18. & 19. posita janthynus pulcher effluxit, cùm vivam Antio ad me missam in partes dissecui, & violaceum accepit Fabius Columna ab alia propè litora Vesuvii reperta. Hinc Muricatæ, & Conchyliatæ vestes dicuntur.

Qua nam autem industria è Purpurarum testis pretiosus ejus liquor eruatur, multiplicem illam esse ex historiis accepimus. Ab eis evomi, si feriantur, affirmat Imperatus: spontè emitti ait Columna: alii verò in mortuis inveniri volunt. Phenices, ut narrat Gillius ex onomastico Pollucis quarto, Purpurarum captarum testas confringunt, & carnes ad tincturam condiunt, & aqua dilutas, & sordibus expurgatas succensis ignibus in lebete coquunt. earum sanguis, ut ab igne incalescit, fluit & efflorescit, partimque flavescit, partim cyaneo colore nitet, partim in alium colorem convertitur, ac jam quicquid imposueris in illius colorem commutatur. Qui plura desiderat adeat Plinium, Rondeletium, & Aldrovandum. Ego interim, ne fusas aliorum narrationes repetendo, quo nihil facilius, absurdius nihil, meas paginas verbis impleam, Purpurarum testas, earumque fabricam à nullo fortasis adeò luculenter, & accuratè expressas, recognoscam.

270 Primo loco posita oculis subjicitur, quam in mari Rubro generatam accepi,

cepi, Alba illa est, sive potiùs osseo colore aliquantulum flavescit; in parte interna nitida, & levigata. In externa tuberosa, notulisque roseis, flavis, & furvis, & rubicundis sparsim depicta. In ea distinctionis nota præcipua est canaliculus admodum longus, rectus, & paulatim ab ore ex quo nascitur, diminutus, cujus extremitas scalprum canaliculatum effingit. *Purpuram pasci perforando reliqua Conchylia putavit* Plinius *exerta videlicet lingua sub operculo, quæ digito longior est* (ait Aristoteles) *qua tum Conchulas, tum sui generis testam perforare potest*; undè *Purpura voracior* ad helluonem significandum inter adagia dicitur. Hanc autem linguam osseam spinam potiùs dicendam affirmat Kircherus.

Attamen quam longè à veritate aberrarint hi Auctores Rondeletio, & mihi experimentis satis est comprobatum. Diligenti enim anatome inter incisa Purpurarum membra nulla pars ossea inveniri unquam potui, sed ad summum callosa, quæ in canaliculum inserta duriſſimas testas etiam calybi obnitentes terebrare haud potest, sed solùm Cochlearum humorem, quem appetunt avidissime, exugere.

271 Purpura aculeata, quam melius Istricem marinum dices, *Sconciglio spinoso* vocatur Neapoli ob aculeos quibus munitur, rostro longior, quam antecedens, mole autem minor, supra quatuor spirarum circumvolutiones, quibus finitur, eminent spiræ, quibus etiam in formam crucis disposítir rostrum armatur. Color extra terreus, intus albescens.

272 Purpura ob substantiam solidam, & ponderosam Marmorea dicta: colore, à marmore non differt. Os illi angustum, & longum, ut in murice. E superficie externa sulcis rugata, cornicula aliqua exeruntur, crispa, & circumflexa munimento pariter, & decori. Fertur ex Indiis.

273 Purpura in Neapolitano litore frequens, ibique vulgò dicta *Carosa*, hoc est spinis detonsa, fusco, ut plurimum colore, sive livido; aliquando, sed rarò albescens, cum maculis rufis, fasciisque Conchiliatis, aut croceis cincta.

274 Purpura ex Tarentino sinu accepta. Pars ejus extrinseca coloribus atris, & oleaginis inficitur, intrinseca violaceo, sive janthino cum albo misto saturatur. Aculeis caret, sed tuberculis aspera instar coronæ distributis, tunicis pluribus in longum superpositis videtur corticosa, & sulcis minutissimis secundùm spirarum ductum circumvolutis rugatur.

275 Purpura in eodem mari frequens, intus albo, onychino foris, ut à cæteris distinguatur Crispatam dicimus; cutem enim habet instar pomi passi spissis rugis aspèram.

276 Purpura Echinophora sivè Echinata, sic dicta à validis aculeis in prima circumvolutione eminentibus. Appellatur etiam marmorea è testa ponderosa, & dura. Ut plurimum albescit in parte exteriori, quæ partim videtur malleo contusa, partim in pulvillos tumet, oris autem labrum spissis striis asperum mirè multis in locis circumplicatur. In Adriatico frequens.

277 Adriatici maris Purpura, quatuor spiris intorta, quas saxea, & subrotunda vincula nectunt. Hæc alba sunt, aliæ, aut vinosæ, aut subflavæ, utraque verò fasciis Conchyliatis, vel coracinis victata.

278 Purpura Gibbosa à Gibbis, quæ in singulorum orbium latere intumescunt. Gibbæ insuper, sicut, & cæteræ orbium partes tuberculis, & tonsillis plenæ sunt, sed sine ordine dispositis; Quapropter longè omnium elegantissima habetur, & nulla quamvis solertia videatur à Natura elaborata, oculos tamen deformitas ipsa delectat. Oris apertura valdè angusta, à cæteris diversa, anfractibus sinuosa, undequaquæ videtur lacte æqualiter saturata, præterquam in dorso, quod crocea pictura apparet variegatum. Illam mare Indicum produxit.

279 Ejusdem purpuræ facies, in qua oris patet foramen.

280 Triangularem hanc Purpuram diceres, si oculis usurpares; triplex enim in spatium dividitur à triplici serie veluti foliorum, quibus est laciniata, ut crispatæ lactucæ cistus, sive brassica cucullata, ac si lapidea materia non constaret. Ex persico sinu habita inter alias magis spectabilis, & rara. Colore flavescit, lineisque transversis ferrugineis distinguuntur crispæ, quibus undequaque rugatur, excepto ore admodum levi, & roseo ad amethystinum propendente, colorato.

281 Purpura pariter triangularis, sed colore terreo ab antecedente diversa, non tamen pretio vilior, ejusdem laciniarum extrema Anthracina nigrdeine saturata. Os ferè rotundum, labrum cartilagineum supra majorem orbem aliquantum extenditur.

Hic non injucundum fore arbitror, quod Aristoteles, & Plinius de Purpuris narraverunt; earum videlicet vitam septem annorum spatio protrahi, eamque patere per *orbes quibus totidem, quot annos habent, testa intorta cuniculatim in crepidinem desinit*. At Aristotelis sententiæ Fabius Columna aversatur. Hic enim in brevi de Purpura Tractatu notavit, Purpuræ vitam pluribus annis finiri quàm orbium spiris testam. Alii non ex orbibus arguendam putant,

sed

ſed ex corticibus, cum ſingulis annis eas novo ſuperindui credant. Verùm meo quidem judicio utrorumque opinionem magiſtra omnium experientia refellit. Ego enim inter innumeras penè Purpurarum teſtas in diverſis maris ſinubus diverſoque in litore repertas, nullam obſervare unquam potui, quæ ultra quinque orbium circumvolutiones excreſceret, unica excepta, quam num. 276. delineatam poſuimus. Illa enim prototipo omninò æqualis ſeptem orbibus finitur, ſeptemque pariter comprehenditur altera, quam apud me habeo omninò ſimilem, licet mole triplo minorem, utraque verò triplici corio in lacinias excreſcente corticoſa; Quam hìc deſcribimus, ſi inquiras, ſive parvulam, ſive magnam, ultra quatuor ſpiras ſemper convolutam videbis. Ejuſdem color eſt furvus, aliquantum albeſcens in orbium commiſſuris. Inter cæteras unam ſervo coloribus æque præclaram, at calamo non facilè exprimendam. Rubro enim, ſubviridi, citrino, ſulphureo, vitreoque in externa facie decoratur; in interna autem ex candido purpuraſcit.

282 Affricano in litore inventam hanc Purpuram Ventricoſam appellavi. Orbe enim primo maximè tumet, at quatuor aliis, quibus finitur, vix ad ſemidigitalem latitudinem extenditur: validis brevibuſque mucronibus armatur, qui tranſverſis criſpis corrugantur. Oſſeus color illi eſt, interdum in mari Hiſpanico Occidentali pulla invenitur, & rarò ex glaſtino nigreſcens.

283 Purpura Echinata ſive Clavata, aculeis enim clavorum inſtar acuminatis redditur notabilis. Labroſa inſuper eſt, labriſque longum, & canaliculatum mucronem effingit. Colore externo candida, interno flavida, & in mari Sardico ſtabulatur, quæ verò in Tarentino, ſubviridis, & lutea.

284 Quam hic ultimo loco vides ex Affricano mare delatam, ventricoſior cæteris eſt, & mucronibus aduncis munita. Illos diverſi orbium cortices, quibus videntur compacti, efformant, cum ſinguli à cæteris ſubjectis elati complicantur, & reflectuntur, idcirco non clavorum inſtar, ſed veluti Bovis cornua, minus tamen acuminati. Pars interna roſeo fulget, externa verò, vel albo eſt unicolor, vel flavo, tyrio, ac luteo multicolor.

285 Poſt Purpurarum teſtas Murices ſunt deſcribendi, quorum pariter purpureo ſucco lanæ, & oloſerica ſaturantur. Significantur autem voce *Murex*, quo Latini ſaxorum aſpera intelligunt. Unde Poetarum Princeps Maro:

Concuſſæ cautes, & acuto in Murice remi
Obnixi crepuere.

Eadem pariter voce exprimitur Bellica Clava, ferreis aculeis horrida, cujus erat apud Barbaros præcipuè frequentiſsimus uſus, truculento marte cum hoſtibus dimicantes. Muricem ergo, quem primo loco poſuimus Marmoreum dicimus. Ejus enim Teſta craſſa admodum eſt, & gravis, talique ſtructura efformata, ut ſi ei manubrium addatur, clavam dices tuberculis aſperam, non Cochleam, in qua anguſtiſsimi oris detegitur rimula. Ex imo Oceani fundo accipitur candido colore, ſed rubris maculis cruentatus.

286 Murex figura præclarus. Ventricoſus dici poteſt à majori orbe, quo ſolùm tumet, cæteris in brevi tantùm mucrone indicatis. Ubique longi aculei eminent. Os quaſi perfectè circinatum labra reflectit, ex quorum altero binæ tunicæ propendent, & licet marmoreæ, telæ inſtar plicatilis reflectuntur. Intus albo, foris puniceo colore imbuitur.

287 Murex cinereus, & lividus, cujus teſtam in pyramidem efformant decem ſpirarum circumvolutiones, ſupra quas aculei proportione artificioſa diſponuntur, acutiores tamen, qui baſim coronant. Ex ea oris apertura naſcitur, æque longa, ac omnium orbium ſtructura; eadem lacteo nitore ſicuti pars externa albeſcit veluti ſandracca velato.

288 Murex duplici faſciola in ſpiram contorta, à baſi ad mucronem vittatus. Veſtem Perſarum propriam hujus teſta effingit, cujus color flavidus, faſciolæ verò caſtaneæ, aut ex rubro nigricantes. Fructus eſt maris Perſici, & non vili pretio ductus.

289 Pluris autem habetur, qui ab hoc numero indicatur. Coronatus dici poteſt ob coronam veluti regiam, quæ ſingulis orbibus adnectitur. Colorem habet ſimilem paleæ, ſupra quem aureæ, & undatim ductæ lineolæ maris undas leviter criſpatas eſſingunt, apud Indos fuit inventus.

290 Murex in Orientali Indiarum mari natus, qui Faſciatus dici poteſt è faſciis in æqualia ſpatia diſtributis. Hæ Concolores ſunt teſtæ ex caſtaneo rufeſcenti, ſed ab ipſa teſta adeò elevantur, ut potiùs circuli ipſi ſuperadditi videantur. Quinque orbium ſpiris comprehenditur; ex duobus oris labris alterum leviter criſpatur, alterum valvulis, & ſtrigis eleganter exornatur, quæ in averſa facie inſtar tuberculorum tumeſcunt, indicantque mirum Naturæ opificium.

291 Murex Triangularis, coſtis marmoreis etiam cinctus. Hæ autem in orbibus aptantur, ut plurimis tuberculis, & nodis inæquales ex pluribus teſtæ partibus formatæ videantur. In labro deſinunt, ut figura repræſentat,

ſentat, jucundiùs inſpicienda, quàm deſcribenda. Pars ejus interna, ut lac albeſcit, externa verò tophacea eſt, vel flavida.

292 Murex, qui Cochlea Hebræa à nonnullis vocatur. Inſignis eſt ex maculis, vel ſanguineis, vel terreis, quæ tanquam arbitrariæ notæ ſupra colorem album aureo miſtum diſperſæ, velut Hebræorum characteres exprimunt. Hæ autem non abſimili modò, quo creſcunt inciſuræ in corticibus arborum factæ paulatim cum teſta augentur, nec formam mutant. Muricem etiam mucronatum dicere quis poſſet ex mucronibus in primo, & majori orbe exuberantibus, quibus mira ejus venuſtas augetur. In oris apertura pars ſinuoſa alba eſt, & nitens labrumque crenatum detegitur.

293 Murex levis, ac fragilis teſtæ. ob tonſillas, quibus orbes decorantur eſt ſpectabilis, licet colore albo vulgaris, aliquandò terreo etiam colore aſperſus.

294 Pulchritudo hujus deſumitur à cute inſtar Oloſerici undati, & bicoloris depicta. hac aliquando ſquamoſam ſerpentum pellem miris coloribus ſimulat, interdum paleari colore flavido notulis furvis ſignatur, vel ex oleacino ſubviridis luridas maculas oſtentat. Ex Eceani litoribus habetur.

295 Murex Roſtratus meritò appellandus. Mucrones enim, quibus munitur, ut Corvi Roſtrum curvantur. Coloribus antecedenti omninò ſimilis.

296 Murex mucronibus brevibus, & ſine ordine diſpoſitis, aculeatus, faſciis inſuper albis cinctus, cæterum colore tyrio in nigrum propendente.

297 Murex niſi fallor, cæteris præſtantior, aut ſaltem nulli pulchritudine ſecundus. Cochleas hujuſmodi Muſicas Galli meritò appellarunt. Illas enim muſicis notis lineiſque Natura ſignavit, nè fortè marinæ nimphæ figuratis defraudarentur cantilenis, Neptunuſque Jovis non invideret deliciis, aut ſi commento non aſſentiris, ut ſpectantium ſaltem oculis ſuis numeris abſolutam harmoniam efficerent. Hæ quidem non fortuitu colorum combinatione pingitur, ut gemma Acates in annulo Pirri Regis, in qua Apollo cum Muſis cernebatur, ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia, ſed conſtanti Naturæ opificio, accuratoque ſtudio In omnibus hujus ſpeciei Cochleis notulæ muſicæ lineis, (licet non certo ſemper loco) ſuperadditæ videantur. Colores jucundiùs oculis uſurpantur, quàm calamo referuntur; ſunt enim lineæ aureo fulgore notabiles, notulæ ſanguineæ, puncta ex flavo rubeſcentia, teſta autem ſubjecta, vel vinoſa, vel onichyna.

298 Altera ejusdem ſpeciei pulchritudine etiam eximia.

299 Murex pariter ex muſicis notis conſpicuus; ab antecedenti aliquantulum differt. Habet enim teſtam magis æqualem parvulis tantùm tonſillis in roſtro eminentibus. Omninò autem variat colores, quorum albus, aureus, ſubniger, flavidus, oleacinus, & croceus diverſimodè miſti tibi referunt papyrum, quam turcicam vocamus. Intus verò niveo nitore pellucet.

300 Eodem colore intus rubeſcit hic alius, cortice tuberoſo, & aſpero, in quo oris labrum admodum tumeſcens undoſis ſinubus arcuatur, & ſub eo mucronis circumvolutiones ferè totæ deliteſcunt. In parte externa ſanguineæ, & rubiginoſæ maculæ marmoreum colorem contegunt.

301 Murex elegantibus mucronibus tuberoſus. Hi enim, ac ſi detonſi ſuiſſent, aculeo carent, & foraminula eſtendens, arundinea potiùs fragmenta teſtæ ſuperaddita videntur. color illi aureus, vel albus in externa facie, interna verò niveus, cum roſeo, vel flammeo rutilans.

302 Murex auritus, quem colores albus, rubeus, conchyliatus, viridis, & furvus diverſimodè confuſi elegantiſſimè ſignant.

303 Hujus oris apertura à cæteris diverſa, ut in figura exprimitur internam partem recludit lacteo candore nitentem, cui circa labrum flammeus color copulatur.

304 Murex, quem aliqui nominant Auritum ob labrum inſtar auriculæ exertum. Ejus mucro turbinatus ferè dimidiam partem primi orbis adæquat, & corniculis, & pulvillis frequentibus eſt inæqualis, foris, vel albus, vel ſubflavus, intus roſeus, & ſandracca velatus. In mari Hiſpaniæ Americanæ generatur, & ad bipalmarem longitudinem augetur.

305 Murex pyramidalis figuræ, quam ſimulant ſeptem orbium ſpiræ, minutis inciſuris ſtriatæ, & lentiginoſis notulis ſignatæ, ut plurimum colore lacteo, interdum undequaque vinoſo.

306 Quæ hactenus deſcriptæ ſunt Purpurarum, & Muricum Teſtæ, omnes quidem aculeis, & mucronibus armavit Natura, vel ad pretioſi ſucci munimen, vel potiùs ea ſicut floribus ſpinas addit, ut dixit D. Ambroſius, *quaſi quædam amatoria illectamenta, ut ſtimulis illis egrè contactum admittentibus, ad majus deſiderium colligentes provocaret*. Verùm abditas rerum cauſas è profundis ignorantiæ latebris eruere quis poteſt? Unum pro certo habendum eſt, Cochleas nempè omnes, informes licet habeantur, & horridæ, ſuam venuſtatem preſeferre,

ferre, qua eruditos oculos capiant oblectamento. Hujuſmodi etiam cenſendæ, quas infra ſubjiciemus, licet coloribus non æquè inſignes, partium tamen fabrica præclaras, quæ ſub hoc numero ponitur clarius ex figura patebit, quàm deſcriptione, livido eſt colore, ſupra quem luteæ, vel oleaginæ lineæ ſerpunt.

307 Murex alter auritus, cujus teſta ponderoſa. In parte externa colorem ſulphureum, aut vinoſum rufæ maculæ diſtinguunt, at juxta orbium commiſſuras roſeus eſt rubor. interna autem ex albo purpuraſcit, & circa oris aperturam aureo pingitur. In mari Americano reperitur.

308 Murex magis auritus, quàm præcedens, labroque magis craſſo, ejus dorſum tranſverſis ſulcis rugatum duobus aculeis munitur, pars verò dorſo oppoſita, ubi oris foramen nitida eſt, ut in conchis Venereis, ex albo, oleagino, lividoque colore multicolor apparet, cruentis inſuper guttis, & punctulis pulchrè notatur.

309 Altera ejuſdem Muricis facies, quæ oris aperturam exhibet aureo colore donatam, qui paulatim in ſubflavum evaneſcit. Ejuſdem oris cavitas adeò anguſta, ut carcer potiùs, quam domus Animalis videatur.

310 Hìc proximè ſuperiori forma par eſt, undequaque candidus, notulis ſanguineis ſignatus, & tranſversè ſulcatus: at paulo ſubtilior teſta, & cum aculeis brevioribus. Ejus præcipua diſtinctionis nota eſt labrum, quod in figura exhibetur, vel ad tutamen, vel ad decorem valdè productum.

311 Eadem Cochlea, cujus labrum canaliculatum, & oris rimula detegitur.

312 Cochlea, cujus teſta turbinatum Bovis cornu colore repræſentat. Umbilicus marinus vocari poteſt ex figura. Ita autem turbinatur, ut utrinque cava ſit in centro anfractuum, quod tamen minus eſt in parte ſuperiore quàm in inferiore, & orbes in ſiniſtram partem convoluuntur.

313 Turbo, & quidem elegantiſſimus, Duplicatis orbium ſpiris videtur Cochleatus, in quarum altera teſſellulis conchyliatis pulchrè diſcriminatur color albus, quo undequaque tegitur.

314 Cochlea, quam Galli Tulipam vocant, pulchritudinis ſingularis, vulgo *Pantu Madama*. Ejus macule, quæ album diſcriminant aureo colore fulgent.

315 Murex à Græcis Pentidactylus appellatus ex appendicibus circa labrum additis. Ut plurimum quinarium numerum non excedunt, & præclaro artificio concinnati, inſtar branchiarum extenduntur. Qui hoc loco ponitur ultra quinque ſex aliis decoratur, ideò rarus. Strigis criſpatur, colore eſt rufo, & fulvo exuberanti notatus, vel ſanguineo, intus autem ex flavo albeſcit maximè expolitus.

316 Licet mole ſuperioribus minor, elegantia quidem non inferior eſt hic Murex. Appendicibus ſolidis, & curvis, quos figura exhibet, ſcorpionem ferè ſimulat, foris ſubalbidus eſt, intus croceus, & oris aperturam minutiſſimis inciſuris rugatam habet. Illum in mari Indico furtuitò repertum in meo Cochlearìo tanquam Naturæ portentum aſſervari voluit Eminentiſs. Cardinalis Urſinus.

317 318 Murex ſenis appendicibus canaliculatis decorus, colore albus, ore anguſtiſſimo, ſulcis ſignatus, quos tubercula caſtanea condecorant. Interdum rufo colore undequaque imbutus reperitur.

319 Geographicam Tabulam repræſentat hæc Cochlea inter omnes ultima loco non venuſtate. In ejus enim teſta alba, ita diſponuntur maculæ, & lineolæ furvæ, ut Provinciæ, & Regiones in Tabula geographica indicantur.

320 Videtur hæc Cochlea, quæ in mari Orientali Indiarum naſcitur, e lapide pario compacta, alba in parte exteriori, ſed viridi pellucido obvelata, non æqualiter diſtributo. Quam hoc numero indicamus cæteris addidit ſua, qua pollebat ſingulari liberalitate Eminentiſs. Cardinalis Ghiſius, ut viridis Cochlea inter Teſtacea Animalia difficilis inventu non deeſſet. Supra talem verò colorem maculæ terrei coloris tranſverſim diſcriminant lineolas, quibus ſpiraliter ductis, orbes omnes ſignantur.

321 Murex, quem Piſcatores in tranquillo mari prædantur. deſcendentes ad ima in portu Cartaginenſi Americano. Ejus magnitudo aliquando palmi longitudinem excedit; In parte interna apparet, vel albus, vel roſeus è ſandracca valdè pellucidus, in externa verò flavidus, & inæqualiter rugoſus. Inſtar quercus ramorum contorquentur murices, quibus primi orbis baſis armatur, in eo os valdè longum patet, ſed anguſtum.

322 Cochlea Indica ventricoſa, & adeò leviter turbinata, ut ex unico orbe conſtare videatur. Ex ore, quod firmis dentibus armatur, labrum leviter rugoſum exeritur, plicaturque ſupra maximum orbem tali modo, ut à baſi ad mucronem totam circumplectatur. Dorſum illi eſt lineolis parum ſignatum, Color verò multiplex. Carneus enim, flavus, albus, & lividus ſimul confuſi undatim illud ſignant. Quod

inter

inter cæteras ſpectabilem eam reddit, eſt ſeries ſex macularum è colore violaceo ad nigrum vergente, quæ in craſſiori oris labro ſubſident.

323 Turbo iconis magnitudinem non excedens, undequaque nitidus, & levis, extra colore carneus, & fuſcus, intus verò in albedinem propendet. Ejus nota diſtinctionis eſt quatuor dentium ſeries in ore apparentium, & ſpirarum ductum in parte interna comitantium.

324 Venerea mole parva, at magni facienda ob levem teſtam qua componitur, & diſſimilatur à cæteris, ut plurimum craſſa, & ponderoſa ſubſtantia compactis: Ab eis differt præcipuè ob lineam ſpiralem, quæ in una extremitate dilucidè apparens, internorum orbium circumvolutiones indicat. Color illi eſt oſſeus, quem faſcia albidior in dorſo cingit; apud Braſiliam naſcitur.

325 Turbo nitidus, & pellucidus carneo fuſco tinctus. Singulas orbium ſpiras ſeries alborum punctorum pulchro ordine diſtributorum comitatur, & ubique undatim ſignat cruentus rubor.

326 Murex egregius, quem binis aliis jam deſcriptis, nec omninò ſimilibus, munere addidit Illuſtriſſimus Præſul Leo Strozza Excell. Ducis Strozzæ filius. Galeiformis hic dicitur ex forma, qua galeam exprimit non ſolùm craſſo labro circumſeptam, ſed brevibus, & robuſtis muricibus, quibus armatur contra Clavarum ictus. Valdè ponderoſus eſt propter craſſam ſubſtantiam, qua componitur, & mole palmarem globum aliquando ſuperat. Fulvo colore in parte externa pingitur.

327 In altera autem facie, quam hìc delineatam vides, os patet anguſtum, ſed longum, per quod color idem in aureum, aut rubrum propendens ſpectatur, labrumque habet craſſis Dentibus munitum.

328 Turbo æque longus, ac figura, qua indicatur. Tophino, vel ligneo colore induitur, ſed ob partium ſtructuram mirificè ſpectabilis redditur. Eum ſubuculis, & monilibus ornatum diceres, inter quæ binæ ſtriarum foſſæ ſecundum ſpirarum ductum circumvolutæ. Ex India in Italiam Hollandicus mercator illum detulit.

329 Caſtaneo tegitur colore hìc alius Turbo, è Braſilia habitus, teſta valdè levis, & non parvi æſtimandus ob colorem.

330 Turbo è litore Braſilienſi acceptus, ſine circumvolutionum apparentia. Os valdè patens illi eſt, & ſubſtantia ponderoſa conſtat, in dorſo levigatus, & pellucidus, at ubi circa os circumflectitur binos canaliculos habet, qui in parte interna abduntur, hæc lacteo colore ſaturatur, externa verò cinereo cum tyrio miſto propè baſim.

331 Hujus Cõchleæ ſtructura præclara eſt, & rara, in altera enim parte aliquantulum tumeſcente globi ſegmentum ſimulat, quod perfectè levigatum abditorum orbium circumvolutiones indicat faſcia quædam è colore calteo, quæ ſupra album in ſpiram circumducitur. In altera verò os patet mediocriter apertum, quod labrum molliter inflexum, & quatuor craſſis dentibus munitum coronat.

332 In oppoſita autem facie, ut in figura exprimitur, inteſtini fragmentum in ſe convolutum ſimulat ſine ſpirarum ductibus. Colore cinerea eſt, quem maculæ ſine ordine diſtributæ ex aureo condecorant.

333 Cochlea à terreſtribus parum diſſimilis, ſed aliquantulum magis complanata. In binis partibus ſpiralem Zonam oſtrinam habet, quæ in interiori oris meatu etiam apparet quaſi ſub velo jacens, cæterùm ubique lacteam albedinem oſtentat.

334 Ridiculam perſonam, quam vocabulo *Zanni* exprimunt Itali, inter Cochleas imitatur, quæ hìc ſubjicitur. Veſtem enim illius ſimulat tribus coloribus, quibus pingitur, nempè igneo ſive ſandichino, conchyliato, & flaveſcente jucundioribus viſui, quàm calamo faciliter deſcribendis.

335 Præclara etiam habenda eſt hæc alia inter Cochleas non vulgaris, ejus maximum orbem ſubucularis albus, & levis bifariam dividit, & cum ipſo circumvolutus in ſecundi orbis commiſſura deperditur. Cæteræ teſtæ partes leviter ſulcantur, coloreque bicolori, cinereo nempè, ac plumbeo cingitur, quorum poſtremus circa os in oſtrinum vertitur.

336 Quem hìc vides Turbo cilindricus è D. Zanonis muſæo habui, non quidem figura mirè ſpectabilem, ſed macularum diſtributione. Supra colorem plumbeum multiplices faſciæ apparent candidis, & conchiliatis notulis æqualiter diſtributis teſſellatæ, & tali ordine, ut poſt anguſtam latior, & poſt lalatiorem anguſta collocetur.

337 Purpura è mari Braſilienſi habita. Si albedinem obſerves è pulchro lapide pario, ſive alabaſtrite formatam putabis; ſuperficier illi eſt aſpera, & rugoſa, ut in cæteris Purpuris, ſed valdè levigata, & pellucica, licet non æqualiter ubique complanata, ſed ſulcata ſemirotundis canalibus, oris apertura rotundo labro cingitur, quod tonſillæ leviter tumentes exornant.

338 Venerea in litore Braſilienſi frequens, molem hujus iconis non excedens, videtur craſſo ſubuculari circumdata, ore longo, &

go, & anguſto. ubique levigata, oſſeo colore flaveſcens.

339 Ejuſdem cochleæ facies averſa quæ oris aperturam valde anguſtam oſtendit.

340 Buccina quinque ſpiris abſoluta, quarum maxima oris aperturam, & quidem complanatam oſtendit. Ex duobus labris alterum crenatum eſt, alterum dente unico munitum. Colorem habet cinereum, & molem, quæ in hac pagina exprimitur.

341 Nerita in litoribus Braſiliæ abundans, è globulis albis, & ſandichinis videtur compoſita, tali artificio; ut in linea ſpirali diſtributi, dum orbes conficiunt ſimul connectantur, & quaſi in duas Claſſes alteram rubrorum, alborum alteram viciſſim variatas dividantur miro Naturæ luſu, magnum artificium in parva mole oſtentantis.

342 Murex valdè labroſus, ex diverſis dilutis coloribus variegatus, nempè aureo, badio, & ſanguineo. Intus verò lacteus. Ejus nota inſignis eſt teſſellula quædam quadrata ex conchyliata nigricans, quæ propè os ſubſidens, otioſus videretur Naturæ luſus, niſi in tota ſpecie conſtanter formaretur.

343 Purpura, quam quinque orbium anfractus circumſcribunt: criſpis ita rugatur, ut æqualiter inter ſe diſtantes recurrant. Has binæ faſciæ fuluæ circumdant, quarum ſingulas aliæ binæ lineæ aureæ intermediant, omneſque ſupra lacteum colorem conſpicuæ reduntur.

344 Turbo ad digitalem longitudinem extenſus mucrone valdè acuto, cujus linea ſpiralis indicatur à laciniarum, ſeu pinnularum ſerie, baſim verſus propendentium, in qua os ferè rotundum labrum delicatum oſtendit.

345 Turbo mucronibus aſper, qui binos circulos in maximo orbe effingunt. Cæteri ſpirarum ductus brevem conum formant, circa os valdè producitur labro æque craſſo, & aperto. Carneo colore facies interna pingitur, helvaceo externa.

346 Turbo quorundam avium cor exprimens aliquantulum complanatum. Bina ejus latera duobus labris exornantur, quorum alterum oris aperturam coronat. Parvuli, ac dimidiati globuli frequenter in ejus ſuperficie eminent, quam ſuccus carneus, vel terreus colorat.

347 Purpura ex Luſitano litore habita, lacteum candorem æmulans. Orbium ſpiras cingula rotunda comitantur, ubique levigata ſuperficies apparet, ut in ſtatuis marmoreis perfectè expolitis.

348 Nerita, parva licet mole, magno artificio depicta à Natura colore purpureo, qui undoſis meatibus candidam cutem opere veluti phrigio exornat. Valdè nitida eſt, ac ſi gummi Sinenſi obvelata eſſet.

349 Antecedenti ſimilis hæc alia Nerita eſt, colore tantùm diſcrepans vinoſo, quo tegitur. Binas undarum ſeries habet è colore purpureo, & candido alternatim recurrentibus propè orbium commiſſuras.

350 Furuam Ætiopis pellem colore ſimulat hæc Cochlea, binis faſciis cincta, quarum altera duplo latior eſt, ambæque ſecundùm orbium ſpiras circumducuntur ſpatio ſemper coarctatæ, prout ſeptem orbes, quibus abſolvitur, decreſcentes, in longum mucronem deſinunt. Turbinum genere comprehenditur, oſque habet valdè anguſtum, quamvis in longum productum, à Baſi ad cacumen in longum criſpatur, & tranſuerſim minutiſſimè ſulcatur.

351 Cochlea valdè nitida, & levigata. Preclara illa eſt è maculis badiis ſupra lacteum candorem poſitis, quibus in plures veluti partes dividitur.

352 Venerea mole parva, ſed omnibus hujus generis antecellens pretioque habenda. Aureo fulgore tegitur, notulis rotundis helvaceis ſignato, quarum centra punctis nigerrimis indicantur.

353 Turbo ubique criſpatus, ore longiſſimo, & anguſtiſſimo; Candor, quo tegitur aureo colore in externa facie leviter notatur.

354 Cylindrus livido colore, binis faſciis albiis cinctus, notulis cruentatis, & in girum diſpoſitis teſſellatus, ejus baſis alba eſt, & ſanguineis maculis æqualiter diſtributis notata.

355 Cylindrus, qui è maculis Gagates dicitur, huic enim lapidi aſſimilatur. Ejus nota præcipua linea ſpiralis in baſi apparens pinnullis ornata, quæ à maculis cruentis frequenter notantur.

356 Lacteus color circumtegit hunc alium Cilindrum. At propè baſim in pinnulas deſinentem candida ſuperficies apparet, intus autem violacea.

357 Pardus vocatur antonomaſticè Cilinder hic ob maculas magno in pretio habitus. Ille enim quaſi teſſellulæ ſanguineæ ejuſdem ferè magnitudinis omnes ſpatio æquali inter ſe diſtantes diſponuntur ſupra lacteum colorem, quem præterea tres aureæ Zonæ circumſepiunt. In baſi omninò complanata linea ſpiralis veluti canalis profunda circumflectitur.

358 Cylindrus candidus, ut nix, tranſverſas ſtrigulas habens, notaſque aureas ſinè ullo ordine diſpoſita oſtentans.

359) Cochlea depressa in mari Indico ge-
360) nerata, rustico veluti amictu indu-
ta, & terreo colore, quo argenteus nitor celatur. Illi non mediocre addit pretium series quædam pinnularum, quibus linea spiralis bellè laciniatur.

361 Cochlea colore cinereo, in dorso tonsillas nigricantes gestiens. Os habet valdè expansum, & apertum, labra carnea apparent, pars intima cinerea, fasciis violaceis signata.

362 Cochlea alba, & levigata, ut Porcellana. Ubi orbes spirarum connectuntur, profunditas apparet, quæ illos simul intextos demonstrat. E maculis helvaceis, quibus notatur, magni ducitur.

363 Turbo ex litore Brasilienſi acceptus levi, & nitida superficie. Decorem illi augent binæ Zonæ mustellinæ, tranversim ductæ supra colorem cinereum cum albo mistum.

364 Cochlea levi, & subtili materie constans; ob formam Buccina appellanda videtur. Ejus insignis nota est candida Zona, qua cingitur maximus spirarum orbis. Os habet ferè rotundum, ex quo patet candor internæ superficiei. Externa autem est aurea.

365 Cochlea umbylicata rotunda, & nitida; Quatuor cingitur fasciis albis, quæ notulis sanguineis, & helvaceis undatim signatur. Cæteræ partes indicam arundinem colore simulant; ore albicante.

366 Turbo nitidus, & levigatus, cujus orbes vix in facie externa indicantur. A vertice usque ad cardinem imum ternæ fasciolæ in spiram contortæ pluries cingunt, quarum prima fulua est, violacea secunda, tertia aurea.

367 Turbo non dissimilis aliquibus Purpuris, ferè albus, cum notulis disperſis sinè ordine castaneis, & cruentis. In spiris turbercula habet molliter circumflexa, ac si è cera constarent.

368 Echinophoram jurè dices Cochleam hic positam ob tonsillas, seù puluillos, quibus intumescit. Cæterum globi asperi imitatur figuram: Colore terro cum ossèo misto pingitur, qui in partibus depressioribus magis albescit.

369 Cochlea quatuor orbium spiris composita, quorum maximus valdè tumescit in dorso, cæteræ autem labro quodam crasso oris cæteroqui angustissimi quasi omninò abduntur. Color ori inest carneus, intus albescit, foris plumbea est, & flavida.

370 Cochlea in mari Indico generata, & levissima. Orbes habet instar Turbinis, at Concham duarum partium simul coeuntibus diceres, quibus amygdali fructus ferè exprimitur. Colore fulva est. Interna autem facies videtur alba ea in parte, in qua oris est apertura valdè prodigiosa propter dentium aliquorum dispositionem, quibus munitur.

371 Cum superiori certat de pulchritudine hæc alia pariter dentata in utraque oris parte, alba, & ponderosa est æquè ac parius lapis. Ubi oris patet foramen, aliquantulum complanatur; cæterum quasi omninò rotunda, ut globus, veluti subucularibus albis compactus.

372 Quam hoc in loco positam cernis, in litore Pernambuci repertam, parvitatem molis artificiosa partium compositio superat minor est nuce avellana: tali autem arte ternos in turbines excrescit, ut turcicum & elegantem cidarim exprimat. Singuli orbes in plures veluti tonsillas turgescunt, & distribuuntur, proportione diminutionis servata in spirali circumvolutione, omnesque videntur quasi cingulo obstricti, quod comitatur aliud veluti filum globulorum, alborum & rubescentium alternatim dispositorum. Reliquas verò partes carneus rubor albo aspersus circumtegit.

373 Buccinula quatuor spiris contorta, in omni parte perfectè levigata, lauri baccam æquat magnitudine. Ubi orbium commissuræ sunt, albæ notulæ jacent, quas intermediæ terreæ ad viridem propendentes distinguunt: eodem colore tota ferè testa saturatur, maculis furvis etiam tessellata.

374 Quinque, quæ subjiciuntur supra positis, ex Neritarum genere sunt, in sinu Pernambuci generatæ. Nuci avellanæ parvulæ sua mole omninò similes quasi perfectè rotundæ, undique nitidæ, & leves, ita ut vix unius orbis interni vestigium appareat. At si forma vulgares, elegantissimæ sunt propter colorum dispositionem, & varietatem, qua à Natura pinguntur faciliùs oculis inspiciendam, quam exprimendam calamo. Quam hic vides primo loco positam malaco colore saturatam, quinque fasciis albis à centro ad circumferentiam ductis dividitur, quarum lateri lineola anthracina adiacet.

375 Ex ebure compacta videtur hæc alia aliquantulum flavescenti, supra quam lineolæ nigerrimæ sinè ullo ordine flexuosè discurrunt.

376 Dividitur hæc alia colore alba in partes æquales, fasciis, seù radiis coracinis, à centro ortum habentibus, magis amplificatis, quò magis oram versus extenduntur.

377 Nerita pariter in plures partes diviſa radiis, non rectè, ſed ſinvosè ſparſis, & numero paucioribus, quàm in ſuperiori, ut in Icone apparet. Livido colore hi ſunt, lineolis piceis conjuncti ſupra colorem oſſeum, quo tota Nerita induitur.

378 Radii, quibus hæc alia in plures partes dividitur, æqualia inter ſe ſpatia ſervant, colore autem ſunt albi, reliqua teſtæ facies cerafino, vel puniceo colore ſaturatur eoſque lineolæ nigerrimæ intermediant.

379 Globi figura ferè exprimitur ab hac Cochlea ternis orbibus rotunda, & veluti pluribus ſubucularibus compacta. Colore albeſcit, porraceis, & luridis maculis teſſellata. Linea verò, qui orbium commiſſuras indicat, à notulis luridis in partes æquales diſtributa comitatur.

380 Cochlea æquè ob colorum, & partium venuſtatem pretio non vili ducenda; pingitur enim albo, roſeo, & viridi cum flavedine miſto, & ſinè ulla regula diſtributis. Quatuor in orbes pyramidis inſtar excreſcit ſupra baſim valdè amplam, quorum ſinguli binis ſubucularibus, veluti è filis pluribus compactis, cinguntur. Circa baſis crepidinem veluti corona adiacet frequentiſſimis pinnullis laciniata. Supra orbium teſtam undequaque rugoſam, & criſpam, intervalli proportione ſervata; imbricamenta quædam eminent, quibus Animali munimento ſunt, & decori.

381 Quatuor, quas hìc ſubjicimus ex eo genere Neritarum ſunt, è mari Pernabuci allata. Quæ primum locum obtinet dividitur à tribus radiis à centro emanantibus eò magis latis, quò magis ab eo recedunt. At ubi mediam Cochleam cinxerint, tranſverſim quaſi dimidiati non progrediuntur. Eandem inſuper Cochleam bifariam ſecat faſcia quædam meandris contexta, colore, quem lacca exhibet, nitidiſſimo, ſicut etiam eodem radii pinguntur: lineola inſuper picea omnium latera comitante, quæ ſupra albam Cochleæ teſtam optimè diſtinguitur.

382 Malaco ſucco videtur imbuta hæc alia, ſeu vinoſo, aſperſa deindè liquore lacteo in guttas diviſo, quarum mediętatem circulus ater circumdat. Dividitur etiam bifariam à faſcia alba, cujus lateri lineola anthracina adjacet.

383 Nerita, ut Ebenus æquè nigra, ejus mediętatem lacte aſperſam diceres, & lactea Zona in æquales partes diviſam, ſicuti circa os eadem lactis albedine ſaturatur.

384 Alia parùm diſſimilis labello quodam, quo circa os tumeſcit, candida ut nix, duabus Zonis cinereis, & atris vittata, quæ piſcis cutem ſquamoſam ſimulat; inter eas alia interiacet ejuſdem coloris, minutiſſimis linearum particulis compoſita, præbetque illi ſingularem diſtinctionis notam.

385 Murex, quem Piſcatores in mari tranquillo Americano prope Urbem Carthaginem expiſcantur, inter teſtacea Animalia fortaſsè maximus mole, & pondere. Duos pedes aliquando æquat longitudine. Itali patria voce illum vocante *Garagoo Cornuto*, ſed aptius alii Muricem Alatum; labro enim ori appoſito adeò extenditur, ut illo veluti ala formetur, ſeu, ut verius loquar, marmoreus Thorax ad defenſionem pugnantis aptiſſimus. Poſt maximum orbem ubique criſpatum tuberculiſque tumeſcentem, veluti coronam robuſtorum muricum oſtentat, quorum ſinguli trium digitorum craſſitiem æquant longitudine, criſpati, & in ſe ipſos convoluti ramorum inſtar quercus, diuturna aeris inclementia obduratæ. Quò autem magis mucronis cacumini proximi ſunt, eò magis breviores protuberant. Subſtantia valdè ponderoſa, dura, & craſſa formatur; quamobrem difficilè creditu eſt, Animal ſua mole longe minus teſta, qua tegitur, adeò ponderoſam domum valeat circumferre. Colore ſaturatur ſimili marmori Tiburtino, quem cutis craſſa, aurea, & terrea in parte externa circumtegit.

386 Pars verò interna, quæ hìc exprimitur nitida veluti ſandracca velatur ſinenſi porcellana non abſimili. Ei color ſubeſt roſeus, rarò in teſtis Cochlearum generatus, quò decor illi additur, & pretium.

387 Cochlea quinque circumvolutionibus complicata, ore, ſatis patulo, quatuor dentibus diſtincto Alba illa eſt, & nitida ut in ſpira majori triplicem ſeriem macularum caſtaneus color efformat.

388 Cochlea terreſtribus vulgaribus forma non diſſimilis, at ſi os reſpiciatur, ad genus umbylicatarum pertinet. Ejus ſingularis proprietas eſt diſpoſitio linearum, quæ a centro ad umbylicum ductæ totam circumvolutionum ſoriem comitantur. Fulvæ illæ quidem ſunt, ſupra colorem ſubalbum ductæ; interiori verò parte colore violaceo inficitur.

389 Turbo parvitate fabæ molem non excedens, ſpirarum indicem in parte externa nullum habet, aſper tamen eſt undequaque, & lurido humore ſaturatus. Illum diſtinguunt aliqua tubercula ſubalbida, ſine ullo ordine diſpoſita. Os illi eſt valde anguſtum.

390 Cochlea valde levis undique levigata, ore patulo in longum porrecto, colore ebur imitatur. Fructus eſt Maris Americani.

391 Cylindrus in parte interiori condidus in exteriori verò tophina veſte te-

ctus, quam notæ lacteæ in triplicem girum diſpoſitæ exornant. His adduntur frequentes circuli e colore ſubvolturino, non quidem continuis lineis, ſed interruptis virgulis efformatis. In genere Cylindrorum maximi æſtimatur, non adeo frequenter repertus ut cæteri.

392 Buccinula leviſſima, cujus teſta exilis, & pellucida ſeptem ſpiris abſolvitur, quorum prima valde ampla eſt, ultima verò acutiſſimum mucronem efformat. Color illius eſt oſſeus.

393 Cochleâ umbylicata, in qua meatus orbium ſemirotundus ineſt. Tota candido lacte imbuta at in utraque parte undis caſtaneis & fulvis mira quadam diſpoſitione collocatis condecoratur, ut numeri illi appoſiti indicant.

394 Buccina maximo pretio habita ob colorem. Carneus enim ille eſt aureis maculis intermiſtus, lineolis fulvis inſuper adiectis, quæ ſpatio fere æquali inter ſe ſervato, quinque orbium quibus conſtat, ductum ſequuntur.

395 Cochlea cujus forma an ſit potius commendanda, vel ſtructura valde dubium eſt. In utraque enim eſt præclara. In ea orbium ſpiræ ita teſta conteguntur, ut vix in brevi mucrone indicentur, quamobrem concha potius quàm cochlea videtur appellanda. Coſtæ illi ſuperaditæ in partes æquales eam dividunt. Alibi eam indicavimus, at non adeo elegantem & pretio æquali habitam. Quippe ea, quam hic delineavimus propter colorem ſingularis eſt & rara. Maculis enim condecoratur roſeis, pluribus aliis admiſtis quæ in cæteris hujus generis apparent. Illam obtinent in mari indico Piſcatores.

396 Nerita, cujus magnitudo eſt ut hic exprimitur: colore tota albicat. In tribus orbibus, quibus componitur, major fere totam componit. Multiplicibus globulorum lineis tota cingitur, ſpatio debito inter illa ſervato, quod tamen aſperum eſt, & minutiſſimis inciſuris corrugatum.

397 Trochus ſubſtantia admodum craſſa ponderoſus corrugatur ita, ut funiculis ſimul junctis videatur compactus. Totus candidus eſt, maculis piceis adjectis.

398 Cochlea ventricoſa. Tribus orbibus ita componitur ut eorum major tumidum ventrem exprimat medio in ore, quod labris craſſis munitur, hyatus fere rotundus patet: valde ponderat, & colore ſubcinerico eſt infecta.

399 Buccina in quatuor orbes convoluta, ore patulo binis & craſſis labris munito, ex altera eorum ſerie aliquot ſupra primum orbem ita producuntur, ut paulatim diminutæ evaneſcant. Color exterior in flavum inclinat, interior autem albus eſt & nitidus.

400 Buccinula alia quinque ſpiris contorta, & valde in longitudinem extenſa. Os illi eſt oblongum, & in mucronem productum. Color albus undique apparet, ſupra quem in parte externa maculæ caſtaneæ ſine ullo ordine ſerpunt.

401 Buccina ſex circumvolutionibus abſolutas, quarum maxima ventricoſa eſt, illi os labroſum patet in ſemicirculum efformatum. Candidum colorem, quo tegitur, lineolæ ex ſpiris eductæ diſtinguunt, quæ veluti enſes paulatim in acumen gracileſcunt.

402 Cochlea, cujus majorem partem os in longum productum occupat. Lineola, quæ in baſi fere plana in quatuor ſpiras convolvitur, totidem orbes internos indicat. Cæterum albò colore in flavum inclinante tegitur, quem maculæ fere rubræ æquali ſpatio diſtributæ condecorant. His quatuor cochleis, quas deſcripſimus, os ineſt in parte ſiniſtra collocatum, non in dextera, ut in cæteris.

403 Cochlea bina ex parte viſa, teſta valde ſubtili componitur, at pulchris Zonis fulvis, flavis, ſubrubris, inter quas tres ſunt præcipuæ & majores in girum diſtinctæ; cæterum ſubalba intus foriſque apparet.

404 Quæ hoc numero indicatur an cochlea dicenda ſit an potius concha, dubium parit ejus forma. In ſpiras enim brevi circumvolutione glomeratur, at majore ſui parte adeo in latum extenditur, ut concham fere planam efformet. Illam ex Achate fabrefactam diceres, nam ejus lapidis faciem præcipue in parte interiori ob levorem & colorem exprimit. In exteriori verò circa centrum minutiſſimis rugis tota criſpatur; carneus color in flavum propendens ejus cutem circumtexit, aliquibus venis ſubfuſcis tranſverſim notatam.

405 Cochlea ex genere venereo valde nitida & levigata colore livido.

406 Cochlea, cujus minima pars in helicem inflectitur. Os adeo amplum oſtentat, ut animali incluſo munimentum deeſſe videatur. Illam diceres ob exilitatem teſtæ arboris folium leviter convolutum; levis idcirco eſt, & nitida, præcipue in parte interiori, cujus facies ſubalba apparet. Exterior verò lineolis ſubfulvis & frequentibus ſignatur.

407 Cylindrus indicus decem ſpiris circumductus. Candidus ubique & facies exterior maculis fulvis decoratur, lineolis helvaceis ſuperadiectis.

408 Cylindrus pariter indicus, albedinem lactis æmulans, punctis nigricantibus frequen-

frequenter notatus. Rarus ille est & magno pretio apud curiosos Naturæ Inspectores.

409 Cochlea umbylicata. Sic dicitur ob speciem umbylici, qui in centro orbium exprimitur. Os Tubæ illam vocavi, seu Tubam retortam. Tubam enim rotundam imitatur, & orbibus fere quinque circumductam, quæ mucronem habet angustum, basim verò oris instar, quod in Tubis videtur. In parte cava sub hoc numero indicata albescit.

410 Ejusdem Cochleæ pars gibbosa exprimitur. Quæ tophacea est, maculis sanguineis sine ullo ordine aspersa; os autem flavescit.

411 Cylindrus levis & nitidus, colore rarus. Roseo enim & albo ita depictus a Natura est, ut fere Tabulas simulet, in quibus Regiones Maria & Insulæ à Geographo exprimuntur, hac de causa. Cochleam geographicam aliqui eam vocarunt.

412 Turbo, quem labrosum dico ab ore valde longo & crassis labris munito. Binos insuper habet dentes, ut post primum orbem, quo constat, tribus aliis adeo brevibus terminatur, ut quartam ejus partem vix omnes simul adæquent. Totus est albus & valde ponderosus.

Hec delibasse sufficiat, dum finem hic Conchyliorum Descriptioni facimus, non Admirationi. Hæc enim continua debetur miris Naturæ operibus, in quibus etiam minimis Architectonicam artis suæ excellentiam depingit. Debetur inquam Naturæ, ut Plinius ait, *lascivienti præsertim, & in magno gaudio fertilitatis tam variè ludenti*. In quingentis, & quinquaginta ferè Cochlearum Iconibus descriptis satis illa comprobabitur, qua luteam massam tantummodò circumvoluendo, ita semper in spiras aptavit, ut eadem licet, diversa tamen in singulis appareat. Quod si pari distinctione abditissimos maris thesauros altis undis consepultos in scenam dare fas esset, tunc certè miraremur magis, & inopem nos copia faceret, & innumeris ferè admirabilioribus portentis facundia ipsa obruta remaneret.

Illis igitur ex omnibus delibatis, aliorum Narrationes æquè diffusas, & obscuras propter Iconum inopiam elucidandas spero, Icones enim descriptionibus magno adjumento sunt, ut eas perlustrando summi Conditoris manus recognoscamus, ac laudemus, ut fecit Augustinus, oculis subjiciens statuam argillaceam, quam sculptor effingit, intus ligna, paleas, foris membrorum proportionem, & elegantiam, ita concinnando,

ut nescias, utrum in ea condenda major sit UTILITATIS *habita ratio, quam* DECORIS.

Quærendum denique est, an Icones exhibitæ, perfecte corespondeant Cochleis, ut veræ sunt à Natura productæ. Ratio ob quam interrogationem hanc subjicio, ex eo deducta est, quod posteaquam Tostaceorum Tractatum in publicam lucem exposueram, Incuriæ me damnavit D. Martinus Lister e Regia Societate Anglicana, qui in appendice ad historiam Animalium Angliæ Londini edita an. 1685. tract. 2. qui est de Cochleis marinis dixit aliqua emendanda esse in tabulis æneis ita scribens. *Qui picturas ære incidit in eo maxime erravit, quòd omnium Turbinatorum volutas invertit, adeoque quorum aperturæ in dexteram spectant, sic intelligi debent ac si levam respicerent & contra de aliis, quæ contrarium positum in tabulis servant, existimandum est. Eumdem errorem in aliis rerum naturalium Authoribus olim notavit Fabius Columna Aquat. & Terrest. lib. 1. pag. 61. Illius inquit ideſt Rondeletii pictor ignoravit artem Typographicam, in qua omnia aversa depinguntur, ut impressa deinde recta reddantur, quare omnia illius & aliorum Icones sinistro aspectu sunt cum dextro esse debeant tantùm illic, ut quæ in Gesneri voluminibus exaratæ sunt, rectæ conspiciuntur, sed non industria pictoris illius, cum reliquæ non exaratæ ab impressis sinistræ sint depictæ. De Bonanni figuris nuper editis idem dici potest, nam universæ falsæ sunt, nisi quas paucas a me aliisque mutuatus fuerit.* Hactenus Martinus Lister.

Post ejus editionem fassus sum ego in opusculo quod scripsi de Viventibus, quæ in non Viventibus reperiuntur, hunc errorem, irrepsisse, sed voluntarie, illumque iterum fateor. Typographicam enim artem callebam, falsitatem in impressione prævidi, at neglexi non unica ratione ductus. Et primò exemplo aliorum, quorum certe typographicæ artis ignorantia præsumenda non est; attamen pictoris manum non coegerant, ut in eo situ cochleas delinearet, in quo non aversa apparerent. Profecto cognoverunt pro nihilo habendum esse errorem illum, cujus causa Animalia Turbinata contemplarentur aversa: non enim inspicientes ea dissonantia offendit, quæ maxime lederet, si homines ex. gr. vel Arbores, Pisces, aliaque multa eo modo viderentur depicta, ut ubi caput, flores, & folia videnda essent, ibi pedes & radicès apparerent. Conchiliorum enim venustas, circumvolutiones, & mira partium structura æquali delectatione oculorum usurpantur, quocumque in situ collocentur, nec ulla phantasiæ vis infertur, ut diversum aliquid imaginetur ab eo, quod sensum comprehendit. Fortasse ex eo, quia licet ut plurimum Natura os efformet in parte dextera Turbinatorum, in parte tamen sinistra multorum illud collocat, nec a tali partium dispositione abhor-

abhorret; recusat verò caput efformare vel florem, ubi pes vel radix semper apparet.

In hac tamen Musæi descriptione, ut ostenderem eam correctionē non parvi à me fieri, studui talem erroremcorrigere, delineando Conchylia in eo situ, in quo vere oculo apparent; At deinde cum in volumine, ab ipso Martino Listero evulgato eundem errorem commissum in multis recognoverim, sicuti etiam in Musæo Amboinico vulgato a Georgio Everardo Rumphio, Plinio Indico dicto, aliqua, licet pauca, neglexi, & ita delineavi, sicut apparent in prima editione, ne novum laborem, & quidem non levem, susciperem iterum delineando. Itaque meo genio indulsi bene cognitum errorem prosequens, cum ejus correctio æque rationabilis sit, ac supervacanea.

PARS TERTIA.

Continens varia Problemata, Menti proposita In Observatione Testaceorum.

ARistoteles octo supra triginta Sectionibus, Problemata plusquam mille compræhendendo, nihil aliud præstitit, quàm totidem Quæstiones proponere, circa res tam certas apud omnes, quoad esse suum cognitas, quàm incognitas humanis mentibus, & incertas. Quamobrem rationi curam demandavit earum causas perscrutandi. Vis intelligendi in homine, quæ Brutorum phantasiam longè excellit, non solùm immoratur oblectamenta percipiendo ex ipsa rerum cognitione, quæ oculis obversantur; sed rei cognitæ causam inquirit, Neque opinandi libertatem intelligentiæ relinquens, onus illi imponit, intimas rei causas in medium afferendi, quadam quasi Anatome, ipsas rei fibras, & viscera perscrutando.

Jam verò quod per varia rerum gnera excurrendo præstitit Aristoteles; Nos uni inhærendo, Testaceorum contemplationi præstabimus. Neque illorum irrisionem timemus, qui apud antiquos irridentes nonnullis minus aptis ad magna Reipublicæ negocia administranda, dixerunt ex vulgato adagio: Omnem rerum agendarum peritiam in eis circa illud versari, ut scirent *Concham dividere*; Quandoquidem earum partes rimari, fabricam examinare, originem, & causas indagare Opus est intelligentiæ associatæ sensui illas perspicienti, sed ita in earum indagine occupatæ, ut sinè labore Opus expedire non possit, dum interim sensus facili negotio, aliquas earum in partes discindit. Hinc est quod magnus Testaceorum acervus datus aliquando in conspectum hominum, ingenio, & philosophandi arte peritissimorum, qui per imaginaria spatia volatum soliti fuerant facillimè explicare abstrusis penè illationibus, illos non semel admiratione ita perstrinxit, ut Orbem novum ingressos dixeris, & Agelastos omnes ex improvisò evasisse credideris, cum eorum consueta vocabula magnificis phaleris bracteata, iis rebus aptari nullo pacto potuerint; obtendentes interim ignaviæ suæ assuetum illud velamen, quod salva contemplatricis Philosophiæ majestate, non debeant sese ad tam infima Naturæ demittere; cum tamen Natura in Minimis tota sit. Qui verò veritatis fulgore afflatus perspecta rei alicujus, vel causa, vel origine, existimat se, quicquid admirarione dignum vasto Naturæ sinu complectitur, depræhendisse; eamdem ipse catenam meretur, quæ vanissimo illi Xersi debebatur, qui constructo super Hellespontum Navali Ponte, ut ex Asia in Europam trajiceret, aureos in illum compedes injecit, quasi in tam axiguo freto totum sibi Oceanum subegisset.

Igitur quemadmodum nullus omninò intellectus contemplando intimè res prospicere, ita nec omni responsione indagando potest acquiescere, neque exigui luminis splendor satis est, ut clarè ostendatur Quid, Cui, Quantùm, Quomodo, & Quicquid aliud rei cuilibet minimæ, quasi velandæ, & obtegendæ superfunditur. Quamvis tam Illustris in toto Mundi Theatro sit Solis fax, quid ultra in rebus, quàm illarum superficiem ostendit? Occultatis interim earum fodinis, earumque visceribus. Et quamvis hæ, exhumatis quasi terræ visceribus, efferantur in lucem, nil aliud, quàm nova rerum superficies explicatur, quæ rebus intimè latentibus velamen obtendit. Non ergo mirum, si tam exiguum lumen intelligentiæ in disquirendis causis in ipsa interminabili Mentis formatricis abysso tenebrescat. Nullus unquam veras indagines secre-

secretorum miraculorũ Naturæ pœnitus deprehendet, fortunato magis eventu, quàm Nissenus ille ingeniorum Eminentissimus, qui ad hæc Naturæ miracula se caligare fatetur. Hic una cum Basilio Magno Fratre, & Sorore Macrina, doctrina non minus, quàm sanctitate illustri, propositis ad admirandum potiùs, quàm ad discutiendum, hujusmodi Quæstionibus, quasi nodis inextricabilibus, pronunciavit: Orat. 3. de Resurrect. *Et hæc quidem omnia admirabilia sunt, sed quo pacto fiant, nobis ignotum est.* Nihilominus sicuti temeritatis notam non effugit, qui sibi omnia scire adblanditur, ita indignitatis incurrit, qui sibi de omnibus dubitandum adscisçit: Quamobrem Petrarca, cap. 3. utriusque vitium præstringendo, dixit.

Vid' Ippia il Vecchiarel, che già fù oso
Dir: i so tutto, e poi di nulla certo.
Ma d'ogni cosa Archesilao dubioso.

Hinc est, quod Congruentiam aliquam afferendo in ipsius causæ perscrutatione, cui si Artifex opus suum conformaret, non fortuitò ipsi quasi è manibus opus excideret; est exiguam quidem, sed tamen veram rei causam afferre: quandoquidem Dei sapientia, nomine Operatricis Naturæ indigitata, ad Normam exactissimæ prudentiæ omne opus examinat, omnes illos fines attentè inspiciens, qui rationem omnem possunt, in ipsum opus refundere. Et cum opera omnia in eum omninò finem collimare dignoscuntur, quem sibi præscriberet Artifex sapientissimus, infertur: Mundum, & creata omnia, non ex Athomis fortuitò combinatis compacta, ut volebat Democritus, sed omnia, & singula unum esse Opus intelligentiæ, ut Anaxagoras enunciavit. Quemadmodum ergò non potero pro merito derideri, ita neque pro æquitate damnari. Si in hac evagatione simul, ac studio, varia Problemata proponendo circa Testacea, non omnia penitus, penitusque explanabo. Mihi sat erit, eas pro ratione causas dare, quæ menti occurrent, aliis melius ponderandas, Aristotelem imitatus, qui divinæ quasi intelligentiæ admirationem sibi conciliat, dum in libris de Animantibus fines investigavit, propter quos membra singula hujus, vel alterius structuræ fuerint à Natura efformata in hoc, vel illo Animali, quamvis ipsius discursus non semper è ratione, & veritate procedat, qua de causa in multis rejicitur à Galeno, præcipuè in opere illo excellentissimè elaborato ad eundem Aristotelis finem, quod inscribitur *de Usu partium.* Imò non minùs celebre nomen obtigit Aristoteli ex libro Problematum, in quo tamen negligens responsiones datas obfirmare, tales solùm adnotavit, quales sibi contemplanti occurrerunt, ut eas postea ad lancem accuratiùs exigeret, quod morte præventus præstare non potuit, quapropter uni eidemque Problemati, non semel proposito, solutiones diversæ contradicunt.

Neque debet unquam sibi aliquis suadere inter ea, quæ, vel menti se objiciunt, vel lingua excidunt tantam consonantiam proportionis intercedere, quanta in Musicis numeris. Consonantiam hanc sibi deposcit studium ad lucernam Cleantis adlaborans in secreto cubiculi sui silentio, non animi Relaxatio juxta Maris littora evagantis. Esset hoc, mentem fatigare, non recreare, facto tantisper à gravioribus curis divortio. Proponendo igitur, & scribendo, Coronas quasi intexam ex floribus collectitiis, quibus pulchritudo major, ex ipsa majori varietate accedit; totumque earum structuræ artificium in eo situm est, ut negligenter collocati non ex arte intertexti flores appareant, & omne artificium ementiantur, Erit hoc: Illa ipsa Testacea imitari macularum varietatibus picturata, ut marmora, Affricanum antiquum referentia. His inconditè sparsa macularum varietas majorem pulchritudinem adfert, quàm si fuissent illæ ex ordine distributæ: *Tale hoc præsens opus volo*, sicuti de opere suo Vetus ille Scriptor pronunciavit, qui septem libris collecta retulit, quæcumque nullo prorsus ordine enunciata, effunderat Amicorum Turba, quæ ad animum recreandum convenerat, nempè suis in Saturnalibus Macrobius, Præfat. l. 1. talesque recensentur Athenæi Cœnæ, & Plutarci Symposia.

Delectatur animus, nunc loquendo, nunc audiendo; & de suo promens, & de alieno recitans, quod ab intermistis colloquiis non aberrat; & quemadmodum in Musicis numeris, inquit Macrobius, *fit concentus ex dissonis*; ita ex diversis, hinc indè jactis, & exceptis super Quæstione proposita responsis, mira oritur oblectatio, imò propter hoc, responsum aliquod præ omnibus oblectat, non secus ac palato gratior accidit unus præ alis sapor. Hęc igitur problemata in medium afferre, erit, non vana animum oblectatione afficere, exponendo, quæ ex paucis temporis intervallis, mens potuit negotiosa investigare, & quicquid ei arridet magis, in Quæstione proposita: exhibita sic aliis tacentibus opportunitate loquendi, ea proferendo, quæ in melius excogitata eorum intelligentia depromet.

PRO-

PROBLEMA I.

De Generatione unionum quæritur in qua Concha fiat.

UNio, quamvis à Tertulliano dictus fuerit Maris ejectamentum, Vitium non ornamentum Concharum, totius tamen Orbis terrarum amorem vendicat sibi, atque, ut Joannes Rhò in Examerone suo adnotavit: Orat. 3. n. 58. *quantunque col variarsi li Secoli, sian cangiati in essa i Costumi, non è mancata però della Perla la stima, à tutte le genti comune; imperoche hà non sò qual gratia, che con parole spiegar non si può, e con taeita eloquenza à gl' occhi d'ogn'uno persuade: esser un bellissimo parto della Natura e degno ornamento dell' Autore di essa.* Propter incomparabilem Venustatem eligi meruit, ad Cæli Valvas, pulchritudine sua adumbrandas, quod heroica planè Gratiani Comitis Musa insimulans, cum de conchis Genetricibus unionum loqueretur ait: Colos. sac. sect. 14.

Hor voi del Ricco Mar Conche pregiate,
Che à i tesori del Ciel crescete il Vanto.

Imò electus unio in Symbolum illius Civitatis, quæ in se colligit quicquid bonitatis, & pulchritudinis potest appetere cor, inexplebilis capacitatis, potest nobis longiorum sermonum argumentum suppeditare. Alienum tamen est ab instituto meo, hic recensere, quam multa multi de Unionibus scripserint, vel per ingeniosa emblemata illorum prærogativas exprimendo, vel virtutes medicas detegendo, vel valorem ponderando, exactis simul ad trutinam, aliis gemmis, quæ Regum Coronis insertæ præfulgent. Contentus ego, ad litus Maris, una cum aliis Testaceis confusè collectis unionem excerpere, dubium illud in examen voco, quod sibi proposuit Ambrosius, à se ipso exquirens: Esam. c. 11. *Undè nam Ostreis pretiosissimam Margaritam Natura infixerit? Quomodo illam maris aqua in tam molli carne solidaverit?* Et curiosus noscendi responsum, quod ipse noluit indagare contentus admiratione, profundo, devotoque silentio Divinæ Sapientiæ opera venerante; mirabile illud Magisterium inquiram, quo tam venusti partus pulchritudinem effingit Natura. Atque, ut id melius exequar. Notandum est id, quod omnibus pro comperto est, atque id à quo multi discordes abscendunt, dum Originem unionum perquirunt. Unanimi omnes consensione conspirant: illos esse Maris partus, quapropter Isidorus notat Apud Maiol. Coll. 18. à Latinis *Margaritam* dici, hoc est *Maris genitam*. Verùm non omnes concordat in assignanda Concha, à qua producitur. Olaus Magnus Vol. 3. p. 203. Auctor est in Freto Orotingano multas Conchas gigni, quibus nomen inditum: *Naccheroni*. Hisque Incolas uti ad terram evoluendam, tanquam instrumentis Agriculturæ; atque in iis Conchis rotundos uniones reperiri, quamvis colore subfusco olivam referente. Hujusmodi Conchæ figura consimiles sunt Pinnis inter Dalmatiæ scopulos propè Corsicam Insulam, & alibi solitis procreari, & fortasse non dissimiles specie; quandoquidem in his etiam Uniones visuntur. Propè Roeschildiam in Noruegia nascuntur intra illa Bivalvia Testacea ex duabus Testis sivè Conchis composita, quæ Mituli à Latinis dicuntur: quemadmodum etiam in Testaceis unica testa tectis Maris Auribus nuncupatis, quòd Aurium figuram referant, aptante iis Natura quasi per jocum ingeniosum ornamentum illud, cujus pompam facere in auribus fœminarum luxus consuevit. Verùm, hi similesque uniones, minimo sunt in pretio, cum eas in se dotes non referant, quæ in omnium existimatione, pretiosam reddunt Margaritam.

Dicuntur Margaritiferæ illæ Crnchæ, quæ generant unionem, & quamvis nomen Conchæ Margaritiferæ iis solùm Testaceis accommodetur, quæ ex colore, ut magnus adnotavit Albertus, *aliquid habet de Natura Margaritæ*; ex his tamen aliquæ tantùm sunt Genitrices unionum, non omnes. Colorem habet pulcherrimum Margaritiferæ Concha illa, quæ *Olearia* dicitur ex antiqua consnetudine, utente iis pro lucerna, & in Indiarum Orientalium Maribus nascitur numero nono Class. 3. descripta. Habet etiam unionis colorem ea Cochlea extima sui parte, nigro, & albo colore vestita num. 29. & 30. expressa. Habent, & aliæ multæ, habet Nautilus speciei secundæ, sed nulla ex his fœcunda est Margaritis; qua propter fallitur Paolus Maria Terzagus c. 11. Auctor Septaliani Musæi; cum Nautilum describens ex multis, qui in eo asservabantur: *Vi si mira*, inquit, *una Perla riuonda, che in atto di uscirsene dalla propria Matrice, ove si generano, curiosamente si raffigura*. Debuisset potiùs illum, quem unionem dixit, existimare callum, ac tuberculum, ex abbundantia humoris genitum in interna superficie Testæ, atque hoc ex eo infertur, præter rationem, quæ se ostendet quando Nautilus describetur ex variis unionum piscatibus in Maribus utriusque Emispherii fieri consuetis, ubi ex oculatis testibus, nunquam in gratiam unionum Incolæ Nautilos expiscantur, imò propè Insulam, quam Iabadium appellant, è Regione prospicientem magnam Bornæi Insulam, vix notum est Unionis nomen; quamvis Mare illud, fœcunda sit Nautilorum fodina. Piscatu quidem omnes inhiant cuidam Bivalvium speciei, quam Auctores

res non pauci Ostream appellant, aptato illi generali nomine Ostreorum, per quod totum id nomen accipit, quod intra asperam ex homo testam vivere consuevit; propriè tamen sunt quædam leviores Conchæ, figuram quasi planam, & circularem imitantes, ut videntur num. 1. Classe 2. & à Brasilianis exprimuntur proprio nomine illis impositio. *Eriripebas*, quod sonat *Ostreum planum*. à Persis, & à Piscariæ Incolis. *Cheripo* dicuntur, Teste Boetio, & fidem vocabuli mihi astruit ex iis unus, qui apud Iapones Apostolicarum Missionum munus exercent, quo vocabulo distinguuntur Ostreæ ab alia specie non absimili figura, & colore, sed Uniones nunquam generante, quam *Chanquo* apellant. Atque hoc abundè sit de Matre, Uniones generante. De loco, & quasi solo eorundem natali satis dictum ubj eorum lineamenta delineavimus.

PROBLEMA II.

An Materia, ex qua Uniones formantur, sit Ros.

PEr omnium fermè ora decurrit, & multiplici Emblemate expressa cernitur, antiqua opinio, quæ putat, Unionem nihil alud esse nisi purissima defecati Roris stillam, sereno Cœlo, in Sinu Conchæ Matris exceptam tunc temporis, quando extremam aquam vix lambens, imò super litus egressa neglecto mari vastissimo, sibi potum præbente, ore aperto inhiat, roris guttis sorbendis, quibus pretium facit, cum in Unionem efformat. Hinc in Emblematum stemmate dicitur: Apud Philip. Piccinell. in mund. simb. lib. 6. c. 16. Lib. 9. c. 25. *Cœlestis filia Roris*, quemadmodum Conchæ margaritiferæ reputantur *Rore puro fœcundæ*.

Contendunt hoc inter Recentiores non pauci, & ante omnes Plinius vulgi opinionem sequutus, de illis scripsit: *Has ubi genitalis anni stimulavit hora, pandentes sese quadam oscitatione impleri roscido conceptu tradunt: gravidas postea eniti, partumque Conchorum esse Margaritas, pro qualitate Roris accepti; si purus influxerit, candorem conspici, si verò turbidus, & fœtum sordescere, eumdem pallere, Cœlo minante, conceptum ex eo quippè constare, Cœlique eis majorem Societatem esse, quàm Maris: inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenum, si tempestivè satientur, grandescere, & partus, si fulguret comprimi Conchas, ac pro jejunii modo minui*. Verùm ex tam multis, quæ in Curiosa hac narratione effundit, nihil nobis certi innotesceret, nisi eam ex majore sui parte, mendacio suffultam experientia ostendisset. A veritate primò alienum est: Conchas extimam unquam lambere Maris superficiem, & è maris egressas in litus consistere. Norunt hoc Piscatores tot maris sinubus sese immergêtes, quà depressius quà eminentius profundum maris scruantes, æquali tamen semper vitæ discrimine, undarum flagellis expositæ, anhelitu non eructante in angustias redactæ, voraciissimorum piscium insidiis ejectæ, & aquarum frigore penè constrictæ. Norunt ii præcipuè, qui propè Insulam, quam dicunt Taraquil, In Occidentalibus Indiis tranquillo se mari prorsus infundunt, imminente illorum capiti Oceano, usque ad hominis staturam decies exactam, exiguis Sarcinis è collo pendentibus ad eas servandas, funiculis duobus lumbos præcincti totidem saxis pendentibus ad violentiam undarum, immoto corpore retundendam, ne illos loco moveat, dum vehementiore nisu debent incumbere evellendis iis à scopulis, quibus non semel altius infiguntur. (Ifid. Characen. de reb. Persic. l. 3. c. 2. apud Athenæum.) Conchæ Margaritiferæ non discriminantur ab Ostreis, aliisque similibus Bivalvibus, quibus Natura, quamvis motûm partium indulserit, motum tamen totius corporis progressivum interdixit, ut advertit Scaliger de subtil. exercit. 259. à Cardano dissentiens.

Ex Solino, c. 56. pag. 200. in Musæo Moscardo citato, optimè novi Conchas Margaritiferas turmatim natare, prævio Duce, ut Apes, quo à Piscatoribus capto, reliquæ omnes facili negotio capiuntur. Hoc ipsum ab Æliano traditur dicente: lib. 14. c. 8. *Gregatim natant, & quemadmodum examina Duces, sic hæ Regem habent, tum forma tum pulcritudine præstantem. Summa autem contentione Urinatores certant ad capiendum gregis Ducem; quòd, eo capto cunctum gregem, Rectore orbatum, non loco se moventem assequuntur*. Verùm qua id ratione potest fulciri, si Conchæ oculis captæ, semper degunt in tenebris? Tradunt alii propè Insulam Coromandel, ac Taprobanicam annuo duorum mensium piscatu, nempè Aprili, & Majo mensibus, capi Conchas, quo tempore expleto, nullæ ampliùs in eo Maris fundo deprehenduntur, sed in alio plusquam trecentis milliaribus dissito, Autumnante Septembri, inde arguentes, ex uno in aliud mare Conchas adnavigare. Fallax omninò argumentum; nam, fieri posset piscatus, toto eo Maris tractu, insequendo Retium insidiis turmas illas natantes, dum, Regionem illam versus moventut quasi in aciem dispositæ, cum tamen illarum captura omnem eludat industriam. Rursus si centum dierum intercapedine unum ab altero piscatum abrumpente, transfretantes Conchæ trecentorum milliariorum iter conficerent, tria singulis diebus assignanda forent milliaria, quæ in passus distributa sex supra

centum viginti horis singulis attribuerunt, quibus absolvendis piger illæ Cochleæ raptus impar omninò est, quamvis neque saxis abrumperetur, neque luto, in Maris imo subsidente, tardaretur. Possent fortasse tam longum iter emetiri natando. Verùm ubi necessaria ad hoc instrumenta? Viventia omnia in hoc Elemento natantia, vel Pennas habent à Natura aptatas ut pisces, vel brachia adrepentia, ut Polipi, vel Crura, ut Crustati, vel corpore toto sunt in longum producta, ut Anguillæ, & Murenæ se contorquentes, & arcuatis partium motibus se sustentantes, simulque iter emetientes. Adnotavit hoc Scaliger cum contradixit Cardano in universum asserenti, Exer. 116. degere in mari viventia motus expertia. *Hac tu eruditione subtilis nomen in mari adeptus esses*, inquit ille, *si Cardane notasses fieri totius corporis motum, ingressu Canchris, reptione Conchis, natatu maximè parti, idque multis modis, Pinnis mugili, pedibus Polypo, curvatione Gammaris, flexu serpentibus, etiam volatu Milvo, quasi volatu Loligini, saltu Pectini*. At Margaritiferæ manibus pedibus, & pinnis mutilatæ semper inter sua septa testacea inclusæ, nunquam extra illa membrum nullum extendunt aptum ne quidem levandæ, multominus promovendæ corporis moli, & quæmadmodum in profundo Oceani degunt, ita alveis aqua plenis immersæ nunquam situm variant, cumque solùm motum efficiunt, quo ore hiantes possunt, ut alia omnia Bivalvia humorem ad nutrimentum attrahere. Quòd ergò se subtrahant, eo ferè pacto, quo statis temporibus in aliis maribus Ostreæ, non exinde fit, quod ad alios sinus se transferant, sed quia, luto, & arena profundius immersæ, inde postea, vel naturali inctinctu, & exiguo illo motu, eas provehente paulatim Natura, vel apta maris agitatione, fundum usque maris convoluente, ex illo quasi terræ tumulo humeris subducto emergunt quodammodo redivivæ. Hoc totum Maris periti diuque in illo versati Urinatores mihi enuciarunt, qui ex observationibus præcedentium tempestatum, ab imo ad summum, mare totum evoluentium, artem didicerunt augurandi, ac divinandi majorem, vel minorem in Piscatu fertilitatem. Absonum igitur est posse Margaritiferas ex mari prosilire, vel obrepere in litus, ut oscitantes Ros bibant è Cœlo, ex quo prolem illam concipiant, quæ tanto singulis in pretio est. Optavit quidem illas cernere Fabri, quasi subsolantes in Scotiæ litoribus Margaritiferas in suo mari abundè ferentibus, sed neque propriis, neque alienis oculis datum est intueri. Et quamvis ego diligenti examine totum excuserim, non unum è Provincia Malabarica venientem, post lustratas à multis annis Oras Piscariæ, cui à *feliciſſimo* Unionum piscatu nomen est *inditum*, nunquam audivi visam ab eo Concham *in litore* seriantem, quæ sitiret *rorem veluti Maritum cujus desiderio hiant*, ut cum Solino cap. 66. in eumdem errorem prolapso loquar. Sed pro ratione meo judicio evidentissima est observatio Boetii de Boot Viri eruditissimi, Gemmar. hist. l. 2. c. 37. & apud Rodulphum secundum in arte Medica peritissimi. Hic cum Uuniones non paucos in minuta frustula discidisset, quorum singula multis scoriis, seu membranis tenuissimis compacta erant, altera super alteram, coacervatis, non secus, ac calcidicus Lapis, & Acates, imò, & ipsi interiores Conchæ sinus, quibus geniti Uniones excipiuntur, concludit manifestum esse unionum formationem, haud absimilem à formatione Testarum, & quemadmodum his novum fit incrementum, & nova accretio per novam incrustationem humoris coagulati, antequam novus succedat humor, ita, & Uniones ipsi generatione veluti incoati ex particula humoris inconcocti, Conchæ genitrici superfluo, illo tandem densato, & exiccato, atque altero alteri superinducto augentur. Hinc variæ Unionibus figuræ sphæricam non semper explentes quandoquidem novus humor, qui alia superindumenta efformat, aptatur corpori jam compacto, quod si in formam regularem aberret, eamdem semper figuram induit Unio dum crescit. Hinc tanta in magnitudine Unioni varietas pro mensura plurium paucarumue tunicarum eum vestientium. Quòd si una Roris gutta ad formandum Unionem concurreret, nec vitali calore Conchæ Matris concoqueretur, & in alimentum mirabilè transformaretur, ut acutè advertit Rondeletius, eamdem semper ferè figuram induerent, & in magnitudinem eamdem excrescerent inem. pè fluidi humoris gutta semper corpori aptatur ea parte, qua tangitur, altera in globum perfectissimum assurgente; eumdem etiam Uniones omnes colorem imbuerent, cum Ros humoribus illum adulterio coloris inficientibus misceri non consueverit. Multis verò humoribus infectæ sunt maris aquæ, quibus aluntur Margaritiferæ, & Unionibus ipsis materia suppeditatur. Indè fit, ut illorum nonnulli majori mole commensurati, & colore aliquo impurati, quæ macularum contagia pretium illis imminuunt, in grande pretium assurgant, si artis peritia, adhibitis pulvere alabastrino spiritibus vitrioli, ac tartari immisto, nonnullis exterioribus tunicis exvantur, & maculis detersis, corpus reliquum Unionis colore optimo induatur. Atque ex hac vera ratiocinatione oritur varietas colorum in unione, non ex sympatia, quam Plinius censuit intercedere

cedere cum Cœlo tonante, vel nubilo. Occidentales uniones, quia magis referunt colorem lactis, quam argenti, minoris semper habiti sunt, quam Orientales, & minimi, aut nullius pretii illi, qui in aliis Conchis nascuntur, livido, & cinereo colore maculosi, aut ii quos nigrore fuscatos vidisse se narrat Gonsaluus de Oviedo Hist. indic. l. 19. c. 8. Et tamen super omnia Maria fulgurat Cœlum, ac tonat, & in omni angulo ipsius extat officina, ubi fulmina excudantur, quæ in universa omnia terra marique degentia jaculentur. Non ergò ex Rore generantur Uniones.

PROBLEMA III.

An Uniones nascantur ex Concharum Valvis, an in visceribus Ostreorum generentur, & an sit Morbus, an Partus illarum?

UNiones semper gemmascere ex testis Conchyliorum, quo pacto callum ex multis partibus Animalium protuberat, existimavit Cardanus, eique subscribit Cassendus, cui argumento est: Similitudo substantiæ cum Testis, & quod iis multi simul infixi gemmascunt. En verba ipsius: *Generari Margaritas in testa, non in carne substantiæ primùm similitudo ostendit. Visa est etiam Margarita testæ suæ juncta, & ob id testæ earum intus inæquales sunt*, & paulo infra, de aliis, quas viderat loquens, *omnes* (inquit) *veluti in cinere Castaneæ, ita in Matrice sepultæ erant.*

Isidorus Caracenus, ab Athæneo relatus, lib. 3. de Margaritis loquens, quæ in pinnarum Conchis generantur, dixit: *Omnes fœticare sui parte, quæ carni adhæret, & propè carnem: Unio genitus in solida Conchæ parte augescit, & alitur, quandiù adnexus fuerit: Cum verò abscissuram gemmam caro subnascens molliter præfectam à Concha separaverit, amplecti quidem, & retinere sejunctam, verum nihil alere præterea, sed leviorem, nitiditrem, puriorem efficere.* Ita de Margaritiferis sentiunt nonnulli, Uniones, Ostrea lambente, paulatim à Concha sejungi, eorumque se partu exonerare, non secus, ac ovis multiplicandæ speciei opportunis. Opiniones omnes nullo quidem sunt fundamento innixæ, quandoquidem neque ex Margaritis oriuntur Conchæ, neque Animal haud absimile Ostreæ, quam in maribus Italiæ adiacentibus videmus, linguam habet formandæ Margaritæ opportunam, quod si contigeret, nunquam reperirentur perfectæ quasi maturitatis Margaritæ, majores nisi à Conchis resectæ: Et tamen scimus artifices lima, & scalpro non paucos haud exigui valoris à Concha matre rescindere, easque præsertim, quæ ex altera sui parte planæ ex altera convexæ Tympana dicuntur à Plinio, quòd bellici Tympani figuram præseferant.

Relatis mox Auctoribus è regione oppositus fuit Androstenes, quem sequitur Rondeletius; apud Athenæum lib. 5. nempè in Ostreæ visceribus genitas credidit Margaritas, cum scripsit. *In carne Ostreæ gigni unionem, quemadmodum in suum carne grandinem.* Et ab hac opinione non alienum ostendit se Gregorius Pisidias, quamvis falsò in sua Cosmopæja enunciaverit. Margaritas esse lactis coagulati guttas. Pro validissima ratione videtur mihi esse modus Urinatoribus consuetus, ad eas ex Conchis genitricibus facilè subducendas. Refertur à Mattiolo modus confirmatus mihi ob oculato sæpius teste in litoribus Americanis: *Captæ*, inquit ille, *Margaritiferæ obruuntur sale in vasis fictilibus. Namque erosa carne, Uniones, sicut Margaritæ puræ, & expurgatæ, decidunt in ima vasis tunc, quando infusa sæpius aqua Margaritæ semper in ima decidunt, & colliguntur minutissimæ, ac rotundæ, ut millii grana, & ferro postea abscinduntur illæ, quæ testis infixæ in pauciss imis Conchis reperiuntar.*

Oriuntur ergò ex visceribus Ostreæ uniones, neque similitudo cum testis, quam referunt, contrarium probat, nempè, ut videbimus, ad utrorumque formationem eadem Artifex materia, & substantia potest concurrere, quemadmodum in aliis animantibus videmus; ex eadem substantia elaborata ossium quamplurima, & tamen unum ex altero non enascitur, neque immediatè inter se copulantur. Dum hæc scribo, magistra mihi est experientia ad hanc veritatem fortuitò elucidandam quandoquidem exsceptis ab Aniene flumine, propè Urbem Romam in Tiberim influente, nonnullis Conchis Bivalvibus num. 40. secundæ Classis in 4. parte expositis dum gladioli acumine Ostreæ carnem è testa conabar divellere, animadverti existere in ea duritiem quamdam, diligenterque scrutatus, undè nam illa durities? Inveni sepultum in carne unionem ea parte planum, quæ Conchæ incumbebat, rotundum in altera, argenteoque colore pulcherrimum, omninò simili illi, qui in interna superficie Conchæ se ostentabat.

Neque id manifestat fundamentum cui Cardanus innixus est, videns uniones multos Conchis adhærentes: Nempè, ut plurimum, & quidem magnitudinis cujuscumque, reperiuntur ab iis sejuncti, & possunt, ut lapides geniti in multis sinubus Animalium modò liberè vagari intra corpus fluvidum, quo sinus illi explentur, modò, fixa veluti statione, in interna sinus conti-

nenti superficie consistere. Videatur Bartolinus, cent. 4. obser. 28. qui eruditione sua ad experientiam magistram exactam id fusè ostendit. Mihi abundè sat erit insinuasse, ut appareat: Non ex quacumque observatione obfirmandum statim ut infallibile id, quod sola probabilitatis apparentia verum reputabatur, utinam tam facilis esset negotii ostendere; Num vnio sit legitima proles Conchæ à Natura fempr intenta, an verò concepta fortuitò, ex prava aliqua affectione in Animali quasi ægrotante, non secus, ac in multorum viscеribus ex defectu non absimili lapides generantur.

Negavit Plinius docens: Partes intestinorum esse Margaritas; Verùm ex hac doctrina semper, & in omnibus Conchis reperirentur Uniones. Fabri panchimici l. 4. c. 16. in eam sententiam abiit, ut crederet esse quamdam lepræ speciem, Margaritiferas conchas inficientem, videnſque eas ex Conchis assurgere, quasi lepræ grana: *Et verè* (provinciavit) *leprosæ sunt, & qui semper has comedunt, & his pro cibo ordinario utuntur, verè leprosi fiunt*, addens: haud esse in controversiam vocandum, quandoquidem efformantur excremento quodam, melancolia infecto, ac terreo sale pleno; *quæ sunt verè signa lepræ*. Ad hanc opinionem roborandam liceat Vormii, & Anselmi Boetii rationem in medium afferre: Si partus esset Margaritiferæ Unio, dicit Anselmus, haud equidem generaretur in tam diversis specie Conchis, & omnes Margaritiferæ, emensis statis temporibus illos eniterentur, inquit Vormius; cum autem certò certius fit, neque in omnibus Conchis, neque post certa tempora emensa reperiri, quemadmodum ex aliis quamplurimis, diverso tempore excerpuntur, consequens est: Uniones esse Morbos Concharum, non Partus. Ita lapis Bezaar, qui ut plurimum generatur in viscеribus Caprearum Peruanarum, reperitur etiam in silvestri animali Bovi non absimili, quod Peruani, *Antam* vocant, imò, & in Cervis Orientalibus Indiarum, & in plerisque Animantium generantur lapides Bezaar, & Unionibus similes, neque in una tantùm eorum parte, ut Bezaar, sed in diversis, ita ex Olao Borricchio novimus apud Bartolin. cent. 4. obser. 18. In corde Comitissæ de Lovestain anno 1666. sæculo functæ, scimus inventos fuisse nonnullos. Joannes Georgius Gresselius refert: ex aperta brachii vena in sene quodam pluſquam septuagenario, effluxisse simul cum sanguine lapides quatuor, & in extrahendo ex fœmina mortua partu reperisse se epati alligatam bursam quamdam durissimam viscoso humore plenam, atque intra illam lapidem nitrosæ substantiæ, sed nullum saporem redolentis, ita in Bovis felle aliorumque Animantium vesicis, multi lapides generantur, & quidem instar unionum qui pluribus tunicis ut cepæ sunt compacti.

Iam verò formatur unio ex eo philosophandi modo, quem tenet Vormis in Musæo pag. 109. inter sui Sæculi medicos satis celebris, nempè ex humore illo à Natura destinato ad formationem Testæ ejusque augmentationem, humore inquam terreo, viscoso, separato ab humore altero, magis aqueo, qui viventi pro alimento est, eoque propter facilem ad Coagulum durietmque propensionem tunc, vel maximè quando humor ille, ab *animali morboso eructari, & expelli non potest, ac in corpore hæret, ac detinetur; quare si ibidem exsiccetur, rudimentum, atque initium fit Margaritæ; quæ adjecto sæpius novo humore, eoque exsiccato, cutè subinde nova augetur, ac in Unionem abit, non secus, ac in fellis vesicula, & in urinæ vessica lapides generantur. quorum materia, quæ per urinam excernitur dum in corpore vesicæ detinetur, ibidem exsiccatur, & in lapidem abit*. Hinc apparet: cur variis tunicis induantur non uniones solùm, sed etiam Valvæ Testaceæ, quibus includitur, aliique lapides, qui in viventibus generantur. Obdurationes istæ etiam in ipsis corporibus fluidis coalescunt, ut apparet in constructione vitri, ac tartari in vini doliis, concurrente ad illas infirmitate expultricis potentiæ, & concoctricis; quæ in Margaritiferis, utpotè exanguibus, nullius penè roboris est. Hinc in senibus, si renium calor elangueſcat, faciliùs generantur lapides, si verò intenditur vehementior, humores, qui lapideſcerent soluit, quod in omnibus salibus eliquatis accidit, qui si calidi sint non lapideſcunt.

PROBLEMA IV.

Cur Testacea oriantur potiùs in Mari, quàm in Lacubus, & in Flumibus.

PAuca generantur in terra Testacea; pauciſſima, quæ ex alicujus lacus sinu, vel fluminis alveo colliguntur; Ingens eorum Turba Matrem, & Nutricem agnoſcit aquam Maris, quæ sicuti squamosis Exercitibus victuaria suppeditat, & innumerabiles Species Crustatorum alit, ita feraciſſima est cujuscumque generis Conchyliorum; neque hoc ex eo solùm accidit, quòd Elemento illi generativam Virtutem Deus infuderit, ut statutis temporibus Testacea eniteretur, quandoquidem eorum partus etiam edere potuisset in lucem, ubicumque fuisset effusa vis illa generativa, quam supremus conditor indidit Mari, *cum dixit, & facta sunt*; voluit ille eam vim Mari inserere, ingenioſiſſima quadam

pro-

proportione qualitatum, habitudinis, virtutisque, ut fœcundissimæ forent aquæ, eosque partus, adnitente etiam Natura conciperent, conceptosque alerent, gaudentibus iis in eo sinu vivere, & non in alio, qui fuit illis maternus pronubus, & Maritus. Undè fit, ut si à mari nativo abstracta, in piscinam Aquæ dulcioris transferantur quantumvis cristallinæ, quantumvis pretiosa qualitate imbutæ ex auri, vel argenti fodinis, paulò post emoriantur. Fatendum igitur est: Conchas inter, ac mare summam proportionem, & qualitatum harmoniam intercedere, nobis tamen ignotam, quemadmodum ex majori parte ignotæ nobis sunt causæ, ac fines rerum, quæ in ampliſſimo Theatro Naturæ nostris oculis obſervantur.

Ad quæsiti elucidationem tres afferri possunt rationes, ex quibus poterit Lector eam sibi secernere, quæ arridebit magis, minusque à veritate recedet, vel suffragio suo omnes singulasve damnare, ut veriorem tandem ipse depromat, atque hunc animi mei sensum in fronte cujuscumque Problematis affixum velim, ad eam scilicet notam effugiendam, quæ jure inuritur cuicumque excogitatam aliquam rationem afferenti, quam exiguum lumen limitatæ intelligentiæ detexit, sibi interim suadens quòd per eam ratiocinationem intimas rei fibras fuerit perscrutatus, & à rebus ipsis in quæstionem vocatis, appositum à Natura siparium subduxerit.

Primæ viam aperit Aristotelis Problema inquirentis; sect. 24. prob. 11. Cur in calidis potiùs aquis, quàm in frigidis lapides generentur, sibique inquirenti duplici ratione facit satis, altera deducta ex principiis Empedoclis, quia nempè lapides concrescunt defectu humoris, & quia hunc absumit calor potiùs, quam frigus, consequens est, ex calore potiùs gigni, quàm ex frigore, quare dixit Empedocles; *Lapides, & saxa ferventium aquarum opera confici*, ut manifestum fit in mineralibus aquis, & calore tepentibus. Altera est ejusdem Aristotelis dicentis: ut crescant lapides, humidum prius calore liquandum esse, mox superveniente frigore coagulandum. Calor igitur, qui in misto, & impurato aquæ Elemento residet, humidum solvit, quod succedente frigore constrictum, abit in lapidem: Quare junctis hisce rationibus evincitur. Lapides gigni à frigore aliquando, aliquando à calore, exsugente isto, coagulante illo humorem superfluum, ad consistentiam lapidis necessarium.

Iam verò cum Testacea ob duritiem testarum, proximò lapides affinitate contingant, ut vidimus, necessarium est in eorum coagulatione, & formatione, par quasi opificium intervenire; nempè vel calore materiam præparante ad eorum formationem, videlicet segregata materia, quæ partim abjit in substantiam viventis, partim testam ipsam componit, supremo operi manum frigore postea imponente; vel vi caloris obdurescere humorem illum ejusdem testæ fabricæ accomodatum, segregato humore ad eam componendam inepto. Quando hoc totum ex adductis principiis illatum veritati consentaneũ sit, probandum supereſt. In mari aquarum calorem intendi magis, quàm in Lacubus Fluuiisque, & in eo residere causam, generationi Testaceorum magis opurtunam.

Hoc duplici ratione revincitur ab ipso Aristotele allata in expositа, & instituta hac super re quæstione. Sect. 24. prob. 7. Calidior est, inquit ille, aquis Fluviorum Maris aqua; primò quia cum sit densior, majorem concipit calorem, ac servat: secundò, quia pinguior est, ex quo fit minus apta ad flammam restinguendam, eaque propterea Mistis omnibus similis, quæ, quò pinguiora, eò calidiora experimur.

Ex hoc fundamento resilit ratio secunda, cur crescant potiùs, ac vivant in mari Testacea; Videmus Animalia singula provido Naturæ instinctu stimulata, pergere quæritatum ea, quæ ad conservationem individui conducunt, & è contra se ab iis avertere, quæ possunt ipsorummet destructionem accersere, sic noxio frigore perstringente, ignem appetimus, calore nos solvente, refrigerium quæritamus; exanguia sunt Testacea, adeòque frigore summo perstricta, quam ob causam alimentum sibi quærunt, & calorem solventem. Cum ergò humido præcipuè, & calido constet mare, multo magis viventibus alimentum præstare potest, quàm aqua fluvialis, potulenta quidem magis, alimento tamen opportuna minus, minusque apta vitæ servandæ, & generationi faciendæ, nempè nimio frigore vitalem calorem destruente.

Tertia ratio est, quia humore ad formationem Testaceorum opportuno abundat mare, quem humorem vidimus nihil aliud esse quàm mistum quoddam, cujus pars aliqua apta sit ad lapidescendum, atque obdurescendum in formatione testarum, pars verò ad abeundum in substantiam viventis, in ipsis testis inclusi, & quamvis non ita obvium sit statuere; Num vis ista coagulatrix magna ex parte proveniat, vel ex nitro, vel ex sale, vel ex particulis lapidosis, cum humido Elementi mistis; pro comperto tamen est, etiam judice, ac teste Experientia, his omnibus Mare affluere, non verò Flumina. Atque ex hac animadversione originem fortè traxit Problema, quo Aristoteles indagavit, cur arenis lapillisque abundet Mare magis, quam Lacus? Rationem affert, quia mare ventis agitatum continuò illo motu inquietum ingentia saxa in se sepulta corrodit,

rodit, quæ si non semper in frusta comminuit, lambendo tamen singula, aliquam ex iis particulam quotidiè sibi decerpit, quamobrem ex iis plurimæ subsidunt in litore, aliæ minores, aquam semper inficientes, humorem lapidificum reddunt, satis aptum generationi plurimorum, lapidosam substantiam induentium.

PROBLEMA V.

Cur nascantur in Mari potius, quam, in Terra.

OStrea, quæ ex Terra genita, in ea degunt, vel speciem non variant, cum notabili solum diversitate accidentium impressa appareant, vel si in plures species dividuntur, hæ singulares omninò sunt? omnesque nomine Conchleæ comprehenduntur, una vel altera excepta Turbinum Generi subordinata. Reliquæ, quarum solas testas videmus Ostreis vacuas, vel in ea non generantur, ut opinantur non pauci cap. 7. primæ partis relati; vel si originem trahunt ex terra, numero sunt longè impares multitudini sub undis maris degenti, & habitanti. Sentiendum igitur est præcipua quadem ratione in mari potiùs, quàm in terra generari. Apparebit hoc si tertia ratio Porblematis antecedentis in memoriam revocabitur, & examinata utriusque Elementi diversitate perspicuum fiet in terra, nempè Elemento ex se adusto, non dari humidum in ea mensura, quæ sit Ostrearum generationi accommodata.

Secunda ratio inferri potest ex pulcherrima consonantia in rebus omnibus ex oppositis partibus resultante, & quemadmodum ad impertiendum suis operibus pulchritudinem, Pictura non solùm perspicuis coloribus talem illustrat, sed umbris etiam inficit, & obscurat, & Statuaria non omnia membra æqualiter prominentia effingit, nec depressa æqualiter, sic enim planam potius tabulam referrent, quàm simulacrum artificis idea conceptum, ita in hoc Mundi theatro, si ubique flos omnis vernaret, autumnaret omnis fructus, omnis vivens erumperet, omnia ubique inculto horrore sylvescerent, atque, ut melius dicam, informe Chaos omnia confunderet. Voluit supremus Artifex Chaos mundo congenitum è mundo excludere, Lucem propterea divisit à Tenebris, Aquas à Terra, germinantibus hinc inde, partito quodam ordine, terræ partubus, ex quo admirabilis illa pulchritudinis consonantia resiliret, quæ nonnisi à mente res omnes capaci sinu complectente potuerit excogitari.

Hac obiter insinuata sint in gratiam Aristotelis harmoniam quamdam, & consonatiam observantis, inter genera Testaceorum, atque Plantarum, nempè quemadmodum istæ *se habent ad terram, ita Testacea*, inquit lib. 3. de Anim. c. 11. *se habent ad humorem: quasi plantæ Ostreæ terrena, Ostrea Plantæ Aquatiles sint*. Ut ergò ex plantis vix aliquæ generantur in mari comparatione inita, inter infinitas ptopemodum germinantes in terra, ita ex Testaceis vix aliqua debuerant gigni in terra, omnia verò in mari.

PROBLEMA VI.

Cur multa nascantur in terra, nunquam verò in Metallis.

DUbium hoc promovet Auctor Musæi, ex nobili genere Calceolariorum, pag. 406. curatque dubium responsione hac enodare. Elementum aquæ, inquit ille, videtur ex æquo cum terra contendere, generando Animata quamplurima similia Terrestribus, tantaque operis elegantia, & felicitate, ut aliquando, hominis lineamenta effingat; atque ut est apud Bellonium, unum semel edidit, Monacho haud absimile. Quamobrem Terra ingeniosa, quadam concertatione provocata, debuit formas tam varias, & aquarum viventia repræsentare, quæ tamen longè minorem imbibunt perfectionem, quàm maris viventia, utpote minus apta minusque fœcunda, terræ materie compacta, cum adverso feracissimum mare, grandioris molis Animalia producat, ut Plinius advertit. Iam verò in Metallis, Auctor sic prosequitur, terra operari non potest, quia in illorum constructione dominatur aqua, non terra, qua de causa eorum coagulatio habetur ex frigore, ac propterea contrario calore soluuntur, ut docuit Aristoteles. Hinc est non posse in Metallis Ostrea generari.

Responsione hac, in medium producta, Problema ille dissolvit, cui si deberem è regione me opponere, illud solùm adverterem; Testacea vi rationis exhibitæ, in Metallis potiùs quàm in Terra generari potuisse; nempè, dominante in iis aquæ Elemento, imbibitur magis in illis materia, ex qua compinguntur Testacea. Verùm Lectori relinquo ut dispiciat singulare certamen rationum hujusmodi, atque interim illud unum advertam: Elementa dici à Philosophis, & esse necessarias causas, nulla alia prævia consultatione, ratiocinatione, atque intuitu in operum suorum molimen, & fabricam desundantes, nisi ea, qua ab Auctore Naturæ, in iis operante, diriguntur in opus, effundente se ipsam formatrice virtute, indita Elementis, quandocumque apposito impedimento non removeatur; quamobrem cum in uno loco non contingit generatio,

quæ

quæ in alio se prodit, imputandum hoc est deficienti, vel dispositioni, vel necessariæ vIrtuti; Ita prorsus in formatione Metallorum, quamvis adesset humidum sufficiens generationi Ostrearum, cum adsit excessus frigoris coagulationem Metallorum efficientis, abest temperies ad illorum formationem necessaria. Atque hoc abundè ad responsionem Quæsiti.

PROBLEMA VII.

Cur in Orientalis, vel Australis Indiarum maribus generentur in majore copia, & coloribus magis Picturata?

QUamvis ex Mari originem trahant Testacea, non tamen, ut Horatius lib.2. sat.4. loquitur. Omne mare est generosè fertile Testæ, quemadmodum non omnis ubique Terra vernat in floribus, neque autumnat in fructibus.

Non omnis fert omnia Tellus
Hic segetes, illic veniunt felicius Uuæ.

Vix aliqua gignuntur in nonnullis sinubus Mediterranei, alluentis Italiam, in Adriatico quamplura, quamplurima variaque in Tarentino sinu excipiuntur, & longè diversas induunt formas colores, & magnitudinem in Rubro mari, inter Insulas Philippinas, & in aliis Orientalibus plagis, in Americanis novi Regni litoribus, in Brasiliæ Oceano, & in eo mari, quod propè Lyciam Cochliusam intersecat, Insulam, quæ à magna copia Conchiliorum nomen sortita est, ut Regiones nonnullæ gemmis metallisque sunt aliis fœcundiores.

Copiosæ hujus generationis Conchyliorum Solem nonnulli faciunt Auctorem, quandoquidem, ut jurè merito à Sapientibus famosæ Hierapolis exprimebatur Solis simulacrum multis brachiis, manibusque exporrectis, quasi omnia complectens, utpotè, qui omnium generationum pronubus est, & Maritus, ita in Orientis maribus vim illius existimarunt magis activam, nempè ex vicinore Solis radio citius incalescentibus; verùm falsitatis notatur hæc ratio, nulla enim ora dici potest Orientalis, nisi ad alteram comparata, unde eadem Regio alteri comparata est Orientalis, Occidentalis verò respectu alterius. Sic Hispaniæ Orientalis Italia est, Græciæ verò Occidentalis, Græciæ Orientalis est Persis, Indiarum autem regioni Occidentalis, itaque Regionem aliquam esse Orientalem, vel Occidentalem nihil est aliud, quàm mera relatio, variabilis pro varietate terminorum, ad quos refertur, ac propterea feracitas illa Testaceorum provenire non potest ex situ maris Orientem, vel Occidentem respicientis.

Sed nequè ex Sole; viciniore radio efficacius operante, namque Sol eadem propinquitate omnes Maris partes respicit sub eodem latitudinis gradu collocatas, & tamen non in omnibus oriuntur Testacea, & a veritate absonum est Orientalem Indiam citius Sole illustrari, qnàm Occidentalem, quandoquidem Sole, totum Terræ globum circumeunte, dici non potest ex illius radio incalescere prius unam partem, quàm alteram, nisi comparatione inita cum partibus calefactis. Sol in eadem latitudine eadem efficacitate dominatur omnibus Terræ partibus in latitudine eadem jacentibus. Quamobrem ex hoc capite non potest Sol tribuere aliquid vni potiùs parti, quàm alteri.

Alii altiori indagine causas perscrutati, in medium afferunt fixas stellas in ipso Zenith quasi capiti imminentes. Verùm si hoc stellæ præstarent, diurna illis vertigine se rotantibus consimilis generatio fieret in toto illo Climate, cui imminent, quod tamen contingere non videmus, imò accidit mihi in Adriatico litore observasse ex aliqua parte ad lapidis jactum quasi fodinam exurgere feraciſſimam Conchyliorum, eamdem speciem referentium, exindeque etiam post emensa milliaria eidem aspectui Solis objecta, ne unum quidem inveniri, nisi furto fortè sublatum, ex aliquo maris sinu, & in litore à tempestate evomitum.

Dicendum igitur superest: Terræ, quam alluit Mare ubi ea generantur inditam imbibitamque esse dispositionem ad illorum generationem opportunam. Hæc in eo præcipuè sita est, quòd materiam formatricem, & nutritioni accomodam gerat, quam supra insinuavimus ratiocinatione probabili esse succum quemdam, humido mistum, ac terreo, attemperante sale, & nitro. Cum ergo Indiarum Oceanus illarumque præcipuè, quas vulgò Orientales, & Australes dicimus sale nitroque longè copiosiore inficiatur, quid mirum si ditior Testaceorum, atque feracior aliis Sinubus deprehendatur? Cur mare autem illud salsedine magis abundet, ac nitro, perquirit in suis Problematibus sect.23.probl.25 Aristoteles, respondetque, quia cum vastissimus ille aquarum tractus Australibus ventis omnium maximè concitetur, admiscetur magis terræ particulis adustis, & salnitrosis, ac proindè salsus magis efficitur magisque aptior, ut nos dicimus, ad Ostreorum generationem.

Eadem de causa generantur ibi Testacea varietate majori coloribus picturata, nempè iis in maribus admiscentur magis, tum sales, tum mineralia diversa paulatim abrasa in terræ visceribus tanta illa undarum agitatione commotis; tum

etiam

etiam exhalationes, iisdem qualitatibus obnoxiæ, ac proindè in iis Regionibus magis maculosa marmora infecta coloribus consimilibus, quibus multæ Ostreorum testæ videntur adspersæ. Ita in litoribus Drepanitanis, ubi candidissimum marmor è nativa vena exciditur,& arenæ ipsæ Alabastri candorem induunt, oriuntur candidissima Testacea nu.71.Classis secundæ adumbrata.Propè Siracusas extrahuntur è mari minora illa Testacea num.36.Clas.3. delineata variis conspersa maculis,ut in Jaspide, qui in illius terræ viscèribus generatur.

Adde: frigidissimi temperamenti Testacea amare aquas calidiores pinguioresque, ut melius nutriantur. In maribus autem tum Indicis, tum Meridionalibus,quæ plerumque sunt membra sinusque Oceani, minori dulcore à fluviis conditi, qui in ea aquarum immensitate, nomen simul cum aquis deperdunt, densiores sunt aquę, adeòque nutritivæ magis magisque calidæ.

PROBLEMA VIII.

Cur aliqua Testacea super Lingna facilius nascantur, quàm supra Lapides?

INter species quamplurimas Testaceorum, locis affixas, undè oriuntur, numerandi sunt Tubuli vermiculares, quibus referti visuntur, non lapides tantùm, ac lingna, sed multæ etiam Ostrearum testæ scoriaque Crustatorum, oriuntur Ostrearum species, subtilioribus valuis incluſæ,& mole minores, quàm quæ consueto vocabulo Ostreæ appellantur: Sunt, & musculi,& alia hujusmodi, quæ ut plurimum sunt Bivalvia, Univalvia autem iis adnascentia nunquam sunt turbinata, exceptis Tubulis iam indicatis, qui tamen in girum consueverunt se sine lege contorquere, designata nunquam exactè spirali linea, quæ, spiris à basi ad mucronem cum proportione decrescentibus, se in seipsam retorqueat. Quid autem in causa sit, quòd Turbinata Testacea non sint loco affixa, ut multa Bivalvia, sed liberè vagantia alterius fortasse loci erit in examen vocare. Satis hìc sit indagare: cur nonnulla, præcipuè Musculi, libentius ut plurimum super lignum excrescant?Quamobrem inTarentino mari piscantes in magna copia convehunt, palis ab iisdem infixis enascentes, ut cap. 4. dictum est.

Nonnulli existimant:e Cœlo pluere hæc animantia; Rore quasi obstetrice, qui in ea solum aeris parte virtutem eorum formatricem infundat. Verùm quia nunquam potuit mihi ratio evincens innotescere,propterea nunquam potui in hanc sententiam abire, ut reputem ex universali causa effectum hunc provenire. Si Testacea vivunt in aqua maris, & ibi crescunt, ergò sunt Partus maris,cum indubitatum omnibus principium ferat. Ex his quibus aliquid constat,ex his inquam, nutriri, & quemadmodum per totum mare difusa,vagatur Virtus formativa Testaceorum,ita opinandum est:Vim horum generativam eidem mari congenitam;quapropter hoc præmisso, ulterius ratiocinatione sic pergo: Et quia naturalis Philosophia debet manum cum natura conferere, adverto: Antiquum esse in Natura, ex liquore aliquo, nonnullas particulas posse secerni quæ concrescunt, quando in vase ligneo continetur, non verò ex alia materia conflato. Saccarum candidum cum liquescit, nunquam gemmascit circa vas vitreum, cum tamen facilè concrescat in ligneo. In Calentibus aquis celebris Balnei Aponitani, propè Patavium, exceptis ligneo canali,illas ad molendinum deferente, cernuntur lapides crescere circumquaque, humore illo lapidifico geniti, quem secum evehunt,atque illuc convehunt, non tamen cernuntur unquam excrescere circa lapides collis, qui eisdem aquis medefit. Neque hoc alundè meo judicio petendum est, nisi ex eo, quod cum lignum multis poris sit pervium, aptis ad humorem excipiendum,qui in iis subsistens concrescere incipit hisque, partibus sic concretis, alius humor superinduitur, qui ob ingenitam homogenitatem facilè adhæret,& per additionem partis ad partem illud corpus effingitur, quamvis fluido, & excurrenti inclusum, & quoniam in voitr, ac lapidibus non reperiuntur ea pororum receptacula, apta ad humorem sistendum,hujusmodi effectus non gignitur, qui tamen contingeret si lapides essent poris pervii,quemadmodum cernuntur excrescere in mari Tartarum, & Muscus lapidosus, aliaque Alcyonia non super silices, lapillosque maximè expoliatos, sed super petras valde scabras, & cavernosas.

Qua propter videor mihi posse affirmare ad formationem musculorum,aliorumque similium cum necessarius sit humor ille subsidens in mari dispersus, subsidere illum facilè intra porros ligni, quibus retentus, aliisque qualitatibus fermentatus partum illum efformat, eo sanè pacto, quo intra cavernosas aliquorum lapidum cavitates generantur, ubi non sinè animi oblectamento, iis apertis, potui aliquos deprehendere, obtutum penè omnem effugientes.

PRO-

PROBLEMA IX.

Cur ita Testæ obdurescant, cum ex molli aqua generentur?

IN productionibus causarum, quæ dicuntur univocæ intercedere semper dignoscitur magna inter illas, & effectus, ex iis emanantes, similitudo. Et monstra dicuntur illa, quæ ex potissima sui parte cum Genitrice causa non consonant: *Fortes creantur fortibus, nec imbelles progenerant Aquilæ columbas*, inquit Horatius: At in aliis causis non univocis, quanta alteram ab altera discriminat dissimilitudo! Quid unquam majorem induere pulchritudinem potest, quam flos? Hìc tamen ex rudi, & informi terra matre excluditur. Ex truncis, non secus, ac ossa ipsa abdurescentibus, enascuntur tenerrima folia, ex asperimis spinetis Rosa tam suavi odore prædita: atque ex sterquilinio alimentum attrahens Cedrus, mira suavitate torpentes spiritus excitante, & recreante, florem gignit, & fructum. Hujusmodi sunt Testacea, in liquido genita Elemento, sed ita valvis, ac testis lapidescentibus, ut videantur intra silicis viscera omninò concepta; & quidem in illo aqua, quæ exiguo temporis intervallo, ob inditam sibi vim tam acrem, non solùm putridas reddit ingentium navium trabes, antennasque, sed Calybes, & æra comminuit, obdurescit adeò domus Testaceorum, ut Calybem ipsum duritie aliquando superet, si magisterio Naturæ addere quis velit artis ornamentum.

Existimarunt nonnulli, Testaceorum corticem in mari tenerescere quemadmodum de Ovis, inquit Plinius, mollia esse in utero sed aeri expositа, obdurescere, *calore externo evaporante humorem*, atque hoc cautum fuisse à Natura, ne matrem enitentẽ dolore torquerent. Experientia tamen hoc esse falsum ostendit, sicut falsum est Valvas Testaceorum molles esse sub aquis. Equidem non negarem educta ex aquis, & multo magis ab Animali sejuncta, duritiem aliquanto majorem induere, non secus, ac duriora sunt viventis cujuscumque ossa, cum sit ex vivente cadaver, quàm cum vivit; scilicet ossa in viventi composita quamdiu debitum sibi augmentum non expleverint per apertos poros, ut observavit Boyles, humore illo nutritivo imbuuntur, qui quamvis ingressu fluidus, nativo tamen temperamento disponitur ad abeundum in substantiam ossis magis, vel minus solidi, pro varietate debita partibus organicis ejusdem compositi, vel quia in humiditate carnis ossa vestientis, sepulta, nequeunt extrinseco calore penitus exsiccari, ut fit cum omni carne nudantur. Atque hoc verum esse satis ostendit experimentum ossis recenter nudati, & in ferventi aqua per aliquod spatium subsidentis, aqua enim postquam ebulliverit aliquantum condensatur in gelu, extracto videlicet humore illo quo referti erant ossis pori à vi penetrativa caloris in aqua effervescentis, qui humorem illum raritate distenderat. Duritiem hanc contrahunt multi lapides, qui in terræ visceribus tenerescentes, etiam ad securis ictum facilè scinduntur in partes, Cœlo autem aperto expositi, adeò obdurescunt ut omne temporis tormentum facilè perferant, quamvis aliam ob causam; cum hoc provenire possit ex temperie aliqua aeris superinducta lapidibus, ut ferro molli, atque candenti communicat aqua.

Iam verò si Testaceorum crustæ, ut pro comperto est, ab ipsa prima formatione ingenitam habet duritiem sub aquis, existimavit Scaliger Contra Card. exer. 222. præclarum fuisse hoc inventum Naturæ, *quia parandum eis fuerat munimentum*, atque hoc dicto ingerit nostris mentibus infinitæ Providentiæ opus fuisse, exanguibus exossibus, & inermibus Testaceis contra Piscium voracitatem domum construere, in qua abderent sese, tam valido temperamento obfirmata, ut omnem dentis acutissimi morsum eluderent. ac deglutientis famem indigesto cibo non pascerent. Quamobrem animadversione dignum est; duriora esse illa, quæ in fundo maris nascuntur, vel infixa sunt scopulis, quàm quæ sub arenis concipiuntur, utpotè minus exposita cæterorum animantium incursionibus.

Leges autem Naturæ duritiem hujusmodi præscribentes eædem sunt, quæ aliis corporibus eam impertiunt. Ex admistione perfecta, & coagulatione partium solidum corpus componentium, resultat durities, tunc contingit coagulatio, inquit, Geber lib. 1. c. 57. cum fit, *Rei liquorosæ ad solidam substantiam per humidi privationem reductio*: atque hæc, duobus modis, nempè, vel calore humidum perfectè exiccante, eo tantum relicto, quod partibus interse compingendis aptum sit, ut evenit in Porcellanis, aliisque fictilibus, in Avellanis, in Cocho, ac ac similibus exficcationibus, quas efficit Natura, vel frigore humidum condensante, adstrictis viscosis partibus, ut evenit in Metallis, & gummis, cum sudantes è cortice minori calore comprimuntur, vel humidum separante, superfluo humore penitus expresso, ut evenit in creta humida, quæ frigore obdurescit, superinducto ipsi non semel velo humoris cujusdam gelu constricti, & extra partes terreas, & consistentes expressi. Dixi gelu constricti, quandoquidem aqua cùm non possit humiditate omnimo-

da spoliari, potest quidem gelu concrescere, non tamen propriè coagulari. Eodem ferè pacto potest contingere durities in Testaceis, scilicet inita tali sejunctione ab illo succo, quem secernit Natura ob eorum formationem, atque augumentum, ut Ostreum humidum sibi necessarium attrahat, abjectis partibus magis terreis ad Testam elaborandam, ita ut, vel magis magisque calore concocto, vel extrinseco Elementi frigore condensato, opere magis absoluto perficiatur durities, quamvis inter aquas possit omninò consistere, quo pacto plurimi lapides consistunt, & obdurescunt in aquis.

Exiccationi hujusmodi addi potest: Ostrea ipsa paulatim sibi ipsis duritiem illam compingere, concoquendo non tam innato calore satis exangui, quàm virtute quadam humiditatem superfluam, attrahente, opportunam tamen suæ nutritioni, ex qua separatione testæ obdurescunt magis; atque hoc opus tunc fortè effingitur quando intra illa sæpimenta Animalia per menses plures concluſa vivunt non alio humore, quam *Succo suo*, suumque dici potest id quod totis viscеribus Animal imbibit, quodque Testæ suæ communicavit in ea tamdiù depositum, quamdiù illud sibi resumere cogeretur. Ad quam rationem roborandam, accomodata satis videtur mihi Historia, & ejusdem ratio, quam affert inter Chimicos celebris Fabri Pallad. sparg. c. 47.

Refert hic, nonnullas aquas, vix à fonte distractas coagulari in lapidem, aliquanto Diaphanum, & quasi alabastrinum; & ratio est, inquit ipse; quia his admiscentur plures spiritus salis apti solvendis iis partibus, quæ ad coagulum sunt per se ipsas dispositæ, quibus nativo è fonte abreptis, iidem spiritus evaporantes facilè evanescunt, neque aliis submini strantur, ut evenit in fonte, in quo perenne est illorum effluvium. Hinc oritur perfecta aquarum concretio in lapidem. Igitur si in mari ex illa portione alimenti inservientis coagulo Testæ sejungatur Octreæ humor ille salinus, magis obdurescere facilè poterit reliquus humor Heterogeneus, Testæque consistentiam acquirere. Atque hoc extra controversiam videor mihi posse de iis Testaceis enunciare, quibus folioſæ sunt Testæ pluribus tunicis convestitæ; quarum altera tractu temporis alteri superinduitur, ut exactè animadvertit Dominus Steno In Prod. de solido intra solid. atque ita pluribus quasi mœnibus obvallatum, & obfirmatum crescit animatum illud Testaceorum munimentum, quod in aliquibus mole minoribus, adeòque recenter genitis Smicroscopio exploratore didici, esse paucioribus sepimentis contextum, in majoribus verò aliis ex pluribus tunicis corticosum, imò inter minima vix embrionem egressa observavi nonnulla tum materiæ tenuitate, tum humiditatis excessu trasparentia, quasi omninò tenera, & humori muccoso simillima, quo veluti velo ex omni parte distento viventia operiuntur, & quo causa constituitur tam benè in interiori sui parte, toti eorum corpori accomodata.

Advertendum etiam est, inditam esse sali virtutem impediendi perfectam concretionem, ut apparet in experientia celebri, cujus meminit Regnerus, de Graaf. de succo Pancreatico c. 8. ubi sæpissimè inquit, *salem volatilem cum sanguine permiscuimus, qui propterea fluvidus remansit, quod à nullis rebus ipsi permiscendis, certius quàm à salibus volatilibus expectaveris*. Atque in hac suppositione iis, quæ superius indicavimus, addi potest, facta salis separatione ab humore in testam abituro, & minorem semper consistentiam induturo, potest humor hujusmodi consistentiam lapidis sibi acquirere, dummodò mistus sit particulis acidis aptis ad eam compingendum, sejunctis partibus spiritosis, salsisque, per quas in fluviditate persistunt. Quandoquidem, ut docet David Becheus exper. circa nat. pric. *cuncta acida rodunt, & coagulant, coagulando verò, & ipsa coagulantur*. Quod manifestè se prodit in multorum liquorum concretionibus, facilius obtentis, si iis misceatur acetum. Atque hæc sunt solida coagula, de quibus Villis de ferment. c. 12. docuit fieri concretionem *cum corpuscula salina in subjecto quopiam late dispersa congregari, & invicem conjungi incipiunt; Indèque, aut sibimetipsis, aut cum terra unita ex fluida, & molli substantia duram, & compactam producunt*, adferente secum ea corpuscula materia, in coagulum concrescente. Totum hoc evidenter observavit idem Villis in stamine bombycis, quod vix ore egressum ita obdurescit, ut nullo neque humido, neque calido, neque sicco, possit emolliri, quod tamen intra ipsa viscera glomeratum, massam humidam referebat, nulla sui parte consistentem.

PROBLEMA X.

Cur vivant Plurima immobiliter, saxis infixa?

QUæcumque Animalia, in tribus Elementis, Aeris, Terræ, & Aquæ degentia, possunt pro arbitratu singula Elementa percurrere, & de prato in pratum, de sylva in sylvam, de Climate in aliud, de uno maris Sinu in alium commigrare. Regionem variant Hirundines, & Coturnices. Ex Scythia Grues in Ægyptum convolant, atque ex gelido Thraciæ Strimone Pellicani in Danubium feruntur. Ita ab

Euxi-

Euxino Thynni in Mediterraneum tepentius enavigant, nequè ullum eſt animal, quod in libertate natura non poſuerit ſolique abdomini natum, cum omnibus dictum illud poſſit aptari.

Nos numerus, & fruges conſumere Nati.

Poſſunt enim ventri indulgere, quo magis voluptas allicit, aut Soli ubertas, aut temperies Aeris invitat. In ſolo mari Viventia reperiuntur, Vitæ ſenſitivæ non expertia, ſtatis locis infixa, ut notavit Ariſtoteles, lib. 1. Anim. c. 12. atque hujuſmodi eſt non una ſpecies Teſtaceorum, quæ infelicia videntur, ut fabuloſus ille Prometheus, quia indicta ipſis à Natura, quaſi catena, ſunt ſcopulis alligata. Diſcrepant à Turbinatis, quæ utpotè libertate donata, quacumque verſantur intra ſuas Teſtas, & Teſtæ ipſæ nulli ſunt loco affixæ; quia ſunt ipſis Teſtis, unita, quemadmodum Teſtæ ipſæ arctiſſima unione, earum ſubſtantiam continuante, ſunt ſcopulis affixa, qua de cauſa argumentum præbent Ovidio, de generatione Animalium poſt aquas diluvii aſſerenti (fabuloſo commento ex falſa Epicuri doctrina deprompto) homines quoque ex Terra genitos, nempè Ruſtici dum ſulcis aratrum infodiunt: ut ipſe cecinit 1. Metam. *Verſis Animalia glebis.*

Inveniunt, & in his quadam modo cæpta per ipſum
Naſcendi ſpatium, quædam imperfecta ſuiſque
Trunca vident humeris, & eodem Corpore ſæpè
Altera pars vivit, rudis eſt pars altera Tellus.

Illam proindè proportionem referunt, quam Ariſtoteles adnotavit ineſſe iis, & plantis, quæ ſunt ſemper in motu augmentationis, & ſinè motu progreſſionis genitalibus locis infixæ. Irrogabitur fortaſſe crudelitatis nota Naturæ? quaſi verò perpetuò illa vinculo obſtringens, ad mendicitatem damnaverit, ex eo tantùm victitantia, quod iis caſus offert; & ad ſuſtinendos fluctuum ſævientium ictus, negato iis cavernoſo aliquo receſſu in ſcopulis, quo ſe recipiant. Haud equidem; Nulli enim Noverca Natura, ſed Mater, nullos fœtus ſuos ad omnem omninò miſeriam proſtituit, & providentiæ argumentum eſt quod ſpeciem præfert crudelitatis, quandoquidem quæcumque in mari degunt, ſcopulis infixa poſſunt ſe intra ſua ſepta recipere, vel in circulus turbiuata, ut vermiculares Tubi, numero vigeſimo expreſſi, vel in geminas valvas complanata, in quibus tanquam in tecto, & cubili tranquilla ſtatione quieſcunt.

Cùm autem eo ſolum humori nutriri debeant, ex quo generantur, attrahentia illum præcipuè per poros corporis, promptè illum exugunt, quoties innatus appetitus ad illum attrahendum excitat phantaſiam, quamobrem potius Natura præ cæteris conſuluit, dum in expedito ſemper iis voluit humorem ad extinguendam ſitim unice factum, & poſſunt cum felici illo Paſtore, apud taſſ. cont. 67. ſtan. 10. jam in æuum invecto, poſt maculas à paupertate deterſas, quas illi immeritò inurunt nonnulli, canere.

Spegno la ſete mia nell'onda chiara
Che non tem'io, che di Venen, s'aſperga.

Et cum eodem.

E queſta gregia, e l'Orticel diſpenſa
Cibi non compri alla mia parca Menſa.

Ita Maris undæ Teſtaceis conviviũ inſtruunt apparatiſſimum ex iis, quæ appetunt ſinè tormento ſollicitudinis de cibo cogitantis, & ſinè labore menſam inſternendi. In hoc pari ſorte felicia cum iis pauperibus, de quibus Seneca Epiſt. 80. *Nulla ſollicitudo in alto illius eſt*, quandoquidem contenti explere non Cupiditatem, ſed Naturam, *cui ſatis eſt etiam parum, quemadmodum illi, nihil ſatis eſt.*

Cum autem ſcopulis affiguntur ex hoc ipſo componunt Mundi pulchritudinem, in tam vaſto Naturæ Theatro, ubi in tanta varietate corporum viventium, ſenſu carentium, & mobilium ſicut nonnulla ſunt vivaciſſima, quorum quies eſt, nunquam quieſcere, ita hæc ordinem conſtituunt, cujus vita eſt: ſentire quidem, ſed non loco moveri natali ſolo infixa: quod ſiderum Cælo affixorum prærogativa eſt, nempè his in ordine ſuo ſempre manentibus, illis nunquam variantibus ſitum. atque ita rebus ſingulis in ordinem recurrentibus, & ad nutum formatricis Ideæ ſeſe invicem attemperantibus choræam illam ducunt, & mundi harmoniam intexunt ex diverſis, & adverſis ſonis conſurgentem, cum tota hujus *Mundi CONCORDIA ex DISCRDIBUS conſtet.* Marc. victor præf. in Geneſ.

PROBLEMA XI.

Cur nonnulla ſint certo ordine ſtriata aliis non ſtriatis.

QUàm facilè eſt hoc Problema exponere, tam arduum eſt illud vera ratione humana intelligentia fulcire, nunquam occultas eorum, quæ obvia ſunt cauſas pertingente, quamvis ad eas ſcrutandas omni ſubtilitate ſe provehat. Quæ enim unquam rationum congeries in illud poterit collimare, ut pro tam variis Maculis, Coloribus, in pellibus Animalium, in Avium pennis, in foliis florum, in Oſtreorum teſtis, ſingulæ rationes aptentur, ſingulis peculiarem rationem ſibi vindicantibus? Cum ſingulæ ſint opus intelligentiæ formatricis, ſingulas maculas diſtinguentis, non fortuita caſus combinatio, Etſi caſu ſpumas effinxit ſpongia in rictu

rabidi Molossi, cum desperato ab arte illius Magisterio, totam pingendi suppellectilem, colores, & Pennicillos in illum projecit, sibi ipsi indignatus Appelles; Advertendum tamen est eventum hujusmodi fuisse quidem fortuitum respectu hominis de illo nihil cogitantis, neque illum præordinantis, non tamen respectu Dei, à quo ita pendent omnia, ut singula sint ab eo, vel volita, vel permissa.

Animum adiecit ad rationem propositi Problematis indagandam Cardanus, cùmque eam afferre intenderet inquit, *fit autem varietas strię certo ordine, quoniam res parva, variata, ac mista etiam obiter, dum æqualiter crescunt spatia, certo ordine laborata videntur*. Sed meritò deridet illum Scaliger Cont. Card. exerc. 220. qui enim hæc dicit, nihil dicit. *Siccine Cardane*: arguit Scaliger. *Quare manus duas habeam*, causam *reddis*, dicendo. *Quia manus duas infans cum haberem, simul cum corpore creverunt*? Qui dicit adulto homini inesse manus, quia inerant etiam infanti, non rationem reddit, sed quæstionem eludit. Aliquali modo satisfacit, qui prudentem finem designat, ad quem in homine manibus dotando respexit Natura, asserendo cum Aristotele, & S. Augustino: dotatum hominem manibus ut iis tanquam universali instrumento ad omnium artium opera uteretur. Nec debet erubescere ingorantiam fatendo, qui plurium effectuum causam nequit indagare. Fateri hanc Scaliger non erubuit ita cum Cardano concludens: *Hoc non est ostendere causam, cum dicitur, strias habent Buccini, quia eis ablatæ non sunt*. Imò stultos omnes illos existimavit, qui illarum causam inquirunt, utpotè quæ nequeat inveniri. En ipsius ratiocinatio: *Ego verò si me causas hasce, quòd nesciam irrideatis, non iratus dicam. Vos omnes Philosophos subtiliores insanire. Namque partium causas cum ex utilitatibus eliciamus, quarum partium nullus usus percipi queat, hæ partes sui quoque causas nobis ignotas habent. Ejusmodi est color, levitas, stria, splendor. Natura verò plus lusit in nostrarum mentium agitationibus, quàm in striarum macularumque tum ordine, tum varietate*. Hucusque Scaliger, cui nec totum do, neque ex toto contradico, cum enim in multis Testaceis, atque iis præcipuè, quæ Pectines dicuntur uniformis appareat, & ordinata striarum deductio, quæ ex uno puncto ad circumferentiam distentæ, majorem identidem induunt crassitiem, proportionato inter se dissitæ intervallo, possumus profectò hinc arguere, inditam iis virtutem productivam formæ tam ordinate dispositæ, non secus, ac in radice, & in arbore agnoscimus virtutem ramificam ad eamdem semper prolificationem ramorum tendentem, quamvis virtutem hujusmodi magna ex parte nobis natura subduxerit.

Verùm si ex propinquo dignosci non possunt individuæ rerum effectrices Virtutes, non tamen impossibile nobis est: prudentem aliquem finem investigare Naturæ, earum structuram hoc vel illo modo architectantis. An non ita reddita sunt Ostrea, piscium palato magis aspera, ut faciliùs ab eorum invasione subriperentur? elaborante illis quasi clypeum Natura non minùs fortem ad illa tuenda, quàm ad oculorum oblectamentum, tam eleganti opere intertextum? Sic in tradito sibi à Venere clypeo Eneas & robur suspiciebat, *& admirabile textum*. An non tanta colorum, macularum, striarumque varietate, argumentum nobis supeditavit, illarum magisterium suspiciendi, eamque ex illa oblectationem percipiendi, quam ex tanta rerum etiam neglectarum diversitate potest oculus, mira voluptate delibutus experiri, atque ex minimis maxima inferendo, ad maximam omnium ratiocinationem tandem pertingere, nempè vastissimam, & infinitam Dei intelligentiam, in qua res omnes primò in exemplari conceptæ, mox in lucem, & in absolutum opus prodituræ, ut infinitam ejus Sapientiam enunciarent, quæ maxima semper etiam in minimis tota est, ipsius mente quasi obstetricante, dum incrementum excipiunt, ut consonantiam illam, & harmoniam partium effingant, quæ tanta voluptate perfundit, contemplatores Naturæ!

Hanc sibi quisque dicendi normam statuat, quando vel nimia curiositate sciendi evectus, vel temeritate interrogandi prolapsus, labia silentio obsignabit, cum non poterit mens in occurrente sibi ratione conquiescere. Neque videatur hoc velum ignaviæ obtendere, quandoquidem hæc eloquens sit magistra, cum Creaturarum assequi rationem impotens, ad ipsum Creatorem provehitur, atque in eo uno post errores varios contemplatrix consistit, non fidelis minus in assensu præstando quàm in philosophando ingeniosa.

PROBLEMA XII.

Cur ut plurimùm in extima superficie sint coloribus picturata.

QUæsitum hoc non ita propriè instituitur de coloribus Testaceorum, ut institui etiam non possit de pennis Avium, de pellibus Animalium, de corticulis Fructuum, & quemadmodum vagatur per varia rerum genera ita communis cum reliquis est institutio de iis philosophandi. Primò igitur notandum est colores varios plerumque per extimam superficiem excurrere, hoc est per convexitatem Testarum. Cum appareant aliqua, ordine tessellato interstincta, aliqua undulata, aspersa nonnulla, tanta que

taque varietate diſtincta, ut tantam columbæ collum non induat, quando; *mille trahit varios adverſo Sole colores*. Craſſities verò, ut plurimum candidi marmoris, aut liventis colorem refert æquabili tractu imbibitum, interna ſuperficies, ſeù concamerata teſtudo, vel colorem non variat, vel uniformi ductu colore eodem veſtitur. Hac animadverſione præmiſſa, revocandum eſt in memoriam quod alibi adnotavimus; duobus modis poſſe colore imbui cruſtas Teſtaceorum, nempè, vel ex indita illis virtute, vel ex magiſterio Naturæ, atque hoc pacto multa arborum poma Sol pingit coloribus ad majorem, vel minorem caloris activitatem attemperatis, & quia inditi non ſunt colores hujuſmodi extimum corticem ſolùm inficiunt. Idem prorſus poteſt in mari contingere, ubi ſaporibus acidis commiſta Alumina, vim habent, tranſmutandi obſcurum in perſpicuum, ut videri poteſt in rubris purpureiſque coloribus. Ita ſal ex calce ſubſidens, violaceum mutat in cæruleum, & ſal ammoniacus nitrumque eumdem variant colorem; expertus ſum, ab acido aquæ, ad ſeparanda metalla arte factę, corroſa prima membrana, quaſi ex Tartaro, quam ſuperinduunt Conchæ, quas auriculas dicunt, viridem colorem fuiſſe expreſſum. Poſſunt ergo Teſtacea, virtute qualitatum ambienti humido immiſtarum alterari, ac tranſmutari, vel in corpore toto, ſi humidum quo proluuntur, vel corpus ipſum coloratum eamdem temperiem imbuat; vel colorum varietate depingi, ſi diverſimode attemperentur. Eo ferè pacto papyrus aſperſa aquis ex galla expreſſis candorem ſuum nihil vitiatum oſtendit, cum tamen Calcantho madefacta nigris ſtatim maculis appareat infecta.

Atque hic prætereundum non eſt mirabile illud inventum nuperrimè ad me ex Gallia tranſmiſſum, cujus ignotus eſt Auctor, nempè approximato tantùm liquore quodam poſſe quempiam nigris characteribus inſcriptam legere cartam, quæ characteres aqua criſtallina exaratos, omninò oculis ſubducebat,

Placet modum hic evulgare comparandi ſibi aquas geminas in hunc mirabilem effectum adhibitas. Conſtruitur altera ebullientibus ad lentum ignem in æquali menſura viva calce, & auripigmento; cautè tamen operi perficiendo aſſiſtendum eſt, ne illorum fumo caput inficiatur. Altera conſtruitur ſoluto ex ignis vi letargiro in acetum diſtillato: liquore hoc carta conſcribitur, liquore altero characteres ſe produnt. Hujuſmodi effectus, ex varia acidorum humorum admiſtione reſultans, poteſt etiam contingere ex intenſiore aliqua incaleſcentia. Ita ſi fiat igni propior papyrus inſcripta chararacteribus ſucco ex malis limoniis, aut cæpis expreſſo, legi poterunt characteres, qui antea oculis ſubducebantur. Quod ſi indita Virus depingit Teſtacae, eodem ferè modo de illorum Teſtis philoſophandum ex mente doctrinaque Ariſtotelis, de Gener lib. 5. c. 6. ac de Avium pennis. *Nutriuntur pili, pennæ, & cutes*, inquit ille, *ex alimenti excrementis, & pro horum varietate colores varii reſiliunt*. Dumque obſervat Animalia, quibus varius cibus eſt, varios etiam colores induere, diſcrimen affert inter apes, & Fucos, nempè hos præ illis magis picturatos, quia magis varius eſt eorum cibus.

Hoc ipſum in multis Vermibus poteſt deprehendi, Bruchus, qui braſſicis veſcitur colorem imbibit omninò viridem; è contra variè maculoſi, qui ex variis floribus alimentum depaſcunt, & Antonio le Grand teſte, nigredinem induunt Avium pennæ, quæ fructum delibant ex Taxo, In comp. rer. memor. pag. 253.

Cum igitur conſuetum alimentum Teſtaceorum ſit aqua Maris, hæc, quantumvis limpidiſſima, eſt maximè etherogenea infecta ſulphuribus, ſalibus, bituminibus ex ſinubus diverſis, quos interfluit, collectis, diverſiſque ſpiritibus à Terra exhalatis. Et cui nam ignota eſt horum diverſitas corporum? Varii coloris ſunt ſales, ruber memphiticus, & oxanus, purpureus in Centoripe, in Cappadocia flavus, In India, & niger, & rubeus. His humido commiſtis, & magis minuſve viventis calore concoctis plus minuſve à terrena materia ſegregatis effici poſſunt diverſi generis maculæ, ſuperaddita materia ad illas colorandas.

Fateor enimverò non poſſe hanc afferri tamquam rationem omnimodam, quandoquidem perſpicuum eſt, Infantes geminos, eodem prorſus nutricis lacte enutritos, eſſe aliquando, ut moribus, ita capillamento, colore, ac lineamentis inter ſe maximè diſcrepantes, dandum tamen Philoſopho eſt, multum conducere ad colorem Animalium cibos.

Ut verò appareant Teſtacea ſuperficie eſtima colorata ſtupendum planè eſt Opificium Naturæ. Advertit Beregardus Epiſt. de ling. Apud Carolum Fracaſſatum in omni Animali, ſegregato ab excrementis alimento, fieri in iis novam ſegregationem, duplicis quaſi Naturæ, altera nempè eſt ſpiritus, ſeù liquor acidus, altera terræ, & ſicca manet, quæ corpus mortuum dicitur. Hac ſe ipſum exonerat Animal per ſeceſſum altera in Urinam abeunte; & Animalia quæ non poſſunt hoc pacto ſe exonerare, ut Aves, & Teſtacea neceſſitare coguntur haſce partes ſpititoſas ſubtileſque intra ſua ſepta continere, rejectis tamen iis ad extimas partes ab ipſa Natura tamquam ſuperfluis, & per eaſdem partes exſudantibus. Ex quia ambiens aer eas condenſat in

Avibus

Avibus detinetque, ſicuti aqua in Teſtaceis, hinc efingitur cutis varieras, & pennarum colores varios referentium pro varietate infectionis ipſi excremento immiſtæ. Notandum etiam eſt: multa ſuperveſtiri rudi deformique amictu, quo non detracto, non apparent colores. Amictus iſte in nonnullis non eſt indumentum nativum, ut illud, quo ſe ſerpentes excoriant, & aliqua etiam maris cruſtata, ſed eſt tempore aquis lutoque ſuperinductum. Ut autem addiſcatur modus, quo circumamiciuntur, placet addere experimentum magiſterii conſimilis, quod extra mare adnotavit Pater Kircherus in Mundo ſubter. l. 8. *In Vaſe*, inquit ille, *quo urina excipi ſolet exponatur ſeta equina, vel quid ſimile, ita ut à fundo, uſque ad ſuperficiem emergat eamque ſic urinæ expoſitam relinque, & videbis corpuſcula ſalinonitroſa, quæ urinæ inſunt huic ſetæ ſtatim adhærere, & paulatim in magnum corticem, inſtar calcis friabilis excreſcere, quæ in aere indureſcit.* Idem contingit in Palis mari infixis pro fundamento Domorũ Venctiis, & inter Teſtacea, quę latinè dicuntur: *Ungulæ Aſini*, quibus ſupremæ parti quædam Lanugo impoſita eſt, qua etiam Coralia veſtiuuntur, nonnullaque alia Teſtacea, in quibus quandoque extra aquas obdureſcit, & lapideo quodam indumento illa conveſtit.

PROBLEMA XIII.

Cur multa ſint Turbinata?

INter multas Univalvium Teſtaceorum ſpecies, quæ in Mari degunt, & reperiuntur in terra, pleraque ſunt turbinata, tali ſpirarum varietate, ut iis involuta omnis phantaſia novas invenire diffidat, vires ſuas in his intellectus amittit curioſitate captus earum artificium indagandi, & Oſtreorum figuræ tot tantiſque ſpiris turbinatæ, cauſam aſſequendi; Nullus eſt, qui ingnoret, multos lapides hujuſmodi figuram induere, ſemper ſibi conſtantem, ut evenit in formatione foliorum, & in ſalibus cum gemmaſcunt. Propriam habent inter Metalla Marcheſitæ, inter lapides Gemmæ, in ſuccis Sales, in congelationibus Nives, in Metheoris Irides, ſicut habent plantæ, atque Animalia, quæ quantumvis varia, figuram tamen genericam eodem ſibi tenore conſtantem quaſi propriam characteriſticæ notam induunt. Illa eſt in oculis omnium, ſed illius originem omnes ignorant. Georgius Agricola in eam ſententiam abiit, ut exiſtimaverit ex duabus potiſſimum cauſis, figuram in lapidibus derivari. Altera ex loco in quo generantur, ut Cera plumbumque liquata, quæ figuram illam induunt, quam habet vas ſeu receptaculum in quo excipiuntur quia dum congelantur, non poſſunt liberius excurrere. Ita nonnulli lapides, quaſi prægnantes, lapillum aliquem, vel aut liquorem, ad modum globi, actum in ſpheram, intra viſcera ſua quaſi fœtum concludunt, qui liquor, vel obdureſcens calore, vel eodem exſiccatus, & condenſatus à materno lapide ſejungitur, ut videmus in Avellanis nucibus, intra corticem exiccatis. Quòd ſi liquor, ſeù lutum, ſeù ſuccus hujuſmodi tenax fuerit, lapideſcit, quo pacto generatur Aetites lapis, ſi verò tenax non ſit, abit in terram cretoſam, ut videri poteſt in Geode. Si verò ſuccus ſit aqueus, ſtagnat fluctuans in ipſo lapidis ſinu. Et juxta hoc principium Falloppius argumentatus ait: Turbinata terræ Teſtacea provenire ex fumoſa quadam exhalatione, intus concluſa exitum quærente, eoque non patente, ad modum turbinis agitata, quæ dum gelaſcit, formam turbinatam effingit. Verùm etiam ſi detur hoc in gratiam Falloppii, dici tamen non poteſt de Marinis Teſtaceis; cum enim humidum ſit corpus, nulla figura terminatum, non poteſt ea terminare, quæ in Mari perpetuò fluctuante naſcuntur.

Dominus Steno in prodr. de ſolido. diligenter perſpectis variis tunicis, quibus Oſtreorum teſtæ conſtruuntur, enunciat, omnes primæ tunicæ exteriori ſuppoſitas fuiſſe in eam formam elaboratas, non quia humidum, quo concreverunt, ſic eas effingeret, ſed quia accomodatæ fuerunt loco, & continenti dum concreſceret humor, ex Oſtreorum poris tranſudans; atque ex pluribus, vel paucioribus tunicis, inquit ille, colligi poteſt, quot annis vixerint. Sed quia hoc dici non poteſt de ultima tunica, ſeu membrana lapideam ſubſtantiam referente, quæ alias circumveſtit exiſtimat, formam illam ex Ovis progenitam, nempè Ovorum calicibus in eam abeuntibus. Hic tam diligenti Inſpectori perſpicaciſſimæ intelligentiæ, & oculi anatomicè præſcrutantis, vix quidpiam opponerem, niſi me reluctantem evidentia compelleret, etiamſi ita philoſophandum eſſet de Tunicis interioribus inter Animal ipſum, & extremam tunicam, alias omnes cooperientem; de hac certè affirmari non poſſem, quod ipſe docet, ne quidem de iis Teſtis, quæ folioſæ non ſunt, ſed unica conſtant tunica, ipſo mormore denſiore; quandoquidem non ab ovo, ſed ſpontè ſua oriuntur in aquis figura nunquam immmutata, quam fortaſſe in nullo alio vivente conſpicimus. Mihi contigit plures ſpecie diverſa in exſiccato luto, vel inter minutiſſimas maris arenas, deprehendere, quarum pluribus majora erant arenæ grana, quæ nudum oculum vix non effugiunt, ſed ſub Microſcopio inducbant magnitudinem globi, quo exonerantur Bombardæ. Aliundè ergò petenda

eſt

est ratio, cur figuram hujusmodi Cochleæ sibi aptent?

Agricola autem docet ex ipsa materia petendam esse figuram hujusmodi, quemadmodum ex lidio lapide infrustra comminuto proveniunt fragmenta humanis ossibus omninò simillima, atque ex Trochitibus Rosæ figuram referentia. Ita docet Erasmus Bartolinus, lib. 5. coll. mat. & à Methamatica rationem petit dicendo, Matheſim esse Figurarum Magistram, ac propterea contemplatus exagonam figuram, quam in Cellis Alveariorum Apes architectantur, negat harum magisterium fieri ex instinctu Naturæ, dicitque ab Apibus circularem effingi, utpotè figurarum omnium capacissimam, ac simplicissimam, adeòque semper intentam ab Apibus, quod ansam dedit Pappo Alexandrino stultè opinandi, apes ratione præditas esse, idemque Pappus affirmat observari, cum actu construunt in Alveari cancluſæ, si hoc pervium fiat, foramini crystallo superimposita, ut hoc repagulo apium exitus impediatur, & earumdem ictus eludantur. Evadit tamen exagona figura illa, dum ex mutua compressione cedente cera, quamcumque formam facilè induente, necessario ex circulis compressis resultat exagona figura. En Icone adumbratus Bartolini discursus: sit Apis in circulo Hæc introitum sæpius, & exitum faciens, debet ejusdem circuli partes comprimere, & qua parte compressioni obstaculum non inveniet, cedere ceram coget. Cum igitur reperiatur obstaclum in punctis ubi reliquarum cellularum circuli se tangunt, cera dabit locum qua parte obstaculum nullum apponitur, Quod si in circulo Apis altera premat ex eadem ratione debet se arcus extendere, contra oppositam partem circuli primi ubi obstaculum nullum reperit, inclinabitur atque in iis punctis adnectetur materia, quæ circulum referebat, parique compressione adnexa, resultabit exagona figura ex necessitate materiæ obedientis impulsui, quod negavit Kepplerus, dissert. 5. lib. 5. ubi tractat de figura sexangula, quam nix refert, Verùm de hoc curiosius scripserunt in Meteoris Renatus de Cartes, & Olaus Magnus in Gothorum Historia. Dicendum igitur ratione materiæ obedientis impulsui alicujus agentis figuram hujusmodi resultare. Sed non omnia sunt ex cera, neque omnia ex accidente extrinseco figuram induunt, quam referunt. Multa, imò pleraque libera nascuntur, vel in humoribus, vel in aere, non aptis alia corpora terminare, cum termino ipsi careant. Aliunde igitur figuræ corporum effinguntur. Diversas videmus inesse formas communibus Salibus, cum concreti gemmascunt, diversas Nitro imò liquori cuilibet, cum subsidit, humore exsiccato. Sal Gemma funditur perpetuò ex frustulis grandioribus, cubicam formam ferentibus. In Antimonio observavit Hipocrates nasci figuram Tetragonam, Sal indicus in figuram Pyramidalem quadrangulam exacuitur; alumen in cubos, salnitrum in tubulos, quod tunc visitur, quando solutum est in humorem illum colatum ex stercore, quo educitur, & vocatur *maestra*, Calcantus in figuram racemosam densatur, sal ex humoris sic citate subtiles in crustas, aliquando in partes minimas farinæ minutissimæ consimiles, ut videre est in Maris litoribus lapidosis, & aliquando in duriorem substantiam, lapidi non absimilem, vehementiori igne exsicato. Imò Villis de Ferment cap. 12. non solùm contendit, singulis salibus, quos Primigenios vocant, proprias figuras inesse, sed eas asserit observasse in omnibus Salibus ex singulis corporibus arte Spargirica extractis, induentibus singulis figuram cum subsidunt, extimatque his partibus subsidentibus Deum indidisse virtutem communicandi figuram iis corporibus, ad quorum compositionem concurrunt, una cum spiritibus vegetabilibus: *Sunt enim*, inquit ille, *Sales isti elementa veluti secunda, & ad eorum in corporibus insitione propriæ, & nativæ figuræ rerum plurimùm dependent*.

Atque, ut hic ommittam quæ plurima ad veritatem hanc obfirmandam possent afferri, abundè erit nonnulla experimenta in memoriam revocare, ex quibus evincitur, quemadmodum ab educto vi ignis ex substantia aliqua, sale fixo, seù subsidente in cineres, ita à volatili evaporante in spiritus, eamdem figuram retineri, quam antea induerat: & quoad volatilem verissimum est. illum in frigidis hyemis noctibus imponere quasi folium glacie vitris fenestrarum, accedente humido accidentali, ex virentibus ramis igni impositis, secum exeunte, atque in illo folio, vitris superinducto imprimi ab illo sale imaginem arboris, ex cujus ramis fuit eductus. Quoad fixum verò, manifestum est, combustis herbis, vel arborum ramis, eductaque ex illis aqua sale imbibita, ex eorum cineribus extracta; si cineres hi ea aqua immisti, in aperto vase, sereno Cœlo in hyeme exposito, in glaciei superinductæ crusta apparituram figuram arboris, cujus reliquiæ sunt illi cineres. Joannes Daniel Horstius ex absynthii sale vidit natam imaginem ipsius absynthii. Olaus Borricchius ex proprio sale extraxit, ostenditque eleganter expressam quemdam quasi sylvulam Cupressuum, & ommissis quamplurimis scitu, digniſſimis, sit pro omnibus celebris illa, quæ per omnium ora circumfertur, nomine Rosæ

Polo-

Polonicæ objecta oculis celebris Quærcetani, à medico quodam Polono Tachenio in Hipocrate chimic. fol. 111. qui egregiè callebat artem extraendi sales,& asservandi spiritus ex plantis expressos in vitreis ampullis diligentissime obsignatis. Hic cum qnorundam rogatu vellet efficere, ut germinaret Rosa, accepto vase hujusce floris salem asservante, *Vasis fundum lucernæ admovet. ut aliquantulum intepesceret, tum tenuissimus, & impalpabilis ille cinis ex se apertam Rosæ speciem emittebat, quam sensim crescere, vegetari, ac formam penitus totius Rosæ floridæ umbram, ac figuram exprimere videbat. Hæc autem umbratilis figura, vase ab igne remotò, rursus in suos cineres relabebatur.*

Ad determinandas autem corporis naturalis figuras, hoc utitur discursu Villis supracitatis. Sal, & spiritus in corporibus ita se habent, ac Circinus, & norma in Mathematicis figuris delineandis in pagina. Imitatur spiritus pedem Circini, mobilem, modo circumactum, altero in centro immobili, modo liberè ductum undequaque ab artificis manu, quo pacto ducitur stylus, eoque circuitu lineæ variæ, figuræque diversæ designatur. Sal è contra imitatur normam, semper immotam, & aptam terminare stylum, eumque moderari. Quapropter ubi sali dominatur spiritus, ut in vegetabilibus, ac sensitivis, varietas major figurarum exprimitur, & ubi sal dominatur spiritibus, ut in Mineralibus salibusque, apparent corpora figuris minus variis impressa,semperque eamdem retinentia.Inde fit ait Villis à Salibus per calcinationem extractis, utpotè spiritibus destitutis, vix obtineri *Chrystallizationem* cum subsidunt in cineres. Nitrum è contra utpotè spiritosum facilè coagulari, figuramque pyramidalem induere, & Alumen maximè spiritosum in Octoedrum facilè efformari.

Præclarissimæ sanè rationes, sed minus aptæ ad obiiciendam oculis mentibusque veritatem. Quandoquidem,vel figura proveniat ex Salibus, vel ex Spiritibus, recurrit argumentum, & ego urgeo, iterum petens, cur utrique ad illam potius figuram inclinent, ac tendant, quàm ad alteram? & quid tandem sint spiritus hujusmodi; Infinitis propemodum responsis imò vocibus, audio conclamari: Alii vim Magneticam cum Kirchero lib. 1. de Artis magnæ lucis,& umbræ. Illos appellant, alii generationum idæas cum Borello, alii formatricem virtutem cum Cabeo, alii Agitationem spirituum, sed ignotam. Augustinus Scylla cum noverit in humano corpore per anathomem in partes dissecto, inventam Cochleam perexiguam in sinistra cordis auricula, aliamque non absimilem in vessica hominis pauperrimi Florentiæ,respondere conatur dicendo, *Video,corpora membranosa, calori modico approximata colligi in sese, rugas contrahere, ac facilè turbinari: Hoc ipsum existimarem in iis partibus nostri corporis, potuisse contingere, in quibus non desunt membranæ, salsique humores, & colliquati, & gypsei, primisque magis magisque exsiccatis nullo quasi negotio reliquæ turbinantur facilèque se reddunt ad similitudinem lapideæ substantiæ, qua caput nobis obtundunt, & vano certè conatu laboraret sequens quod assequi nunquam poterit.*

Machinatrix & opifex est mens illa, quæ in rebus omnibus *agitat molem* ad intentum finem partes singulas ordinans, & quemadmodum ad imponendam basi immensam aliquam pyramidem, concurrunt rudentes multi, multæque tractoriæ machinæ, Trochleæque, singulis vi, & celeritate propria operantibus ad amussim;nescientibus tamen quid, cuive laborent; ignorant enim finem qui est in mente artificis, omnia ordinantis, ac disponentis, ita in constructione cujusque corporis, seù viventis, seù non viventis, omnia, & singula disponit ex ordine Efficiens Causa, quamvis occculta, cui singula obtemperant, Ita nobis in re nostra phylosophandum, neque indignum Phylosopho est, advocare Deum e machina, ut dicitur, cum rerum Causæ penitus deliteſcunt nobis ignotæ, plenoque fidei obsequio venerari Causam illam, omnia disponentem, seque singulis pro libito impartientem, quæ ex eadem massa novit res maximo inter se intervallo distantes effingere,nulli communicato sui operis magisterio.

Novi Doctorem Carolum Fracassatum in prima Cathedra magistrum Messanæ docuisse: spiralem lineam fuisse ab eo observatam, ut necessarium principium genarationis Ovorum in pullis; eadem videlicet spirali linea efformante, quoddam quasi conglobatum ex ipso Animali, quod *Galbam* vocat Arveus, sed libenter noverim retionem, si tamen certa, & in omnibus fuit observatio. Nunc ad propositum satis sit enunciare: Sic voluisse primũ Motorem, & proprium cuique vegetabilem spiritum indidisse, aptum ad turbinanda Testacea, atque hoc, ut inter animas corporaque ea proportio intercederet, quam adnotavit Hipocrates, nempè in viventium efformatione hospitalem domum inquilino proportionatam: architectante Natura, eo sanè prudentis magisterio consilioque, ut monstra quamplurima è Mundo eliminaret. Monstrum autem esset, si generosa Leonis indoles Ovis corpus incoleret, vel exiguus cuniculus vasta Elephantis mole obvolveretur, eodem prorsus pacto, cum Cochleæ manibus pedibus, & ossibus carent, turbinatam illis domum construxit, ut se in ea contorquentes possent consistere.

Quod

Quod si iis motu progressivo dotatis necessitatem imposuit, magna sui parte, extra Testaceas Domos erumpendi, si hæ turbinatæ non essent omnis quantumvis levis conatus, eas è domibus illis sejungeret; imò iis ipsæmet sese exonerarent, levi quovis obstaculo remorante iter. Voluit igitur Mens opifex omnium, posse eas domibus suis insertas, involucris, & spiris, quasi brachiis manibusque eas domos complecti, iisque tenaciter inhærere, ut secum possent convehere, & volentibus abdere se, esset in promptu fidæ stationis recessus; quamobrem sicut de aliis omnibus, ita de Conchis possumus dicere cum Virgilio.

Hos Natura modos primùm dedit.

Et Villis nil amplius pro veritate potuit enunciare nisi, *Sales peculiares figurationum modos à primo Conditore fuisse sortitos*. Quod si vellemus dare ipsi, ejusque Sectatoribus ad res figurandas valdè Sales conducere, non esset hoc à veritate aberrare dicendo, posse concurrere spiritum aliquem salnitrosum, quandoquidem materia hæc ad coagulationem Testarum conducit, ut vidimus, eadem quippè ad figuram Pyramidalem tendente, qua figura, Turbinata omnia essent impressa, si possent Testæ suis ab involucris explicari, suisque è spiris evolvi, quod vehementer immaginanti cogitantique facilè se ostendet. Quapropter Architectonico spiritui ipsis infuso, cedente spontè materia, resultat facilè Testarum figura, quæ spiris suis, & involucris sicuti tutam, & quietam stationem habitatoribus edificant, ita labyrinthum implicatissimam construxerunt inquirentibus causas iisdem spiris impexas, ex cujus anfractibus tunc solùm evadimus, cum prudentem finem Naturæ, ita operantis asserimus. Quod si non ad viventis utilitatem ita eas construxisset Natura, satis esset, illas ad rerum varietatem in tam pulchro Mundi Theatro augendam elaboratas.

PROBLEMA XIV.

Cur ex Turbinatis pleraque figuram Sphæricam induant?

INter problemata Aristotelis ad mare spectantia, illud extat sect. 23. probl. 36. quo disquirit: Cur lapides Conchyliaque Sphærica evadant, respondetque sibi, in causa esse maris motum quaqua versus agitati, singulasque Testarum, & lapidum partes adimentis; ex quarum partium detractione resultat figura sphærica; eaque propter in litoribus plurimi deprehenduntur, qui propriam nativamque amiserunt: Quia extrema, inquit ille, *compari ademptu circumfracta in rotundam se colligunt speciem. Hæc enim sola simili extremo clauditur. Mare autem quaqua versus agitando partes circumundique frangit, atque obtundit.* Ratiocinationis hujusmodi fundamentum est: supponere: Res illas, quæ undique atteruntur, acquirere figuram rotundam, & carentem angulis. Verùm ut fundamento hujusmodi innitatur conclusio, advertendum est, si ab aqua agitata atteritur corpus æqualiter circumquaq; necesse esse primævam figuram corpori remanere: pro exemplo sit cubus.



A. B. C. D. si aqua atterit æqualiter superficiem A. B. & reliquas corporis superficies, remanebunt semper anguli superficiem terminantes; quare variabitur nunquam figura cubica corporis, quamvis mole imminuti. Atque simili proportione philosophandum de corporibus, quibuscunque irregularibus, cujusmodi sunt arenæ, parent Microscopio exploratæ.

Asserendum igitur, jam esse corpus rotundum: quo posito extra aleam jacitur Quæstio, quæ ut subsistat dicendum: posse corpus multis angulis prominentibus undarum agitatione ad Sphæricam figuram accedere, non quia undequaque atteratur aquis, sed quia in fundo maris circumvolutum, lapillis sæpissimè obsito, in iis partibus magis atteritur, quæ circumvolutioni reluctantur magis, quales sunt anguli, & partes reliquæ prominentes, quibus magis, magisque consumptis, rotunda figura consurgit.

Hæc tamen omnia sunt intelligenda de Testis, & Conchis ab Animali sejunctis. Nam quæ vivunt, non perpetua cum mari circumvolutione rotantur, sed vel vivunt arenis, & luto sepultæ, vel adhærent saxis, ac scopulis. Notandumque, quamvis pleraque turbinata circularem in se figuram exprimant, quamvis non exactam, mirabili sanè proportione minui circulis basi minoribus, ac minoribus illo, cui semper habent os impositum usque ad culmen, quo se distendunt plus minusve in figuram conicam. Quapropter nulla invenitur Cochlea, quæ globum perfectum exprimat, aut exactum Cylindrum, sicut in Conchyliis Bivalvibus nulla exactum circulum exprimit. Addo: ea omnia Testacea hujusmodi figuris fuisse à Natura obsignata à prima eorum infantia, quod in iis etiam deprehendi potest, quæ vix magnitudinem exæquant puncti, interpungente calamo efformati; quare Sphæricum illud opus tribuendum omninò est alteri causæ,

Existimarunt nonnulli, in eam figuram componi Testacea, quia Testis coagulatione humoris efformatis in mari, nulla forma extrinseci ambientis terminato, ipsis Testaceis communi-

cabili, ſponte assumitur figura perfectior, nempè circularis, inclinante ad hoc Natura, obice illi non oppoſito, ut apparet in coagulatione humoris, ex quo formatur in aere grando, & perſpicuum fit innumeris hujuſmodi fortuitis generationibus.

Verùm, non ita poſſumus philoſophari, quia nequè coagulatio humoris illius ſimilis illis eſt, nequè omne corpus, quod in aperto campo compingitur, cernitur tali figura præditum, atque hoc poſito, evinceretur in perfectiſſimos globos efformanda eſſe Teſtacea. Cryſtallum ferè omne figura exagona concreſcit, refertque Joannes Laet, lib. 2. de Lapid. aperto Amſtelodami fœminæ cujuſdam cadavere è patibulo pendente anno 1518. inventos fuiſſe in fellis veſſica ab Henrico Medico Florentino quatuor ſupra viginti lapides, eamdem figuram cubicam præferentes, eamdemque magnitudinem, & colorem. In felle Ferdinandi Gonzagæ triangularis unus inventus eſt, & Fabritius Bartolettus in felle mulieris Mantuæ trecentos invenit, formam ciceris, & magnitudinem referentes. Olaus Borrichius ſeptuaginta adinvenit irregularis figuræ, ut fabas.

Sed obtundat ſibi quiſpiam hiſce lapidibus caput, eorum cauſam inquirens. Nos circa noſtras Cochleas circumvoluamur. Contendunt multi ex Cœli motu, aut Solis earum figuram derivare, nempè Sole ſpiralem lineam deſignante, dum ex uno in alium Tropicum circumagitur, eumdem etiam ſpiralem motum iis impertiri, referentibus eamdem viam luteis corporibus, quam Sol ipſe luce ſua deſcribit in Cœlo. At enimverò videntur hi mihi in ipſa tanti luminis claritate cæcutire, quamobrem non poſſunt in tantam illam varietatem corporum, ac figurarum obtutum defigere, quam Sol influentiis ſuis adſpergit. Præſidet ille, ut communis omnium Pater, & quemadmodum corpora omnia, eodem auri texto lucis conveſtit, ita ſuorum influxuum theſauros omnibus æquè aperit, ex quibus quodque ſibi tantum aſſumit, quantum cujuſque Natura, temperieſque depoſcit, perficiente unoquoque in ſe ipſo quidquid ſibi indulget Natura. Et quemadmodum ros, & aqua, quibus in eodem ſolo flores lactantur, *alba fit in Liliis, rubra in Roſis, in omnibus omnia*, ut eleganter Cirillus Alexandrinus, ita ex calore Solis luto impertitur vis condenſandi ſe in Metallum, flori vivacitas ad ſe in folia explicandum, omnibuſque corporibus virtus ad pertingendum quo ſua unumquodque provehit indita à Deo propenſio; quapropter optimè pronunciavit ingenioſus Auctor Epiſtolæ ad Regiam Societatem Angliæ tranſmiſſæ Auguſto Anni 1669. *Non in hoc ſolo exemplo delirant, qui non promptuaria Naturæ, ſed ſua ipſorum ſomnia conſulunt.* Longè magis ſapienter D. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 12. c. 27. non contentus in actum philoſophicæ admirationis mentem attollere, nempè vix digito à terra aſſurgere, in omnibus divini opificis manum formatricem agnovit, *qua enim vi divina*, inquit, *& ut ita dicam effectiva, quæ fieri neſcit, ſed facere accepit ſpeciem, cum mundus fieret, & rotunditas Solis, eadem vi divina, & effectiva, quæ fieri neſcit, ſed facere accepit ſpeciem rotunditas oculi, & rotunditas pomi.*

Ut tamen viſibile opus, inviſibilis manus Opificis Dei non Solis oculis fidei, ſed etiam philoſophantis intelligentiæ, naturas rerum arcanas ad voluptatem ſcrutantis, intueamur, opportunum loco videtur mihi Problema Ariſtotelis, ſect. 16. prob. 9. quo inquirit. Cur partes Animalium paucioribus organis elaboratæ, accedant, utplurimum ad figuram Cylindricam non verò Triangularem, pluriumve angulorum exprimendam? Hujuſmodi eſt Tibia, pedi comparata, manui bracchium, arborum rami floribus earumdem, & fructibus. Ratio, quam affert innititur axiomati Tarentini Architæ dicentis. Res naturales ab intrinſeco moveri, proportione quadam æqualitatis, niſi obex ponatur, atque hinc ſecundum omnes partes æqualiter creſcere, adeòque augeri ad circularem figuram accedendo, cujus partes ſingulæ æque diſtant à centro. Contingere hoc videmus in Floribus, qui quamvis numeroſo foliorum ambitu, vel ſe veſtientes, vel ſeſe explicantes, fluxu liberiori, undequaque excurrentium, tamen eo ſe aptant ordine artificioſè neglecto, in circulum ſe conformante. Idem dicatur de fructibus, de calamo in pennis, de pilis in Animantibus, & de quocumque, dante ſe in conſpectum, veluti in ſcenam in hoc mundi Theatro.

Agnoſci ergo debet principium intrinſecum, hanc ſibi figuram determinans, atque aptans, quæ proprior accedat, viventibus operationibus efficiendis. Operante rerum Natura, ea vi virtuteque à ſupremo Artifice impertita, qui in earum formatione optimè proportionem, & conſonantiam agnovit, omnia in ſingulis operantem. Quoniam verò pars magna Teſtaceorum debebat multis ſpiris, & involucris turbinari, propterea Natura in extruenda domo, figuram rotundam ſelegit, utpotè omnium facillimam, ad circumrotandum, & ad ſe in ſe ipſam colligendum, ut manifeſtum eſt in retorto capreolo vitis, cucurbitæ, ſimiliumque plantarum, quibus attentè conſideratis poterit unuſquiſque curioſa obſervatione deprehendere in Turbinatis, figuras omninò tres ad ea formanda concurrere,

ſpira-

ſpiralem nempè, propter continuas ſpiras, quibus in ſe contorquentur. Pyramidalem, quoniam ex ore, in quo eſt baſis, in punctum ſe colligunt à plano elevatum, quamvis diſſimiliter in nonnullis. In hac autem continetur circularis figura quamvis non in omnibus perfectiſſima, quę tamen appareret, ſi poſſent ſe tota explicare, quandoquidem appareret corpus omninò conicum, & in eo partes circuli proportionem ſervantes, minori tamen ſemper, & minori periphæria, artificiosè decreſcentis.

PROBLEMA XV.

Cur Turbinata, ut plurimum habeant Orificium Teſtæ ad dexteram partem converſum?

COnvolvuntur tali lege Turbinata, ut ſuper humum reptura Orificium Teſtæ ad partem dexteram ſemper convertant: obſervavit hoc inter recentiores Martinus Liſter tract. de Cochleis ubi dixit, Teſtas *motus Solis obſervando, à ſiniſtra dextram verſus torqueri*. Quod ut clarius fiat, obſervetur figura, in qua ſpiralis linea. A. B. C. ſupponit Cochleæ circumvolutionem. Initium hæc facit à centro. O. neque contorſionem extendit verſus C, ſed verſus A. & poſt in aliquibus pauciores, in aliis plures ſpiras terminum habet verſus A. nunquam verſus C. Fingatur itaque linea ducta per centrum ſpirarum in plano Orizontali quod ſit C. A. ſuper illam ſpiralis linea non toties interſecabit ex O. ad C. quoties ex O ad A. ut palam fit in figura appoſita. Non tamen tenore invariabili lex iſta fertur in Cochleis, ut fit in Sole, quem contorquentem ſe diurno motu circa gemina Mundi emiſphæria, obſervat quiſue in Boreali Emiſpherio, naſci ſemper ex latere ſiniſtro, & occumbere in dextero, quia videlicet partes aliquæ in contrarium ſitum contorquent ſe. In quarta obſervatione Auguſti 1669. tranſmiſſa ad celebrem Accademiam, quæ inſcribitur Regia Societas Angliæ, duæ ſpecies referuntur, altera ſimilis levi Turbini, ab Aldrovando deſcripti, de Teſt. pag. 359. altera Avenæ grano, à nobis expoſita num. 41. in ea mole, quam Microſcopium oculo repreſentavit. *Hæc denis ſpiris à dextera ad ſiniſtram convoluitur*, inquit citatus Liſter. Tertiam addit Fabius Columna, & Dominus Sivers Mathematicus Hamburgenſis dicit: habere in ſuo Muſæo Cochleam quamdam cinerei coloris, quæ eſt inter noſtras, delineata



num. 316. Claſ. 3. Raræ tamen reperiuntur in mari, & quia fortaſſe ſunt abortus, monſtraque Naturæ, propterea magno pretio habitæ; unde tres ego vidi, inter magni prætii gemmas, aſſervari à D. Cornelio Mejer Hollandico, Machinarum inventore, qui præterito anno potuit hic Romæ ſe opponere Tyberis violentiæ, fortiſſimo aggere, & quaſi catena illum frænare, cum præceps irrueret ad aperiendum Urbi nova dilaceratione ſinum, non ad convehenda trophæa, coronaſque, ut olim ſæculis retroactis, ſed ut viam novæ ſtragi, quam minitabatur, inſterneret. In Actis eruditorum Trevotij impreſſis narratur Buccinas generari in mare, quod oram Piſcariæ alluit, quibus ſemper os patet in parte dextera a qua ad ſiniſtram circumvolutiones inflectuntur, quòd ſi vel unica diverſa obtineretur ingenti pretio redimeretur, ex eo quòd in ejuſmodi Buccina antiquum eorum Numen latibulum ſibi elegiſſe inepte credant. Iam verò ſuper obſervatione hujuſmodi non exiſtimet aliquis, temerarium eſſe cauſam inquirere. Plures rationes, ac fines adhibet, cum operatur Natura, ut pluribus in locis Phyloſophus aſſerit, cum nihil fruſtra, imò quod cuique Animalium ſpeciei optimum eſt, operetur. Quod antequam exigatur ad trutinam, ſuppono, ex eodem Philoſopho, de inceſſu Anim. c. 2. commune eſſe omnibus animantibus, motum à dextera inchoare, quo jacto fundamento, ſic arguo. In extruenda Turbinatis domo, debebat Natura illam tali pacto architectari, ut ad illorum motum aptiſſima eſſet ſtructura. Iis ergo ex Naturæ inſtinctu motum à dextera inchoantibus, nullum debebat ex ea parte impedimentum apponi, ſed liber patere aditus, ſucceſſivè cohærens impulſui, ac motui, ac propterea debebat eſſe ſpiralis, itaut facto initio ab ipſo centro dexteram verſus ſe contorqueret, eoque ordine uſque ad Orificium progrederetur, ex quo non exigua ſui corporis parte, vivens egreditur. Atque notandum hic eſt, ex omnibus Teſtaceis, quæ motu progreſſivo incedunt, omnibus nempè pedibus deſtitutis, moveri ſingula tota illa parte corporis, quam liberè è Teſtis expediunt, cum è contra Animalia perfecta, duabus tantùm, ad ſummum quatuor partibus deputatis ad motum ſe provehant. Ratio ex Ariſtotele eſt, quia perfectis Animantibus motus principium ineſt unum indiviſibile, cui debent omnia organa, ad motum inſtituta, conformari; propterea, oum ex corde motus omnis principium trahat, organa duo ſupra cor collocavit Natura, quales ſunt manus in homine, in Avibus Alæ, totidemque infra cor, quales ſunt in cæteris Animantibus pedes. Cum ergo Teſtacea ſint ſanguinis, & cordis expertia, cui apta membra conſtruantur ad motum, de-

bet singulis eorum partibus inesse principium motus, adeòque iis multæ partes organicæ toto in corpore aptantur ad motum. Hac aptitudine, in omnes eorum partes diffusa, non moventur singula motu eodem, sed aliquo undanti fluxu, ut serpentes, modò ad dexteram, modò ad sinistram se contorquentes, arcuatis supra pavimentum curvationibus, ita ut parte una se provehente sequatur aliqua, reliquis residuum corporis trahentibus; alia verò, ut vermes, nativa domo prorsus expedita, vel eam semper cùm moventur secum vehentia, retrocedente una parte intra aliam, quæ rursum è suo quasi recessu prodit, quando vult progredi, quo pacto in se ipsam recederet chirotheca, nunc ab imo sursum, nunc à summo deorsum, supra manum deducta, atque hoc pacto noventur omnia Testacea, membris aliquo modo inclinatis: quod si hoc non contingeret etiam in perfectis Animantibus, motus evaderet impossibilis, ut fusè ostendit Aristoteles. cap. 7. de incess. Ani. Undanti motu pleraque contorquent se; nempè ad progrediendum aptissimo. Quod, ut clariùs elucidetur, videatur figura apposita; in qua à corpo-



re Cochleæ formatur arcus B. C. D. cujus basis est humus, supra quam movetur. In hoc triangulo duo latera B. C. E. D. conjunctim considerata necessariò ex Euclide, majora sunt tertio latere, seu basi B. D. quod si majora non forent, nullus daretur progressus in motu. En ratio in promptu. Tunc solùm potest quis progredi, cum extendit partem inclinatam B. C. D. Jam verò si hæc extendens se, non excederet lineam B.D. non occuparet spatium majus spatio à linea B. D. occupato. Non ergò se proveheret ex D. nisi ad punctum B. sed quia manifestum est provehere se ultra punctum B; illæ ergò duæ lineæ majores sunt basi B.D. adeòque arcuante se Animali, eas describit, fixa parte B. & ad se attracta parte D. è qua consistente, extendit partem B. ut progrediatur ulterius. Atque hìc placet advertere: falsum esse, spiras Cochleæ ad motum conferre, ut docet insignis nostro Ævo Scriptor, existimans ex ipsis spiris Animal vim acquirere ad motum, modo iis innixum, modò extra eas distentum, nempè parte, vel arcuata, vel retrocedente in se semper extra Testam extensum. Hoc evidenter cognovi, cum Cochlearum motum explorans testis prius sublatis observavi, nonnullas retinere in se internam figuram Testæ in membrana tenui instar vacuæ crumenæ tunc solùm plena se ipsis, quando cessante motu in eam sese recipiebant.

Jam dictum satis de motu locali; Et dum in illo potest facilè deprehendi vis illa admirabilis, quam Meccanica cognoscit in Vecte, non autem deprehenditur in quonam vis ea sita sit, arguere possumus: Nobilissimi argumenti scientias corpusculum cujusvis contemptibilis Animaculi abscondere.

PROBLEMA XVI.

Cur vix aliqua membrorum diversitas in Testaceis appareat?

QUàm variæ apparent in testis Cochleæ, tam simplices sunt in partibus componentibus corpus, in iis absconditum. In omnibus eadem ferè Organorum dispositio, vix aliquam diversitatem ostentat. Ipsæ vero Testæ, interse ita dissimiles, ut vel intra eamdem speciem, nunquam detur, bis in eamdem incidere.

Tanto Natura in un sembiante stesso:
Di varie forme, hà i simulacri impresso.
Bold. de Longob.

Caro illis, utpotè exanguis, livida, macieque quasi cadaver confecta, è contra Testæ, veluti fabulosa Lorica Æneæ à Vulcano fabrefacta.

Che di sanguigna luce, e di colori
Diversamente accesi, era splendente.
Anibal. Caro lib. 8.

Ostreæ corpus informe male dedolatum, videtur potius Embrio, quam opus absolutum: Testæ verò eximiæ artis magisterio elaboratæ, quibus diligentissimè studio suprema manus fuit eleganter imposita, quamobrem in his Testaceorum munimentis, & armis effingendis, quibus Ostreæ peltatæ, & clypeatæ incedunt, apparet industria Naturæ longè major illa, quam omnem ut Ciclopes impenderent, in armis Heroi suo cudendis ex Vulcani Officina, Dea maris efflagitabat, cum diceret. Eneid l. 8.

Arma acri facienda Viro, nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra,

In promptu est ratio: cur in membris vix aliquam, in Testis tantam varietatem præferant; Singulas Animalis partes disposuit Natura, ad institutas ab iis operationes efficiendas. Atque,

ut ex

ut ex Doctrina Ariſtotelis adnotavit Magnus Albertus: *Ea quæ nobiliora ſunt plures partes habere neceſſe eſt, quarum actiones eorum ſint, & officia. Plura enim deſiderant inſtrumenta ea, quæ plures motiones exercent.* Ita homini quippè Animalium præſtantiſſimo intelligentia ditato, quam Ariſtoteles, lib. 2. de par. Avim. c. 10. ar. 1. falsò tamen, particulam divinitatis appellat, data fuerunt organa, & partes numero, & varietate plures, ut poſſet non ſolùm vivere, ſed bene vivere. Et quamvis non deſint ignavi Cenſores Naturæ, qui eam quaſi Novercam exiſtiment, nudum hominem, atque inermem, veluti projectitium infantem, omnibus deſtitutum, iniuriis fortunæ expoſitum, proſtituſſe; cum reliquis animantibus arma, & veſtes abundè ſuppeditaverit; in ſola manu tamen omnia homini donavit Natura, veluti inſtrumento, ut acutè Auguſtinus obſervat, ad opera omnia omneſque artes ab intelligentia directo. Cum ergo Teſtacea, vel omni motu careant, utpotè ſcopulis, aut humi infixa, vel vix ullum motum edant, eumque invariabilem, quem ab origine prima, tamque patrimonium omne, ſecum traxerunt, neque ab ipſa humo eleventur magis animo, quam corpore; propterea nullam fermè nanciſci debebant diverſitatem membrorum, quæ diſſimilaria dicuntur. Atque ſoli abdomini nata, eas tantum partes ſortiri debebant ex magiſterio Naturæ, quæ neceſſaria ad vitam cuique Animali perfectò, Ariſtoteles adnotavit: Guttur nempè quo cibum capiunt, Ventrem, in quo reponunt, & concoquunt reliquo corpori impertiendum, atque inteſtinum, ad cibi excrementa exoneranda. Hæc autem vitæ inſtrumenta, quam ſolerti induſtria conſtruxit Natura, tam curioſa indagine eorum diverſitas eſſet examinanda; Excurrat illam qui per otium amat fusè apud Ariſtotelem de partibus Animalium. lib. 3. c. 14. Hìc ſatis eſt advertere cum eodem, planum eſſe eorum Ventrem, ſimplicem, expolitum, atque ut in nonnullis avibus excurrentem, quibus cibus humidior, iis nempè quæ cruribus longioribus corpus ſuffulciuntur, ſic enim poſſunt cibum facilius concoquere. Non abſimile autem his eſt inteſtinum, quippè ſemper in promptu cibus ex mari, quo vivunt, non erat diutius in viſceribus retinendum, ad ſuccum Nutritioni utilem attrahendum, novo videlicet ſemper è mari ſuppeditato. Hujuſmodi organum ineſt, & plantis radicibus, quaſi ore attraentibus cibum, aliiſque partibus ad exoneranda excrementa deſtinatis iis, ut vult Ariſtoteles, ex quibus erumpunt flores, fructuſque, vel melius, ex quibus diſtillant humores, & gummi, cum flores ſint partus producti ad ſpeciem propagandam. Sunt tamen plantæ ventris expertes eum nempè ſit terra pro ventre, veluti nutrix infanti, alimentum plantis ferens, & concoquens.

Teſtis tamen non debebatur iſta ſimplicitas organorum, & quoad illarum formam fabricamque, ſit pro ratione, deſtinatas à Natura fuiſſe ad conſervationem corporum incluſorum omninò inermium. Simplicitate membrorum vitæ conſulens prodigalitatis notam eluſit. Simplicitate munimentorum in Teſtis damnata egeſtatis fuiſſet, ac proindè in iis effingendis ſe uſque in luxum effudit. Cum enim Oſtrea hoſtium incurſionibus, & inſidiis paterent in mari expoſita, ea tanta varietate peltata, & clypeata inſtruxit, alia videlicet armata duritie, atque aſperitate, alia tuberculis, & haſtis, quaſi præferratis, ad tormentum viſcerum, & palati hoſtium inſidiantium, præter commune omnibus effugium receptus, cum nativas latebras, intra ſuas Teſtas peterent. Quærenti autem, ut quid tanta in Teſtis accidentium varietas tanta peregrini coloris diverſitas? Reſponderem; ad eum prorſus finem, quo comantes Criſtæ in galeis, & in Thoracibus Clypeiſque folioſa ornamenta, Opere corinthio depicta ad horrorem armorũ quaſi temperandum. Sapienti planè conſilio Ars militaris, nempè ars moriendi. elegantiam armis ipſis induxit, deauratis telorum cuſpide, & enſium acinace, ut mortem ipſam nativo horrore exveret, atque in ipſo Martis campo, acies inſtructas oſtenderet, non tam ad Pugnam, quàm ad Choræam. Tam præclari iuventi laudem, ſibi depoſcit Natura, quæ artem ipſam ad magiſterium hoc erudivit conſtructis armis, ac munimentis pro tam inermibus animantibus, tanta colorum, atque ornamentorum elegantia picturatis; elegantia tamen armorum robur nihil demente. Quo artificio tria præſtat omninò præclara: nempè infimis, atque infirmis animantibus arma, & munimenta comparavit, oculorum oblectamenta, atque illicia abundè inſtruxit, in tanta colorum ornamentorumque varietate, ſingulaque Teſtacea ſuo quæque quaſi ſtemmate inſignita, & veſtitu conſimili notata diſcrevit.

PROBLEMA XVII.

Cur careant Oſſibus?

OSſa in omni corpore ſunt multa numero; alia recta, alia tranſverſim locata, & arcuata, ſingula ſingulis juncta validis ligamentis, ita tamen enodata, ut poſſint membra pro opportunitate curvari, & omnia ita accommodata, ut quamdam quaſi trabium ſtructuram componant, corpus ſuſtentantem. Jam verò ſi Teſtacea humi ſemper infixa nullo motu debebant ſe expedire, niſi communi vermibus, & inſectis, reptando

pro-

progredientibus, hujusmodi membrorum structuræ inutilia fuissent ossa, imò Turbinatis impedimentum attulissent, nempè contorquentibus sese, vel coarctantibus intra spiralem suam cavernam, debuit aptari corpus omninò carneum fibris undequaque extentum, aptis, vel ad se recipiendum, vel ad se pro nata opportunitate distendendum. Addo: toti corporis structuræ, in unam quasi alvum elaboratæ inepta erant ossa: scilicet ex observatione Philosophi, de part. Anim. lib. 2. c. 9. nullis animantibus venter distinguitur, nec distenditur ossibus, ut sic possit, vel attracto cibo intumescere, vel concepto fœtui domicilium insternere. Aliqua insuper ossa infixa sunt certis partibus animantium, inquit Philosophus, ad eas tutandas servandasque, ut Costæ circumdantes Cor; cum autem ad conservationem Testaceorum, munimentum Natura construxerit pro Galea, Scuto, ac Thorace illis aptatum ad incursum quemlibet eludendum; ut quid ossa huic viventium generi fabricare?

PROBLEMA XVIII.

Cur sint corde orbata?

COr in Animali est, veluti Sol in Mundo, nempè caloris vitaliumque spirituum officina, opera omnia efficientium, & quemadmodum antiquissimus Philolaus apud Macrob. Satur. l. 1. c. 27. falsò existimavit, Solem immobilem in hoc Mundi sistemate collocatum, & omnia circa ipsum in gyrum sese moventia, utpote ipso indigentia, ita pro veritate observavit Anathomus; *inter partem, qua animalia cibum recipiunt, & inter partem, qua emittunt excrementa, mediam quo ad situm esse tertiam partem, in qua est principium vitæ*; cor nempè, ex quo uno trahunt omnia subsidium portionemque spirituum operationibus inservientium; & quemadmodum Sole sublato evaderet Mundus informe exanimeque Cadaver, ita prorsus, & Vivens, corde subducto.

Manifestum fit hoc in quolibet perfectò Animali, & pro miraculo est, ex cujusdam pectore corde extracto; potuisse tamen illum aliquando voces edere, & alloqui Carnificem evisceratem. Manifestum etiam fit in insectis non carentibus sanguine, & quamvis plures in partes dissecta adhuc vivant, momentanea tamen est in iis partibus vita, exhausto scilicet in iis Vitalium spirituum fonte, hoc est, corde. Cochleæ tamen vivunt quamvis excordes, ut reliqua Animantia exanguia. Et quamvis Democritus existimaverit, inditum esse cor omnibus, sed oculorum obtutum Pro sua parvitate effugere, omnem tamen, quamvis conatum impendat oculus Microscopiis exploratoribus adjutus, ipsa etiam invisibilia obiicientibus, nunquam poterit Cordis vestigium deprehendere, quod sanè Microscopii perspicacitatem non eluderet; quemadmodum in generatione omnium Animalium non exanguium vix efformatum cor in embrione detegitur. Cur ergo vitam quasi commodatam, Octreis excordibus indulsit avara nimis Natura?

En depromptum, ex ipso sapientissimo instituto Naturæ responsum. Cæca nunquam largitione suos in Partus sese effundit Natura, neque illis frustra Aerarii sui opes, ac Tesauros impertitur. Cæcutientis Amoris, & genii insanientis est ad nullam respicientis utilitatem beneficia conferre. Præstitit hoc insanus ille Caligula, ad Romæ consulatum inaugurans suum illum equum, cui à perniciate cursus inditum *Ignei* nomen fuit.

Non sic insanit Natura eximiæ perspicacitatis in operando impertiens singulis, vel subtrahens, pro aptitudine, merito, ac dignitate eorundem. Hoc prælibato, en Philosophi ratio, lib. 3. c. 1. art. 1. de part. Ani. cur Testaceis Cor Natura negaverit. Animalibus omnibus non exanguibus necessarium est Cor, cum enim humido fluidoque constet sanguis, indiget vasis aptis ad illum excipiendum, in quem finem elaboratæ sunt venæ, quibus in omnia corporis membra diffusis ad impertienda singulis alimenta, necessarium fuit eas omnes ex una origine, veluti rivos ex uno fonte, corrivari, nempè ex corde, ex quo tanquam ex prima scaturigine profluunt omnes, & singulæ. Exanguibus ergò Testaceis, quid mirum si Cor non effinxit Natura? Verùm quidem est ad impertiendum Vitæ alimentum, humorem aliquem proportionatum necessarium esse pro sanguinis supplemento; quamobrem in Testaceis omnibus reperitur humor ille, quem Philosophus Saniem appellat, quo pacto sunt etiam partes, Venarum vicem explentes, quas diximus Fibras. Quæ Saniem, vel attrahunt ex Ventre eam primò excipiente, & aliquantulum concoquente; vel per poros corporis ex Elemento, in quo vivunt, non secus ac arbores humorem illum bibulis radicibus exugunt è terra, quæ iis pro corde, ac ventre est, parato semper ad alimentum suppeditandum.

PRO-

PROBLEMA XIX.

Cur ſint Edentula?

ANtequam quæſito reſpondeam, firmanda eſt ejuſdem quæſiti ſuppoſitio; nempè edentula eſſe Teſtacea. In contrariam ſententiam abiere nonnulli. Inquit Ariſtoteles de part. Anim. c. 45. de Cochl. pag. 516. *Conchas dentibus etiam bonis fulciri, ut cruſtata.* In Micrographia obſ. 40. Ita opinatur Martinus Liſter, & Microſcopio exploratum hoc affert ex Hookio his verbis. *E ſuperiore oris parte Cochleæ ejuſdem Teſta contextæ, officulum durum, recuruumque exemi, id mihi viſum eſt figurari in modum dentium gingivis ordine ſuo diſpoſitorum, inque plures minores majoreſque dentes nigros dividi. Verùm unum ſolidumque officulum erat, quo eam Roſæ foliis veſci ipſe obſervavi, atque ex iis lunatas exiguas partes momordiſſe in modum litteræ majuſculæ C. Hujus autem officuli pars ſuperior, ejus inferiori, & nigriori parte multo albidior eſt, & minus ſinuata, ad oras paulatim extenuatur in aciem, huic inſuper veluti novem dentes ſivè partes eminentes omnes ipſo officulo medio inter ſe conjunctæ.*

Fuit habita hujuſmodi obſervatio in Cochlea terreſtri, ut inquit ille, qua de cauſa firmari ex illa non poteſt univerſalis concluſio dum in aliis aquatilibus hoc minimè reperitur. Hæc etiam ſententia è regione opponitur Velſchio, qui in prima Hecathoſtea ſuarum obſervationum, quas anno 1675. inſcripſit Academiæ Curioſorum in Germania, dicit: Injuſtè injurioſèque deriſum Chirurgum celebrem, quem à prima infantia per jocum vocabant Cochliodontem, quia in amicorum conſeſſu affirmaverat: Cochleas armatas dentibus: cùm, inquit ille. Obſerunt. Phiſicomed. obſer. 67. *ipſi ſenſus atteſtentur nam Microſcopii ope, non iſtis modo (nempè Cothleis) & ſimilibus inſectis, ſed etiam locuſtis, gryllis, aliiſque ſuos dentium ordines eſſe, luculentiſſimè appæret.* Sed quàm facilè errare potuerit, ſi tamen ipſe obſervavit, error alter oſtendet in hoc ipſo, cum obſervationem ſuam obſirmare intenderet, auctoritate Ætii inter Græcos Medicos non ignobilis. *De dentibus etiam Oſtreorum* (ſunt ejus verba) *jam olim quædam obiter Aetius recenſuit; ſed nos uberius in Teotomicis noſtris diſſeremus.* Quandoquidem evoluenti mihi quidquid indicatus Auctor medic. contract. ſer. 2. de Oſtreorum teſtis. Operibus ſuis complexus eſt, occurrit in ipſo indice legere. *Dentes Oſtreorum*, ſed paulo poſt locum indigitatum percurrens, legi: *Dentes Oſtreorum teſta illuſtrat, velut etiam Buccinorum. Et Purpurarum, non ſolùm vi exterſoria; ſed etiam ſubſtantiæ aptitudine.* Neque ullo pacto Teſtacea dentibus armata contendit, ſed ad aliorum dentes illuſtrandos, & maculis detergendos opportunam eſſe illorum Teſtam combuſtam, & redactam in pulverem affirmat. Hinc, neſcio, quo pacto ante Velſchium potuerit Ionſtonus de exang. aquat. l. 3. pro veritate idem enunciare; eò vel maximè, quòd in Veritatis teſtem, textum Ariſtotelis lib. 2. de gener. c. 4. exhibet, ubi Teſtacea, inquit, *nutruntur more plantarum per poros, & quidem humore dulci.*

Atque ut probationes expediamus. Dentes, inquit Ariſtoteles, *generantur, & augentur alimento eodem, ex quo oſſa, & naſcuntur, non ex cute, ſed ex oſſibus, & habent Naturam oſſium, ut patet ex eo, quia ſequuntur colorem oſſium.* Hinc Æthiopes candicant dentibus, quia oſſa ſunt candida: Teſtaceis ergò exoſſibus, neque ad oſſa compingenda præparato iis alimento, ſequitur de conſequenti illa eſſe Edentula. Secundò, quia magna copia materiæ pro Teſtis ſuppeditanda, nulla pro dentibus ſupereſt, ut videre eſt in Cornigeris Animantibus, ex parte ſuperiore edentulis; nempè utente Natura alimento, ad cornua efformanda. Mirabilis ille Piſcis nonniſi magno labore, & induſtria rarò admodum captus in glaciali Norvegiæ Oceano, quem in ſuo Muſæo Vormius deſcribit; eſt, ore omninò edentulus, ex cujus parte ſuperiori erumpit os duriſſimæ candidiſſimæque ſubſtantiæ, ex æquo cum ebure contendentis, in haſtam veluti cuſpidatam ad longitudinem palmorum decem productum, ut cernitur Romæ in duobus illis pulcherrimis in Villa Phamphiliana propè S. Pancratium ab Excellentiſs. Principe aſſervatis, ut in aliis collocatis in Muſæo Excellentiſs. Principis Auguſti Chiſii. Tertiò probatur. Quia dentibus inſtructa fuere Animantia nonnulla, vel tamquam armis ad pugnam, vel tamquam inſtrumento ad voces edendas; alia ad cibum atterendum, & digeſtioni præparandum. Teſtaceis verò, ut plurimùm, attrahentibus per poros nutrimentum, *more plantarum*, nempè humorem in quo vivunt, otioſi dentes forent ad nutritionem.

In hanc rem ſingularis omninò eſt Victoria, quam retulit Coclea ex Serpente; cum ſentiens, ſe dentibus illius invadi, illico intra ſua Teſtæ ſepimenta ſubducens ſeſe, traxit ſecum ſerpentis caput, vi adacti ad mortem in eo carcere ſubeundam, propterea concelebrata ab ingenioſo Poeta eleganti Epigrammate ſic concludente.

Rideo partorum ingenium, ſi Cochlea inermis
Sola hoſtem didicit contumulare fuga.

Hipolitus Graſſetti l. 1. pag. 51.

PRO-

PROBLEMA XX.

Cur Fel, Iecur, & Lienem Testaceis negaverit Natura?

DAtum est Animali Hepar ad attrahendam ex cibo in stommaco concocto partem, ad alendum ipsum Animal aptiorem, & antequam distribuat illum per membra, debet in quatuor humores partiri, nempè in sanguinem, flavam bilem, flegma, & bilem atram. Ex parte magis terrea, hæc gignitur, quemadmodum ex parte magis calida, & subtili flava bilis, ex frigidiori flegma, ex magis temperata sanguis ipse. Utque fiat hic aptior ad nutritionem depuratur hujusmodi humoribus attracta à Liene atra Bili, flava à felle, à venis simul cum sanguine pituita ad humectandum opportuna, si quando nimium exsiccaretur. Quia verò Testacea nutriuntur, ut plantæ, humorem quasi plenè incoctum attrahentes, & aptum, ut convertatur in substantiam viventis, quin transformetur in sanguinem ad alimentum viventi præstandum: Hinc Natura hisce membris frustra instruxisset Testacea. Et qui vellet curiosius hanc proportionis constantiam inter plantas, atque Testacea examinare, observet incomparabilem illam Anathomem, quam vulgavit accurato studio Doctor Malpighius, & agnoscere poterit quàm bene sibi respondeant in alimento suscipiendo, animadvertens in summa simplicitate partium exquisitam organorum distributionem fibrarum, nervorum, canaliculorum ad sugendum, concoquendum, ac distribuendum alimentum, eamque ex hac animadversione oblectationem percipiet, quam hausit clarissimus Thomas Bartolinus scribens: acta Hafn. an. 1675. n. 9. *In Plantis quamvis primo aspectu simplicissimo, revera tracheæ sunt, & aeri inserviunt, alia itidem Vasa, quæ deferendo alimento, & alia quæ excoquendo: quarta denique quæ peculiari succo colligendo inserviunt, ut taceam illa quæ superflua excludunt.*

PROBLEMA XXI.

Cur Testacea, quæ os non habent, attamen nutriantur?

QUæsitum hoc ad multa Viventium Genera extenditur, nempè Flores, Plantas, nonnullaque Insecta, ore carentia; illis tamen Natura modum suppeditavit ad alimentum attrahendum, & ad membra singula deferendum. Communis propterea omnibus responsio aptabitur. Quemadmodum ergò Arbores sugunt è terra, vel ex aqua humorem nutritivum Vitæ, per poros radicum, sic Testacea illa quibus negatum os fuit, conveniunt cum plantis, quæ propterea illa Plantanimalia appellat Philosophus. Atque hic notandum: Inter Testacea sola Bivalvia, parte hac corporis privata esse à Natura tamquam superflua, nempè quia alimentum captura erant ex Elemento, in quo nascuntur, sat erat in hunc modum attrahere. Os autem à turbinatis plerumque habetur; Undè possunt præter aqueum humorem, alium etiam cibum sumere: Sic vescuntur carnibus purpuræ, piscium avidissimi sunt Turbines dicti *Garagoi*, alia lutum amant, ut Ballani, de quibus alibi scripsimus; Marini Echini pisciculis, & vermiculis oblectantur, ex fundo maris acceptis, Quapropter notavit Aristoteles, de part. Anim. c. 5. num. 10. os iis infixum extremæ corporis parti *exitum autem excrementi in parte suprema*. Cum hæc ex adverso semper ori opponatur. Verum tamen est exiguo ea cibo indigere, urpotè exanguia, & idcircò frigidissimi temperamenti, quasi spiritibus destituti. Et quamvis in solùm Ventrem, & Guttur fuerit iis corporis moles aptata, non tamen sunt voracia, imò paucis, quæ sorbent contenta, nonnullaque vitam degunt ad menses plures, suis in Testis sepulta, quin unquam ex iis prodeant ad alium cibum sibi comparandum.

PROBLEMA XXII.

Cur Turbinata habeant Operculum?

EX observatione postrema antecedentis Problematis oritur præsens quæsitum: cui antequam responso satisfiat, observandum est: Ex tribus Classibus, in quas partiti sumus Testacea, numerosiorem esse Turbinatorum, quæ plures quasi subalternas species complectitur, quarum singulis Operculum est impositum, Animali congenitum, eique semper infixum, ut ungues carni; quoties autem intra domum suam se recipit illud claudit, tam benè sibi aptatum, ut unum videatur corpus, nulla divisione distractum, non secus, ac multæ Bivalvium species sese concludunt, connexis arctissimè in omnem partem, valvis duabus, quibus componuntur. Hinc Aristoteles de part. Anim. c. 5. art. 4. pronunciavit: *Turbinata Bivalvibus quodammodo assimilantur, quippe quæ omnia operculo quodam congenito carni patulæ opposito clauduntur*. Hac prælibata observatione, causam subdit deductam ex prudenti operatione Naturæ. Cum igitur Turbinata totum corpus tam diligenter Natura munierit, ne munimento careret pars illa, quæ lanua quædam est Arcis illius *præsidii gratia* operculum omnibus

bus suppeditavit, quò se munimento conclusa tutarentur.

Consimilia sunt Bivalvibus etiam Univalvia, non Turbinata, nã licet una tantùm sit pelta clypeata, hæc tamen semper infixa scopulis est, quæ ex eisdem Aristotelis Doctina. Omne Univalve, sit alieno septo quodammodo Bivalve Sic undequaque tutante illud Natura; adeò verùm est: fœtibus quibuscumque, quos in lucem enititur, providæ Matris instar, Naturam consulere.

PROBLEMA XXIII.

Cur multa Turbinata sint etiam cornibus munita?

MAris Turbinata non pauca cum terræ Cochleis conveniunt, quemadmodum his ictu moventibus, modo bina, modo quaterna cornua ex capite prominent, ita illis eodem plane modo consultum est à Natura. Borellius, observ. 90. observata in eorum vertice nigra macula, nihil hæsitans affirmavit: Oculum eam esse, quo viam explorant, per quam possunt, sinè impedimeto reptare: *In limacibus*, inquit ille, *non solùm dentes accerrimi, sed & oculi in cornibus ductilii. Videmus nigrum eorum ab inferjore cornu parte, seù à cerebro, ad eorum partes supremas ascendere; cum moveri cupiunt, & gressum suum dirigere, quo cornua convertuntur;* Verùm non videtur mihi hæc observatio necessitatem inducere, firmandi conclusionem, omninò oppositam Aristoteli, qui lib 3. Animalium, ea dividens in oculata, & exoculata, oculos negavit Limacibus: *Habent profectò*, inquit, *oculos tum cætera Animalium omnia, præterquàm Testa intecta, & si quid aliud imperfectum est, ut Talpæ*, Quamvis punctum nigricans in summitate cornua præferant, non propterea inferendum ex hoc oculum esse, sed potiùs maculam ad ornatum, alioquin dici poterit, plures pisces Argos esse, maximè oculatos, quandoquidem perfectissimũ Microscopiũ eorum pellem ostendit innumeris punctis, quasi pupillis oculatam. Rursum si oculos Turbinatis indulgere voluit Natura, cur eos in extremitate tam remota à capite collocavit? Summitatibus Antennarum in Navibus collocari solet, ut ita dicam, oculus explorator; Animantibus sivè mari, sive humi degentibus, fuerunt oculi capiti infixi, non cornibus maximè productis, vel immani proboscide interpositi. Quòd si oculorũ nomine volumus eas maculas insignire distorquetur æquivoca nominis significatio, oculus enim propriè non est, cui deest ex Aristotele lib. de Anim. 3. c. 2. num. 3. visiva potentia. Hanc in summis cornibus, sivè oculis Cochlearum non residere, evincitur pluribus rationibus. De formatione oculorum in Animantibus philosophari aggressus Aristoteles, de gener. 2. c. 4. n. 73. constant, inquit, hi humore eodem, quo Cerebrum efformatur, humore nempè maximè humido; & quoniam post Animalis formationem, paulatim concoquitur, & exsiccatur, hinc est, ab initio cerebrum, oculosque intumescere, & in vitæ progressu imminui, atque ita debitam sibi perfectionem acquirere; jam verò in Cochleis, toto ore, & toto ventre hiantibus, cum cerebro pars nulla respondeat, non potest hæc extendi, ad oculos efformandos, eæque maculæ in recenter genitis apparent vix coloratæ, augentur quidem proportionaliter ad Animalis incrementum, nunquam tamen ut oculi, obtenta debita perfectione, decrescunt.

Ostendit hoc evidenter experientia mihi, Cochleam Echinophoram excurianti num. 19. tertiæ Classis expressam, nempè cornua ipsius Callosæ substantiæ, & valdè robustæ adinueni: undè potui in illis anathomem perfectissimam gladiolo exercere. Ex cornibus alterum in longitudinem discidi, deprehendique eamdem omninò intimam extimamque substantiam, & colorem, quamvis macula, quæ oculus reputatur extremitate extima infuscata aliquantulum appareret. Non contentus prima observatione studui alterum suaviter admodum abradere, qua parte apparebat macula, seù ocularis pupilla, potuique illam facili negotio abstrahere, non secus, ac colorem pennicillo superinductum, illi substantię nervosę. Atque adeò mihi evidens factum est; non esse illa instrumentum visus, cum nulla ibi pars, ullo organo instruatur ad visum.

Ex ipsarum autem motu, certò obfirmari potest non esse oculos Arist. Probl. sect. 31. num. 1. Hi enim pro eodem tempore non possunt ad contrarias partes converti oppositas omninò, ambobus scilicet ex eodem principio pendentibus, quod ad duas partes oppositas moveri simul non potest; si verò secus contingerit, malè consultum à Natura fuisset: Nempè multiplicatum appareret objectum, ut duplicatum apparet, cùm ex industria, & per vim oculos distorquemus; quemadmodum duplicatum apparet objectum digitis duobus attactum altero alteri superposito, sicque è suo situ naturali subducto. Jam vero Cornuta Testacea nulla prorsus lege in oppositas partes cornua contorquent siquidem aliquando, ita paralella extendunt, ut si ocularis linea, & directoria protraheretur, nunquam in idem objectum inciderent, aliquando verò dilatant in angulum, ita obtusum, ut ad puncta distantissima, ac propemodum opposita terminarent, quamobrem diligenter observantibus motum ipsarum, manifestum fit, data esse illi cornua

nua à Natura in ſupplementum manuum, veluti cæco gradum tentanti, & obſtaculum, aut periculum itineris exploranti. Duobus enim minoribus cornibus, in iis, quæ qnatuor cornibus ſunt inſtructæ, paulatim reptantes, tentant identidem viam, reliquis verò duobus in aere libratis, & in diverſas partes contortis, certiores fiunt, poſſe per illud ſpatium tuto evehere domum, quam humeris bajulant, ejuſque ponderi incumbunt, cum eam ſuſtinent, & quidem ſi in his partibus præferunt ſenſum viſus, cur ad eum ſitum pervenientes, in quo poſſunt impedimentum aliquod deprehendere, non deſiſtunt à motu, ſed audacter in id, quod objicitur invehuntur, ac ſi acutiſſimis ſenſibus eſſent armatæ, neque unquam recedunt, niſi cum ſentiunt duritiem, vel ſolidam lapidis, vel delicatam floris? Neque contentæ in ſe ipſas ſe collegiſſe, ad primum leviſſimum eorum attactum, iterum, iterumque ea explorant, evaginatis denuo paulatim corniculis, inſtar timentis, & non videntis. Enimverò nullum eſt Animal, adeò ſtolidum, ut ſpontè exponat incurſibus potentiam illam, quam inſtituit Natura, ut evitaret incurſus; nullum quippe reperias, qui oculis invehatur in ſpinas, ut earum puncturas exploret.

Inſtructæ igitur fuere Cochleæ his potius tanquam brachiis, quàm cornibus, ut ex iis ſuppeteret auxilium ad motum; neque his omnes fuerunt inſtructæ, quamvis vagæ, nec locis ſcopuliſque infixæ; ſed illæ tantùm, quæ motu progreſſivo ſe proveunt; cujuſmodi ſunt Turbinata, aliqua de quibus Plinius. *Omne Turbinatorum genus movetur, ac ſerpit.* Præter hæc inquit, Ariſtoteles, *non deſunt complura, quæ cum ſint abſoluta, movere tamen ſe nequeunt. ut Oſtreæ*; ſed tantùm ſe movent dilatando vel claudendo ſepta duo, intra quæ vivunt. ut alimentum trahant ex mare. De aliis nonnullis, quas Chamas leves appellant, ſcripſit Plinius vidiſſe ſe in gyrum torqueri, quin unquam à loco occupato recederent, quemadmodum Rotæ firmo axi infixæ quantumvis incitatæ ad motum, nunquam recedunt à centro, ſuper quod contorquentur.

Iam verò ſi Turbinatis ſeſe moventibus, oculos negavit Natura, illorum defectum hiſce inſtrumentis ſupplevit, ut progredi, ſeque in ſe ipſa recipiendo, à contrariis tueri, quemadmodum ſenſum olfactus perſpicaciſſimum omnibus impertivit, quapropter, ſi quodpiam eorum aperta Teſta leviter tangatur, ſtatim ſe ab hoſte tutari contendit, quem tamen, ſi oculos haberet, tam propè accedere non pateretur, ſed in alta illa cornuum veluti ſpecula perluſtrans, acceſſum prohiberet, ſe claudendo. Imò exiſtimavit Boetius in Scotiæ deſcript. acutiſſio ſenſu auditus eadem fuiſſe dotata, quapropter inquit, occludũt ſeſe, cum litus clamore aliquo preſtrepit, vel ingens lapis in mare dejicitur, uſque adeò inditum eſt cuicumque viventi tueri ſe à noxiis incurſibus. Hoc autem ſequtura Problemata in examen vocab unt.

His experimentis inſtructus rationes inveſtigavi cur Natura oculos Teſtaceis denegaverit, quando in maris litore mentem relaxabam contemplatione Animalium Teſtaceorum, audiens Ariſtotelem docentem lib. 3. Animal. c. 12. *Habere oculos tum cætera Animalium omnia, præterquam teſta intecta, & ſi quid aliud imperfectum eſt, ut talpæ.*

Deinde tamen cognovi me tunc à vero aliquantulum aberraſſe. At quid mirum? Cum illud Galeni ſatis ſuperque comprobatum ſit: *Difficile eſſe, ut qui homo ſit in multis non erret.* Habent enim oculos aliqua licet pauciſſima, quæ in mari teſta ſunt intecta. Argumento fuit motus quo Echinophora ſub aqua latens è mari deſumpta, in ſuam domum teſtaceam ſeſe recipiebat cum bacillum contra ipſam admoverem, licet adhuc non illam tangerem.

Evidenter deinde deprehendi cum iterum eandem cochleam optimo microſcopio ſubmiſi. Obſervavi enim non quidem in acumine cornuum, ſed prope baſim punctula duo nigra, & pellucida, & cultro anatomico intima penetrans ſub ſingulorum cuticula ſeu membranula vidi latere globulum minimæ molis veluti è vitro compactum, qui certe humoris chriſtallini loco erat.

Poſt hujuſmodi obſervationes eaſdem habuiſſe Fabium Columnam de Purpura c. 1. §. 33. circa Purpuras eompertum mihi fuit ubi legi *Corniculis verò à terreſtri cochlea variat Purpura, hujus quidem in acutum deſinunt, oculi non in ſummo, ut in Terreſtribus, ſed ſupra medium corniculorum obſervantur, ubi cornicula veluti reſecta per longum tenuiora efficiuntur ſic litt. A.*



oculos verò aliquando tueri corniculis ſupra illos incurvatis, ut in pictura notatur litt. I. obſervavimus etiam partem illam ſupra oculum corniculorum contrahere, ut non niſi reliquum appareat in oculos deſinens craſſius. At quando tueri putatur, recta tota exerta & firma cornicula extenſaque habet. Hactenus Columna. Circa quam obſervationem Ioannes Daniel major in ſuis adnotationibus anni 1675. §. 16. hæc addit. *Oculorum Purpuræ deſcriptioni à Columna ipſo cap. 1. §. 33. accurato propoſitæ quæ addam non habeo, niſi quòd illorum mentionem aliam etiam facit Severinus in ſua Zootomia (part. 4. pag. 350.) ſed dum dicit ibi longo tubulo eſſe impoſitos, tam*

facile

facile aliquis poſſet ex his verbis colligere, purpuras oculos geſtare in ſummo vel extremo cornuum, quam in medio eorundem, id quod Columna multo diligentius ac diſtinctius expreſſit.

Cum ergo conſtet, reſumo, aliquibus Teſtaceis oculos ineſſe, multa verò eiſdem carere, jxre quæri poteſt, *Cur oculos Teſtaceis Natura denegaverit. Doctrina problematica exotericaeſt*, inquit Licetus, de Vivent. ortu pag. 273. *in qua pleraque Ariſtoteles ad aures Vulgi determinat.* Hoc tamen agendo multa docet ac detegit, quibus imbutæ mentes Philoſophantium eruditur. Scatent quidem erroribus quamplurimis fere omnium Philoſophorum inſignium ſcripta, experientia magiſtra ſucceſſu temporis detectis; at non ideo minori laude celebrandi ſunt, eò quòd innocenter erraverint. Damno morem illum, quo ex paginis alienis paucula ſeliguntur, quæ calamo Authorum nimis fortaſſe veloci exciderunt, ut contra ea integra volumina compingantur, ut olim apud Poetas Sindacus ille egit, qui, loco celebrandi dotes Deorum matri appictas, contumeliis illam fuit proſequutus ob importunum crepidarum ſtridorem. Sicuti in cultiſſimo quolibet campo inutiles herbas inter frumentum naſci neceſſe eſt, ita æque à ratione diſſonum eſt eas omnes in faſciculum colligere, ut ſoli vitio tribuantur Valerius in Paterculo lib. 2. *Quandoque bonus dormitat Homerus* de illo dictum eſt, qui magnitudine operum, & carminum elegantia ſolus appellari Poeta meruit: nec in Hominum Cœtu ullus reperitur, qui ab erroribus immunem eſſe jactare ſe poſſit. In hoc vaſto rerum cognoſcibilium Theatro quamplurima ſunt, ait Cardanus, de cauſis errorum liber 17. Paralip. c. 2. *quibus velamen Natura propoſuit, velut ſponte ea latere voluerit, ut in multorum Animalium Generatione; Nam ſi detraxeris corticem non perficiuntur, ſi permiſeris, non aſſequeris. Inſuper in nobis etiam tribus modis errare contingit, vel quia ſenſibus & intellectu præſtanti præditi non ſumus, vel quia eis non utimur rectè, vel quia caligo ab aliis offenditur.*

Laudabiles proptrerea ſunt Studioſorum conatus, quibus tot inter veluti ſcopulos ambageſque veritatem ſine ullo fallaciæ fuco circumtectam aſſequi conantur circa ea, quæ adhuc ſupereſſe in rerum cognitione exiſtimare debemus, quæque Veteres latuerunt. Quippe Natura adeo fœcunda eſt, ut multis ſæculis omnia humano ingenio comprehendi nullo modo poſſint. Hinc ingrata non accidiſſe opinor experimenta in noſtro Muſeo relata, quæcumque illa ſint. Etenim Carteſio ingenia excitanti obſecundavi, qui omnem vitæ ſuæ ætatem in eo collocavit, ut Theoreticam Philoſophiam ad praxim, communemque humani generis utilitatem accomodaret, at animadvertens, & Vitæ anguſtos eſſe cancellos, & experimenta ſubinde deficere ac deſiderari, illuſtria ingenia adhortatus eſt, ut quodvis pro ſua facultate ad facienda, & promulganda ſe conferat experimenta. Ipſum refero ita in Diſs. de Meth. differentem. *Cum autem propoſuerim totam meam vitam collocare in ſcientiæ adeo neceſſariæ inveſtigatione, & inciderem in viam, quæ mihi talis videtur, ut ſi quis eam ſequatur, haud dubie ad optatum finem ſit perventurus, niſi aut brevitate vitæ aut experimentorum defectu impediatur, judicabam nullum melius eſſe adverſus duo iſta impedimenta remedium, quàm ſi* fideliter *publico communicarem. Id omne quantulumcunque eſſet, quod reperiſſem, & præclara ingenia invitarem, ut ulterius pergere contenderent, ſingulique quod in ſua facultate eſſet, ad experimenta facienda conferrent, atque etiam eorum omnium, quæ addiſcerent, publicum particeps facerent, eo fine, ut ultimi incipiendo, ubi præcedentes deſiiſſent, & ita multorum vitas, & labores conjungendo, omnes ſimul longius progrederentur, quàm ſinguli privatim poſſent.*

Quod ſi me in multis erraſſe pro comperto aliquis habeat, huic locutioni finem imponam, uſurpando verba è Tuſculanis quæſtionibus lib. 2. Ciceronis *Nos qui ſequimur probabilia, ne ultra quam id, quod veroſimile eſt occurrerit progredi poſſumus, & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus.* Eadem recenſuit in fronte eruditæ, & ingenioſæ diſſertationis circa corpora humida, & ſicca Ex. D. Ioſeph. *del Papa* in Patavino Licæo Medicinæ Practicæ Profeſſor, quibus deinde adnexuit hæc alia è Timeo Platonis delibata. *Si ergo non minus probabiles quàm quiſque alius ſermones afferamus, oportet acquieſcere, cum cogitetis & dicentem; & vos Judices humanam habere Naturam, ut de hiſce rebus veroſimilem ſermonem probantes, deceat nil ulterius quærere.*

Reliquum eſſet, hic attexere, quod in ſua Coſmographia tom. 2. lib. 20. refert Tevetus de Cochlea quadam in Germanico Orientali Oceano inventa, quæ præter ramoſa cornua, ut cervi, duobus oculis, colore vivaciſſimo collucentibus erat inſtructa; ſed quoniam Joſtonus, hiſt. nat. de Cochl. art. 3. illam, aut fabuloſam exiſtimavit, aut maris monſtrum, ab illius examine, & cenſura abſtineo, contentus, eam ſuo loco ſubiicere oculis inter alias, de qua ſententiam ferant curioſi indagatores prodigiorum Naturæ.

PROBLEMA XXIV.

Cur vocem non edant.

OMnium in mari viventium proprium est: non posse vocem aliquam edere, & quamvis pisces nonnulli vocales dicantur, ipsi tamen vocem non edunt, sed quemdam quasi sonum, seu stridorem, cùm partes aliquas movent, quibus eos instruxit Natura ad attrahendam aquã, vel evomendam. Testacea tamen, quemadmodum, & omnia Crustata, omninò sunt muta. Refert Strabo, speciem quamdam Nilum incolere, quæ *mugitum edit*; sed ad veritatem Historiæ conciliandam satis est, id experiri in Testis quorundam Turbinatorum, mugitu quodam, horrorem incutiente perstrepentibus, cum vel ad bellum, del ad venatum sono vocis humanæ inflantur. Ex duplici autem causa Testacea, ut alia quæcumque in mari Viventia, sunt muta. Primò enim vox ex Aristotele de Anim. 4. c. 9. in aspera arteria effingitur, cùm aer ad respirationem attractus ex pulmonibus, impetu excluditur; quæ autem pulmonibus egent, carent arteria, nempè officina ad vocem elaborandam. In Testaceis totum corpus, in guttur, & ventrem extenditur, sinè pulmonibus, & arteria; non ergò possunt vocem ullam inflectere. Pulmones illis non indulsit Natura, quia cor negavit, ab iis refrigerandum temperato calore sanguinis, ex novo aere attracto; neque aspera Arteria dotavit, quam Animali impertivit, ad aerem pulmonibus attractum introducendum. Secundò, quamvis essent instructa organis vocem formantibus illam edere non possent in aquis non admittentibus congruam illam aeris agitationem interpositam inter corpus percutiens, ac percussum, quæ voci formandæ, necessariò inservit, ut clarius sequenti problemate ostendetur. Animalia autem aquis sepulta peculiari aliqua refrigeratione indigentia, quia non sunt exanguia, aerem non respirant, sed aquam, Atque hujusmodi sunt pisces; alia quia exanguia, ac propterea vix indigentia minima respiratione ob imbecillitatem caloris, refrigerantur abundè humore illo partibus intercutaneis ingesto per poros, quibus sunt pervia, atque hujusmodi sunt Testacea.

PROBLEMA XXV.

Cur careant Auditu?

SEntiunt omnes communiter cum Aristotele, de sens. bus c. 8. Animalia in aquis degentia sub aquis audire, quod in quarto Animalium evincere, non una ratione contendit ab experientia deprompta, nempè ex piscium fuga ad strepitum Remorum aquas impellentium: ex ipso incondito sono, qui editur ex industria ante piscatum, ad eos in retia congregandos: ex Delphinum præda, quos jam inter retia concluso Piscatorum clamor propellit in litus, ubi vinciuntur captivi; ex alto silentio in aliis piscatibus indicto, ne vel levi sono pisces fugentur. Nonnulli tamen acriter in Aristotelem sic invehuntur. Ad sensationem auditus, & ad formationem soni necessariò requiritur agitatio aeris intercepti inter corpus percutiens, & percussum. Quoniam verò hæc agitatio fieri non potest sub aquis, hinc cieri non poterit sonus, multoque minus audiri. Indè fit, ut si in fundo maris duo corpora percutiantur, quamvis ex metallo maximè sonoro elaborata non percipitur extra aquas sonus quemadmodum non auditur ingentium Ancorarum rumor, cum mari jactæ, saxa fundum implentia contundunt. Neque intra aquas audiri potest, quid extra illas agatur, nempè corpore densiore, aqua scilicet, repercutione impulsum aeris agitati, nec potentis ultra procedere, sed in se ipsum reverti. Atque ex Testimonio expertissimorum piscantium uniones, corallia, aliasque maris gemmas, innotuit hoc ipsum, referente Gassendo: ad altitudinem pedum sexaginta immersos aquis in Galliæ portu non percepisse tonitrua bombardarum è navibus explosarum, propterea negandus est incolis aquarum auditus, cum frustanea sit potentia illa, quæ nunquam ad proprium actum reducitur.

Inter hos recensendus est Cassendus lib. 4. sect. 1. c. 11. qui objectis difficultatibus hoc pacto satisfacit. Ad reverberationem remorum fugiunt pisces non quia rumorem percipiunt, sed quia vident oculis agitari, vel tactu percipiunt undatium aquarum impulsum, ita tonitru aliquando pisces in fugam cieri, quia ex aeris refractione peculiaris aquæ commotio impertitur. Hinc sæpè non se fugæ committunt ex vocibus colloquentium, vel propè litus, vel in ipsis navibus; subtrahuut tamen sese, ad leviſſimam supremæ aquæ agitationem. Idemque Cassendus refert Lucium, extremæ aquæ innatantem non se subduxisse ad strepitum piscatorum, sed tunc solùm quando ad eum prædandum cum silentio

appro-

appropinquabant. Fabulosa propterea existimat, quæ narrantur de piscibus vivario conclusis, nempè audito campanulæ sonitu ad cibum accurrisse, ut celebris illa Crassi Muræna illum captans ex ipsius manibus cum vocaretur. Quod si hæc vera sint, contingebat, vel quia ex aliquo aquæ motu admonebatur; quo pacto surdus, cæcusque famelicus manum cibo admoveret si prævio signo quopiam non semel percepto illum excipere assuevisset.

Jactis hinc indè in contrarium opinionibus ancipitem diù fuisse me fateor de Aristotelis sententia donec illam experientia penitus obfirmavit. Innotuit illa mihi ex curiosis Dialogis Donati Rossetti, Dial. 1. in quibus dum eruditos sermones interse commiscerent Edetimegorus, Oligetes & Pandetes: interroganti huic an sonus intra aquas perciperetur affirmative respondit Editemegerus, & experimentū attulit à se factum in mari, immersus aquis ad mensuram circiter semicubitalem, expertus sum, inquit, audisse me quidquidnescio quis sine vocis contentione differebat, cumque longius aliquantulum à superficie aures applicuissem ad poplitem loquuturi; cubito, & semi aquis immersi, voces alta voce prolatas percipiebam; inclinata tandem aure ad pedes illius, motum aquæ, & sonum quendam confusum excipiebam. Atque hoc experimento inter colloquendum inserto, concludit, sub fluidis corporibus audiri, formarique posse voces, quia fluida omnia possunt, ut aer crispari, & undare, mensura tamen singulis proportionata corporibus, quandoquidem sicut in aere ad magnam distantiam vox non auditur, nec sonus, ita in aliis liquidis intra sphœram cuique conmensuratam, sonus, aut vox propagabitur. Hinc manifesta fit ratio: Cur Piscatores unionum à Cassendo relati, non preceperint tonitrua Bombardarum, & cr. Anchorarum jactus super lapides non sint auribus explorati, Eperientia certum est: si quis ære campano personuerit inter aquas, extra illas sonitum exaudiri non levi tamen discrimine propagatum ac sonus in aere editus, ob corpus magis densum, per quod sonus effunditur. Quamobrem videtur mihi evinci posse in mari degentibus, & in aquis otiosam non esse potentiam auditus; cum possit illa ad actum suum redigi. Nullum de hoc dubium supereſt in Delphino Vituloque marino, nempè in iis manifestè prodente se organo auditus interiore, ut notavit Rondeletius: lib. 3. c. 3. fitque hoc clarius ex signis ab eis editis, cum illiciis allecti toto capite extra undas porrecto, itinerantes naves comitantur. Non ita de aliis piscibus philosophandum, nempè in iis non apparente instrumento auditionis, ut apparent organa odoratus. Multo minus id in Testaceis toto corpore imperfectis, & referentibus rudem potius, ac indigestam carnis massam, quàm corpus organicum. Probabile tamen existimavit Aristoteles 4. Animalium; cap. 8. n. 24. tali organo pisces esse instructos; cujus argumentum est, quod se arenis contumulant, cum ferrum admovetur, quo capiuntur. Ego tamen exploratà non semel hac veritate nullis illa mallei tunsionibus supra vicina saxa, potui exterrere, nequè deprehendi, ea ad illum strepitum se intra sua septa recipere, ac testas claudere. Sed tunc solùm cum leviſſimo etiam paleæ attactu tangerentur. Negato itaque iis auditu, perspicacissimo sensu tactus ad noxia, & contraria effugienda, Testacea instruxit Natura.

Addi & illud potest, non ad simpliciter esse, sed ad melius esse Animalis, ut philosophatur Aristoteles, de anim. l. 3. c. 11. sensus, auditus, visus, & odoratus fuisse à Natura concessos, quamobrem ii non omnibus debebantur, sed illis tantummodo, quæ motu progressivo incedunt, scilicet his ad alimentum sibi quæritandum progressuris, & ad ea effugienda, quæque eorum destructionem molirentur, exploranda erant etiam è longinquo objecta, ad quæ accederent, vel à quibus recederent. Et quia distantia objecta solus percipit sensus, vel auditus, vel odoratus, vel visus, hinc dotat a his tribus fuere Animalia progredentia, non verò immota, vel se vix moventia, qualia sunt Testacea, degentia sub aquis.

PROBLEMA XXVI.

Cur Testæ Animatæ nullo sensu sint præditæ?

TEstam esse Animatam, nemo potest ambigere; eamdem enim semper figuram servare proprietas est corporum virtute organica præditorum, quæ in solis residet Animatis, in quibus in gratiam alterius, Anima operatur; Arbores, Flores, & Herbas, esse animatas argumento est peculiaris illa figura, per quam discriminantur ad invicem. Ita in Cochleis septum illud Testaceum est animatum, quia sicut ossa in nobis, ita illud totum simul eas circumvestit, eademque semper figuræ lineamenta præsefert. Hoc supposito curiosum est investigare: cur vita Animalis viuens, & nutritione crescens, sensu tamen omni destituatur.

Sensus omnis ex Aristotele sensum tactus supponit, quo deficiente, deficiunt etiam gustus, auditus, & visus, Testis ergò tactu carentibus, quantumvis animatis, nullus alius sensus est affigendus. Eas tactu carere, ostendit experientia; si enim pungas, tundas, igne torreas,

nul-

nullum in iis sensationis signum experieris, vel occlusis Bivalvibus, vel accelerato motu in Turbinatis, nisi quatenus offensa ipsum afficit inclusum animal; Qualia sunt in aliis viventibus sensitivis ossa, talia sunt septa in Testaceis, nempè utriusque sensu carentibus, ex parili utrobique ratione, quam affert Aristoteles; de Anim.c.12. Constat, inquit ille, Tactus temperamento quodam, mediocritate tangibilium qualitatum: cum autem Ossa, sicut & Testæ, sint nimis terrea, adeòque à mediocre temperie, tactui necessaria, nimium distantia, hinc utraque tactu sunt destituta.

Examinandum tamen supereſt: quo pacto, & qua via communicetur Testis alimentum, ut crescant? Curiosus hanc indagandi, inveni facilè in Bivaluibus, ac ferè in Univalvibus omnibus non Turbinatis. Partibus enim viventis in eorum singulis adhærentibus Testis, non secus, ac fructus, & siliqua fabæ inclusa, vel domui suæ testudo, dubitari non potest. per eam viam alimentum corrivari Testæ, ut crescente Animali, crescat & ipsa Animalis testa, ejusque bono commensurata. Dubitanti tamen mihi; num in ipsa etiam Turbinata corrivaretur, conatus est omnem dubitandi rationem auferre Scriptor, inter Recentiores non ignobilis, affirmans: horum etiam carnem testæ inhærere in profundiore parte Cochleæ, quæ spirarum centrum nuncupatur. Quia tamen in ferenda sententia de corporibus naturalibus, consilia petenda sunt non ex mente sola, vel propria, vel aliena, sed in consultationem, & ipsi sensus vocandi, summo studio, semel atque iterum institi, ut hunc arctissimæ conjunctionis nodum deprehenderem & inspectis ad ultimas fibras multis Turbinatis specie diversis, in una tantùm potui illum detegere, solusque mihi obviam fuit nexus ille, qui in Ovo putamen Vitello maritat, intercepto humore illo, quod albumen vocatur. Hinc non amplius anceps fui quin affirmarem in Turbinatis, nullo alio nexu copulante Testam cum Animali, nisi humore viscoso ex illius poris exudante, humore ipso Testam nutriri, sese ad exigentiam Animalis accommodante. Neque à veritate absonum videtur addere: ipsa maris aqua, quasi lacte, ea enutriri, docente experientia: Arbores longè magis excrescere irrigatis aqua ramis, quàm alimento ex Terra per radices attracto, quod planius fit in Coraliis, fucoque marino, erumpentibus ex durissima silice hisce plantis, nulla prorsus radice infixis, solaque maris aqua per poros undequaque attracta enutritis.

PROBLEMA XXVII.

Cur Testacea, terræ Vegetabilibus non absimilia, nec viva, nec mortua odorem ullum diffundant, ut Plurima Vegetabilia.

NON absimilia Vegetantibus in terra esse Testacea, alibi cum Aristotele adnotavimus, nomen propterea Plantanimalium sortita. Jam verò, quamvis ad firmandam similitudinem inter duo, non requiratur perfectissima, & universalis proportio inter ea omnia, quæ possunt ad invicem assimilari; ex eo tamen, qnòd sint affixa loco, ibique alimentum attrahant, necessarium ad vitam, & ad incrementum, dici possent Plantis non dissimilia. Non erit tamen abs re hic indagare, cur nullum unquam reddant odorem, ut plurima vegetantia?

Problema fuit hoc ab Aristotile institutum disquirente sect. 13. art. 4. cur ex nullis speciebus Animantium sivè Aquatilium, sivè Terrestrium odor ullus emanet? Quamobrem prodigii loco censetur solam Pantheram suave quoddam olere, reliqua Animantia allicientem ad sese? Supponit igitur primò. Fœtorem in Viventibus ex cruditate alimentorum incoctorum provenire, probatque assertum primò, quia sudoris excrementum in ægrotis nonnullis, *male olet, undè morbo maximè vitiantur, qui tales esse non solent*; non alia sanè de causa, nisi quia in sanis corporibus excrementa sunt sufficienter concocta, non verò in infirmis. Hac suppositione, via sibi instrata, progreditur asserens, Animalia omnia, quæ carne constant, aut corpore, carni æquiparato, ut Pisces, Testaceaque, utpotè humido affluentia, non posse aliqua excrementa satis abundè concoquere, atque ex his, dum vivunt, fœtorem exhalari, & quidem graveolentiorem, cum post mortem putrescunt. Hinc pellis, & ossa humore carentia fœtent nunquam. Hinc plantæ, ut plurimum nil grave olent, vel quia excrementis destitutæ, vel quia constantes calido, ac sicco temperamento, ea concoquente, quin potius, odoris & aridis qualitatibus diffluunt, quibus pretium fecit hominis avaritia intenta ad eas in Syriam usque, & Arabiam, Regiones Sole, & calore torrentes, inquirendas, & per orbem universum dispertiendas.

PRO-

PROBLEMA XXVIII.

Cur diutiùs quam Pisces extra Aquas vivant?

PIscibus Elementum Aquæ alimento est, ut cæteris Animantibus Aer. Inde fit, ut Pisces, vix aquis extracti intereant, sicut Aves aere privatæ. Conveniunt cum Piscibus etiam Testacea, quæ tamen non tam citò moriuntur, sed ad dies aliquos vitam protrahunt nempè ad quadraginta, ut Ionstonus, imò, ut alii testantur ad 50. ut Purpuræ. Vel quia *succo suo* aluntur, vel quia humorem imbibunt ex mari, ad eam mensuram ex Vormio, ut possint ad tantam dierum longitudinem vitam extendere, quod tamen è contrario deberet accidere, cum certissima Aristotelis observatione constet: exanguibus Animalibus breviorem esse vitam, quàm sanguine præditis: (mole tamen corporis aliquando in iis supplente defectum sanguinis) Ratio ejusdem est, quia ad longiorem vitam protrahendam requiritur humidi temperies, qua carent Exanguia, quare si apes, licet exangues, diutius vivunt, quàm alia nonnulla, provenit ex hoc alimento humido, ac pingui, quod exugunt ex melle; Testaceis ergò exanguibus deficere prius deberet Vita, quam Piscibus, quibus sanguis per venas decurrit. Nihilo tamen minus, sicuti verum est in aquis diutius vivere, quæ sanguine affluunt, quàm quæ carent, ita veritati consonum est extra Elementum illud minus vitam protrahere. Duabus, ut ego arbitror rationibus potest veritas ista fulciri, quas antequam proferam, supponendum: Vitam consistere in temperie debita humidi, & caloris, undè mascula Animantia, utpotè fœminas calore excedentia, vitam in longiùs provehunt, nec secus, ac in Rubro mari, calore ferventissimo, ad immanem magnitudinem excrescunt Testacea. Huic ergò Basi innititur ratio, quam primo loco attulit Aristoteles de respir. c. 10. n. 7. dicens, hoc evenire, quia Exanguia temperamento minùs calentia minore indigent refrigeratione, exigentibus illam in majore copia jis, quæ sanguine abundant, nempè calore in jis potentiore ad humidum, quo constant absumendum, atque hoc deficiente, sequitur corruptio. Depromi potest alia ratio ex jis, quibus satisfacit quæsito Philosophus, cur Palmæ, Cupressus, aliæque robustiores plantæ diutius vivant, quàm Animalia sentientia? Nempè: *quia habent pinguedinem, & viscositatem, & ficca, & terrestres existentes, tamen non habent facilè siccabile humidum*. Hinc manifestè infertur Testacea extra aquas vivere diutius posse, quàm pisces, utpotè magis imbuta qualitatibus humidis, & viscosis perfectæ exiccationi resistentibus magis, tenuissimo calore lentè humidum exiccante.

PROBLEMA XXIX.

Cur Echini, seù Marini Erinacei Dentes habeant, & Ova, numero quinario disparia?

DEsumo Problema istud ex Philosopho lib. 4. cap. 5. Animalium, quod quàm facilè perceptu est, tam obscura videtur mihi responsio, qua ipse sibi facit satis. Supponit ipse nonnulla, quorum primum est. Echinoru m Ova quamvis dicta, re vera tamen Ova non esse, sed pinguedinem quamdam ex bona nutritione genitam; Secundum; Animalia omnia Obstreacea in aliqua corporis parte certa Ova gestare, Ovis Echinorum non absimilia: Tertium habere hæc in se ipsis figuram sphœricam, ac tandem non posse Ovum gestare, quod continuò toto corpore diffundatur, eique aptetur, sed quemadmodum reliqua Animantia, multa Ova in aliqua corporis parte gestare. His suppositis respondet problemati; cur Echini Ova habeant quinario numero imparia, quibus possit delineari figura quinque laterum, si ex uno ad aliud extremum lineæ ducerentur? Sic ergò discursu progreditur

Sphœricum esse debet Echini corpus; Ova ergò gestare debet numero imparia. *Ergò cum id commune omnium sit, proprium autem illius, nempè Echini, ut globi speciem gerat, ova numero impari sint necesse est.* Probat autem illationem, quia si numero essent paria, cum sint ita rotunda, deberent totidem in uno, ac in altero latere gestare, in ambobus ergò lateribus essent Ova, sed non debent in ambobus gestare, ut in secunda suppositione præmissum est, debent ergò numero imparia gestare. Jam verò: tria esse non possunt, quia nimium essent dissita inter se, nec debent quinarium excedere, quia continuatum Ovum efformarent, & *quodammodo unum*, inquit Aristoteles, ergò, &c. Atque ex hac illatione, ita obfirmata refert proportionem, quæ inter Ova, Ventres, ac Dentes Animalis debet intercedere, quamobrem nec quinarium excedunt, nec numero minore ab eo recedunt.

Intimas rei fibras, altius perscrutarer, Aristotelis ratiocinatione non omnem mihi dubitationem auferente, nisi planè persuasum haberem, immediatam nonnullorum effectuum causam nullo pacto innotescere. Excedit humanam inrelligentiam ignaviæ mancipatam,

Div.

D. Augustinus de Civit. Dei l. 7. c. 9. inquit, & quàm sublime sit, suis è lateribus veritatem ex rerum causis eruere, nobilissimus Virgilii versus testatur: *Fælix, qui potuit rerum cognoscere causas*. Quamobrem sicut frustraneo labore quæritur: cur trifariam partita sit, frons omnis herbæ, quæ trifolium dicitur: & cur flores nonnulli quinque, alii verò sex foliis vestiantur, ita omnem ingenii conatum eludit, indagare: cur gestent Echini Ova, quina divisione partita. Melius profectò veritatem detegit, qui dicit, quinarium implere, quia neque quatuor, neque sex, voluit esse Natura, quo pacto Ovidius Decumanum fluctum describens inquit.

Posterior nono est, undecimoque prior.

Naturæ opera indagantes, neque omnia debent ex incuria prætermittere, neque singula ex merito scrutari, & quando nihil melius occurrit, pro ratione sufficit ad ostendendas rerum suarum affluentias ex ideis, & æratiis suis opulentissimis, ea depromere, quæ ad Mundi ornatum, ex tanta partium varietate conflatum, possint abundè conducere.

PROBLEMA XXX.

Cur Turbinatis Cochleis Auri admotis, videatur sibi quisque Maris susurrum excipere.

CRedula nimis facilitate circumfertur, ipsum maris susurrum aure percipi, Turbinata Cochlea auri admota quasi hæreditaria proprietate insonent ipsæ Testæ non secus, ac ex odorata radice fructus suavissimè olens, ab aliquibus plantis progignitur. Vulgaris planè error vera reputans, quæ per sensus apparent non ante ad examen vocata; qui ut ab omnibus deprehendatur. satis est indicasse, susurrum hujusmodi non exaudiri solùm admotis Cochlearum Testis, sed quocumque alio corpore, aurem occludente, sic docente quemlibet experientia. Ad causam hujus effectum afferendam. distinguenda sunt duo genera corporum potentium hujusmodi susurrum ciere. Vel enim concavum, & inane est corpus, vel tale, ut aliquo pacto possit externàm auris Cochleam occludere, impedita sensatione auditus? Si Concavum, & multo magis Turbinatum est corpus, ut Cochleæ quamplurimæ, enuncio auditum susurrum esse sonum reflexum, ut Echo, in Concavo corpore editum ex aeris repercussione qui semper agitatus contorquetur, & ex interna ipsius corporis superficie resilit, aut aeris illius, ex aure ipsa transpirantis, quæ transpiratio vix revocari potest in dubium; quamvis enim inter Cochleam internam, & externam Auris nulla detur communicatio apparentis meatus (errante Alcmeonte, ut notat Aristoteles, cum docuit, Capreas respirare per aures; cum hæ sint organa ad audiendum fabricata, non ad respirandum) Cartilago tamen quæ in tympanum extenditur ambas dividens Cochleas tenuissima est, maximèque porosa, ut reliqua omnia corpora, ex quibus propterea, ut notat Hypocrates, continui emanant effluxus sensum effugientes; per illam igitur Cartilaginem potest halitus aliquis transpirare ex partibus internis transmissus.

Confirmatur hoc. Quia tympanum potest diffringi non solùm impetu externi aeris violenter nimium agitati, quamobrem magnus sonus aurem obtundit, sed etiam ex Aere interno, quando non potest hic consueta facilitate, per poros Tympani transpirare. Idem Urinatoribus contingere solet sub aquis non valentibus totum aerem internis viscerum cavitatibus inclusum, ore exhalare, aer ipse continetur non sinè magna violentia musculorum non distantium ab aure habente magnam affinitatem cum Ore; atque ex hac violentia excitatur calor novusque halitus ex partibus calefactis, qui aditu non patente, neque per os, neque per aures, partem debiliorem difringit, nempè Tymmpanum. per cujus poros in exigua satis mensura potest exhalari. Ex hac pariter traspiratione provenit susurrus si quocumq; tandem corpore aurem obturante, trãspiratio illa impeditur, & quidem eò majore susurro, quò densius est ipsum corpus; sic obturata aure lineo panno non duplicato, vix aliquis sonus percipitur, multus tamen, ac magnus, si, non semel complicatus pannus illam occludat.

Atque ut hoc clarius pateat, sciendum est: in ipso auris organo externæ Tubæ, seu Cochleæ, internam aliam Cochleam è diametro collocatam respondere, & in hujus vacuitate contineri aerem innatum, sed immobili ex sententia Aristotelis, 2. de Anim. cap. 8. ut melius fieri possit sensatio auditus; (quemadmodum in oculo, ut viso fiat, nullus debet color inesse, qui species inficiat ab objecto transmissas, alioquin adulteratum objectum aliam à sua formam indueret) attamen quia etiam aere ventis agitato sonum percipimus, existimo cum non paucis, immobilitatem aeris ab Aristotele assertam, nihil aliud significare, nisi continui aeris effluvium, cavitatem illam implens, cum non possit percipi per auris sensationem, nisi detur spatium aliquod aere oppletum, utpotè opportuno medio ad sensationem, quamvis aliquam crispationem, & undationem excipiat intra Cochleam prædictam contortus ex impul-

su im-

su impresso ab externo aere in contiguum tympanum, aut per continuum aeris ejusdem effluvium corrivatum per canaliculū palato Animalis infixum, cujus argumentum est sicca tussis, quam percipimus, cum aures irritamus, scilicet compressus aer internus versus asperam arteriam se proripit, & auris Orificium vellicans, provocat tussim.

Quod si ille aeris motus non semper aure percipitur, contingit id ex majore sensatione ab aliis sensibilibus potentioribus proveniente; cujusmodi sunt ea omnia corpora quocumque modo perpetuò commota, ac propterea, ut observat Aristoteles, Probl. de voce, & sono sect. 11. c. 19. *voces melius audiuntur nocte, quàm interdiù quia cum Sol omnia moveat, noctes solent esse quietiores*; & alibi dicit: *sonum non discernimus nisi comparatione facta ad silentium*. Pari ergò proportione in re nostra: Agitatus internus aer tunc fiet auditui sensibilis, quando externi sensibilioris sensatio removebitur, quia sensatio hujusmodi tunc impeditur, cum auris corpore aliquo occluditur, provenit exindè quicumque tandem ille sit susurrus, eò major, quò magis organum auditus obtunditur.

Sic oscitantibus nobis, internus quidam veluti boatus percipitur, neque tunc externus sonus clare exauditur, non quia externa Cochlea sit obturata, per quam percussi aeris propagatur motus, usque ad auris tympanum; sed quia spiritus ore excitatus claudit orificium canaliculi ex interno organo provenientis, & aerem etiam concluſum comprimit, quo exitum frustra querente, & continua alterius aeris respiratione agitato, non antea exauditum murmur effingitur. Neque ergò in Cochlearum Testis excitatur susurrus ille, quasi illis indita sit maris proprietas, continuo susurro immurmurantis.

PROBLEMA XXXI.

Cur in Pleniluniis sint pinguiores.

LUna incremento suo omnium clausorum maris Animalium, atque Concharum membra turgere jubet, metaphoricè quidem, sed verissimè pronunciavit Palladius; cum verum sit, quod ex Græcis versibus Oppiani retulit Lippius.

——— Cum Luna impleverit Orbem
Fama refert proprio plenos pingueſcere tecto,
Sed cum multivagæ decreſcunt cornua Lunæ
Diminui graciles, tali sunt lege coactæ.

Hinc notavit Isidorus: Conchas, & Cochleas inde vocatas esse, quia dificiente Luna cavantur, ideſt evacuantur, & minuuntur. An benè illata sit nominis etimologia in examen vocet, cui per tempus vacat; abundè mihi est pro veritate id asseri, & obfirmata veritate, rationem esse indagandam. Nequè facile est, eam primò intuitu deprehendere; quæ enim Lunam inter, & Cochleas intercedit relatio? Non crescit Luna incremento molis, & globi, nec majori unquam, aut minori lumine clarescit, cum semper pro medietate corporis, seu æqualem lucis exuberantiam excipiat, sed inflexo ad nos radio, Luna se spectabilem præbet, & pro majore, vel minore apparentia, dicimus, illam modò incrementa lucis, modò decrementa, ac detrimenta subire.

E contra Cochleæ, vero incremento pinguescunt, non quidem Testæ, nunquam imminutę, sed caro intra Testacea septa concluſa, quemadmodum pinguescunt reliqua omnia Animantia, quæ perfectò modo nutriuntur.

Nullo solidæ rationis fundamento asseritur à nonnullis illas turgescere ex copiosore tunc temporis alimento; cum enim illud habeant semper in promptu, neque excitato ob novum aliquod motivum innato appetitu Animalis, opinandum est, quocumque tempore pro sui necessitate, consuetam alimenti portionem illas attrahere. Probabilior videtur, & accommodata etiam Testaceis, Aristotelis ratiocinatio, inquirentis de part. Anim. c. 5. cur Echini in Plenilunio turgescant. Hi nempè frigidissimo temperamento constantes, utpotè exangues, ut pinguescant, non solum indigent cibo, sed calore; & quia cum dicimus Lunam incrementa lucis accipere, augetur etiam lucis reflexio, & intendi necesse est, ex luce ipsa reflexa calorem, qua de causa dixit Aristoteles: quemadmodum Sol singulis annis Hyemem, & Æstatem discriminat, ita Lunam singulis mensibus hujusmodi varietates efficere, & auspicatissimam esse Testaceis frigidissima humorum temperie compactis, sentientibus propterea Solis beneficium interdiù, & quidem æstate intensius, Lunæ verò noctu plenilunii calore iisdem acceptissimo: addit propterea provenire hinc, *ut æstate potius ubique vigent, præterquam in Pyrensi Euripo*. Pugnant tamen contra Aristotelem rationes nonnullæ, atque in primis Concharum perfectior est Constitutio mensibus intensiore frigore hyemantibus, non æstivo calore ferventibus; neque certum omninò est: Lunæ lumine augeri calorem, itaut Viventia aquis sepulta tantam exinde utilitatem percipiant. Et quidem serenioribus noctibus plenilunii, intendi frigus experimur. Existimavit Plinius, Lunam esse quoddam inferiora Vivificans, quamobrem dixit: *Hoc esse quod terra saturet accedensq; corpora impleat, abscendens inanet: ideò cum incremento ejus augeri Conchylia*,

Cardanus dixit de rerum varietate l. 2. c. 37. id accidere. *Quoniam tunc aquæ, & Limus, quibus vescuntur, attenuantur, & concoquuntur: ideò melius nutriunt, & calor tunc in illis augetur, quo fit, ut duplici causa pinguesant.* Examinandas aliis per otium relinquo prælibatas rationes, arridente interim mihi ratione Cassendi. Idem omninò ille dubium movit, de qualit. rer. lib. 6. sect. 1. c. 14. & conatus reddere manifestas illas, quas occultas qualitates vocamus, pronunciavit, non aliam ob causam in Pleniluniis pinguescere Cochleas, & similia humido temperamento constantia, nisi quia Luna, quam supponit corpus maximè humidum, copiosius illis nutrimentum suppeditat, atque hoc effunditur in inferiora; cum solis radii ex Lunari Disco terram versus reflexi, possunt secum particulas illas humidi superficialis convehere, quæ in ipsa Luna existentes alterantur à Sole; itaut Lux è Luna diffusa sit mistum quoddam ex calido, & humido, ac propterea prolifico, & apto ad nutritionem. Totum hoc obfirmat ex eo quod experientia compertum fit, à calore non tantùm Solis, sed etiam ignis, medio aliquo liquore, quasi vehiculo alteri corpori communicato, vel per refractionem procreari effectus mirabiles alterationum diversarum. Quapropter porosa, & spongiosa caro Conchyliorum imbibitur tali humore, ad nutrimentum maximè opportuno. Hinc Alcmanus Poeta vocans Rorem Lunæ filiam, cecinit.

Ros Jovis; & Lunæ ut soboles gratissima nutrit.

Hinc septimo Saturnalium Macrobius perpendens: cur Lunæ lumine carnes putrescant? Respondet: afferens Quæstionem Plutarci, tertio Convivalium dicentis: provenire ex humido suprabundanti genito ex illo Planeta incrementa maximè suscipiente; addens arbores ipsas, crescente Luna, vel plena præcisas, utpotè humore nimio prægnantes, stuppæ instar mollescere, ac tineas admittere.

Atque hic opportunè mihi accidit, rationem afferre, cur tanti estimentur Conchæ nonnullæ, colores varios pro temporis varietate induentes. Non quidem ex Sympathia, aut connexione cum Luna, ut aliqui imaginantur, hoc provenit; sed ex humiditate, plus minusvè colores adulterante, & quidem magis accensos, si humectentur, at pallore quodam exangues, si arescant magis.

PROBLEMA XXXII.

Cur Pigra stolidaque Animalia sint Testacea?

PIgra sunt ea omnia Animalia, quæ temperamento suo plus aquei terreique imbuerunt, quam ignei, & aerei; ubi enim minor copia sanguinis, ibi copia minor fuit vitalium spirituum, qui ignis instar vividiores, magisque activas effiiciunt partes viventis. Testaceis ergò exanguibus, atque aqua, ac terra genitis piger motus, lentæque operationes sunt inditæ: adde: iis animatam illam domum, semper bajulantibus, ex illius pondere tardari motum, velociorem, ut plurimum, in vermibus liberè evagantibus; neque pernicitatem Piscibus inditam, debuit Cochleis impertiri Natura; earum enim, quamplurimis plantarum instar vescentibus, attracto alimento per poros non debuit imponi necessitas progrediendi ad victum quæritandum, neque ut piscibus dari debuit illis effugium per motum, quo se proriperent ab insidiis, & voracitate potentiorum; cum intra sua septa habeant in promptu effugium, ac tutamen.

Ex eadem inopia sanguinis provenit stupiditas illa, qua illis obruitur Phantasia. Atque ad hanc veritatem elucidandam arridet mihi, quod docet Philosophus, de part. Animal. lib. 2. c. 2. art. 2. ubi quærit, melior ne censendus si sanguis tenax, & pinguis, calidus tamen? An subtilis, & frigidus? Respondetque hunc magis conducere ad potentias sensitivas, atque intellectivas; illum verò ad robustiora membra effingenda; atque proportione consimili id asserit de humore illo, qui in exanguibus Animalibus correspondet sanguini sanguineorum. Hinc oritur inter Animalia exanguia ingeniosiores esse plerisque Apes, cum in his, loco sanguinis insit subtilis humor, quamobrem concludi potest: stolidas esse Cochleas; quia in his humor sanguini respondens, minus subtilis, aqua, ac terra conflatus, continet solos spiritus potentes eas animare. Cur autem sint cerebro vacuæ, parte inquam, in qua residet Phantasia sensitiva inducens ad operandum, ea afferri potest ratio: Cerebrum inest Animantibus abundantibus sanguine, cum enim ipsi frigida sit temperies, necessaria refrigeratione per sanguinem adsperguntur; quo refrigerio non indigent exanguia Animalia; cum abundè hoc iis suppetat, vel ex aqua, in quibus degunt; propterea carent cerebro, scilicet parte illa, in qua residet perfecta Phantasiæ potentia, quæ reddat eas sollicitas ad operandum de part. Animal. c. 7. n. 6.

PRO-

PROBLEMA XXXIII.

Cur Cochleæ Teſta non exvantur, ut Cruſtata?

CRuſtatis à Cardano attentè obſervatis, lib. 37. de variet. rer. quæ molleſcunt aliquando ſuperiore parte Dorſi, & inferiore dureſcunt (quod equidem argumentum eſt, nunquam hanc exuiſſe) atque contra Teſtaceis æqualiter undequaque Teſtam dureſcere, dubium movet ipſe: Cur ut Cruſtata, ita & Teſtacea ſeptum non exvant? Rationes tres affert in medium. Prima eſt quia Teſtaceis vita, breviore peryodo definita, tempus non ſuppetit ad multa ſpolia ſibi compingenda; quamobrem, ea quæ iis naſcentibus eſt pro incunabulo, pro ſepulcro eſt morientibus. Secunda, quia renovata Teſta Cruſtatis tollitur iis magnum impedimentum ad motum, illius pondere retardatum. Quapropter conſuluit illis Natura, longa crura compingendo, quibus conatu incumbentia, uterentur tanquam vectibus ad levanda ſeipſa in motum, e contra Teſtaceis vix repentibus nullius impedimenti eſt Teſtæ pondus, imò in ea ad ſe tuendum munimentum habent, ſed fuga ſibi conſolunt ipſa cruſtata. Tertio loco aſſerit ad Teſtam commutandam requiri, illam perfecte exſiccari, & ſeparari à partibus humidis Animalis incluſi; id quod facilè evenit in Cruſtatis, quæ Cruſtam arido temperamento habent; difficilè verò in Teſtaceis; & prius quàm Teſta ſufficienter exſiccetur, moritur Vivens eam inhabitans.

PROBLEMA XXXIV.

Cur Ballanus fulgore quodam ſplendeat?

INter maris prodigia, nulli ſecunda eſt lux, quam ex ſe ipſis Ballani effundunt. P. Athanaſius Kircherus in ſuo Mundo ſubterraneo lib. 1. p. 1. c. 7. dicit: Humorem ipſius ſparſum inter tenebras videri igneam pluviam, & experimento à me ſæpius inito, vidi ſplendeſcere, luce non abſimili fulgori Lampyridum quidquid humore illo fuerat aſperſum. Non tamen innata eſt Ballanis lux iſta, ſicut corporibus aliis non paucis, & Viventibus tum maritimis, tum terreſtribus non fuit impertita. De cornu affirmat hoc Ariſtoteles, & de fungo, lib. 2. de Anim. & ſcimus, emiſsam aliquando ex dentibus, linguis, oculis, viſceribus, pectore, brachiis, capite, & capillis hominis; Item ex Leone, Equo, Tauro, Lupis, Canibus, Vulpibus, & Serpentibus, & qui curioſus eſſet, noſcendi caſus non illepidos legat eruditiſſimum Librum, quem de Luce Animalium ſcripſit Thomas Bartolinus: Nobis à mari non recedentibus ſcire ſatis eſt: Dominum de Monconnis Tom. 1. Itipag. 431. vidiſſe in muſæo Domini de Flans Rupellæ Piſcem, qui dicitur Luna maris magnitudine cubitali, qui mortuus fulgore coruſcabat, & refertur etiam à Geſnero, & Rondeletio: De piſc. libr. 15. de piſc. cap. 7. lib. 9. c. 61. De Dattilis loquens Plinius, inquit; *His Natura in tenebris, remoto lumine, alio fulgore clarere, & quanto magis humorem habent; late in ore mandentium lucere, in manibus, atque in ſolo, ac veſte decidentibus guttis.* Idem confirmat Lipſius.

Dattilus illuſtrat radiato lumine Pontum.
Suppoſitus menſæ, lumine menſa nitet.

Idem D. de Monconiis, aſſervavit ampullam plenam humore ex iis expreſſo, qui per noctem integram coruſcavit; cumque voluiſſet illum ad ſtillicidium vocare, lux evanuit. Dominus de Viu ſcribens ad Dominum Auzout, in diar. erudit. 31. mart. 1666. aſſerit, inveniſſe in Oſtreis, & Microſcopiis exploraſſe tria genera, quaſi momentaneã, brevique illo ſpatio tria genera ſeù ſpecies Vermiculorũ: *Prima fuit albida, habens utrinque ſingulos 24. aut 25. pedes bifidos, ex uno capitis latere apparebat nigra macula. Dorſum ſimile Anguillæ exuviis denudatæ. Secunda rubra, cui ſunt plurimæ plicæ in dorſo pedes non abſimiles prioribus, oculus in capite unus. Tertia ſpecies variegata, habens caput ſimile ſoleæ multoſque cirros pilorum albicantium à lateribus, Priores duæ ſpecies ex materia conſtant facilè corruptibile, & vertuntur in materiam glutinoſam, & aquoſam, quæ decidens ex Teſta lucebat ſpatio viginti ſecundarum.* Ejuſque lux erat violacea non abſimilis ſulphuri accenſo. Obſervavit inſuper tunc Vermes illos coruſcare, cum Oſtrea excuſſa, ipſi decidérent, & iritatos, vel lucem non effudiſſe, vel quaſi momentaneam, brevique illo ſpatio una cum luce vitam defeciſſe

Vidit Cardanus in ſpinis nonnullis piſcium in mari Britanico Scotiæ lucem, & carboni accenſo conſimilem ad quinque dies fulgore protractum: Georgius Margravius hiſt. nat. narrat in Piſce, quem Braſilienſes *Iuruucapebam* appellant, ſeu *Itajaram*; de Cruſtatis Leo Allatius, qui ad Licetum ſcribens, dixit: ad illorum lucem potuiſſe caracteres legendo percurrere. De Rubri maris Oſtreis Ælianus refert, & de Piſce, quem pulmonem dicunt obſervavit Bellonius, de Lucerna verò cecinit Lippius,

Eſt mihi Lucerna piſcis, quòd lingua refulget.
Si noctu aſpicias, lumina vera putes.

Et malateſta.

Queſto quando d'eſtate più ſerena

Sp. de la notte, e l'onda più tranquilla
Vibra la lingua sua, da cui balena
Un fulgor, che sul Mar spesso sfavilla.

Delphini oculos in confirmationem Oppianus affert, lib. 21. hist. nat. cap. 5. quorum oculi in circumferentiam cubitorum decem extendebantur, & de pupilla una ex iis, *quæ rubrum, & flammeum colorem referens à longè in tenebrosis temporibus inter undas veluti ignis accensus piscantibus apparet*. De Sarmatica Cochlea præter Tevetum, testatur Pereus. libr. 24.

Jam verò tam prodigiosæ lucis causam inquirens præfatus Bartolinus, confutat reliquas quæ à multis circumferuntur rationes. Atque in primis cuilibet contradicit, qui dum lucem, ab Animalibus emanantem, tamquam miraculum admiratur, ejusque Auctorem Deum solùm esse sibi suadens, excludit ab ejus consortio Naturam. Secundò loco contradicit agnoscenti hujusmodi effectum à Cœlo; cum hoc sit causa extrinseca universalis, & remota, potens disponere corpus inferius, illudque alterare, remoto humore impediente, quemadmodum ex Plinio novimus, plantam *Nictegretum* diebus triginta exsiccatam ad Lunæ lucem fulgere; & lucem commodare, ut evenit in Bononiense lapide minerali. Neque subsistit Georgii Reischii doctrina, lib. 10. marg. philos. tract. 2. c. 10. asserentis lucem animantibus communicatam ab igne; hoc enim posito, posset ut ignis extingui ab aqua. Itaque in examen vocat: An immediata lucis hujusmodi causa sit putredo, ut asserit Aristeteles; quamobrem multa ligna, & pisces nonnulli non lucent, antequam putrescant. Et Galenus lib. de affect. mistorum lib. 2. de morb. *Equidem vidi*, inquit, *Columbarum stercora, ob putredinem accensa arsisse*. Idemde Lampyridibus Eschius affirmat, de Lampiridum generat. *Lampyris est animalculum, ex stuppa, seù sarmentis natum sinè dubio propter putredinem antecedentem*. Verùm ita philosophando, obvium non est explicare modum, quo ex putredine oriatur splendor. Existimant nonnulli gigni ex calore atque humiditate; nempè hic excitatur ex humidis densisque corporibus, sicuti frumentum ac fœnum incalescunt facilius, si humescant, quàm si exsiccentur. Quare docet Varo, in curandis *equis ne ungulas comburat stercus in stabulis cavendum est*. Verùm hoc sustineri non potest; si enim in causa esset putredo, videremus in omni parte pinguis corporis putrefactioni obnoxii lucis generationem; & quia nobiliorem seipsa effectum causa generare non potest, inquit Bartolinus: lib. 2. c. 3. propterea ex putredine lux oriri non potest. Putredo igitur id solum efficit, *ut in sua principia resoluto compositi, vel ad minimum à stricta partium unione laxato, latentia luminum semina ob elementorum mistionem, suppressa quidem non genita libertati suæ reddat*, quo pacto à putredine sejunctis partibus alicujus compositi insecta non pauca ex iis seminibus antea semisepultis generantur; ptopterea non ex quocumque misto inest propria mistura apta ad splendorem. Multò minus id dici de Bellanis potest, quia illorum humor, antequam putrescant, corusçat, imò iis corruptis, corrumpitur Lux.

Excitatur aliquando flamma, & lux, ex attritu duorum corporum, ut ex calybe cum silice, & ex arboribus vento agitatis, *mutua dum inter se rami stirpesque teruntur*; Lucret. l. 5. nempè motu illo excitata in flammam spiritosa substantia, sic confricatis equis, & ex eorum pelle sublatis fuliginosis excrementis, porisque cutis apertis, evaporant spiritosæ partes in scintillas, quemadmodum etiam, ex Felis pelle. Ita in puella quadam, inquit, Faber pall. sparg. c. 14. observasse se dum pectine crinem evolueret, deciduas in ejus sinu scintillas, quasi cadentes stellulas; quo portento Puella perterrita, deliquium subitò passa est, mox animo erecta, ubi ab eodem Fabri portenti causam excepit. Verùm hæc etiam causa extranea est, neque afferri pro Ballanis potest fulgurantibus, etiamsi nullum patiantur attritum.

Suppono propterea, quod asserit Bartolinus in singulis corporibus lucem aliquam contineri, concludique à generante. Seù producente congenitam, quemadmodum in silicibus, inquit Virgilius. Æneid. l. 61.

Quæruntur semina flammæ.
Abstrusa in venis silicis.

Quæ pro opportunitate loci, temporis, & conditionum se prodat (prætermissa hìc quæstione, utrum actu, vel virtute, flamma, illa contineatur) & nono Problemate idem Bartolinus asserit hanc observasse, vel in ipsa maris aqua, ex qua educto strophiolo, aquis immerso, noctu erumpebat fulgor; quod ipsi argumento fuit, in ea imbibitum esse humorem oliginosum, sulphureum, salsumque facilè abeuntem in flammam, qua de causa dixit Sect. 23. Probl. 15. Aqua maris difficilius ignem suffocari.

Inditis ergò, & immistis saxo; quo generantur Ballani nitrosis sulphureisque spiritibus, quod euinci potest ex eo quòd ferro in frusta concisum, mineralem odorem exhalat quasi cornu in igne usti: dicendum est, Ballano ipsi immistos esse hujusmodi spiritus, eodemque aquis educto, & sublato impedimento densi, & frigidi ambientis, eos facilè erumpere, & quia ex constitutione Naturæ facilè concipiunt ignem, vel ex tenui calore aeris, per quem transeunt, vel ex motu

ipso,

ipso, quo transpirant, accenduntur, & lucent, eo pacto quo super cœmeteria, & cadavera pendentia ex patibulis, ignis ille apparet, qui à Meteorologicis dicitur: *Ignis fatuus*, & *ignis lambens*, compactus fumositate subtili, & exhalatione viscosa, ex ratione consimili accensa.

PROBLEMA XXXV.

Cur in tanta colorum varietate, quibus Cochleæ pinguntur, Cæruleus nunquam appareat?

COlor, vulgò dictus Cyaneus, vocatur etiam Ultramarinus, vel quia, ut existimat Brasavolus apud Bernard. Cæsium de mineral. l. 2. sect. 5. num. 23. intensior est illo, qui apparet in mari tranquillo, vel quia ultra mare quærendus est, ut placet Falloppio. Imò à Latinis dictus est Cæsius, & Cærulens, ut notat in Commentariis super Martialem Perottus, ex eo fortasse, quòd cum cælestis substantia appareat, vix in terra, nunquam, vel rarissime reperiatur in mari. Verùm quæcumque tandem sit nominis Ethimologia, illud certum est, millenas inter Cochleas, & Conchas; quas ex diversis maris sinubus potuit mihi expiscari amicorum industria, & amor, & ex omnibus quas in tot Musæis inspexi, aspersas maculis, variegatas, tessellatas, infectas tinturis innumeris, fasciis, & coloribus pigmentatas; nullam unquam deprehendi, quæ se ostenderet, Cæruleo picturatam. Quamobrem rationabile dubium me occupavit, ac impulit ad indagandum: cur color hujusmodi in Conchis non appareat.

Non me latet indaginem colorum esse omnium *Philosophiæ partium difficillimam*, ut Scaliger adnotavit: contra Card. sect. 10. temerarium tamen non est, circa id philosophari; quod est difficile exploratu, atque ut alibi diximus: sterilis est voluptas contemplandi Naturæ opes, ubi ad illorum causas indagandas non progreditur ratiocinatio. Igitur antequam ad Officinam coloris cærulei iter insternamus, ne à recto tramite aberremus, obfirmanda sunt nonnulla, quibus altero veluti pede possimus consistere, altero fælici tramite ad terminum usque progredi. Rejecta igitur primò, ut falsa sententia Epicureorum, atque Athomistarum, qui in absentia lucis, negabant esse corpora colorata, assero cum Perypateticis: colores luce quidem detegi, non tamen semper luce generari. Sunt hi sæpissimè qualitas inhærens, permanens propriaque rei coloratæ. Propriam dixi, ac permanentem, cum aliquando accidentalis fit ex diversa commistione proveniens, atque ex mera dispositione partium diversa, color unus abeat in alium, omninò oppositum, ut in præclara experientia, tunc adnotavit Boiles, de color. par. 2. c. 14. cum per vitrum abraso nigro osse in stamina tenuissima distracto, illorum massa apparuit alba, non secus, ac papyrus ipsa, & cæruleus pulvis, flavo commistus, in viridem colorem evasit. Aliquando etiam accidentalis est, quia agente extrinseco potest facilè variari. Ita mutatur color in Claybe igni attemperato, abiens ex auro ad rubeum, ex rubeo ad violaceum. Ita admotis igni Conchis Pectinibus, præclarissimis coloribus infectis, vidi ego, colores evanescere, & purpurinis, flavis, & violaceis substitui colorem pallescentem, & cinereum. Qua de causa Aristoteles, sect. 18. Probl. qu. 21. innuens colorum materiam: Porrò, inquit, *quæ tinguntur omnia colores à tingentibus sumunt, nulla enim floribus è terra nascentibus, & radicibus tinguntur, & corticibus, & lignis, & foliis, & fructibus; præterea multa terra, multa spuma, multa & atramento; quin etiam nonnulla Animalium succis, alia vino, quædam fumo, alia lixivio, multa mari, ceu pili maritimorum; etenim hi à mari rufi evadunt; & alibi, ultimi hujus effectus causam inquirens, dixit. Utrum, quia mare sua salsugine calidum & squallidum est, tale autem quodque pilos conficere rufos potest, ut lixivia, aut auri pigmentum.* Ut nono capite advertimus, de coloribus in universum loquentes. Atque mutationis hujusmodi fiunt in coloribus, quibus delibuta est sola superficies, ut inductione fructuum, calore Solis, ac tempestate maturescentium, ibidem adnotavimus, & in ipso calybe, ut viola colorato, manifestè apparet, si per medium frangatur. Advertendum secundò, colorem permanentem proprium ut in gemmis, quem semper videmus rubrum in Pyropo, viridem in Smaragdo, cæruleum in Saphiro, provenire præcipuè ex admistione humorum materiæque universæ, quibus componuntur, aut aluntur corpora colorata, vel sint Mineralia, vel Gemmæ, vel Glebæ, vel Vegetabilia, vel Animalia.

Quæ autem sint magisteria, alterationes, concoctiones, viresque Naturæ, in hoc opere nobilissimo pingendi, diximus arcanum esse solis Angelorum intelligentiis pervium, cùm tot ipsa, ac tam varia sint gradu, numero, & excellentia, quàm multi colores discoloresque tincturæ sunt, quibus creatæ substantiæ apparent infectæ. Posse tamen à nobis principes causæ agnosci, quibus Natura utitur, tanquam artificibus ad corpus omne coloribus imbuendum. Persuasum sibi voluit Paracelsus, idque in examen vocans, juxta artis chimicæ magisterium agnoscendo in rebus omnibus tria celeberrima

chimicæ principia : Salem, Sulphur, & Mercurium, scilicet Salis nomine spiritum acidum corrosivum ; Sulphuris verò spiritum siccum, ac penetrantem, ac tandem pro Mercurio, vaporem humidum, ac tenacem, docuit : *colores omnes ex sale prodire ; quandoquidem Natura colores protrahit ex sale, cuique speciei dans illum, qui ipsi competit*, tandemque concludit : *itaque quippè rerum omnium corpora cognoscere vult, huic opus est, ut ante omnia cognoscat sulphur, qui desiderat noviſſe colores, is scientiam istorum petat à sale, qui scire vult virtutes, is scrutetur arcana Mercurii. Sic nimirum fundamentum hauserit misteriorum in quolibet crescenti indagandorum, prout Natura cuilibet speciei ea ingessit.*

Alii figuram corporum Sali tribuentes, ut dictum est Problemate XIII. colorandi facultatem proprio sulphuri tribuunt, hoc est alteri ex principiis componentibus mista, in quæ singula possunt resolvi. Neque fallax meo judicio est argumentum ab experientiis depromptum, atque ne alibi exposita, iterum prodeant in scenam, audiamus Chimicos philosophantes ad experimentum Febu rii Chimici Angliæ Regis, qui : *Salem Tartari lixivium, eo usque provexit, ut in vitrea cucurbita sublimando, altè exurgens germinatissimam vuam (si colorem exceperis) mira similitudine referret*. Quid ergò mirum (ipsi dicerent) si una cum Vuæ figura, Vuæ color non gignitur ? Pendet hic ex sulphure, illa ex sale. Primum maximè spiritosum subtileque ad omnem segregationem, vi ignis effectam, se subtrahens, totum evanuit in tartari calcinatione, alter verò constans parte magis terrea, ac pingui subsidit in cineres.

Si ratiocinationem hanc longius protraherem, extra propositum argumentum abducerer, neque cursim Auctorum sententiæ in diversa distractæ exigi possunt ad trutinam. Imò ut advertit P. Bartolus : Del Ghiaccio sperienza 21. *Impresa dalle più celebri Academie de Letterati, che oggidì fioriscono sarebbe : l'applicar concordemente per alcun tempo l'ingegno, e la mano intorno à questa sola specie di lavori, che tutta è della virtù formatrice de sali, facendone ogni possibile varietà di sperienze rettificate, e sicure. E ne harebbe il Mondo non senza gran merito, e pari gloria degli Autori, una delle più splendide, e misteriose parti della Filosophia naturale*. In re nostra satis est scire. Colores multos ex Salibus prosilire, quod curiosis experimentis intimè prospexit Boiles. Percurrat noscendi cupidus eruditum tractatum, quem de coloribus inscripsit, cum ab instituto meo maximè alienum sit ab aliis evulgata in has paginas transferre, sed illud solùm inquirere, quod aliorum calamus non recensuit, nempè: cur cæruleo colore non appareant Cochleæ depictæ ? Antequam cominus rem attingam, præmitto id quod contra Paracelsum Boiles idem advertit : Exper. 27. 28. Nempè, universalia principia ad obfirmandam veritatem indagatam, inniti experientiis non posse, adeòque sales non sufficere ad generationem colorum, cum hi, pendeant à Natura corporum singulorum, quæ pinguntur à salibus, quod evidenter ostendit, quando uno eodemque spiritu acidi salis flores nonnulli crocei coloris subalbum induerunt, & croceus flos Rubbiæ evasit in rubrum. Sic eadem vi exsiccativa ignis colore rubeo lateres imbuuntur, cinereo lignum, croceo plumbum, ferrum violaceo, quod Sancto Isidoro argumentum præbuit existimandi colores perfici potiùs calore, quam generari, ideòque ait. Lib. 19. Orig. c. 7. *Colores dicti sunt quod calore ignis, vel Solis perficiantur*.

His prælibatis, progrediar ad examen cololoris cærulei. Apparet hic nativus in Fructibus, Floribus, Herbis, Liquoribus, Avium Pennis, atque Lapidibus, non tamen in testis Testaceorum, saltem non in eo gradu tincturæ exuberantis, ut in Floribus, Pennis, Lapidibus; atque, ut hoc arcanum Naturæ intimè perscrutetur pulcherrimus est in Saphiro, Orientali gemma, quam Indi Calecutani, Cananores Zeilani, & Peruani, apud quos generatur, Nilaum appellant ; apparet in lapide Zaphirino vulgò dicto *Lapislazulo*, aut *Turchina*. Atque hujusmodi lapides, teste Plinio Theofrasto, & Discoride Auctoribus eruditissimis, & accuratis Naturæ indagatoribus, gignuntur in Metallorum fodinis, ac præcipuè cupri, auri, & argenti ; quod adeò certum est, ut Agricola signum infallibile dicat auri, vel argenti ibi esse, ubi cæruleus apparet in terra. Et quia Zaphirinus venis auri, vel argenti semper internitet, Mesues illum inter stellatos lapides numeravit. Lib. 5. de re metall. Ità in Silesiæ Oppido, quod Golderbergum à vicino monte auri ferace dicunt, perfectissimus gignitur. Prope Cyprum in cavernis, maris impetu excavatis refert Agricola una cum feracibus metalli venis gigni.

Jam verò si in solis metallorum Fodinis, & non alibi generanrur lapides, cæruleo illustrati, dicendum consequenter est, inesse ibi materiam, aptam ad calorem hunc producendum, cui à raritate pretium augetur. Existimavit Agricòla hujus generationis materiam esse metallum ipsum, & cæruleum tunc gigni, quando spiritus aliquis salis acidi, & corrosivi illam corrodit, & quemadmodum inquit ille, Lib. 3. de ortu cauſ. subterr. *si succus vehementer acidus concluſus circumſteterit eris materiam ipſam*

erodens eruginem efficit. Ad cujus generationis experientiam Natura nos excitavit dicimusque conficere tam eruginem rasilem quam cæruleum. Atque ut hoc dilucidè appareat, digna sunt, quæ in Theatrum dedit experientia, cum variis modis, quibus ars extra fodinas tam illustrem colorem comparat sibi. Et primò quidem extrahitur ab argento, si argenteæ laminæ Mercurio prius immersæ ponantur in vase, una cum sale ammoniaco in quantitate non exigua diluto aceto, ita tamen, ut laminæ non sint vasi immersæ; mox obturato per dies aliquot vase tumuletur sub stercore equino, ut Cardanus docet Lib. 5. de subtil. jisdemque tandem è stercorario illo tumulo erutis, eradatur Tartarum illud, quo apparent circumvestitæ, quod aqua pura ablutum, postquam igne prius incaluit, in cæruleum nitidissimum transit. In arte vitraria alii sibi comparant Mercurio, Sulphure, & Ammoniaco sale, igne calcinatis, quò usque cæruleus fumus evaporet. Agr.c.l. 9. de nat. fossil. Conficitur nitidissimus æris ærugine, una cum Ammoniaco sale, sterquilino sepultis, & quidem mihi contigit id observare, quod postea adnotatum ab Aquilonio inveni, nempè æris ærugine aceto acidissimo, & ammoniaco sale ebullientem, cæruleum induere, & viriditatem suam omninò deperdere; gignitur etiam ex laminis æris, infusis oleo ex Calchantho, urinæ spiritui immisto; aqua ex viva calce sale ammoniaco diluta, intra vas Æneum collocata cæruleo colore tingitur. Laet. libr. 2. de gem. c. 43. qui hoc docet, addit: per elambicum distillatis floribus Anthemidis, una cum spiritu Terebinthi, salis ammoniaci, & aquæ in vase æneo apparere innatans aquæ oleum simile oleo ex saphiro, eumque colorem ex sale ammoniaco provenire, qui ex ære fugens colorem, oleo commiscet. Igitur ex his omnibus experimentis, & artis industriis argui potest absconditum magisterium Naturæ, cujus peritia, vel in eo maximè sita est, ut scitè applicet activa passivis; ars verò quamvis præ manibus habeat rerum causas ipsi ignotas, effectus quamplurimos non obtinet, qui ex diversarum rerum applicatione resultarent. Quamobrem sentiendum est, ad generationem cærulei in lapidibus, requiri semper combinationem materiæ metallicæ, salis acidi, corrosivi, & potentem calefactionem, vel ea fiat vi ignis, vel spirituum sulphureorum, & salnitrosorum in opportunis circumstantiis calorem facilè concipientium; atque hoc ita obfirmato, statuitur opinio Vvillis, affirmantis ex sulphuribus pendere colores. Jam verò si ex terra nos transferamus ad mare, in eo sinè dubio frustra inquisitio fiet de colore cæruleo in lapidibus, & in septis Testaceorum, quæ conveniunt in pluribus cum lapidibus. Si cæruleus lapidum necessariò supponit metalli alicujus generationem, ut ex adductis experimentis constat; in eo certè metallo requiritur calor penetrativus materiæ dispositæ, potens illam concoquere, fermentare, & in metallum tingere ad mensuram dispositionis, quæ inest metallo, in quo operatur. Atque hic calor à Chimicis dicitur Sulphur, quo nomine juxta mentem Aristotelis 4. Meteor. intelligitur vapor siccus, & activus, qui etiam Auripigmentum dicitur à Gebro, & sequacibus, ut advertit Falloppius de re metal. c. 11. Et quia hoc sulphur non reperitur in Elemento Aquæ, humiditate, & frigiditate sibi congenita illud dissipante, ac penitus extinguente, excludit etiam ab Elemento illo generationem omnem metalli, adeòque tincturam omnem cærulei in corporibus in vasto illo Elemento asconditis.

Verùm quia apparet ex dictis spiritus acidos, corrodentes, & salsos conducere plurimùm ad cærulei tincturam, quandoquidem ex qualitate metallicarum defectu fieri non potest in mari tinctura exuberans saphiri, examinandum superest: cur saltem in gradu magis remisso gigni non possit in mari, undequaque acido, & salnitroso, adeòque Testaceorum feraci, qualis apparet in fructibus nonnullis, in plurimis floribus, & in variis avium pennis.

Parem explicatæ quæstioni difficultatem patitur dubium hic propositum, atque intimè inspectis vastissimis officinis, in quibus qualitates, quas occultas dicimus, utpotè intelligentiæ nostræ non perceptibiles, operantur magisterio artis ratiocinationem nostram eludentis, subscripsissem, manusque dedissem Aristoteli, ubi dixit: Meteor c. 2. *Quemadmodum Vespertilionum oculi se habent ad lumen diei, ita intellectum animæ nostræ ad ea, quæ omnium sunt manifestissima se habere.*

Referunt sæpè corpora omnia proprietatem Solis, eò magis luce sua imperuii obtutibus, quò magis pervia oculis illa est; Jam verò si cæcutimus in Sole, quid de coloribus judicabimus? Providentissimè constituit Deus, humanum ingenium supra se, & supra omnia elevatum deprimi pondere ignaviæ suæ, quam experitur maximam, vel in quovis exiguo Naturæ opere, etiam cum illius omni conatu aggreditur indaginem.

Magistra tamen experientia, vel in nubilo, & in tenebris multa dignoscimus. Hæc autem docuit me, cæruleum quemlibet ex aliquo minerali metallico expressum; comparari semper, tum ab Arte, tum à Natura, medio aliquo corpore salso, & acido: sicut autem verum est hisce corporibus comparari; ita verissi-

mum

mum est in alio quocumque corpore destrui ab his colorem hujusmodi. Mihi hoc manifestè innotuit cum diversis quatuor liquoribus, acido, salso, & corrosivo, nempè succo mali limonii, aceti, urinæ, & aqua ex salnitro confecta. Singulis adsperſi uno eodemque tempore, mox sejunctim particulam Bombycini cærulei, pennam colore cœlesti nitidissimam, exiguam quantitatem *Indici*, hoc est coloris ex succo herbæ Gasto, cum modico pulveris cærulei, quem communiter *Encaustum* dicunt, conflatum in officinis Vitrariis ex laminis æreis. Jam verò ab hisce corporibus salis, & corrosivis, destructus omninò fuit cæruleus proportionato tamen temporis intervallo pro minore activitate cujuscumque, præterquam in Encausto, qui suum semper colorem retinuit imò nitidiorem imbuit aqua forti immersus, quæ utpotè vehementior, cæruleum consumpserat in penna, in Indico, & in Serico. Eamdem Metamorphosim in Floribus observavit Boiles, Experim. 20. cum repetitis experimentis edidit: violæ cæruleæ succum mutari in rubrum ex salibus acidis, nempè ex salis spiritu, calcantho, aqua salnitrosa, aceto, & salibus volatilibus Animalium nempè ex spiritu cornu cervini, urinæ, salis ammoniaci, & sanguinis, quemadmodum etiam ab aliis salibus alcalizatis color ipse viridis transformatur.

Supererat examen liquorum, qui cæruleo imbuuntur à corpore aliquo, nullo adjutore metallo. Quando autem mihi ex proximo comparabam voluptatem illam, tunc perceptam, cum experientiæ magisterio edoctus intellectus aliquid de novo addiscit, inveni illam mihi cõparatam à præfato Boile, didicique urinæ sale suffuso, colorem flavum aquæ impertiri, quæ antea ex calchantho cærulea apparebat. Præclarior visa est mihi aquæ transformatio cæruleo infectæ ex ligno nefritico mirabili. Mexicani, apud quos nascitur, dicunt illud *Coathl*, ac *Zlapazathi*, & præter Kircherum Art. mag. luc. l. 1. capit. 3. dicit Monardus libr. simpl. ex Indic. c. 17. illud ipsum qnod ego conspexi, nempè, infusum *aqua, dimidia hora post iniectum lignum, aquam cæruleum colorem contrahere, qui sensim intruditur pro temporis diuturnitate, tametsi lignum candidum sit*. Hãc inquam vidit Boiles flavum contrahere modico aceto infuso; mihi autem limpida prorsus apparuit, ut antea, cæruleo penitus evanescente, immistis paucis guttis spiritus salnitri. Non contentus primò experimento Boiles, aquam illam elambicco distillavit, quæ limpida egressa in elambicci fundo nitidum cęruleum subsidentem reliquit, sed eodem acido asperſa, flavum repente contraxit.

Ex his omnibus accidentibus, ac transformationibus observatis in cæruleis coloribus, quibus fuere imbuti panni, flores, herbæ, liquoresque, videor mihi habere prè manibus argumentum sufficiens causæ, cur in Testaceis non appareat color hujusmodi? Non solùm hęc in sale maris sepulta sunt, sed conflata ex materia multiplici falsa, nitrosa, acri, & corrodente, tam in testis, quàm in carnibus, videlicet plena qualitatibus oppositis generationi coloris hujusmodi ex raritate sua pretiosissimi, possunt autem solùm apparere iis omnibus coloribus picturata, quibus non contradicit, imò maximè confert spirituum salnitralium Natura. Interroganti verò. Cur hanc potiùs, quàm aliam speciem induant coloris, sivè ex sulphuribus, sivè ex salibus, satisfacerem responso allato à Boile, accuratissimo omnium indagatore Colorum Naturæ, nempè; Experim. 40. *Responsum dare, quod satisfaciat, meum ingenuè fateor in, cæptum hactenus supergreditur*.

PROBLEMA XXXVI. & Ultimum.

An à Cochlea Venerea, quam Echeneidem, seù Remoram dicunt, possit Navium cursus retineri.

OMnes asserunt: Vivere in mari Remoram, quam Græci *Echeneidem à retinendis navibus* dicunt, Latini verò *Remoram à Remorando*. Non omnes tamen in ejus descriptione conveniunt. Mutianus post narrationem Navis à Periandro expeditæ, & in medio cursu, improvisò retentæ, dixit, prodigiosum hunc effectum tributum fuisse, uni Cochleæ, quam ipse Muricem appellat, verùm dum asserit: *eam latiorem purpura, neque aperto, neque rotundo ore, neque in vngulis producente rostro, sed simplici Concha utroque latere se colligente*, inde arguit Rondeletius, Lib. 32. c. 2. fuisse Veneream descriptam à nobis num. 231. Class. 3. Plinius cum narrasset: Navigante Antium versus (nunc Neptunum dicunt) Caio Cæsare Caligula in triremi, quam remiges quadringenti impellebant, addit: *cæpit stare navigium*: cumque plurimi sese proripuissent in mare, ad causam tam improvisi eventus inquirendam: *circa navim piscículum invenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Cajo*, & alibi: relata mora navis Antonii pugnatoribus ejus suppetias ferentis, dicit: *Qui tunc postea videre*, de eodem pisce loquens, *eum Limaci magnæ similem dicunt*. Affirmant alii cubitum magnitudine excedere, & Aristoteles eum esse ex genere Piscium inter saxa viventium.

Dubium omne ex animo abrasisset, si figuram illius, & lineamenta adumbrasset. Verùm fue-

fuerit hoc neglectum, vel ex incuria, vel ex imperitia, nobis ille cæco quodam modo eſt indagandus; atque in tanta eventuum diverſorum varietate, nil aliud certè nobis afflatur niſi. Remoram piſciculum eſſe, tanta vi præditum, ut torporem, ac moram injicere ingentibus etiam navigiis poſſit.

Parva Echeneis adeſt, mirum! mora puppibus ingens,

Cecinit Ovidius, eventum adeò inſuetum admiratus, ſed non ultra progreſſus eſt ad diſcutiendum. Utrum eventus ille veritati innitetur, & quo id pacto poſſit contingere; Plinius exiſtimat non poſſe rationem afferri, eumque effectum, *ſponte ſua occurrere, immenſum potentiæ occultæ documentum*. Scaliger etiam occultè id tribuens qualitati, dixit, Temerarium eſſe illam inquirere. Quemadmodum enim terra in centro conſiſtit Mundi, *ponderibus librata ſuis*, Cœlum verò ſua ſemper vertigine circumfertur; ita quibuſdam corporibus ineſt potentia movendi, ut in magnete ferrum movente; aliis verò ineſt principium quietis impertiendæ, inter quæ Echeneis recenſenda eſt, quo pacto piſcatoris manum torpedo reddit immobilem, quamvis non illam attingat. Quod ſi non quæritur: cur frigus opponatur calori: ita iuquirendum non eſſe; cur corpora habentia in ſe principia motus, & quietis, alia motu impellant, alia quiete ſiſtant. Detur totum Scaligero, negare tamen ille non poterit: haud fruſtra inquiri: Num piſcis hujuſmodi poſſit has vires exercere; dum non ita omnibus obvium eſt, ab eo naves ſiſti, quemadmodum calorem oppoſitum eſſe frigori certum eſt apud omnes.

Gillius curioſus indagator Piſcium Naturæ, de Echeneide loquens apud Geſner. libr. 4. de Aquat. *Echeneidem*, inquit, *non vidi, neque ex quuntumlibet infinitis percunctatus ſim, quemquam piſcatorem invenire potui, qui hunc ipſum hac ætate viderit.* Adamus Lonicerus abiit in eamdem ſententiam, addiditque (an apud ſe verum deputaverit: an verò ad ingeniosè diſputandum ſibi reſervaverit incertum) ſtetiſſe Periandri, & Caii Cæſaris naves, Remora detentas, præſagium fuiſſe eventus futuri; quamobrem ſtetit altera, inquit ipſe, *tamquam indignum iudicante Natura homini id quod conſervationi ipſius donatum eſſet auferri.*

Altera verò quia eadem Natura optabat (futura Cæſaris cæde præcognita) *ab ipſo malum avertere, atque à curſu infauſto, & infelici revocare.* Verùm hoc eſt humanorum eventuum arbitrium, & imperium Fato, & Fortunæ committere, quod Etnicum eſt, cœloque elementari mirabiles illas virtutes tribuere, quæ tam variis eventibus vitam diſtingunt à primo, & inauſpicato naſcentis momento, exindeque prædictione antevertere, quæ poſtea reſpondent eventu, ſpectra, & umbras quaſi venari, funeſtorumque eventuum terrorem anticipare; philoſopho non deliranti incumbit ſtudium, intimas rerum fibras ſcrutandi, ut è propinquo veritatem qua fieri poteſt inſpiciat, nec pro libito fabulari, credula facilitate amplectendo quidquid ſe menti offert veritatis larva perſonatum. Proponit hoc Problema Ariſtoteles, in mechanicis, diſquirens: qua vi piſciculus tam exiguus poſſit, tam ingentibus navibus moram iniicere? Atque hoc ſuppoſito tanquam certo, conatus eſt, dubium omne paritate diluere, quę in ipſa Navi ſeſe offert. In ipſa, inquit ille, tam exiguæ molis gubernaculum minima vi circumactum poteſt navem totam dirigere, & contorquere; in eaque non immoto gubernaculo, ſed hinc indè converſo ſiſtitur motus, & curſus, atque in univerſum verum eſt. Motorem collocatum in extremitate corporis moti, poſſe movere facilè partem alteram ejuſdem corporis, atque hoc non aliam ob cauſam. Niſi quia in rebus ſe moventibus, *prima pars fertur celerimmè in extrema motus remiſſione, quo pacto in iis quæ feruntur in fine ceſſat impetus*, undè poteſt facilè removeri, ac retardari. Ita clauus infigitur puppi Navis extrema, quia poteſt facilè contorqueri, & ideircò puppim movere, quæ incitatur motu tardiore, quam Prora, ac propterea minùs renitens motori, quo fit quòd Prora moveatur, & ipſa ad motum gubernaculi in puppi. Ex his omnibus infert Philoſophus poſſe etiam Echeneidem Navis gubernaculo adhærere, & pernicitate motus huc illuc impellendo corpus ipſius, ambiguum motum proræ imprimere, quo navis curſus non parum retardetur.

Bene eſt: detur hoc Ariſtoteli, non ideò ex ratiocinatione illa evidenti argumento concluditur de Echeneidis vi, contradicente hiſtoriarum fide. Plinius ait: *circa navim adhærentem gubernaculo, inventam fuiſſe Remoram.* At Cardanus aſſerit: curſum illi inhibuiſſe, fundo inhærentem; Plutarchus verò lateri. Neque ſolum aſſeritur: curſum navibus inhiberi, ſed immobiliter ſiſti. En ex ipſo Plinio deſcriptam hiſtoriam lib. 9. c. 25. lib. 32. c. 2. *Parvus admodum piſcis Echeneis (ruant venti licet, & procellæ) imperat furori, viresque tantas compeſcit, & cogit ſtare navigia, quomodo non vincula ulla, non anchoræ pondere irrevocabile jacta. Infrænat impetus, & domat Mundi Rabiem, nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo, quam adhærendo*, & Caſſiodorus lib. 1. variar. *Indici maris Conchæ ſimili potentia, labris ſuis navium dorſa fixerunt, quarum, quietus*

tus tactus plus dicitur retinere, quam exagitata posſint Elementa compellere. Stat pigra ratis ſumentibus alta velis, & curſum non habet, cui ventus arridet, ſinè anchoris figitur, ſinè rudentibus alligatur.

Problema hoc fuſius examinavit in Academia Phiſicomathematicorum Romæ ſub ſapienti directione Illuſtriſſimi Præſulis Ciampini P. Franciſcus Eſchinardi Societatis Jeſu, qui attentè advertit: Tria in aliquo corpore impellendo requiri. Primò aliquo pacto conjunctum eſſe potentiæ moventi. Secundò moventis partes inter ſe unitas. Tertiò motorem eſſe immobilem, & inhærentem alteri corpori immoto. Supponit ulterius. Non poſſe à movente exeri vires majores illis, quibus reſiſtere valeat extremum illud corpus, cui innituntur vires illæ, idque præclara ſanè experientia demonſtravit; cum æquilibrato æquali pondere, & homine, utroquæ pendente ex Trochlea, quamvis ille conatum omnem exhibuerit, elevare nunquam potuit pondus ſeipſo majus, niſi quando immotæ Trabi pedes infixit. Hinc non eſt damnanda jactantia, quæ imponitur Archimedi, cum danti unicum palmum corporis extra Mundum immoti, quo pedem figeret, fidem ſuam oppignoravit, fore ut non terram ſolùm ſuo è centro divelleret, ſed Mundum univerſum impelleret. His ratiocinando prælibatis, argumento procedit, tandemque concludit. Non poſſe Remora navim ſiſti; quamvis enim illa adhærere poſſit ligno, ibique conſiſtere ſinè partium ſuarum diſcontinuatione ſejunctioneque, immobilis ſtare non poterit contra vehementem maximè impetum, à navi, ventis, remiſque propulſa, injectum aquis Natura valdè mobilibus, & ex aquis tranſeuntem ad Remoram. Itaque ſi Mutiani narratio vera eſſe non poteſt de Concha Venerea, cum ipſi aptari Ariſtotelis ratiocinatio non poſſit, iiſdem de cauſis potiori jure non poterit dici de Piſce ab eodem exhibito.

Unum ſupereſſet: Utrique Remoræ inditam fuiſſe virtutem conſiſtendi contra omnem contrarium conatum immobilem, ſinè dependentia à corpore, cui ambo adhærent. Verùm id contendere eſt apettè contra veritatem rationemque pugnare, docente experientia, quod etiamſi deprehenſa fuiſſet Remora illa, aut ille Piſcis inhærens navibus, quocumque vel levi manus conatu avelli facilè potuiſſet. Jam verò ſi manus una potuit illam evellere, & à ligno, & a mari, an non peterit eamdem abſtrahere impetus conceptus à Navi, validiſſimis ventis pleniſque velis liquido Elemnto invecta? Quamvis magnes ad ſe ferrum trahat, & arctiſſimo ſimpathiæ nodo illud ſibi devinciat, ſi liber pendet in aere poterit utrumque à majori vi huc illucque transferri pro libito. Ventis igitur propelletur tum navis, tum Remora, quamvis hæc illi firmiter adhæreſcat. Neque narratio quæcumque rei prodigioſæ debet fidem à Philoſopho exigere. Verum quidem eſt, Sanctum Baſilium, in examer hom. 7. Sanctumque Ambroſium Examer. lib. 5. c. 10. in ea memoranda nihil hæſitantes argumentum ex ea deſumpſiſſe, divinã potentiam oſtendẽdi, tot modis participatam creaturis, dicente primo. *Nonne in parvo hoc eamdem potentiam Conditoris ſignificationem accipis?* Et altero: *An & huic putas ſinè Creatoris munere tantum potuiſſe ſuppetere virtutis.* Verùm in hoc fidem ſuam conditionatè manciparunt, & libertatem cuicumque fecerunt indagandi in his prodigiis veritatem.

Pro Concluſione Problematis digna eſt Plutarci obſervatio. Lib. 2. ſimp. 1. ac probl. 7. Res nempè quamplurimas non eſſe cauſas accidentium nonnullorum iis connexorum, ſed ſimultaneos effectus tertiæ alicujus concauſæ, vel ignotæ, vel difficilis indagationis. Ita Lucernæ lyceno incumbens fungus, non eſt cauſa pluviæ, ſed utrumque fit, pluvia nempè, ac fungus, ex aeris addenſatione concretioneque vaporum, ita navis, inquit ille, retardari poteſt ex nimia algæ, & muſci copia innaſcentis; quà de cauſa ſæpius afflictæ naves recreantur expoliunturque, atque intra muſcum, vel algam poteſt abſcondi Remora, ſeù Piſcis, ſeù Cochlea ibi genita, vel pabulo illecta, quod reperit. Poteſt etiam ſiſti navis improviſo, & præcipiti aquarum decurſu, internas aquas concitante, ut non ſemel accidit. Et in Oſtio freti Mamertini naves optimè inſtructæ, dum propellebantur ventis incitatiſſimè vela omnia implentibus, repentè viſæ ſunt ſiſti, cum occurrerent adverſæ aquarum fluentæ, atque exertis hinc indè pari conatu viribus, utraque in alteram adnitente, & neutra alteram in contentione ſuperante, omni penitus motu naves privabantur.

Verùm quia lacinioſo nimis adhibito diſcurſu hac ſuper re mens evagaretur, ſatis eſt mihi abrupta longiore peryodo laciniiſque, ac velis contractis finem imponere, ſeptingentis, & pluribus ſpeciebus diverſis indicatis, potiùs quàm exacta delineatione deſcriptis, pluresque dubitandi rationes, & quidem non ad puerilem ludum inſinuaſſe, ſi non omni dicultate evolutas, & enodatas, ad oblectandum tamen ſapientis animum attemperatas.

Etenim multa in Rerum natura poſuit ejus ſapientiſſimus Author, quibus nimis elatæ mentes Hominum deprimerentur, ne ſuperbirent, & utili ignorantia edoctæ illud dare ſcirent, quod D. Gregorius lib. 2. moral. c. 5. affirmavit. *Virtutis Divinæ miracula obſtupuiſſe, dixiſ-*

ſe

se est. Summum Artificem maximum esse in minimis una vel levis maris conchula cobis demonstrat. *Sæpe* (inquit celebris Author apud Joan: Jacobum Hofman. add. ad Lexic. in Præfat.) *Hominis aggressi parva successu operis majores spiritus sumunt, ut Ligur ille Marianus, dum cochleas ut sectatur studio legendi, paulatim in summum montem egressus, Victoriæ viam Imperatorem edocuit*) Hac ratione oculos oblectando mentem erudimus, & excitamus ad cognitionem Opificis. Animum in Deum intento, rebus cæteris obiter utendum docuit Epitectus cap. 12. addiditque. Quemadmodum in navigatione subducto navigio, si aqua tum exieris obiter fortassis etiam Cochleolam colliges, aut bulbum; animo autem in navigium intento esse oportet, ac continenter sollicito, ne Gubernator vocet, ac tum ille omnia relinquere, ut ne vinctus tanquam avis in navim conjiciaris. In quam sententiam ita suaviter cecinit Illustrissimus Præsul Leo Strozza.

Sotto Cielo straniero
Dell' infido oceano sù l'arene
Talhor stanco Nocchiero
A raccor le Conchiglie si trattiene.
Ma solo per diporto
Che il pensiero maggior sta fisso al Porto.

FINIS.

FINIS.

PARS QVARTA
ICONES TESTACEORVM
QVÆ IN PARTE SECVNDA DESCRIBVNTVR

CLASSIS
PRIMA
TESTACEORVM
VNIVALVIVM
NON
TVRBINATO-
RVM
b




1
3
4
2
5
6
7
8
9
10
11
12



13
15
14
16
19
17
18b
A B
20
A
C
D
20
B
d



E
20
E
20
M
F
M
21
22
23
24
25
26
27
26
29




30
31
30
35
36
33
34
38
39
C
C
C
D
D
D
37
39
A
B
32
f




CLASSIS
SECVNDA
TESTACEORVM
BIVALVIVM




1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
h

12
13
14
16
15
16
17
19
20
21
22
23
24

25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
k



46
47
48
50
49
51
52
53
54
56
55
57
58
59
60



61
62
63
65
64
66
66
67
66
69
70
71
72
74
73
75
76
77
78
m


59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
n



92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
O




105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118


119
120
A
122
121
B
121
123
126
124
125
127
4



130
128
129
132
131
133
134
135



CLASSIS
TERTIA
TESTACEORVM
VNIVALVIVM
TVRBINATORVM




1
3
5
4
2
6
9
8
7
11
10
12
13
14
t



15
16
17
18
17
19
20
21
22
23
25
24
26
27
11

28
32
29
33
34
30
35
31
36
36
37
31
41
39
42
40
46
43
44
48
47
45
49
50
51
x



52
53
54
55
57
56
60
59
58
63
62
61
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
y


77
76
60
79
61
62
63
64
66
65
67
68
69
90
91
92
94
93
2

96
101
97
95
96
99
100
102
103
104
105
107
106
109
106
110
aa.



111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
125
A
B
126
127
128
129
124
bb



130
131
132
133
135
134
139
138
136
137
140
142
143
141
146
145
144
148
149
147
151
150
CC



152
155
153
154
156
157
159
156
160
161
dd

162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
cc




176
179
180
161
162
163
163
164
165
166
167
166
ff




189
190
191
192
193.
194.
195
196
197
99



198
199
200
203
201
202
204
205
206
207
208
209
211
210
212
213
214
215
216
218
217
219
200
221
hh



222
223
224
226
225
227
228
229
230
231
232
233


234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
kk

261
262
263
264
264
265
266
267
266
269
11




270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
mm



260
261
262
263
264
265
nn

266
267
268
269
290
291
00

292
293
294
295
296
297
298
299
300
331
pp

302
303
304
305
306
307
99


306
309
310
312
313
311
314
rr

315
316
317
320
318
319
55

321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
tt

337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
uuu

355
356
357
358
359
361
360
362
363
364
365
366
367
367
368
xx

369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384

367
365
366
390
366
369
392
391



393
395
394
395
396
397
396
399
400
402
401
aaa

403
404
405
404
406
407
408
409
410
411
412
999

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

Accipiter amuletum Ægyptiorum. 36
Aculei spinarum dentium &c. 347 & *seq.*
Acus crinalis. 166
Ætites Lapis. 204
Ab Ærario quid significet. 114
Ægyptiorum Idola varia. 34
Agaricus Fossilis. 221
Alcionium varium. 267
Alphonsus Donninus aliqua donavit Collegio Romano pro Musæo instruendo. 1
Alumen quomodo fiat. 216
Amianthus. 206
Amor sacer, & prophanus.
Amuleta Æthnicorum. 35
Animalia mole licet minima sapienter considerata. 394
Parva generantur in majori numero quàm maxima. 408
Multa vivunt sub diversis formis accidentalibus successivè productis. 414
Generantur intra Gallas sine semine prævio à muscis relicto. 415
Exanguia carent corde. 501
Exanguia breviorem vitam agunt quam sanguinea. 510
Antalia dicuntur Testacea. 437
Anathemata vide Tabellæ votivæ.
Annuli Antiquorum. 169
Antimonium. 213
Apis construit cellas rotundas nõ pentagonas. 494
Apollo in Lucerna. 135
Apollo Solem indicat. 23
Apollo, & Nauclerus depicti. 6
Apollinis caput cur septem radiis exornatum. 144
Aqua lustralis in sacris Æthnicorum quæ. 14
Aquila in sepulcro exculpta. 100
In Lucerna. 132
Araneus Apuliæ vulgo Tarantula. 349
Ejus oculi observati. 349
Araneorum fila, & Bombicum. 350
Aries cur Jovem significet. 26
Mercurium etiam indicat. 26
Aristomacus multos annos in Apum studio transegit. 403
Aristoteles Animalium historiam scribens ab Alexandro juvatur. 397
Laudatur propter Animalium Historiam, & Problematum libros licet in multis rationes sint falsæ. 477
Ars materiam superare hiperboliee dicitur. 403
Armillæ dabantur victoribus. 138
Mulierum ornatus. 167
Arma Barbarorum diversa. 235
Artefacta parvæ molis. 234
Armadillus. 274
Arundines indicæ. 342
Aspis. 274
Astroites Lapis. 204
Atlas quis fuerit. 145
Athletæ vide Bestiarii.
Augurium ex Pullis captum. 137
Auditu carent testacea. 503
Ejus organum quomodo destruatur. 511
Auris marina. 436
Auris Animalis duplici cochlea munitur. 512
Aurum, & Argentum. 211
Aviculæ dictæ chiupparosas. 226
Avis dicta Paradisi. 226
Avis dicta Tuccano. 228
Avis dicta Pica Brasiliana. 228
Avis Onocrotalus. ibid.

B

B. pro V usurpabant Antiqui. 102
Bacchus Solem significat. 23
Cur Bifrons, & Puer. 24
Bacchantes Bacchi assecla. 24
Earum indumentum. 24
Expressæ. 33
Bacilli quibus sinenses utuntur in sumendis cibis. 233
Balanus Animal est Testaceum. 436
Nascitur in saxo. 413
Cur nocte splendeat. 514
Quomodo in visceribus saxi augeatur. 413
Balani. 436
Balnea 161 *in jis unguentorum usus.* 163
Balneorum vapor calidus quomodo temperetur. 163
Bestiarii pugnabant cum Feris in theatro. 131
Bivalvia. 438 & *seq.*
Dici possunt Testacea omnia. 524
Bonarota nunquam duos omnino similes vultus sculpsit. 424
Bos in Luceraa expressus. 130

Bucardia. 446
Buccinæ diversæ. 457 & *seq*.
Bulla ab antiquis lata e collo pendens. 37
Bulla equestris. 176

C

Cadaverum crematio quando incæperit. 85
An lino asbestino involuta cremarentur. 87
Cur aromatibus condita. 246
Caducæus Mercurium indicat. 14
Caius, & Caia quid significet. 110
Caliga militaris expressa in lucerna. 143
Calcei cum lunula. 164
Caligæ, & calceorum genus varium.
Calligula ad triumphi significationem Turrim cochleis ornavit. 394
Camaleon. 275
Camillus quis dicatur. 18
Canalis fictilis. 161
Candelabrum marmoreum expressum, & explicatum. 7
In Sacris adhibitum. 7
Canis monstrosus. 283
Canis Piscis. 268
Canis amuletum Ægyptiorum. 36
Canopus inter Deos adscriptus. 33
Quomodo expressus. 39
Capillorum ornatus reprehensus. 166
Charon in tumulo exculptus. 98
Charta sinensis. 231
Characteres aqua formati quomodo legi possint. 492
Catenula ex uno ossis fragmento. 235
Cimex. 345
Cintura Barbarorum Brasiliæ. 225
Sinensium. 225
Ex nova Francia. 225
Cylindri dicuntur aliquæ cochleæ. 456
Claudius Cæsar jubet à militibus manus impleri Cochleis. 394
Coagulatio quando fiat. 488
Cojux loco Conjux usurpata ab Antiquis. 92
Coenantes nudipedes apud antiquos. 96
Cœna in tumulo expressa. 96
Cochlearia Tartarorum, & Turcarum. 233
Cochleare in Sacris adhibitum. 10
Cochlearum observatione mens delectatur. 396
Cochleæ olearia. 450
Echinophora. 451
Turbines dictæ. ibid. & *seq*.
Depressæ. 459
Umbylicatæ. ibid.
Fasciatæ. 360
Muricatæ. 463
Sarmatica. ibid.
Venereæ diversæ. ibid. & *seq*.
Sapientis studium merentur. 393
Qua ratione delectent. ibid.
A mulieribus Brasiliç pro ornamento capiti impositæ. 396
In tria genera dividuntur. 406
An generentur propagatione speciei. 421
Difficillime describi possunt. 434
Quomodo dicantur fœcundæ. 409
Omnes inter se dissimiles. 423
Earum varietas describitur. 422 & *seq*.
Pretio superant Vasa a Raphaele depicta. 424
Sideribus similes. ibid.
Providentiam Divinam indicant. ibid.
Earum usus, & utilitas. 429 & *seq*.
Monetarum loco adhibitæ. ibid.
Cibum suppeditant ibid.
Agriculturæ serviunt. 430
Architecturæ & Arti militari. ibid.
In Piscatu, Choreis, & Ludis. ibid.
Arti Mechanicæ, 431
In conviviis, & a luxu fœminarum male adhibentur. 432
Servantur in Musæis ut res prætiosæ. 403
In paginis delineatæ sine coloribus privantur venustate præcipua. 434
A sapientibus pretio habitæ. 477
Colores in Cochleis unde oriantur. 425
Septem præcipui ex quibus cæteri constant. 426
In purpuris variantur prout maris temperies exigit. 466
Cur in superficie externa appareant. 491
Cianeus cur non sit in Testaceis. 516
Coma crispata. 43
Conchilia diversa petrefacta. 202
Concha Papuana. 448
Margaritifera. 438
Corallina. 441
Pictorum dicta. 443
Levis. ibid. & 445
Rugata. 444
Dentata. 445
Fasciata. 446
Conaliculata. 445
Imbricata. ibid.
Piriformis. 446
Striata.)
Echinata.) ibid.
Conchas legere jucundum. 393 396 398
Conchæ margaritiferæ an turmatim natent. 480
Conchæ indicæ variæ. 448
Congiarium quid sit. 103
Conjux tam de Marito, quam de Uxore dicitur. 113
Coralia diversi generis. 264 & *seq*.

An sub aquis sint mollia. 264
Cornelius Mayer Tiberim frænat argine ne Romæ inundet. 498
Cornua cur sint in Cochleis. 504
Alcis. 277
Rhinocerotis. *ibid.*
Elephantis. 278
Cervorum. *ibid.*
Rupricapræ. 279
Bovis Americani. *ibid.*
Arietum.)
Damæ) *ibid.*
Bisontis.)
Ibicis. 280
Sterpsicerotis. 279
Cornu Eburneum arte elaboratum. 281
Corona in Sepulcris expressa cum fasciis. 91
Exculpta in Lucerna. 133
Crepitaculum quid sit. 177
Crocodilus. 273
Crux primo signum oprobrii postea dignitatis. 139
An fuerit in Templis ante Christum. 140
Cristalla. 222
An flexibilia reddantur. 224
Cultri in Sacrificiis adhibiti. 8
Culex descriptus. 335
Culex alius dictus Sarapico. *ibid.*
Cupido cum face accensa. 131
Cur Puer. 29
Multiplex. *ibid.*
Cuprum. 213

D

Dactilus Concha. 442
Delphinus significat Neptunum. 142
Dens Apri affricani. 277
Dens viperæ an sit cavus. 348
Dentes non sunt in Testaceis, neque in parte Superiori oris Cornigerorum. 502
Diana Venatrix. 28
Parthenia dicta ibid. & Tergemina. 133
Deorum multitudo cur excogitata. 21
Dii manes qui & cur in Tumulis invocati. 99
Diversitas colorum in Testaceis notas distinctionis exhibet. 500

E

Ebur fossile quid sit. 199
Echinus marinus Saxeus. 201 436
Echinofora Cochlea. 451
Eliogabolus Araneorum Telis Romæ magnitudinem explicat. 403
Equus amuletum. 36
Alatus cur in sepulchris expressus. 137
Ericinus marinus. 436
Cur habeat quinque ova. 510
A D. Ambrosio consideratus. 402
Saxo hæret ante maris Procellas. *ibid.*

F

Fabæ S. Ignatii dictæ quid sint. 241
Facere relatum ad conjuges quid significet. 111
Farina Brasilienſis ex radice. 241
Fax inversa, quid denotet in tumulis. 93
Fel cur non habeant Testacea. 503
Ferrum. 212
Fibulæ diversæ. 168 *& seq.*
Figura corporum à quo procedat. 496
Rotunda quare sit in lapidibus, & Cochleis marinis. *ibid.*
Fila ex planta Maghei dicta. 230
Flabellum ex pennis Avium. 226
Flabella ex Charta apud Sinas. 232
Flora expressa. 28
Flores in Lucerna exculpti. 133
Florum Recrementa observata. 351 *& seq.*
Fœtor in Animalibus unde oriatur. 242
Fons vi attractiva aquam spargens. 306
Fons qui aquam refundat in mensura in qua ebibit. 306
Fons ex condensatione. 307
Forceps Vulcanum significat. 142
Fortuna ab Antiquis Dea existimata. 28
Frondipora. 266
Fructus diversi ex variis Regionibus. 236 *& seq.*
Fulmen Iovem significat. 142
Funera quo ritu celebrata ab Ægyptiis. 247

G

Gaideropora Concha Bilvavis. 441
Galba quid sit ex Arveo. 495
Generatio omnium rerum fit concurrente Deo pluribus modis. 409
Geographia dicitur Cochlea. 470
Giottus perfectum circulum sola manu delineabat. 424
S. Gregorius Nissenus ignorantiam fatetur Naturæ opera perscrutandæ. 430
Griphus Apollini Sacer. 6.

H

Herba Thè seu Cia. 242
Herculis simulacrum. 24
Hipopotamus. 276
Homines carne humaaa pasti. 225
Horus Ægyptiorum Deus. 35

I

Idola Antiquorum diversa. 38
Iecur cur non detur in Testaceis. 503
Ignis sacer quomodo servaretur à Vestalibus. 4
Inaures, & earum usus. 167
Ingenuus puer quis dicatur. 103
Incisus quid significet. 104
Insecta minima observata. 356
Instrumenta Mathematica. 31 *& seq.*
Isis multimammia. 31 *& seq.*
Ægyptia. 34
Istrix marina dicitur Purpura. 467
Iupiter diversa forma significatus. 21 *& seq.*
Ammon dictus. 36

L

Lacerta major Brasiliæ. 273
Cum duplici cauda. 275
Ægyptiis Sacra. 75
Lacrimæ in tumulis ponebantur. 99
Lacrimarum vasa in sepulchris. 146
Lactis examen. 357
Lamentatrices fœminæ in sepulchris. 146
Larvæ Antiquorum æneæ. 180
Lapides figurati an fuerint animalia. 198
An formentur aqua conglaciata. 214
Lapidis naturam multa acquirunt. 200
Lapidis iudaicus. 202
Crucifer. 204
Stellarius. 205
Nephritieus. *ibid.*
Bononiensis quomodo calcinetur. *ibid.*
Amianthus, & quomodo preparetur. 206
Odoratus. 207
Ostreocolla. 207
Cum arborum figuris. 208
Cum figuris mathematicis. *ibid.*
Varii in animalibus reperti. 499
Fungi figuram habens. *ibid.*
Piscium imagines referens. *ibid.*
Specularis. 214
Lapides quomodo formentur. 416
Animalium membra referentes. 421
Sub aquis calidis facilius generantur. 498
Larvæ in sepulchro expressæ. 91
Leo quid significet apud Ægyptios. 131
Lentes vitreas conficiendi ratio. 334
Liber malabaricus ex foliis palmæ. 230
Liber plumbeus. 180
Ligulæ aliaque instrumenta in Sacris adhibita. 9
Lignum nephriticum. 240
Ligna diversa indica. *ibid.*
Linea spiralis principium in omnibus generationibus. 494
Lisippus delectabatur monetis sibi solutis ob statuas a se sculptas. 434
Lucerna Archimedis. 129
Habens formam cornucopiæ. 141
Lucernæ ponebantur in sepulchris, & quare. 128
An fuerint perpetuæ. 128
Luna in Calceis cur. 164
Lupercalia festa quomodo, & quando instituta. 20
In eis flagra adhibita. *ibid.*
Luna quomodo impleat Testacea. 512
Lux Animalium vide splendor.

M

Machinæ Catoptricæ Dioptricæ &c. 310
Nydraulicæ. 305
Magnes. 203 *Ejus usus in multis.* *ibid*
Manes libitinarii. 103
Manus ænea Iunoni Sacra. 72
Marchesita. 213
Mars in Ave Pica indicatus. 142
Mare cur Neptuno tridenti armatus exprimatur. 411
Magis calidum quam Lacus. 484
Aquas habet magis nutritivas licet minus potulentas. 485
Materia quæ nam sit apta ad generationem Testaceorum. 416
Margaritæ laudabiliter adhibitæ. 433
Mercurius expressus. 25
Cur nuncius vocetur. *ibid.*
Cur juvenis pingatur. *ibid.*
Membra cur non sint diversa in Testaceis. 44
Cur in Animalibus fere rotunda. 496
Mensuræ diversæ. 174
Mechanica facultas. 302
A Memoria, & cubiculo quid significat. 105
Metalla eorum nomina varia. 211 *& seq.*
Micographia curiosa. 322
Microscopii observationes. 324
Microscopiorum artifices insigniores. 326
Microscopii observationes commode faciendi ratio. 330

Miles ferentarius, & Rorans saxis pugnabat. 179
Millepora. 266
Ministrator quid significet. 105
Minimæ res laudabiliter observatæ. 323
Monile puellarum Brasiliæ. 225
Monstra quomodo generentur. 283
Motus perpetuus an dari possit. 308
Mumia quid sit. 245
Mundus est Musæum plenum statuis a Deo factis. 399
Est veluti Pinacotheca corpori, & Bibliotheca animo. 429
Motus Animalium perfectorum supponit principium perfecte unum. 499
Testaceorum non juvatur a circumvolutionibus. 499
Mus amuletum. 36
Musca observata. 341
An adhæreat unguibus. 342
Ejus oculi descripti. 343
Musculus concha. 442
Musæum Collegii Romani a P. Kirchero primùm institutum. 1
Musea varia deperdita. 1 & 2
Musea recensentur in quibus sunt Testacea. 403
Murices diversi. 457 468
Musica instrumenta. 309
Murena cibum captabat e manibus Crassi. 507

N

Natura ibi generat ubi dispositiones ponuntur. 422
Veluti prudens artifex operatur. 478
Nautilus descriptus. 435
Neritæ diversæ. 461 *& seq.*
Nidi ex Concincina. 228
Ex Litbuania. *ibid.*
Nuces marinæ sunt conchæ. 446
Numismata diversa. 316
Iani. 180

O

Oculus Apellini Sacer. 75
Oculis carent Cochleæ. 504
Odorem non edunt Testacea. 509
Omnipotentia Dei non deprimitur si dicatur causa immediata omnium. 408
Onocrotalus Avis. 228
Operculum cur detur in Testaceis Turbinatis. 503
Oraculum marmoreum ab Æthnicis cultum. 75
Orationem faciebant stantes, & elevatis manibus Antiqui. 112
Ossa magis dura sunt post mortem animalis. 488
Cur non dentur in Testaceis. 420
Ova monstrosa. 283

P

P. cum X. an semper fuerit signum Christianũ. 139
Pallas expressa. 29 *Eadem ac Minerva.* *ibid.*
Palmæ in Lucerna quid significent. 134
Papilio Symbolum immortalitatis. 22
Papilio observatus. 339
Passer Veneri Sacer. 144
Patella Concha. 436
Pateræ in Sacris adhibitæ. 12
An differant a Patellis. *ibid.*
Piscis Amuletum. 36
Pectines Conchæ. 440 *& seq.*
Petrus de Valle oblectatur Testaceorum Piscatu. 397
Pediculus expressus. 345
Pectines Conchæ diversæ. 440 *& seq.*
Pentidactilus est Cochlea. 454
Pictura characteribus expressa. 232
Pictorum insigniorum imagines. 316
Picturæ acu factæ. 232
Pili, & Pinnæ a quo nutriantur. 492
Pili Talpæ. 361
Vespertilionis. *ibid.*
Pinna maris habet Socium Cancellum. 402
Expressa 442
Piscium Squamæ. 360
Piscis Canis. 268
Libella. 269
Serra. *ibid.*
Xiphia. *ibid.*
Tiburo. *ibid.*
Pastinaca. *ibid.*
Raia. 270
Hirundo. *ibid.*
Araneus. *ibid.*
Astacus. 271
Cancer. *ibid.*
Mugera dictus. *ibid.*
Capitolium 272
Stella. *ibid.*
Plumbea Glandes, e Cælo emissæ. 207
Plumbum. 213
Pomum Cyaneum vitã immaturam denotat. 94
Pondera antiqua. 172
Pondera elevandi ratio. 303
Porcellana Sinica quid sit. 218
Providentia Divina in Testaceis elucet. 400
Puer gymnicus in Palestra. 176
Pulex. 345
Pulmones sunt instrumenta vocis. 507
Purpuræ Cochleæ diversi generis. 466 *& seq.*

Magni habebantur ab Antiquis. 466
Illas mercabatur Zeno Philosophus. ibid.
Earum Piscatores vectigalibus non gravabantur. ibid.
Earum Piscatu mancipia Tyri libertati reddita. ibid.
Quomodo earum color obtineatur. ibid.
Pyrites colores fere omnium metallorũ habet. 214

Q

Quadrigæ quatuor equorũ quid significarent. 135

R

Rana Ægyptiis Sacra. 75
Raphael Urbinas an in Argilla pinxerit. 222
Rete quo utuntur Brasiliani ad pondera ferenda. 234
Retepora. 266
Relaxatio animi homini necessaria. 393
Laudem meretur cum ad finem optimum dirigitur. ibid.
Sapientis qualis esse debeat. 394
Quomodo Cochlearum observatione habeatur. 393
Musicam imitatur. 478
Rosa Iericunthina. 242
Polonica quid sit. 494
Ros in florum colores transmutatur. 496

S

Sacerdos Ethnicorum. 15 *& seq.*
Ejus munera etiam mulieres exercebant. 16
Quanam veste induerentur. 17 *& seq.*
An pedes haberent discalceatos. 18
Sacrarii nomine quid denotetur. 101
Sacrificia sæpe incruenta. 19
Salia diversa. 216
Sales Volatiles & Fixi figuras exprimunt corporum quorum sunt. 494
Unde figuras proprias obtineant. 495
Virtutem propagativam continent. 410
Saltandi genus supra utres. 177
Saxis pugnabant Antiqui. 179
Saxum a vermibus corroditur. 412
Scriptura stylo efformabatur apud antiquos. 165
Scincus. 275
Scorpio Tunetanus. 276
Scribendi modus varius. 230
Scipio cum Lelio delectabatur Cochleis. 430
Scutum Æneæ à Venere datum Testas exprimit. 499
Sepulchra aliquando sine cineribus ponebantur. 47
Sepulchrorum Inscriptiones. 84 *& seq.*
Sepulchrorum cura apud omnes Nationes 84
Eorum forma diversa. 85
Sepulchrum Proserpinæ fabulam repræsentans. 87
Serpens indicus. 273
Serpens Ægyptiis Sacer. 75
Sigilla. 170
Signum Pantheum in Lucerna. 141
Simpuli, & Cyathi in sacris adhibiti. 11 *& 12*
Simpulatrices fœminæ quæ 11
Simiam Ægyptii colebant. 36
Singularis miles quis fuerit. 112
Sistrum. 179
Sol sub nomine Serapidis indicatus. 26
Sub Pueri imagine. 23
Oculi Symbolo. 26
Sors duplici modo accepta. 175
Sphinges in sepulchris exculptæ. 96
In Lucernis. 136
Spongiæ diversæ specie. 267
Splendor Balanorum unde oriatur. 515
A multis rebus emissus. 514
Spondilus concha bivalvis. 441
Squamæ piscium. 360
Statera Sinensium. 234
Stellio. 275
Strombi dicuntur aliquæ Cochleæ. 455
Sturio Piscis tonitru pertere fit. 508
Styli ad scribendum. 165
Succi concreti diversi. 218
Succus lapidescens quid sit, commistus in aquis. 416
Succinum quid sit. 215
Sulphur. 217
Susurrus maris cur videatur audiri admota auri Cochlea. 511

T

Tabularium quid significet. 114
Tactus in quo consistat. 509
Tabellæ votivæ diversæ. 61 *& seq.*
Talcus est fossilis. 214
Talpæ pili. 361
Talus pro decimatione militum. 174
Tellinæ variæ. 438 *& seq.* 443
Terminus inter Deos adscriptus, & diversimode expressus. 30
Testacea Providentiam Divinam ostendunt. 440
Eorum observatione mens delectatur. 361
Eorum divisio. 406
An sponte generentur. 408
Descripta. 434 *& seq.*
Diversitatem membrorum vix habent. 499
Turbinata enumerantur. 499 *& seq.*

Auri admotis cur susurrus audiatur. 511
Te in pace est dictio inscriptionis sepulchralis Christianorum. 110
Testæ non sunt ex aqua glacie constricta. 416
Cur adeo duræ. ibid.
In terra multæ reperiuntur. 417
In mari potius quàm in lacubus nascuntur. 483
Ore privæ quomodo nutriantur. 503
In sinubus Indiarum australium frequentiores. 486
Supra ligna potius quàm supra saxa. 487
Rore non formantur. 483
Pluribus tunicis componuntur. 489
Cur multæ turbinatæ. 493
Cur multæ saxis affixæ. 489
Cur multæ striatæ. 490
Simul cum Animali generatæ. 422
Non juvant ad motum Animal inclusum. 401
Animantur licet sensu careant. 508
Cur non mutentur sicut Crustæ in crustatis. 513
Servantur in variis Musæis. 403. & *seq.*
Testudo Ægyptiis Sacra. 75
Texturæ diversæ ex fibris Palmarum. 232
Tintinnabula & eorum usus. 178
Thuris usus in sacris quando inceptus. 10
Tubularia 266
Toga cænatoria qualis. 97
Torques ex visceribus Bombicis. 225
Tonitrua sturiones perterrefaciunt. 508
Tripus marmoreus Apollini Sacer. 4
An ignem Sacrum sustineret. ibid.
Ex diversa materia fabricatus. 5
In sepulchro expressus. 90
Turbines varii, 456
Turbinata tres figuras habent, spiralem Piramidalem, & Circularem. 498
Testis non uniuntur sicut Bivalvia. 538

V

Vasa in Sacris diversa. 13
Eorum supellex ad Pontifices pertinebat. 13
In cænis feralibus adhibita. 97
Ex cortice Arborum. 229
Diversa ex argillis. 218
An depicta fuerint a Raphaele Urbinate. 222
Vectis facultas. 302
Vegetabilia marina diversa. 265
Venatio ferarum apud Antiquos frequens. 131
Venter Testaceorum qualis. 503
Venerea Cochlea cur dicatur. 463
An sit Remora. 519
Vernix Sinica quid sit. 233
Vermes aceti. 358
Vermis saxa corrodens. 407
Ex flore bryacinthino natus. 414
Vestis incolarum Regni Conadensis. 229
Vespertilionis pili. 361
Vipera. 274
Vipera caudisona. ibid.
Viventia in mari vitam non amiserunt in Diluvio universali. 419
Unguenta in Balneis adhibita. 163
Univalvia non Turbinata. 435
Unio cur dicatur Margarita. 438
Ad quam molem crescat. 439
Ubi producatur. ibid.
Ab omnibus pretio habitus. 479
Rore non formatur. 480
Quomodo e mari accipiatur. ibid.
Est corticosus. 481
Unde colorem induat. ibid.
Quomodo expiscatur. ibid.
In visceribus animalis ut plurimum gignitur. 482
Vox non emittitur à Testaceis. 503
Quomodo formetur à viventibus. ibid.
An audiatur sub aquis. ibid.
Ut formetur requiritur agitatio aeris inter corpus percutiens & percussum. ibid.
Urticæ spicula an sint cava. 350
Vuæ in sepulchris expressæ. 92

X

Xerses platani amore captus. 397
Pontem navium extruxit ut mari frænum imponeret. 477

Z

Zeno philosophus Purpurarum mercaturam exercuit. 466

Errata Benignus Lector Typographo condonabit.

F I N I S.

V

X

Z

Errata Benignus Lector Typographo condonabit.

F I N I S.